
FIRPO
3347
BIBLIOTECA NAZIONALE
TORINO



chi l'a pi 'd fil farà pi 'd teila

Ex libris

LUIGI FIRPO

26. 16. 30.

HEINRICI HENNIGES, *DE* SUMMA IMPERATORIS ROMANI POTESTATE CIRCA SACRA.

LIBER UNICUS.



NORIBERGÆ,
Sumptibus WOLFGANGI MAURITII
ENDTERI, & JOHANNIS ANDREÆ
ENDTERI Hæredum.
ANNO M. DC. LXXVI.

BIBLIOTECA NAZIONALE

SERENISSIMO PRINCIPI,
AC DOMINO
DOMINO
CAROLO LUDOVICO,
COMITI PALATINO RHENI, S. R. I. ARCHITHESAURARIO ET ELECTORI, DUCI BAVARIÆ. &c

DOMINO MEO CLEMENTISSIMO

FELICITATEM!
VICTORIAS!
TRIUMPHOS!

ERunt fortaſſis, SERENISSIME PRINCEPS ELECTOR! qui importunum me & audaculum dicent, quod non temporis, non rerum præſentiũ æſtimata facie adire Principẽ ego ocioſus auſim, tot curis negotiisque nunc obſeſsũ, quod togatus ipſe & literariæ rei deditus intempeſtivè compellem ſagatum Ducem, ac jam padiu ſumpto paludamento cum patriæ hoſtibus feliciter præliantem, quod bellum literis miſceam, & enſem ſtylo. His vero ut ex ſubſelliis reorum intrepidè reſpondeam, ſicut me non teneri ſentio, meritò enim

libera eſſe debet electio quærentium ſcriptis rebusque ſuis illuſtre & tutum præſidium: ita apud Te ſat ſcio nullam ſuſpicionem exoriri criminationis tam infeſtæ. Noſti enim, qua animi es magnitudine, & in doctrinas propenſo favore, quàm inepta ſit illorum accuſatio, qui Gradivo Deo ad populum diem dicunt, in ſodalitio Muſarum deprehenſo, prorſus ac ſi bello cum literis omne commerciũ ſevera lege interdictum ſit. Etenim ſi in ipſa atrocitate certaminis, interque promiſcua virorum fortium funera non timuit Martem pro Trojanis pugnantem mollis & placida Venus ſequi, ipſaque vulnerari, velut immanitatem tam ſævæ horridæque rei amore ſuo & blanditiis mitigatura. Quis bello

illas virgines naturâ ſuâ fortiores prohibebit, niſi qui accenſo & cœco furori temperamentum humanitatis, prudentiæ & juſtæ fortitudinis invideat, quæ ſola tamen hoc immane malum, hanc tetram mortalium peſtem continent, ut non ab omni memoria abeat humanæ ſortis, nec ad extremam perniciem mutuò graſſetur? Hac mente priſci ſapientes addidere lyram ad Apollinis lethalem arcum, armatæque Palladis (Deæ ſcilicet ægide ſua & fulminantis dextræ robore inſignis) galeæ noctuam impoſuere, quod belli calamitates divinitate ſcientiarum ſolari liceat & avertere: imò quod ipſum bellum hoc clavo felicius & tolerabilius regere. Græcorum ille maximus Rex, ille domitor

Ori-

Orientis, & latiſſimi poſt Romanos imperii conditor, Alexander, totam vitam inter legiones & arma conſumpſit, non melior Imperator, quàm intrepidus miles. Cur ergò cum Homero ſuo ſemper dormivit: cur cœci vatis fabulas aſſidue legit? ſi nefas eſt ibi Muſas canentes audire, ubi ſigna canunt: vel turpe factum, pugnis clamoribusque calentem animum aliquo bonarum artium refrigerio componere. Sed quid ego hæc apud Te diſcepto? quem omnes novimus ita curas publicas & molem regiminis ſapienter partientem, ut ſubinde apud Te literarum ſit aliquod pretium, quibus ſingulis pene diebus indulges, quantum ſatis eſt ad fatigati magnis rebus animi viriumq; commodam refectionem,

nullo publici boni neglectu vel damno. Hujus inſtituti ut Tibi quidem major libertas in pace eſt, qua ſecurius lætiusque agunt Muſæ: Sic illud ne quidem flagrante incendio prorſus deſeruiſti. Quæ res quidem mihi certam ſpem affirmat, & hoc, quicquid eſt mei ingenii, eam à Te gratiam impetraturum, ut bono & læto nutu pro mira tua manſuetudine & humanitate, tanto Principe dignâ, acceptum ſe poſſit meritò gloriari. Habeo autem multas & magnas cauſas, OPTIME PRINCEPS, cur Auguſtum Nomen Tuum hujus libri frontiſpicio inſcribere mihi viſum ſit. Cui enim hæc literaria certamina, niſi rei, quæ agitur, gnaro & æquo judici committenda? Sed quis Te Principum totâ Europâ do-

ctrinâ, ſapientiâ, pietate, moderatione, virtutibusque omnibus illuſtrior? Quis frequentior inter Muſarum Choros, aut notior Præſidi Deo? Quis oraculis divinis delibutior? Quis æquior denique cauſæ tam grandis, tam excelſæ, tam plerisque locis præpotenti invidiâ oppreſſæ arbiter? Te jurium divinorum atque humanorum ſcientia, humani ingenii menſuram pene exſuperans, idoneum: Te proſperis adverſisque caſibus fortuna expertum: Te meliorum ſacrorum diſciplina, nec corrupta Sacri Ordinis ambitioſis æſtibus, purum & integrum. Te juſtitia civibus & peregrinis nullo perſonarum reſpectu, nullo ſordium affluxu hucusque æquali modo adminiſtrata, minime omnium ſuſpectum, &

vel ab ipſis hujus cauſæ hoſtibus aliquo nomine non recuſandum, judicio conſtituit. Ut vanum eſt & inconſultum, apud imprudentes aures cauſam dicere, ita apud præoccupatas alterius partis gratia, aut inveterata ſuperſtitione faſcinatas intutum maxime plenumque periculo. Illic enim fortunæ ludibriis aut ſorti exponetur juſtitia: Hic excandeſcenti invidiæ; quæ illam ſubito præjudicio damnabit. Igitur, Tu, CELSISSIME PRINCEPS, longe optimus in hac lite judex, nec præterea defenſor minor veritatis, quam iſte liber adverſus malitiam improbæ factionis vindicat. Adhæc futurus procul dubio mihi firmum præſidium, quod invidiæ & indignationi hominum de propalata myſterii ſui

rii ſui vanitate ſævientium cum decore meo opponam. Præterea communis eſt hæc omnium Principum cauſa, olim per ſacrificulos ſub infelici illo & diuturno literarum exilio neſcio qua opinione pietatis oppreſſa, & nunc demum redditâ meliore conſcientiis animisque libertate ex turpiſſima ſervitute paulatim in integrum cepta reſtitui. Cujus adeoque, quicquid eſt ubique ſummarum poteſtatum & Magiſtratuum patrocinium ſuſcipere, eamque favore publico tueri decet. Eſt denique gravior adhuc cauſa, quæ impulit me, ut Te, tantum Principem, tot naturæ ingeniique dotibus, ſed fide præcipue & conſtantia ad immortalitatem famæ factum, quacunque licuit veneratione

tione demererem. Etenim quid illa excelſæ indolis rectitudine in his motibus imperio non præſtitiſti? quid non nocuiſti rebus Tuis? Quam hoc ſpecimen animi inopina res plerisque fuit, & pene incredibilis? Expectabant indies, qui Te minus noverant, ut aliorum exemplo in dubia tempeſtate, ac ſe nondum ſatis explicante, aut affectibus privatis indulgeres, feliciori, qui tum erat, accedendo: aut ſi multum etiam faceres pro re communi, quieſceres, conſilia ex tempore capturus. Et erat haud exigunm, quod de Te homines tale quid cogebat ſuſpicari. Scilicet veterum injuriarum ſenſus: cariſſimum pignus in regiam domum traditum: agri Tui, quamprimum te inciperes movere, vicino præſidio

ad

ad direptiones & belli iram expoſiti. Ante omnia vero Gallus illo tempore nondum publica voce hoſtis imperii proclamatus: adeoque lenta & tepida defenſio, nulli niſi Imperatoris, & ſingulorum Statuum, exercitus: publicæ omnium ſecuritatis longinqua adhuc cura. Cum Tu repente contra opinionem multorum privatas ſimultates Reip. condonans, neque ſpecioſis & præſentibus motus, ſed fidelis magnique Principis functus pio officio, meliores & juſtiores, non tutiores partes elegiſti. Te non affinitas cum maximo Rege juncta: non munera & largitiones, (quibus hodie tanta vis ineſt, ut his mutis legionibus omnia firma expugnentur, hominesque hoc philtro tincti pene naturam, certè

omnia divina humanaque, pietatem, fidem, honorem, deſerant,) non vicinum certumque rebus tuis ab hoſte imminente periculum, non cædes tuorum civium, non villarum oppidorumque incendia & barbaræ populationes, ab hoc animi robore, hoc ſanctæ fidei juſtitiæque propoſito, avertêre. O miraculum pietatis! O rectum & immobile inter mala & ſpem pectus! O ſpecimen inconcuſſæ virtutis. O ſincerum in publicam rem ſtudium. Hanc tutam & incolumen ut præſtes, ut à ſervitute vindices, quam cervicibus noſtris ambitioſus hoſtis molitur, omnium fortunarum tuarum jacturam facis. Quicquid Tibi

carum eſt & naturale, ſolum, ſubditos, liberos, aras & focos, pro publico bono conſecras: cujus ſervati major Tibi laus eſt, quam iſtorum omnium & erit diuturnior: ita Deus faxit! Tantam enim virtutem non perpetuo colere & celebrare quæ poſteritas niſi ingratiſſima poteſt? Ambivit potentiſſimus Rex amicitiam Tuam, multa ſpe, & promiſſorum longa ſcenâ adortus eſt ſacram mentem. Adjunxit blanditiis minas, excidiis, & vaſta populationum calamitate terruit: in ſumma vulpem ſe & leonem oſtendit, ut Te lucraretur. Interea parum erat, quo demerere tantum Principem, accipere ſtipendia, & ante fores

res malum declinare licuit. Neque enim ut aperte deficeres, aut cum illo oppugnares patriam Tuam, auſus eſt petere. Sed ut Te ſaltem medium quietumque teneas, & utrisque partibus æquum, quod principio belli quam multi fecere? & faciunt aliqui nunc, majore invidiæ fama, quam incommodo. Quippe quos utrique illi, qui partes fovent, & hinc inde in adverſa acie ſtant, ſuſpiciunt lactantque velut ſummæ belli arbitros, illuc prævalituri, quo ſe iſti extremo impetu & æquas lances tracturo verterint. Sed altior Tibi, meliorque mens SERENISSIME PRINCEPS. Tu inter primos periculo ſtrepituque armorum tempe-

tempeſtivè excitus ſervaſti imperiò fidem quam debes, & periclitanti patriæ cita ope omniumque virium ſuccurriſti ultimo experimento, aliis illuſtre exemplum factus, ut à veterno illo, tepore, aut trepida & circumſpecta mora, quâ plerunque, dum ſingula incerta fortunæ momenta expendunt, & omnia tuta etiam timent, tardo difficilique auxilio corrupere gerendarum rerum occaſiones, ad alacritatem & fortitudinem Te Ducem ſequerentur. Hoc pietatis fideique miraculum, hoc theatrum conſtantiæ & virtutis, ſi patiemur gratis nobis & ſine honore eſſe, ſi inter hoſtes ſuos perire, quod abominor; Si ipſi conſilium tam ſalutare, tam pulchrum &

ſorte factum fraudi damnoque vertere; Si denique non totis imperii viribus hoſtem ad reddendas res reſarciendaque damna, quæ intulit, compellimus: indigni, me Hercule, omnes erimus, quibus vel Tu PRINCEPS FORTISSIME, vel alius quiſpiam deinceps in dubia fortunâ fidem nobis ſervet: quod unice hoſtes noſtri optant. Sed inter alios, qui tibi gratias laudesque pro conſervatis hactenus bonis debent; Franconum gens eſt. Quibus Tu felix præſidium, Tu propugnaculum, Tu munimentum es & tutelaris quidam genius, qui vim hoſtium Tuo excipis fortiſſimo pectore: iram belli in Te primum ſævientem velut alta & immobilis rupes frangis:

gis: & populationibus obſtas, ſine dubio & Franconiam noſtram, interioraque imperii correpturis, hac arce expugnata. Quod ne unquam fiat, DEUS & totum imperium prohibebunt. Hoc igitur titulo omne Francum nomen Tibi tantum obſtrictum, quantum vix concipi animo poteſt: eloqui nunquam licet. Sed qua potiſſimum re potentiores, & quibus major eſt beneficii Tuis meritis digni materia, ſuam deceat gratitudinem teſtari, non eſt mei juris decernere. Privati in Franconiâ homines, quod poſſunt, pro ſalute Tua DEI pacem aſſidue expoſcunt, ut incolumem Te ſoſpitemque inter tot curas, tot perplexa negotia, tot belli terrores præſtet: neve hoc ſe-

nilis animi ſapiens robur incumbentibus graviter malis laſſari ſinat aut mergi. Denique ut pacem tibi reddat honeſtam, firmam & ſecuram. Hoc omnium bonorum votum, hæc vox eſt, quam ſummum Numen ratam firmamq; eſſe jubeat. Minimus ego ex illis, ſed fide & reverentia in Te nulli ſecundus, hanc ſupplicem libri mei dextram obſequii cultusque mei eſſe ſponſorem volui. Accipe, quâ ſoles, ſerenâ fronte exiguum & leve munus, ac patiare illud gloriam immortalitatis conſequi Tuo favore. Sub hac umbra quieſcat libellus ille meus, hoc patrocinio ſecurus agat. Argumentum, quod aliis bilem forte moveat, Tibi ſacris ab omni immunditie purgatis addicto

proculdubio placebit. Nam turbulentias & ambitiones Sacerdotum, quas reprehendit, ipſe odiſti & damnas. DEUS Te, PRINCEPS SERENISSIME, cum Principe Filio, (ah quantâ indole maturæ virtutis! quanta ad Electoratum ſpe!) omniq́ue ElectoraliDomo, Tibi Tuisq́ue, imò & nobis, & patriæ imprimis diu conſervet felicem & ſuperſtitem. Dabam Onoldi, in Franconia, VIII. Id. Auguſti. Anno natæ Salutis. M. DC. LXXV.

TUÆ SERENITATI
ELECTORALI

Subjectiſſimus Servus

HEINRICUS HENNIGES.

CANDIDE LECTOR!

ANtequam te ad præſentis libri lectionem accedere patiar, in veſtibulo operis pauca monendus es mihi, ut quo illud conſilio, quave de cauſa procuraverim edi, intelligas. Cum ante biennium, & quod excurrit, obſervationes meas in Grotium vulgaſſem, fidem dedi, de Aquila quadam Germanicâ, (quo nomine concinnationem juris publici novâ quadam utiliq; methodo in artem redigendi videri cupiebam promiſiſſe,) judicio tuo & uſibus juventutis juri publico deditæ, ſiſtenda. Neq; etiam nunc aut promiſſi pœnitet, aut pudet incepti. Tam ardua verò eſt & undiquaq; late diffuſæ materiæ hæc res, ut quamvis toto illo tempore ſcribendo non ceſſaverim, nondum mihi tamen imperantem *ſaltem* partem *operis licuerit abſolvere. Etenim non eſt meæ conſuetudinis, quod alios facere video, ut quicquid in mentem calamumq; inconſulto & ſubito impetu venerit, nullo ordinis diſcrimine, nul-*

lâq; judicii limâ effundere, crudâq; & indigeſta magnarum rerum mole obruere legentium ſtudia: ſed, quantum per me quidem præſtari poteſt, ſingula ſuis diſcriminare ſedibus, explicare difficilia, ambigua ſolvere & aperire, ac deniq; ex veris & genuinis politicæ prudentiæ fundamentis jura Majeſtatis, in imperio Romano certis legibus conſtricta à malevolorum quorundam, & velut ex compacto Imperatori, Summo Capiti acerbo odio inſidiantium injuriis in ſplendorem ſuum & debitam dignitatem aſſerere. Hoc ipſum non eſſe quotidiani & præcipitati laboris rem arbitror omnes æquos judices ſentire. Interea vellicari ſubinde aures meas, & expoſtulari mecum de fide exſolvenda illius aquilæ publicatione pati debui. Quod mihi ſummè moleſtum accidit. Cum hinc quidem lentum illud & cogitabundum ſcribendi genus nollem deſerere, ne quod dicitur, dum canis nimium feſtinat, cœcos pariat catulos: illinc vero liberatam fidem meam præ omni alia re cuperem. Incidit præterea res, quæ metum mihi fecit, ne importunis crebriſq; aliorum provocationibus ab hac provincia prorſus in alium campum vi traherer. Quippe jam aliqui Jenæ exorti ſunt diſputantium, meaſq; obſervationes da-

ta opera criminantium iniqui rumores, & pluſquam ante annum extraordinarius quidam Wittebergenſis Profeſſor notas in Grotium promiſit, in quibus utiq; ipſum, ſi illas edidiſſet, (quod quantum mihi conſtat, nondum eſt factum,) mei non immemorem fore, facile ex eo, quo ille eſt in Zieglerum ſtudio, potui divinare. Hos omnes impune ferre, & velut ad Dictatorum ſilere virgas, imperare mihi non potui. Sed jam providebam animo novum certamen, & ad illud me totis viribus componebam. Atq; hæc etiam cauſa eſt, cur Jenenſibus diſputatoribus reſpondere hucusq; diſtulerim, uno ſcilicet labore adverſus omnes ſimul defuncturus, dealbando duos parietes una, quod dicitur, fidelia. Indignum etiam ſorte mea exiſtimavi, ad quoscunque Academicos clamores, qui plerunq; longius non audiuntur, quam auditorium illud eſt, turpi trepidatione ſemper occurrere, imprimis cum Magiſtellos etiam in me furor improviſus egerit.

Interea dum hoc loco pugnatur, quieturam alibi aquilā meam, neq; tam brevi tempore, quod initio mihi ipſi perſuaſeram, evolaturam, certum erat. Igitur impetum ſumpſi, ut aliqua ſaltem parte implerem fidem, ab ejus corpore reſecare argumentum aliquod,

quod, idq; peculiari opere edendum curare, ut æquus Lector & ſpecimen laboris noſtri habeat, & publicum ſponſorem, præſtandi mox exaſſe promiſſi, ſi per alios licet. Forte etiam his ſubinde partibus ſpeciatim edendis totum deniq; conficietur per vices opus, ne illud nimio plus quam velim moretur lectoris exſpectationem. In præſenti autem elegi publicandum jus Imperatoris ſummum in ſacris rebus, arduum profecto & clarum argumentum, planeq;

ἀμφότερον, κέντρον δὲ βοῶν, καὶ μέτρον ἀρούρης.

Illud cur tam prolixe tractatum à me ſit, ratio eſt, quod juris publici ſcriptores tam ſtrictim & jejune illud maximi momenti jus recenſeant, cum alia minoris utiq; dignitatis fere ad faſtidium crepent. Tum gravitas & dignatio rerum, quibus recte accurandis aſſerendisq; ab injuſta vi nunquam inutilis aut fruſtraneus eſt labor. De ipſa veritate religionum nullum mihi publicum ſumpſi judicium, & neque id me decebat hoc loco. Adhæc pro comperto habeo, mutuis illis rixis & clamoribus præferentium ſuas utrinque opiniones animos multum exacerbari: ad Chriſtianæ rei ſummam profici parum. Et tamen, proh dolor! in hæc funeſta incidimus

tempora, ut neſcio quo Syncretiſmi crimine calidi quidam & Saturnii homines illos onerent, qui humanis erroribus fomentum, non novaculam adhibent, neque confeſtim triſti ſupercilio de ægris mentibus volunt male ominari. Sed quicquid illi tam acerba & formidabili pietate præcipiant, ego merito hic ſubduxi invidiæ caput, judiciumq; de religionum diſcriminibus, alias vanum futurum, ſuſpendi, adeo ut ne quidem communem illam catholicam, quam tamen Deus vetet, ut unquam ſequar, verbo aut facto iniquo læſerim. Aſtus, ambitionem, parricidia, luxum, & crimina veteris Eccleſiæ Romanæ notavi, in eaq; aliquando pro rei atrocitate indignabunde invectus ſum, quod multi etiam ex illis fecerunt, quos eadem ſacra amplexos ſtudia factionum non fecere iniquiores. Tanta enim corruptione Sedis Romanæ, quæ olim captivato adhuc Chriſtiano orbe fuit, difficile eſt non ſcribere ſatyram. Et quis æquo animo ferat homines, qui cum ſuam purpuram, ſuam dignitatem & divitias Romano imperio debeant, tam ferociter in illo ſæviere: vanaq; ſpiritualium prætextu ipſos ſuos dominos ſuperbe conculcarunt. Enim vero hæc ad ipſam religionem non pertinent. Vitia perſonarum ſunt, quæ carpere

licet,

licet, incolumi ſacrorum, quibus præſident, ſanctitate: nam & apud nos, ut videtur mihi, incorruptior eſt doctrina quam vita moresq; Sacerdotum. Neque vero, qui ſic in aliis ſe carpi ſentiunt merito conqueri arbitror, propalari demum & erui præterita mala, quæ nunc bene recondita melius ſit taceri & tegi, nec priſcæ dominationis flagitiis ſeculo ad majorē modeſtiam compoſito creari invidiam. Cur enim probant; cur laudant turbones illos, ſpiritusq; ſuperbos? cur in exemplum proponunt? cur turpium tacendorumq; ſcelerum importuno patrocinio poſteritatem ad majora audenda incitant? cur tranquilliores mentes nec litium illarum avidas ignaviæ & proditæ cauſæ ſuæ arguunt? Cur Principes ſuorum jurium, ſuæq; auctoritatis vigiles dehortantur falſa ſacrilegii imputatione: terrent ſuperſtitione & ſuorum fulminum minis? Certe quidem hoc tempore rarior illa æſtuum & turbarum fulminatrix tempeſtas, quod vereantur nudatam ſuis opprobriis poteſtatem irrito nec prævalente impetu deſpicabilem facere. Eadem tamen doctrina manet, eademq; jactatio contumax imperii in cœleſtia & terreſtria omnia latiſſime extenſi: ne, ſi occaſio ad audendum tandem aliquid adſit, deſit conſervatum diligen-

gen-

genter jus. Tamdiu igitur convincendi ſunt erroris & pertinacis ſuperbiæ, donec diſciplinam mutaverint ad imaginem antiquæ probitatis atque caſtimoniæ. Scilicet vixere quondam parricidæ, qui variis artibus inſidiati ſunt Principibus. Marini, Cottones, Bellarmini, aliique ejus ordinis homines ſuis libris non mitiora ſuaſere, cum primum odiſſe incipiunt ingenia Regum. Olim venenata hoſtia periit Imperator quidam: at iſti ſubtiliori veneficii genere graſſantur, docentq; veſtibus & ſubſelliis Principum occultam mortem inſinuare. Quid in Galliæ Reges cultelli parricidarum illorum non executi ſunt: quid non tormentarius pulvis in Jacobum Angliæ Dominum deſtinavit? Quis igitur illos venia aut miſeratione dignos judicet, quibus ad eadem flagitia paratis ſaltem illa tam frequenter non patrantur? ſive quadam Dei providentia, infauſta conſilia plerunq; aperientis: Sive ſeculi genio, liberi à ſuperſtitione, neque amplius ad eccleſiaſticæ poteſtatis abuſum expaveſcentis. Quod me attinet, ut non prorſus deſpero, fore aliquos, quibus noſter hic labor probatur: Ita longe plures indicturos nobis bellum eſſe, nullus dubito. Jam enim noſtræ in Grotium obſervationes

nes

nes monere nos poterunt, quid expectare debeamus. Ibi egere aliqui gratias ſtudiorum, & adulteriora hortati ſunt amicis literis: Alii ad arma ferociter conclamarunt, ut ſe propugnatores faciant virorum quorundam, adverſus quos ego dixeram: ſed qui ſe ipſi melius his ſuis amicis defendere poſſunt. Præcipue Jenæ irritavi crabrones, qui inauguralibus aliisque diſputationibus in me vehementer invecti inani ſtrepitu exertum aculeum ſuo malo reliquere in vulnere. Quid alibi ſit factum: adhuc me latet. Nec iraſcor ego pleriſq;, quamvis multa ruſticitate mihi inſultent. Forte enim nimia crudaq;, quam agnoſco, libertate cenſuræ commerui, ut ſentirem, quid ſit libere alios de errore accuſare, quod tamen niſi facimus, invenietur nunquam veritas Atque ſi hoc ſaltem ſupplicio litatum eſt invidiæ, bene actum eſt mihi. Unum ferre non poſſum, Magiſtellum quendam πολυπράγμονα *& tumultuoſum, quem mirarer adverſus me tam profligato pudore in aliena cauſa dicere, & quam meam nunquam feci, nec adhuc facio, niſi natum eum ad id audiviſſem, ut data quacunque occaſione flagitioſè rixaretur. Homo ſcilicet, ſicut relatum eſt mihi, compotatio-*

potationibus, clamoribus nocturnis, rixis jurgiisq; potiſſimum in Academia illâ notus. Adhæc, quod neceſſe eſt hoc morum genere, aſſiduus in gladiatoria arena, ubi quondam ipſe unus contra novem infeſto animo pugnavit, quæ feritas omnium maxime ab illo debet abeſſe, qui ſacræ ſcientiæ & humanitatis ſe candidatum profitetur. Vulgavit iſte ſuperiore anno diſputationem, in qua, ut verba ejus ſunt, recens natam opinionem de impoſſibilitate polyarchiæ ſimplicis falſitatis convincere pro virili conatus eſt, *ipſe ſcilicet indigno Præſidis officio functus, & os ſuum calamumq; alicui Jacobo Philippo Werenberg, Lyneburgenſi, commodans. Ibi homo ineptiſſimus, adverſus me multa contentione & jurgiis ſuſtinet, poſſe majeſtatem poſſideri à pluribus indiviſo modo, quod ego nunquam negaveram. Saltem enim recenſitis Hornii rationibus hærere mihi aquam ingenue faſſus ſum, ſuſpendiq; omnem aſſenſum. Hic animi candor ſi vertendus eſt vitio, quod ille vitilitigator facit ſi omnia præciſâ & clarâ ſententiâ decernenda ſunt, ſi nulla unquam dubitandi aut hæſitandi in ambiguis & perplexis rebus libertas eſt, quam*

multa hominum doctiſſimorum vis hoc meo crimine involvitur? Veniet ante omnes in condemnationem Sapientiſſimus Græcorum præcepto ſuo, (quod creditum eſt hactenus ſocietatem humanæ vitæ continere) qui mortales docuit ἀπέχειν καὶ ἐπέχειν. *Quando enim hoc Magiſtello judice res agitur, perpetuo interdicto illud* ἐπέχειν *exilio multandum eſt, & in dubiis cauſis ad hunc vatem eundum, quem benigniora fata humano generi his ultimis temporibus dedere, ut quicquid eſt ænigmate Sphingis perplexius, ipſe veridica deciſione ſua explicet.*

--- --- Riſum teneatis amici!

Igitur huic ut verbum reſpondeam, quis mihi autor erit? Deſero vadimonium, deſero, quod prædixerat iſte. Quid enim, ut habet proverbium, ſi me aſinus calcitret? Solabitur hic me Ariſtophanes.

ἀλλ' οὐκ ἔνεστι συκοφάντου δήγματος.

Flores quidem contriti manibus ſuavius olent: Sed pix hæret & contaminat: quare relinquenda eſt hæc ardens veſtis. *Cæteris erit fortaſſe tempus, ut vicem referam, ſed procul omni ira & conviciis.*

Ita

Ita enim certum mihi eſt & obſtinatum, in poſterum, quam poſſum, temperatiſſime ſcribere. Ex cauſa enim meritis & argumentorum vi, non acerbitate & præcipitantia ſermonis judicatur veritas. Interim tu, benevole Lector! mihi vale, & his fruere. Si placent, quod ſpero, brevi plura tibi dabimus. Scribeb. Onoldi.

3. Id. Aug. Anno Chriſti

M. DC. LXXV.

DE

DE SUMMA IMPERATORIS ROMANI POTESTATE CIRCA SACRA.

CAPUT I.

DE OFFICIO PRINCIPIS CIRCA SACRA.

SUMMARIA.

1. *Religio in qualibet Civitate Principi neceſſaria.*
2. *Quia primò felicitatis civilis & fortunæ genetrix.*
3. *Quia ſecundò conciliatrix obſequii & concordiæ.*
4. *Quia tertiò ipſis ſubditis utilis.*
5. *Imo quartò univerſæ Reipublicæ.*
6. *Curanda igitur religio. Sed cum modo & ſapientia.*
7. *Sic ad omne vitæ civilis genus utilis.*

§. 1.

De poteſtate Imperatoris Romani commentationem meditanti viſum eſt, ante omnia præfaminis loco de officio Principis circa religionem in genere nonnulla dicere. Nam ut omnibus imperantibus, ita & Imperatori noſtro præcipua ſit & prima ſacrorum cura. Eſt enim hæc circa ſacra & religionem prudens ordinatio fundamentum omnis civilis vitæ, & neceſſarius Reipublicæ nexus, quo & Princeps cum civibus, & cives in-

ter ſe arctiſſimè colligantur. Solve hæc vincula, quæ animos ſubditorum tenent, non obſequium Principi, non Magiſtratibus timor, non civibus fides conſtabit. Ut proinde quaſi ex oraculo à Philoſopho dictum ſit, in omni Republica eſſe * πρῶτον, ἡ περὶ θεῶν ἐπιμέλεια; Quamobrem qui felix imperium, pacatam civitatem, unitos & tibi fidos ſubditos cupis: denique quietem, divitias, ſplendorem, imo ſalutem tuam, religionem cole, qua vita conſtat, ut Plinius ait. Hoc non ſolùm tibi decorum eſt, quoniam ex judicio etiam (*a*) gentilis, * δεῖ τὸ ἄριστον ὑπὸ τῷ ἀρίστῳ τιμᾶσθαι, καὶ τὸ ἁγεμονοῦν ὑπὸ τῶ ἁγεμονοῦντος: ſed & maxime expedit, idque duabus imprimis de cauſis.

§. 2. Una, quæ religionem ex ipſo ejus fructu commendat, ad divinam providentiam ducit, illam fortunæ Dominam & fabrum. Crede ſacris literis, ſi Chriſtianus, (*b*) *pietatem habere promiſſionem hujus & futuræ vitæ*, & (*c*) *quærentibus primùm regnum cælorum cætera omnia affatim adjici:* ſcilicet (*d*) *felicem regni ſtatum, agrorum domuumq́ fertilitatem, de hoſtibus triumphos*, & alia infinita. Niſi enim credideris, pejor infideli es, qui longè benignius de Diis ſuis ſperarunt. Camillus apud (*e*) Livium ita loquitur ad cives ſuos: *Intuemini enim horum deinceps annorum vel ſecundas res vel adverſas, invenietis omnia proſperè eveniſſe ſequentibus Deos, adverſa ſpernentibus.* Si Deum dixiſſet, nihil verius aut magis pium. Cum quo gemina ſunt, quæ (*f*) Ariſtoteles habet brevi

(*a*) Diotag. Pythag. ap. Stob. (*b*) 1. Tim. 4. (*c*) Matth. 6, 33. (*d*) Deut. 28. (*e*) l. 5. c. 5. (*f*) Rhetor. ad Alexand.

vi ſed probâ & laudabili ſententiâ. * Τὺς θεὺς εὐνοϛέρους εἶναι τοῖς μᾶλλον αὐτοὺς τιμῶσι. (*a*) Unde Homerus populorum felicitatem & omnium rerum copiam Diis adſcribit & Regum pietati: carmen ejus tale eſt.

> Ὥς τέ τευ ἢ βασιλῆος ἀμύμονος, ὅςε θεουδὴς
> Ἀνδράσιν ἐν πολλοῖσι καὶ ἰφθίμοισιν ἀνάσσων
> Εὐδικίας ἀνέχῃσι: φέρῃσι δὲ γαῖα μέλαινα
> Πυροὺς καὶ κριθάς, βρίθῃσι δὲ δένδρεα καρπῷ,
> Τίκτει δ' ἔμπεδα μῆλα: θάλασσα δὲ παρέχει ἰχθῦς,
> Ἐξ εὐηγεσίης: ἀρετῶσι δὲ λαοὶ ὑπ' αὐτοῦ.

Cape in Roma exemplum, cujus (*b*) civis gloriari auſus, Romanos *non calliditate aut robore, ſed pietate ac religione omnes gentes nationesq́; ſuperaſſe*: cui etiam graviſſimis verbis Valerius Maximus ſuccenturiatur, inquiens: *Non mirum igitur ſi pro eo imperio augendo cuſtodiendoq́; pertinax indulgentia Deorũ ſemper excubuit, quod tam ſcrupuloſa cura parvula quoque momenta religionis examinare videretur.* Et rurſus alio loco: *Non dubitaverunt*, ait, *ſacris imperia ſervire, ita ſe rerum humanarum futura regimen exiſtimantia, ſi divina potentia bene atque conſtanter eſſent famulata.* E contra ubi contempta religioſa & deſtituta ſacra: illico ex Horatio querelæ.

> *Dii multa neglecti dederunt*
> *Heſperiæ mala luctuoſa.*

Et Silio Italico:

> *Heu prima ſcelerum cauſa mortalibus ægris*
> *Naturam neſciſſe Deûm.*

(*a*) Odyſſ. 19. (*b*) Cicer. Orat. de Aruſp. reſp.

§. 3. Altera cauſa eſt ex vi religionis & ejus efficacia, quæ homines, natura animal ferox, indomitum, æqui impatiens & moroſum, virtute ſua & ſuavitate faſcinat quaſi, emollit, & ad civilem vitam tractabiles facit. Unde recte Ciceroni religio audit, *humanæ ſocietatis fundamentum.* Ut ſolum urbis: imo hoc ipſo ferè magis neceſſarium. Videtur enim Plutarcho teſte * πόλις μᾶλλον ἐδάφους χωρὶς, ἢ πολιτεία τῆς περὶ θεῶν δόξης ἀναιρεθείσης παντάπασιν σύστασιν λαβεῖν, ἢ λαβοῦσα τηρῆσαι, & ibidem idem religionem vocat, * συνεκτικὸν ἁπάσης κοινωνίας καὶ νομοθεσίας ἔρεισμα. Quod ex Platone ſumpſiſſe videtur, qui eandem *propugnaculum* dicit *poteſtatis legum & honeſtæ diſciplinæ vinculum.* Ac eo nomine laudatur Numa Pompilius Romanorum Rex, * *omnium primum rem ad multitudinem imperitam & illis ſeculis rudem efficaciſſimam, Deum metum injiciendum ratus:* cui deinceps religionis ordinatori plus Roma debere viſa eſt, quam conditori Romulo, qui dum novos cives ad militiam potius & ferociam inſtruit, quàm pietatem & juſtitiam, prædonum manum collegiſſe videtur, non populum in Reipublicæ faciem & ſalutarem juris communionem ordinaſſe. Decretum (*a*) Syneſii habemus, quod ſequi oportet; * Εὐσέβεια δὲ πρῶτον ὑποβλήσθω, κρηπὶς ἀσφαλὴς, ἐφ' ἧς ἑστήξει τὸ ἄγαλμα ἔμπεδον τῆς βασιλείας. Religio ergo Reipublicæ inter Principem & cives glutinum, concordiæ pararia, & (*b*) *cuſtos hominum inter ſe ſocietatis*, qua ſublata *vita hominum ſtultitia, ſcelere, immanitate complebitur.* Hæc ſalutare

(*a*) Orat. de regn. (*b*) Lactant. de ira cap. 11.

utare imperanti ſcutum adverſus inſidias & odium, * φίλτρον, ut Philo vocat, ἀνυσιμώτατον καὶ δεσμὸς ἄλυτος εὐνοίας ἐρωτικῆς. Ut enim rectè Cyro arbitratus eſt, * εἰ πάντες οἱ κοινώνες θεοσεβεῖ εἰ ν ἧττον ἂν αὐτοὺς ἐθέλειν περὶ τε ἀλλήλους ἀνόσιον τὶ ποιεῖν, καὶ περὶ ἑαυτῶν. Hæc carcer & compedes inquietæ ac fatuæ plebis, in omnia ſcelera continuo ruituræ, ſi metu divino vacet. quid enim unus adverſus tot millia poterit, ſenex interdum ac debilis, niſi religio poſſet adverſus omnes? Si Deus eſt, qui præmia bonis rependit, & improbis pœnas, qui injuſtitiam, ſeditionem, perjurium, fraudes in caput civium, uxorum, liberorum vertit, qui pro patria pro Principe vitam opes & omnem fortunam profundere jubet, omnes libenter paremus, & fracta mitiq́ue cervice hoc fidelius ſubimus humanum illud imperii jugum, qui ſemel illud divinum, quò firmius nobis perſuaſum eſt, Deo magis quàm hominibus obſequio noſtro rem gratam fieri. Et utcunque alia conſideratio deſit, neſcio tamen quâ occulta vi ſola religionis tot ceremoniis & haud raro ſacris ludibriis ſtabilitæ ratio hominum mentes in ſui cultum & venerationem defixas teneat. Sæpe cum patriæ amorem, legum cuſtodiam, obſequium erga Magiſtratus, pietatem in parentes, caritatem liberorum, imo ultimam in Rempublicam fidem exuimus odio metuve, ſola nos religio & Numinis metus in officio continuit. Clariſſimum eſt hujus rei apud (*a*) Livium exemplum, quod bello Punico ſecundo accidit. Cùm enim Annibal poſt Cannenſem cladem victor Romano Im-

(*a*) Lib. 22. cap. 53.

perio ſuperbè & crudeliter inſultaret, Nobiliſſimi Romæ juvenes actum de patria rati facto fœdere ejus deſerendæ conſilium inierunt, & prævaluit potentiſſimi ac jamjam urbis mœnibus inhiantis hoſtis metus adverſus omnia humana, quæ cuique cara erant in natali ſolo, & pretioſa. Non patria movit perculſos, tot adoreis olim macta, & beneficiis honoribusque in univerſos cives liberalis: non legum rigor, non Magiſtratuum majeſtas; non parentum, non liberorum ratio: non denique libertatis cura, quam ſemper tamen Romani vita potiorem duxerunt. His omnibus potior deſperatio & periculi impendentis imago territos ad fugam, & quod magis mirere, ſervitium impulit, in aliena terra & Regum aulis quærendum: jamque omnia ad fugam parata erant, cum religio Rempublicam ſervavit, humana ope deſtitutam. Nam Scipio, pòſt felicitate & victoriis in Lybia partis Africanus dictus, juvenis tum etiam ultra ætatem ſuam confidens audito deſertorum conſilio, & veritus ne dato ſemel exemplo plures traherentur, nulla mora adhuc conſultantes & de ſalute anxios adiit, ſtrictoque ad terrorem omnium gladio in veſtigio ipſis moriendum ſua manu denunciat, nî ſibi confeſtim interpoſito juramento fidem darent, Italia non exceſſuros: quo præſtito veriti Deum ultorem, ſi fallerent, in officio & fide retenti ſunt. Præterea non facile oderint ſubditi eum Principem, quem pietate ſua in Deorum gratia & tutela ſciunt: cùm ne Deum inimicum habeant, injuriæ ſuis illatæ vindicem, tùm imprimis quod ſibi minus ab eo poſſint metuere,

tuere, quem ipſum metuere Deum credunt. Probè Ariſtoteles (5. Polit. 11.) * ἧττόν τε γὰρ φοβοῦνται τὸ παθεῖν τὶ παράνομον ἐὰν δεισιδαίμονα νομίζωσιν εἶναι τὸν ἄρχοντα καὶ φροντίζειν τῶν θεῶν: καὶ ἐπιβουλεύουσιν ἧττον ὡς συμμάχους ἔχοντι καὶ τοὺς θεούς. Ubi verò metus exulat, qui malus eſt diuturnitatis magiſter, vix odio locus relinquitur. Demum enim ſecundum veterem Poëtam

Quem metuunt, oderunt.

Sed odio vitato periculum vitas, vitæ, bonorum: ſcilicet

Quem quisq; odit, periiſſe expetit.

Ita per gradus, *execrantur, inſidiantur opprimunt.* Hanc peſtem à Principe religio arcet, ad cujus ſecuritatem feſtivè admodum (*a*) Plato *regales domos templis conjungendas eſſe* cenſuit. Et religio omnis quidem, etiam gentilis, impia, abſurda; nam quæcunque fuerit, modo ad civilem vitam compoſita, animis ducendis efficax eſt: quoniam (*b*) *ſua cuiq; optima videtur, ut quæ non ratione, ſed affectu dijudicetur à ſingulis:* Notabile eſt hanc in rem Livii judicium: *Eludant nunc licet religionem*, inquit, *quid enim eſt, ſi pulli non paſcentur? ſi ex cavea tardius exierint? ſi occinuerit avis? parva ſunt hæc, ſed iſta parva non contemnendo majores noſtri maximam hanc Rempublicam fecerunt.* Imprimis vero Chriſtiana, quæ vel ab ipſis adverſariis ſuis hoc teſtimonium habet, *quod homines ſacramento obſtringat, ne latrocinia committant, ne fidem fallant, ne depoſitum appellati abnegent.* Sicut Plinius ait: vel ut Ammianus Marcellinus,

(*a*) Lib. 6. de LL. (*b*) Phil. Int. ad Caj.

quod nihil doceat niſi juſtum & lene. * Δοξία πάσης ἁμαρτάτου ἀναιρετικὴ, ut Zoſimus loquitur. à qua etiam à Deo præſidium, cum in falſa ab hominibus occaſione Dei. Veriſſima & verè aurea eſt Triſmegiſti apud (*a*) Lactantium ſententia. * μία φυλακὴ εὐσέβεια; εὐσεβοῦς γὰρ ἀνθρώπου οὔτε δαίμων κακὸς, οὔτε εἱμαρμένη κρατεῖ. Θεὸς γὰρ ῥύεται τὸν εὐσεβῆ ἐκ παντὸς κακοῦ. Ita utilis eſt Principi, imo neceſſaria religionis curatio.

§. 4. Etiamne ſubditis? omnino. Nam qui Principem pium & religioſum habent, nunquam tyrannum experiuntur: ſemper enim cogitabit *non tantum, quantum ſibi commiſſum, ſed & quatenus permiſſum. Nec fas eſſe potentes poſſe quod nefas eſt.* Hinc lene & patrium civium regimen, ex quo amor citra odium & contemptum in Imperantem: concordia inter ſubditos, denique vita feliciſſima.

§. 5. Ad hunc modum Principi & ſubditis religio ſalutaris non poteſt non & univerſæ Reipublicæ eſſe. Imo hæc ipſa eſt quaſi quædam ſacra anchora, ad quam deploratis jam publicis rebus confugere datur. Samnitibus cruento & periculoſo bello cum populo Romano commiſſis poſt acceptam in Etruria pene ad internecionem exercitus cladem, cum viribus potius quam animis fracti nec jam bellare poſſent, nec quieſcere, ad ultima tentanda religio præſto fuit, qua ægre contractas copias implebant. Repetito enim veteris cujusdam ſacrificii more ſingulos milites horribili juramento ad pugnam obligarunt & fortitudinem, paratis ad terrorem, & ſi opus eſſet,

(*a*) 2. Inſtit. c. 16.

ſet, cædem centurioribus, ſi quis jurare detrectaret. Quod etſi ipſis tandem male vertit, * *nondimeno ſi vede*, inquit (*a*) Machiavellus, *come a loro non parve potere havere altro refugio, nè tentare altro rimedio a poter pigliare ſperanza di ricuperare la perduta virtù. il che teſtifica appieno, quanta confidenza ſi poſſa habere mediante la religione bene uſata.* Congerere hoc loco in cumulum exempla gentium, quæ religionis vi ad ordinandam conſervandamque Rempublicam, aut ad victorias & fortunam feliciter uſæ ſunt, id verò eſſet omnium hiſtoriarum ſeriem transſcribere : Romanus tantum populus quotiescunque hoc amuleto aut factiones plebis ſopivit, aut militum animos accendit ad virtutem. Hæc plebem Romuli cæde efferatam ſedavit, Patriciis imperium populo ereptum ſæpius reſtituit, Vejos decennali obſidione expugnavit, innumeras victorias peperit, quæ omnia nunc fuſius explicari nec inſtitutum noſtrum nec tempus patitur; congeſſit tamen aliqua hanc in rem exempla (*b*) Machiavellus , quem videre licet.

§. 6. Cura, cura ergo religionem, ſine qua nec ipſe, nec cives, nec Reſpublica ſtare poſſunt: Divinum eſt (*c*) Mæcenatis ad Auguſtum conſilium. * Τὸ μὲν θεῖον πάντῃ πάντως αὐτὸς δὲ σέβου κατὰ τὰ πατρία, καὶ τοὺς ἄλλους τιμᾶν ἀνάγκαζε. Τοὺς δὲ ξενίζοντάς τι περὶ αὐτὸ καὶ μίσει καὶ κόλαζε, μὴ μόνον τῶν θεῶν ἕνεκα, ὧν καταφρονήσας οὐδ' ἄλλου ἄν τινος προτιμήσειεν: ἀλλ' ὅτι καινά τινα δαιμόνια οἱ τοιοῦτοι ἀντεισφέροντες

 πολλοὺς

(*a*) Discurſ. ſupr. Liv. l. 1. c. 15.
(*b*) Discurſ. ſupr. Liv. lib. 1. c. 13. & 14.
(*c*) Apud Diod. Caſſ. l. 52.

πολλοὺς ἀναπείθουσιν ἀλλοτριονομεῖν; κἀκ τούτου καὶ συνωμοσίαι, καὶ συςάσεις, ἑταιρεῖαί τε γίνονται, ἅπερ ἥκιςα μοναρχίᾳ συμφέρει. Nec pejus hic (*a*) Machiavellus, quamvis aliàs multa mala, * *quelli*, inquit, *Principi, ò quelle Rep. lequali ſi vogliono mantenere incorrotte, hanno ſopra d' ogni altra coſa ad mantenere incorrotte le cirimonie della loro religione, & tener le ſempre nella lor' veneratione: perche neſſun maggiore inditio ſi puote havere d'ella ronina d' una provincia, che vedere diſpreggiato il culto divino.* Et mox. * *Debbono adunque i Principi d' una Rep. ò d' un regno i fondamenti della religione, che loro tengono, mantenergli, & fatto queſto, ſarà lor facil coſa mantener la lor Rep. religioſa & per conſequente buona & unita: & debbono tutte le coſe, che naſcono in favor diquella, * come, che le giudichaſſero falſe, fovorirle & accreſcerle, & tanto piu lo debbono fare, quanto piu prudente ſono, & quanto piu conoſcitori delle coſe naturali, & perche queſto modo è ſtato obſervato da gli huomini ſavi, ne e nata l' opinione de i miracoli, che ſi celebrano nelle religioni etiam falſe: perche i prudenti gli augmentano da qualunque principio e' ſi naſcono, & l' autorita loro da poi a quelli fede appreſſo a qualunque.* Modus tamen adhibendus; primò in ipſa religione, ne in ſuperſtitionem evadat: & fiat (*b*) *gens ſuperſtitioni obnoxia, religionibus adverſa.* Quare juxta verſiculum veterem:

(*c*) *Religentem oportet eſſe, religioſum nefas.*

Mul-

(*a*) Disc.ſup.Liv.l.1.c.12.(*b*)Tac.5.Hiſt.13.(*c*)A.Gell.l.4.c.9.

Multum inter utrumque diſcrimen: imprimis illud, *Deos à religioſo vereri, à ſuperſtitioſo timeri*, tu fuge hoc: nam (*b*) *ſuperſtitione qui eſt imbutus, quietus eſſe nunquam poteſt.* Deinde in ſcopo illo civili religionis, cave, cave ſedulò, ne fructus, qui tibi inde & Reipublicæ debentur, ſacrificulis cedant, (*a*) *quibus quæſtui ſunt capti ſuperſtitione animi.* Graviſſimo damno hunc errorē multis abhinc ſeculis res Chriſtiana luit, ſed ſerius agnitum, quàm ut emendare poſſet. Niſi enim Eccleſiaſticæ diſciplinæ adſtricta ſeveritate ſacrum ordinem, per quem populus de religione docendus eſt, intra debitos cancellos coerceas, avaritia, ambitione, libidine ebrii, ſuas res agent apud credulam plebem, non tuas, cum auctoritatis publicæ ingenti jactura in Antiſtitum illorum inofficioſam venerationem nimis defixam, & iisdem deinceps flabris ad quævis pericula ſubeunda & defectiones commovendam. Ante omnia hic prohibendum eſt, ne hoc hominum genus, aliàs ſuapte natura avarum, contumax, & quaſi propiore Numinis favore & ſocietate ſuperbum, immoderatis largitionibus & furiali liberalitate ſaginetur. Niſi hanc Charybdim, quæ inexplebili voragine omnes Reipublicæ theſauros abſorbet, prudenter declinaveris, jam actum de te eſſe ſcias, & illas ipſas opes, quas aut tutemet aut majores tui tanto flumine in ſacerdotes profuderunt, in te ipſum ex occaſione aliquando vertendas eſſe. Fecerunt omnes ferè Chriſtiani Principes hujus rei lethale periculum, inæquali

(*a*) Cicer. 1. de Fin. (*b*) Liv. lib, 4. c. 30.

quali tamen ſorte & fortuna. Nonnulli enim quaſi inciſis uno ictu laqueis & plusquam Gordiis ſuperſtitionum nodis ex communi naufragio prudentia ſua & virtute emerſerunt. Aliis ſervitutem ſuam deplorare magis datum eſt, quam exuere. Non invidemus Hiſpanis aut Italis præpoſteram pietatem, de qua ſibi magnifice gratulantur: nam ſic quaſi diſſipata illarum provinciarum potentia & robore minus nobis timendum eſt. Fallor autem aut Galliam ſuperiore & hoc ſeculò non una vice pœnituit liberalitatis ſuæ& beneficii, quo fovit ſacrorum præſules & otioſam turbam. Factionibus enim in regno exortis non præſentiora perduelles inſtrumenta ad concitandam plebem, & Regibus invidiam creandam his ipſis ſeditionum Æolis habuerunt, aſſiduis concionibus & Reges tyrannos, hæreticos, Dei hoſtes proclamantibus: Factioſos verò bonos Principes, vindicandis populi injuriis&defendendæ fidei&religioni natos. Hæc licentia Heinrico III. tot millium ſanguine, florentiſſimi regni exciſione, ignominioſo exilio & denique vita conſtitit: Hæc eadem in altiſſima pace Heinricum IV. cultro ſacri carnificis confodit. Hæc ſecura ſui confidentia capitibus Regum & Principum quaſi in publicis nundinis venum propoſitis perditiſſimorum quorumvis & ſceleſtiſſima ſuperſtitione Numiniſque metu impletorum incantationibus illudit, venenis, gladiis, verbo, parricidiis. Quid enim non auſuros homines credis, qui bonis per ſcelera, libidineſque de coctis ad promerendam divinam gratiam his magiſtris utuntur & incento-

centoribus, peccata ex compoſito anxiis,& confuſis in majus exaggerantibus, quo eorum luendorum cauſa hoc obfirmatiores ad quævis facinora habeant, ſatis interim ſibi ſua ipſa doctrina tuti, qua miſeris perſuadent, ſi auctores cædis per quævis tormenta expugnatus revelaverit, nihil eum ſua pietate & militia ſacra profeciſſe, ſed implacabili Dei ira piacularem æternis diabolorum laniatibus nulla redemptionis ſpe ſimul ac mortuus fuerit objectum iri, cùm ex adverſo ſervata fide & conſtantia, ſi utique ipſum in hac Dei cauſa, quam ſuis cupiditatibus perfidè prætendunt, occidi oporteat, recto, non obliquo ad purgatorium itinere in cœlum ad capienda Martyrum præmia & coronas evolaturus ſit. In hunc modum faſcinatis parricidarum animis nulla tormenta & cruciatus corpori illati tam graves ſunt & inhumani, quos non pertinax latro obverſante identidem Diabolorum flagellantium imagine occupatus, & præter hæc quotidianis dolorum omnis generis experimentis ad tentandam patientiam ab ipſis ſuis præceptoribus asſuefactus ſuſtineat, vel in ipſo equuleo mori certus, quàm ut ullo indicio eis periculum creaſſe videretur. Ad erudiendam tam impia religionis prævaricatione juventutem olim per omnem Europam à Gregorio XIII. Pontifice peculiaria ſeminaria inſtituta feruntur, in quibus ſeditionum, perfidiæque ſemina jaciebantur, in Regum & Principum cædes eruptura, cum adoleverint. Hæc matura falce evellere oportuit, non damnoſa facilitate tueri: quod cum inſuper habitum ſit, tot procellis & cladibus,

bus, in Angliam, Galliam Belgiumque inundantibus ignaviæ ſeculi litatum eſt. Enim verò minus externis movemur: Convertamus animum ad cadaveroſam Germaniæ noſtræ faciē, quam cum publico luctu hodie aſpicimus: Cauſas malorum indaganti non poteſt non omnium primum neglecta religio occurrere ſoluta ſacri Ordinis diſciplina. Sicut enim membrum in humano corpore ultra juſtam ſuæ menſuræ rationem cum aliarum partium, ſucco vitali exhauſtarum, injuria in immenſum auctum & ſibi ipſi ad legitimum uſum impedimento eſt, & corpori damno, quod ſua mole debilitat: Ita & opima & pinguis Cleri apud antiquos Cæſares fortuna Rempublicam virilitate ſua, id eſt, virtute & potentia priſtina exſecuit: & luxu mollitieque ipſos religionis Antiſtites à vitæ morumque innocenti ſanctitate ad ſacras nundinationes opumque per fas & nefas quærendarum profanas rationes deduxit. Præiverunt aliis hac in re incauta pietate & pernicioſo exemplo Imperatores, inſano ſtudio dilapidantes imperii bona, usque dum ſuperfuit quod profunderent: teſtes in id ſunt ampliſſimæ tabulæ, quæ noxiæ liberalitatis fidem ubique faciunt. Hos deinde privati ſecuti ſunt, eo religioſiores crediti, quò faciliores in Clerum, cœlum impudenter iis promittentem, à quo maxime ditati ſunt. Unde tot monaſteria regalibus impenſis extructa, & immenſis locupletata reditibus, quibus pecora paſcerentur ventri ſervientia & libidinibus. Quantum enim Deo placere cenſes, quod frigidiſſimas preces ad globulorum menſuram & velut ad dimenſum

menſum ei imputent? Cæterum intus male vota caſtitate torrentur ſecretis ignibus, aut in furtivam venerem deſituris, aut quod pudet dicere, beſtialem. Ventrem enim lautiſſimis epulis quotidie ſollicitare, & non uri, hæc talia ſunt, quæ ignem calore deſtituunt. Nec exaudiet Deus de caſtitate orantes, qui media ab ipſo humani generis bono ordinata immani ſapientia negligunt, & torqueri malunt, quam ſanari. Auxerunt perpetuam calamitatem invidenda privilegia & immunitates, quæ Principes noſtris ſacri Ordinis poſſeſſionibus indulſerunt, oneribus ferè in laicos derivatis, impares ſolos immani ponderi, cum omnes plusquam pares eſſent. Certe Magnus Carolus quanto hic prudentior? qui omnia bona etiam in Clerum cum ſuo onere tranſire voluit, veritus, ut poſt evenit, ne debilitaretur Reſpublica præcipuis viribus, ſi hic cuivis prodigum eſſe liceret. Accedit quod illis ipſis divitiis, quas ſine fine & modo conſecuti ſunt, non tantum privata gula improbè & nequiter uſos conſtet, ſed & in patriæ, quæ plerisque patria non erat, & Reipublicæ perniciem. Acies, quæ olim contra Imperatores Heinricos & Fridericos ſteterunt, quo milite & ſumptibus conſcriptæ ſunt, niſi maxima ſui parte Sacri Ordinis ad quævis Pontificis mandata perduellis. Nec eis hoc difficile erat potiores Germanis provincias non tam implentibus, quàm habentibus in poteſtate. Ut enim ex gravaminibus quondam in Comitiis Carolo V. exhibitis liquet, inito rectè calculo Clerus beſſem totius imperii occupavit, plurimi meſſores, prodigium, in exigua

meſſe

meſſe. Tandem religio male à Principibus adminiſtrata in cauſa eſt jugi, Chriſtiano orbi per Hierarchiam Romanam impoſiti, in tantum adultam, ut nunc morbus ſupra remedium ſit. Prima incunabula debet hic primatus Imperatorũ & Regum donativis, unde confidens ſui potentia; mox ſuperbia: ambitio: denique imperium in omnes: non ſpirituale tantum, miniſteriale, ad animarum ſalutem ordinatum; ſed civile etiam, regium, tyrannicum, in divina & humana, cœleſtia & terrena, corpus & animam potens. Quanti hujus dominationis abuſus & vitia, querelæ publicæ paſſim proſtant, ab illis quoque frequenter cumulatæ, qui nondum ſe pontificiæ religioni ſubduxerunt. Quid enim iniquius feras, quàm ſub imagine ſpiritualis alicujus poteſtatis capita coronaſque Regum ad arbitrium tractari: ſummis poteſtatibus in alteram ſuæ civitatis partem, i. e. Clerum, jurisdictionem debitam ſubtrahi, ſubditos omnes ſolvi obſequio, quod legitimo Regi debent, ad nutus & deſideria Pontificis minus parato: ſeditiones excitari, cædes, incendia, & ut uno verbo omnia mala dicam, civile bellum. Toleratur tamen hactenus, imo defenditur ab illis ipſis, quibus tantopere nocet, hoc ſacrum imperium, cum errore & ignavia communi, tum quod aliquam etiam utilitatem ex iſto veneno ſentiant. Primo enim non niſi ſummo cum periculo & diſcrimine regni ſalutaris reformatio inſtituitur, ſubditis plerumque ad antiquam religionem defendendam & per ſe paratis, & concitatis à ſacrificulis ad majorem ſuperſtitionem. Nec tam docta plebs

eſt,

eſt, quæ inter ipſam religionem & abolendos errores diſtinguere noverit, inter præcipua pietatis officia hoc etiam reputans in nullo ceſſiſſe: ſapienter (*a*) Cicero, *omnes religione moventur, & Deos patrios, quos à majoribus acceperunt, colendos ſibi diligenter & retinendos arbitrantur.* Ita ſane Rex Franciæ Henricus IV. non prius pacatum regnum habere potuit, quàm publica fidei Romanæ confeſſione populo ſatisfecerit, dignam coronam Galliæ miſſâ judicans. Paucis igitur populis hæc felicitas quaſi ſingulari Dei beneficio contigit, ut ſe ab omni pontificia immunditie & humanis traditionibus purgaverint. Solæ in Europa ad Septentrionem gentes, nec illæ omnes aut ex omni parte iſta & clementia cœli & ſua virtute prudentiaque fruuntur: cæteris nec ſervitutem invidemus nec fortunam ſuam. Deinde commodum Principibus nonnullis viſum eſt, ſubditos quamplurimis religionum ceremoniis & externæ pietatis imaginibus, quibus plebs rudis maxime movetur, occupatos habere, libentius etiam ſibi ipſis parituros: nam ut ille apud (*b*) Curtium cenſuit, *nulla res multitudinem efficacius regit, quam ſuperſtitio.* * Denique velandis Regum cupiditatibus & ambitioni auctoritas Pontificis & ſacrum imperium quaſi quædam Orci galea eſt, quâ injuſtitiam injuriasque tegunt. Matrimonium in gradibus divino jure prohibitis contrahere vis: præſto eſt diſpenſatio, ubi merces: alienum regnum concupiſcis, ex occaſione facile occupandum: Venditor Pontifex eſt, qui pretio condigno placatus, ex-

(*a*) Vid. in Verrem. (*b*) Lib. 4.

auctorato priore Rege & ſolutis ab obſequio ſubditis tibi jus dabit oportunum ad opes quærendas. Sic Angliam Hiſpano adjudicavit, Eliſabethâ ſideratâ: ſic Navarrenum regnum Ferdinando Arragonio: ita utræque Indiæ, quas nunquam conſpexit, inter Hiſpanos & Luſitanos diſtributæ: ita certatur reciprocis officiis inter Pontifices & Catholicos Principes, ut dum unus alterum recenti memoria obnoxium tenet, is minus in Romanam ſedem auſurus credi poſſit. Hæc igitur mala, has calamitates religio neglecta & remiſſior Eccleſiaſtica diſciplina in orbem Chriſtianum invexit.

§. 7. Cæterum eadem illa rectè ordinata omnis civilis felicitatis, (de ſpirituali enim & æterna nihil dico, tanquam ab argumento noſtro aliena) œconoma eſt & diſpenſatrix, baſis ordinis publici: Scutum imperantium adverſus inſidias & odium: obſequii ſubditorum pararia & conciliatrix, vinculum efficax tot millium animorum, quos in diverſas partes, ſuis quique ſtudiis & affectibus, raptos amica vi ad quietem componit & ſocietatem. * *Conſiderato adunq; tutto*, ut (*a*) Machiavelli gemâ hoc caput obſignem, *conchiudo, que la religione introdotta ſia intra le prime cagioni della felicita di città; perche quella causa buoni ordini, i buoni ordini fanno buona fortuna & dalla buona fortuna nacquero i felici ſucceſſi delle impreſſe: & come l' oſſervanza del culto divino è cagione della grandezza delle Rep. coſi il diſpreggio di quelle è cagione della rouina d'eſſe: perche dove manca il timore di Dio,*

(*a*) Discurſ. ſupr. Liv. lib. I. cap. 11.

Dio, conviene, ò che quel regno rovini, ò che ſia ſoſtenuto dal timor d' un Prinſipe, che ſuppliſca a i difetti della religione: & perche gli Principi ſono di eorta vita, conviene, che quel regno manchi preſto, ſecondo che man. a la virtù di eſſo.

ANNOTATA
Ad
CAPUT I.
§. I.

ΠΡῶτον] id eſt, *primum caput, divinarum rerum cura.*

[δεῖ τὸ ἄριστον.] i. e *Decet q od op imum eſt, ab optimo coli; & quod imperat, ab imperante.* Optimum dicit, non quod Principes ſemper ſint optimi, ſed quod eſſe debeant, quodque faciat optimos r ligio. Nam ut ait Seneca. *Optimus animus pulcherrimus Dei cultus eſt.*

[§ 2. Τοὺς θεοὺς] *Deos illis magis bene velle, qui magis ipſos Deos colunt.*

[ὥς τέ τευ]. Hoc eſt:

Quemadmodum alicujus Regis probi, qui Deum veritus
Viriſq; multis & fortibus imperans
Juſtitiam colit. Fert autem atra terra
Tritica & hordea. Onerantur q; arbores fructibus.
Et gignunt ſana pecora. Mare autem piſces præbet
Ex juſto regimine: Atq; felices ſub ipſo vivunt populi.

Vide hic catenam ab Homero nexam. Primus articulus & ex quo velut alii pendent, pietas eſt, imperio in mortales donata, juſtitiaque coruſcans. Unde à Diis in præmium virtutis omnium rerum copia, terrâ mariq́ue ſtrenue ſuppeditata, benedicente Numine illo, quod impense colitur. Sic enim intelligendum eſt, quod mare dicitur piſces affatim dare ob juſtum illud regimen. Scilicet ex mari Deus uberi piſcatu. Ultimum eſt & ſumma nexus felicitas hominum, in εὐπορείᾳ ſeu ſufficientia rerum neceſſariarum terminata: quibus dum velut compluuntur miti cœlo, civilis beatitudinis ſuaviſſimo ſenſu eos oportet permulceri.

[§ 2. Πόλις μᾶλλον.] *Civitas ſine ſolo magis ſubſiſtere, quam Reſpublica ſublata de Diis opinione conſtitui, aut conſtituta ſervari poſſe.*

[Συνεκτικόν.] *Copulam & ſulcrum omnis ſocietatis atq; legum.*

[*Omnium primum.*] Livii hæc de Numâ laudatio eſt, primo Hiſtoriæ ſuæ libro cap. 19. non ſibi ipſi contrarii, dum ſupra capite ſeptimo dixerat, Romulum primum Regem *ſacra Diis aliis Albano ritu, græco Herculi, ut ab Evandro inſtituta erant, feciſſe.* Hic enim, etſi ferocem illam convenarum manum, qua Romam auſpicatus eſt condere, ſacris quibusdam imbueret, tamen quod intractabilis adhuc populus eſſet, & asſueto latrocinio in bellum & prædam pronus, contentus ipſe ſuperficiaria pietate Pompilio informem rudemque materiam reliquit, quam poſt mitigatos animos diligentius dedolaret, plebe paulatim à cædibus & injuriis ad Deorum metum humanitatemque idoneâ ſuperſtitione admotâ. Ab eo igitur Sacra & diſcriminata impenſius & aucta numero hoc primo auctore videbantur ſtare, præcipue quod feliciter res cecidisſet, artificioſa ſcena eluſo populo, & paulatim manſuetis moribus tincto.

[Εὐσέβεια δὴ.] *Pietas primum ſubſternitor crepida ſeu baſis tuta, à qua ſtabit firma ſtructura regni.*

[φίλτρον ἀλυσιμώτατον.] *Philtrum efficaciſſimum & indiſſolubile vinculum amoris atq; benevolentiæ.*

[εἰ πάντες.] *Si omnes, qui in communione vivunt, reverentia Deorum tangerentur, minus & inter ſe ipſos impium quid facturos, & ſibi ipſis.*

[ἧττόν τε γάρ.] *Minus enim timent injuſtum quid ab eo perpeti Principe, quem Deos timere vererique putant. Ac minus inſidiabuntur illi, tanquam auxiliatores ipſos Deos habenti.*

[δόξα πάσης.] *Doctrina omni peccato adverſa.*

[μία φυλακή.] *Unica cuſtodia pietas eſt. Timentes enim Dei homines neq; malus genius neq; fatum affligit. Deus enim pium tuetur ab omni malo.*

[§. 5. Non dimeno ſi vede.] *Nihilominus apparet, viſum illis fuiſſe ad concipiendam ſpem recuperandæ amiſſæ virtutis non poſſe ipſos habere aliud refugium, nec tentare aliud remedium. Quod argumento eſt, quanta fiducia ab hominibus poſſit in religione poni rectè uſurpata.*

[§. 6. Τὸ μὲν θεῖον.] *Divinam rem & ipſe prorſus ubiq; cole patrio more, & ut alii colant, effice. Novantes verò aliquid circa illam & odio habe, & puni: non ſolum Deorum cauſa,*

ſa, quos qui contemnit, nec aliud quidquam magni fecerit. Verum etiam quod nova quadam Numina tales introducentes multis autores ſunt novandis rebus: Ex quo conjurationes, ſeditiones & factiones exiſtunt, quæ minimè omnium Principatui conducunt.

2 [Quelli Prineipi.] *Ii Principes, eaq; Reſpublicæ, quibus propriæ ſalutis conſervandæ ſtudium eſt, ante omnia in id incumbere debent, ut ceremonias ſuæ religionis incorruptas teneant, & in perpetua veneratione. Neq; enim majus indicium erit provinciæ ad interitum ſuum vergentis, quam videre contemptam divinam rem.*

[Debbono adunque.] *Decet igitur Principes in Republica aut regno cuſtodire fundamenta religionis, quo facto facile erit ſervare Rempublicam religioſam, & per hoc bonam unitamq;. Adeoq; convenit omnes res, quæ illius favore conſtant, utcunque eas ipſi falſas judicent, fovere & promovere in majus. Idq; tanto magis facere debent, quanto magis ſapientes ſunt rerumq; naturalium ſcrutatores. Ac quoniam iſte modus à prudentibus viris obſervatus eſt. Unde opiniones natæ de miraculis, in religione etiam falſa tantopere celebratis. Prudentes enim augere illa ſolent quocunque rumore nata, fidemq; apud omnes ſua autoritate ipſi conciliant.*

[*Come che le giudicaſſero falſe.*] Hæc ſimulationis ars apud Romanos civilis religio dicta, qua publica ſacra ſequebantur, etiam qui apud animum ſuum illa damnarent: normam ſcilicet religionis id facientes, quod publicè receptum eſſet. Privatim licuit diſputare de Diis, & indulgere rationi, quam apud plebem priſtino cultu faſcinatam, promere nefas fuit, quod non carere periculo cenſuere, etiam vera apud vulgus de rebus divinis diſſerere, ſi à patriis legibus aliena. Hinc multi in Capitolium ivere adoratum, Reipublicæ causâ, qui nec Jovem Capitolinum nec Deorum gregem veriti ſunt, innata mentis luce facilius agnoſcentes falſa Numina, quam ut verum cognoſcerent: quod illorum fraudes ratio detegeret; hujus autem voluntatem cœleſtis revelatio Unde factum eſt, ut illi etiam, qui unum tantum Deum profiterentur, in tenebris palparent, neſcii quem vellent: friguitque religio in dubia mente, nec adhuc majorum errores fortiter excutiente. Patriæ etiam amori plurimum donatum, cujus ſalutem receptis diu ſacris, quæ nec ipſi probarent, metiti ſunt. Hinc (a) Augu-

(a) Lib. 4. c.3. & lib.6. c.10. de Civ. Dei.

Auguſtini de Seneca judicium, hinc inde transfugâ, prout vel ſibi viveret, vel Reipublicæ. *Colebat*, inquit, *quod reprehendebat, agebat, quod arguebat: quod culpabat, adorabat.* In Papatu quàm multi ſunt, non dicam ex doctoribus divinæ ſcientiæ, ſed & aliis emunctiorum narium, quibus ludibria religionis & illa Romani Præſulis adoptata divinitatis facies aut in riſum vertit, aut certe ſuſpicionem. Quippe tot modii ſacrorum dentium, tot onuſta plauſtra lignis ſanctiſſimæ crucis, tot alia reliquiarum inania monumenta quem non de ſuppoſito partu docebunt. Sed retinentur tamen inſtrumenta ad vulgus decipiendum idonea, quod ſuperſtitione & præclaris fabulis duci & eorum intereſt, qui ſacris præſident, & Principum quoque, varios vultus ex hac pietatis larva ſumentium: Atque illum morem ſolemnem eſſe in Hiſpanica aula poſt ex Thuani fide conſtabit. Certe igitur erit hoc inſtitutum analoga quædam ſpecies civilis Theologiæ, Romanis olim, imò Græcis etiam uſitatæ, cujus partes non in animi religione haberent, ſed velut in ſcenâ effingerent externis actibus, ſervarentque ut legibus juſta & publicæ rei utilia, arbitrati cultum magis ad morem quàm rem pertinere. Quo ſenſu Xenophon 5. Memorabilium oraculum recitat, præcipiens Deos ex cujusque Civitatis lege colendas. Sed profecto deſertorum id munus eſt, veri ſinceram profeſſionem ex periculi metu vel quæſtus cauſa diſſimulantium: præcipuè ſi res ſit, ad ſummam religionis pertinens. Nam in externis ritibus, iisque inveteratis, accommodare ſe interdum imperantes ad ingenium populi ſolent, quamvis ipſi minùs cultûs rationem probent, aut non abolendi ſine damno conſcientiarum: aut publicis rebus commodi. Et intra hos fines ſi ſubſtiterit Machiavelli doctrina, non ſeverè damnamus. Ulteriùs piaculum erit indulgere, ac ſinere fidei puritatem in ſuperſtitionem mutari, utcunque cuſtodiendo ſceptro idoneam.

Denique Belandis Regum cupiditatibus.] Eam ſimulatæ pietatis fraudem fuiſſe Hiſpaniarum Regis, in ipſa Aula Romana illo tempore jactatum eſt, quo diſſidia inter Pontificem & Rempublicam Venetam exarſere, resque non procul à bello abeſſe viſa eſt. Quamvis enim facilè apparuit, omnium Principum in illa lite agi cauſam, quorum certe interfuit, conſiliorum viriumque communicatione explicantem ſe Romani Pontificis poteſtatem maturè compeſcere, unus penè Hiſpanus repertus eſt, qui cupiditatibus Romani Præſulis faveret,

eumque

eumque auxilii ſpe ad contumaciam accenderet. Non certè quod ex animo cuperet tantum licere Pontifici, neque enim ipſe unquam apud ſe tam ambitioſe imperantem tulit, ſed quod ex errore communi ſibi ſolitus ſit præmium & fortunas captare: nimirum diſciplina à majoribus tradita, qua hujusmodi diſceptationes de ſuprema Pontificis in cæteros Principes, etiam in iis, quæ ad civilem adminiſtrationem ſpectant, poteſtate paſſim atque in Hiſpania ipſa agitari non invitus audit, *præmeditato conſilio diſſimulans*, (quod judicium Thuani eſt. Hiſtor. lib. 137.) *quod eas ad ſe minime pertinere exiſtimet: quippe præpotens, & qui Pontificum molitiones in ſuis ditionibus facto non verbo revincere ſit ſolitus: & cum hoc facit, ſciat Pontifices mutire non auſuros, quod inſigni exemplo in Sicilienſi negotio aliquot poſt annis patuit.* Addito, *Hiſpanos profunda ambitione æſtuantes bella inde nata & ſeditiones, in privatum ſuum emolumentum vertere, quippe qui interim in inſidiis armati ſedeant, occaſionem opperientes, ſi qui minores Principes proſcribantur, ut eorum ditiones invadant. Sicut in regni Navarra occupatione parentum noſtrorum memoria accidit.*

[§. 7. Conſiderato adunque tutto.] *Omnibus itaque probè expenſis concludo, introductam religionem eſſe inter primas cauſas civilis felicitatis. Hæc enim bonum ordinem efficit, ille bonam fortunam, à qua naſcuntur felices expeditionum ſucceſſus. Ac ſicut cultus divini jugis obſervantia cauſa eſt magnitudinis Reipublicæ: ita ejusdem contemptus illius ruinæ cauſa. Ubi enim timor Dei abeſt, convenit aut peſſum ire regnum, aut ſuſtineri Principis alicujus timore, qui ſuppleat religionis defectus. Quoniam verò Principes brevi vita ſunt, neceſſe eſt cito illud imperium deficere, quamprimum ſcilicet illius virtus.*

CAPUT II.

IMPERATORI IMPERIUM CIRCA SACRA COMPETERE.

Summaria.

1. Ratio ordinis explicata.

2. Oſtenditur Principi jus in ſacra competere. Primò : ex natura ſummi Imperii.

3. Secundò ex natura Vicariatus.

4. Tertiò autoritate Sacrarum literarum.

5. Locus ad Coloſſ. 3. in argumentum aſſumptus.

6. Alia ex Sacro Codice loca adducta.

7. Quartò Exemplis Principum & Regum in Judaica Republica.

8. Etiam poſt captivitatem Babylonicam ad Chriſti tempora.

9. Quintò exemplis Imperatorum Romanorum ad hæc noſtra tempora.

10. Sextò. Exemplis aliorum Regum in Eccleſia Chriſtiana.

11. Septimò. Ex ratione Sacerdotii olim Regibus obiti proprio & regio jure.

12. Octavo ex ſenſu & doctrina Eccleſiæ Chriſtianæ.

13. Nono ex ore & confeſſione quorundam diſſentientis ſectæ ſequacium.

14. Pontificii hic fruſtra diſſentiunt.

15. Illorum prima objectio refutata, de arca & incenſo.

16. Et ſecunda, quod paſtores non ſint vicarii ſummarum poteſtatum.

17. Et tertia, de periculo confuſionis ſacri & politici muneris.

18. Et quarta, quod Magiſtratus non ſit de eſſentia Eccleſiæ.

19. Et quinta, quod Imperator ſit intra Eccleſiam.

20. Et ſexta, quod ſacra functio circa ipſos Reges verſetur.

21. Et ſeptima de regimine Paſtorum in Principes.

22. Et octava, quod prima Eccleſia ab Epiſcopis non Imperatoribus gubernata.

23. Et nona : ex Eſaia de Regibus Eccleſiam adoraturis.

24. Et decima, quod ſoli Chriſto in ſacra imperium ſit.

§. 1. At-

§. 1.

ATque ſic procul dubio multum intereſt Reipublicæ & Imperantium, rectè curari religionem: Sed nondum exinde liquet jus eſſe Principibus & poteſtatem ad ſacrorum ordinationem. Plurima enim ſunt, quæ cum Reipublicæ utilia eſſe poſſint, agere non licet: unde meritò hoc argumentum, quod in jure verſatur, ab altero, quod eſt officii & conſilii, ſeparandum duximus. Quamvis autem aliàs juris quæſtio conſilii & officii ratione prior ſit, cum de rectitudine actionis & agendi facultate ante omnia conſtare debeat, quia id demum, quod rectè & honeſtè fit, utile cenſendum eſt: placuit tamen hic nobis inverſus ordo, ne videamur in re levi & infra dignitatem tanti faſtigii poſita occupari, cujus adminiſtratio nihil ad ſalutem & publicam quietem ſpectet, rectè ſe habeat an ſecus. Neque enim nudius tertius demum fuere homines improbi aut imprudentes, qui minus conſultum auctoritati Imperantium cenſent ſacris negotiis implicari, derivata in alios omni illorum curatione, quâ iſti cùm imprimis ad ſuum emolumentum inſigniter abutuntur, tum præſertim ad Reipublicæ perniciem. Erit itaque hæc de neceſſario Principis circa religionem officio proximè præcedens diſquiſitio invitamentum & quaſi δέλεαρ quoddam, cujus dulcedine & præſtantia imperantes ineſcati eo benignius de jure ſuo & poteſtate docentes audiant: quod hoc modo præſtabimus.

§. 2. Majeſtas, ſeu imperium ſummum civile in totam civitatem validum eſt; ita ut nihil ejus

[library stamp]

arbitrio & directioni ſubtrahendum ſit, quod partem publicæ ſalutis& civilis beatitudinis conſtituat. Hoc enim requirit formalis imperii ratio, quæ, cùm non niſi unum in Republica ſummum admittat, ſummitate ſua includit omnia negotia, ne ſi vel unum ſubtrahatur, quod in civitate ſit, & extra ſphæram civilis poteſtatis, plura in civitate ſumma fierent. Nec hic de diviſione majeſtatis diſceptatio eſt; quoniam ejus jura, quæ in plura ſubjecta juxta vulgarem opinionem diviſa ſunt, rurſus in unum coaleſcere poſſunt; ſed intruditur plane alia & quidem genere à civili imperio diverſa poteſtas, quæ, ſicut volunt, aliud ſubjectum præter Clerum habere nequit, & cum majeſtate Principis incompatibilis eſt, quà ratione duæ Resp. in una ſocietate civili conſtituerentur, una ſacra & altera profana ſeu laica, diviſisque ita civium ſtudiis & obſequio incerto nec concordia, unicum rerum firmandarum vinculum, in civitate ſarciri posſet, nec continua vitari litigia, quæ de jurisdictionis utriusque finibus oriunda eſſent: quod quàm contra naturam & indolem ſummæ poteſtatis, quæ ſociam in civitate nullam patitur, & ipſam ſalutem publicam, in unione Civium inter ſeſe fundatam, ſit, nemini non conſtat. Nimirum alterutrum, utrumque tamen æquè abſurdum, ſubtracto ſummis poteſtatibus circa ſacra imperio ſequi oportet, aut nulli imperio humano ſacrorum & religionis ordinationem ſubjectam eſſe, aut alterius, quàm ſummæ poteſtatis: inter hæc duo non medium, non tertium datur. Si prius aſſumpſeris, incumbet tibi tam alieni aſſerti probandi neceſſitas, cui vix eſt

ut

ut ullo termino colorem quæras. Deus qui omnia tam naturalia quam moralia certo quodam ordine diſpoſuit, non eſt autor ἀκαταστασίας alicujus, quam hic manifeſtam in ſacris exemptis ſibi fingunt : nec pro ſcuto illis erit dixiſſe Deum communem ordinatorem. Neceſſaria enim hic eſt ordinatio καθ' ἕκαστον, & qualem rerum humanarum conditio poſtulat, quæ in ſpeciali voluntatis declaratione ſecundum ſingulas circumſtantias occupata eſt : quam declarationem cum hodie Deus non faciat, Vicariis ſuis ad ἀκαταστασίαν vitandam commiſiſſe credi debet. Si verò poſterius, id eſt, ea quæ ſummæ poteſtati ſubducis, alterius diſpoſitioni ſubjicis, jam in una Civitate duo ſumma imperia facis, quod, ut paulo ante diximus, ipſius ſummitatis rationi minimè congruit, cujus *ea eſt conditio*, ut ait Tertullianus, *ut nihil aliud adæquet, nedum ſuperet:* Sicut in corpore naturali non niſi una voluntas eſt, actionum & membrorum omnium imperatrix, ita in civili corpore, arte naturam imitante, unica eſt imperandi vis & facultas, non in profana tantum ſed & ſacra efficax, quantum ad publicam ſalutem & concordiam conducit : nam cui jus ad finem eſt, ei non poteſt non ad omnia media, fini conſequendo idonea, idem juris eſſe. Sed dubio omni caret, religionem maximam partem beatitudinis civilis facere, in qua comparanda omnis Principum prudentia ſpectari debet : quare abſurdum foret media negare, quibus beatitudinem illam venamur. Multitudo hominum civitas eſt ordine publico inſtructa. Homines verò ut corpore & animo conſtant, ita

illis

illis ſecundum utrumque imperatur : Sed religio maxime eſt, quæ animos civium, nobiliſſimam utique perſonæ ſubjectæ partem dirigit, ac proinde ſummæ poteſtatis opus eſt. Nec aliud ipſe ordo publicus poſtulat, cujus eſt ab uno ſummo principio omnes civiles actiones producere & moderari. Sicut in horologio aliquo αὐτομάτῳ à primo movente totius corporis motio dependit, ita á majeſtate movetur civitatis operóſa machina, quæ ſpiritu illo deſtituta aut quieſcit, aut omnino intermoritur : quicquid nomen actionis publicæ meretur, ab hoc principio & cauſa deſcendit, & eo ipſo, quo privatorum arbitrio exemptum eſt, facere tamen jure licet, cum auctorem laudat, qui ſummum imperium habet, ut oppido falſus ſit Clariſſ. (*a*) Hornius, qui à *ſacrorum regimine ut actione publica privatum quidem arceri* ait, *nondum* verò *patere rationem, qua Principi illud aſſerat*. Nam ſi religionis ordinatio actio civilis eſt, vel à Principe vel ſubditis produci oportet : præter hos duos ordines in civitate nemo eſt agendi potentia præditus: Arcentur autem privati à cura iſta hoc ſolo actionis publicæ nomine, quam majeſtas generat; quare relinquitur imperans, qui vi ſummi imperii ut alia civilia negotia, ita & illud religionis tractat.

§. 3. Juvat hoc argumentum luculento favore Vicariatus, quem Deus ſummis poteſtatibus in hoc orbe ſingulis pro ſua portione & Reipublicæ finibus, eo fine, ut ſuo loco in his terris * viſibiles Dii eſſent, & poteſtate mandata, (non à popu-

(*a*) De Civit. lib. 2. c. 5. §. 3.

populo, ſed ipſo ſupremo Numine) in civilibus tantum dependenter poſſint, * quantum Deus in toto Orbe independenter & infinita potentia. Quemadmodum itaque Deo circa religionem jus ſummum eſt, & libera ſtatuendi poteſtas: ita eandem hactenus in Vicarium ſuum contuliſſe voluit, quatenus ad conſervationem religionis, ut à Deo æterno decreto juſſa eſt, cultumque ſacrorum & piam in adiaphoris libertatem expedire viſum. Hoc enim eſt cujusque Vicarii præcipuum inter alia officium, ut Domino ſuo honorem, quàm maximum poteſt, ab iis, quibus indulgentia & auſpicio Principalis ſui præeſt, exhibendum curet. Renuit autem Deus alia ratione modovè coli, quam ut in ſacris literis patefacta divina voluntate inſtituit: quare omnino ita credendum eſt, Deum in poteſtate & officio Vicariorum ſuorum eſſe velle, ut ſubditos ſuos omnibus legitimis mediis ad veram & unicam religionem cultumque divinum inſtituant, ſemel inſtituta ſacra conſervent, à ſuperſtitionibus & omni alia labe defendant, prohibeant hæreſes & nociva ſchiſmata, tum externo cultus modo, qua ſui parte liber eſt & indeterminatus, decenti ſobrietate & compoſitis ad internam pietatem moribus, religioſè caveant. Huic rei eò felicius perficiendæ accendit ipſe Deus in humanis cordibus lumen aliquod ſeu faculam, juris nimirum naturalis & honeſtatis ingenitæ regulam, quo duce ad veram Dei cognitionem conſtanti deſiderio penetrare poſſint. Hæc connata principia, per ſe quidem debiliora, quàm ut ex iis veram pietatem liceat conſequi, ſed quæ eadem prima

quaſi

quaſi elementa ad majorem ſapientiæ lucem ſunt, urgere Principem quemvis decet, & ſic hominum animis æternam veritatem paulatim inſtillare, quam in ſacris oraculis altè reconditam unico Spiritus S. munere & mediis ſalutaribus conſequimur. Nec minus in conſervanda tuendave religione, quam inſtituẽda laborandum eſt Regibus, quos ut * ſæpius divino ore eximie laudatos novimus, & infinitis dicatos bonis, ſi religionis & ſacrorum curam impenſe amaverint: ita alii ex adverſo minis, diris, ſuppliciis devoti ſunt, qui divinum cultum aut collabi ſiverunt, aut non reſtituerunt collapſum: Sed iniquè imputaſſet Deus regibus neglectum rei, quæ extra jus eorum & agendi facultatem poſita in ſola ſummi Pontificis poteſtate fuit: quod enim me agere nefas eſt, id profecto mihi improperari nequit, ſi actum non fuerit. Cùm verò ubique religionis minus ex officio curatæ rei fiant, infallibili id nobis indicio eſt regii circa ſacra juris. Quo ſenſu haud dubiè & ſacræ literæ Reges Magiſtratúsve vocant (*a*) Elohim, id eſt Dii, terreſtres ſcilicet, Vicarii & Legati Veri Dei, quem & ipſi colere debent, & aliis debito modo adorandum injungere; ſicut Provinciæ Præſes Imperatori aut Regi ſuo omnem honorem & obſequium à Provincialibus deferendum imperio, minis, præmiis, pœnis conciliare. Dicuntur (*b*) Paſtores ut populo proſpiciant de paſtu nõ corporali tantum ſeu felicitate civili; ſed & ſpirituali ac æterna: in id enim à Deo præcipuè conſtituti ſunt, ut omnia

(*a*) Exod. 21, 6. Pſal. 82, 1.
(*b*) Eſai 44, 28. Jerem. 49, 19.

omnia ad ſuam gloriam & animarum ſalutem referant firmati promiſſo, quærentibus cœlorum regnum cætera omnia quaſi appendicis loco eventura. Audiunt (*a*) *Patres*, quibus incumbit non educare tantum liberos, ad victum & amictum neceſſaria illis comparare: ſed & eosdem inſtituere ἐν παιδείᾳ καὶ νουθεσίᾳ Κυρίου, ut ait (*b*) Apoſtolus. Sunt (*c*) *ſcuta terræ*, ut Eccleſiam à perſecutionibus, injuriis, impietate muniant: non cives tantùm. Sunt (*d*) *Eccleſiæ Nutritii*, id eſt, diſpenſatores, curatores, tutores, lactrices qui Eccleſiam, velut pupillam aut infantem, deſertam, contemptam, apertam aliorum fraudibus ac latrociniis alere debent, lactare, erigere, tueri: unde etiam (*e*) Spiritus S. Eccleſiam Regum mammillis lactandam, i. e. defendendam, augendam & ornandam prædicit, cùm externa magnificentia, ut in ædificandis aut (*f*) reſtaurandis templorum ruinis: tùm præcipuè interna devotione & pietate, qua & ipſi Reges veræ Eccleſiæ accedent, ut in Chriſtiana Conſtantini M. ætate factum, & ſubditos ſuos ad eandem exemplo ac mandatis vocabunt, & quà licet, compellent.

§. 4. Nec deficiunt nos ſacra teſtimonia, per quæ dubitantibus plenè poſſit ſatisfieri. Apoſtolus Paulus notiſſimo in Epiſtola ad Romanos (*a*) loco, ſingulari totius politicæ prudentiæ compendio, πᾶσα ψυχὴ, inquit, ἐξουσίαις ὑπερεχούσαις ὑποτασσέσθω: *omnis anima poteſtatibus ſupereminenti-*

nenti-

(*a*) 1. Sam. 12, 15. (*b*) Ad Epheſ. 6, 4. (*c*) Pſ. 47, 10. (*d*) Eſa. 49. 23. (*e*) Eſa. 60. 10. (*f*) 2. Reg. 12, 6, 7. (*g*) cap. 13.

nentibus ſubjicitor. Si omnis anima, ergo & ſacrorum miniſtri, Paſtores, Epiſcopi, Pontifices. *Si omnis, & veſtra,* ait Bernhardus in Epiſtola ad Archiepiſcopum, *quis vox eximet ab univerſitate? Etiamſi Apoſtolus,* inquit Chryſoſtomus, *etiamſi Evangeliſta, etiamſi propheta*: rationem & fundamentum obſequii in cauſa efficiente poteſtatis quærit, quod omnis nimirum à Deo ſit ordinata, & contumax ordinationi divinæ reſiſtat. Hæc in ſacris non minus quàm profanis locum habent, æquali Dei in utraque poteſtate, qui omnia nulla diſtinctione ſummis Regum Principumque imperiis ſubeſſe voluit. Hi enim ſunt *Dei miniſtri, vindices ad iram ei, qui malum fecerit.* Qui malum ait, indefinitè, quo nomine etiam omne id ſine dubio comprehenditur quod circa ſacra fit: nam indefinita locutio hic univerſali æquivalet, quam apud Salomonem reperire eſt. (*a*) *Rex ſolio juſtitiæ inſidens oculis ſuis ventilat omne malum.* Eodem univerſali rerum omnium ſenſu ſumma poteſtas eſt miniſtra εἰς τὸ ἀγαθὸν, *ad bonum*, quod cum in civili vita & ſocietate, tum imprimis in religione & pietate quærimus, optimo ipſo Apoſtolo interprete, qui hæc bona (*b*) alibi diſtinctius explicans preces fieri pro Regibus jubet & omnibus, qui in ſublimitate conſtituti ſunt, ἵνα ἤρεμον hic finis eſt, καὶ ἡσύχιον βίον διάγωμεν ἐν πάσῃ εὐσεβείᾳ καὶ σεμνότητι, in omni non honeſtate ſolum externa & civili, ſed etiam pietate, religionis veræ individuo comite. Quod ſi verò preces, obſecrationes, gratiarum actiones pro Regibus concipiendæ ſunt

(*a*) Proverb. 20. (*b*) 1. ad Timoth. 2, 1.

ſunt ad id, ut piè vivamus, officii certè & regii juris erit, inſtituere & conſervare illa pietatis exercitia & ſcholas, quod ſine arbitrio & poteſtate in ſacra nulla ratione effici poteſt: prohibere item & tollere omne id, quicquid Chriſtianæ pietati officere videtur, abolere cultus impios & idololatricos, coercere blaſphemias, hæreſes & ſimilia Hæc aut facere Regibus licet, aut preces pro iis in hunc finem concipiendæ non ſunt. Sed poſterius hoc dixiſſe idem eſt ac Spiritui Sancto obloqui, quare prius admittendum eſt, poteſtas Regum ſcilicet circa ſacra. Nec proficies quicquam, ſi dixeris, pro aliis quoque hominibus, quibus nullum jus eſt ſtatuendi circa ſacra, orationes præcipi eodem fine habendas: Nam finis ille quodammodo hæc duo in ſe comprehendit, ut & ipſimet ſinguli piè vivamus, & præcipiamus ut alii vivant: pro utroque quidem orandum eſt, ſed habito perſonarum diſcrimine: ut illi nimirum, quorum conditioni obſequii magis gloria quam imperium convenit, & ſuomet ingenio & juſſu ſuperiorum pietati ſtudeant: Alii verò, quibus jubendi facultas eſt, id eſt, ſummæ poteſtates tam exemplo ſuo in religione aliis præeant, quàm auctoritate & mandatis eandem promoveant, tueantur, lactent, quo integrum ſit ſubditis vacare pietati & divino cultui. A quovis ordine id expectatur, quod præſtare poteſt: introducere religionem, eandem conſervare, aliis amplectendam pro mandato injungere, externis ritibus exornare, à corruptione aut peſte defendere armis, legibus, conciliis, hæc omnia, & ſi quæ ſimilia, actiones publicæ ſunt, extra ſubdi-

torum arbitrium in ſola Principis manu poſitæ, pro quo etiam preces faciendæ, ut ſingula rite pieque adminiſtret. Pro ſubditis verò, ut Magiſtratui rectè jubenti obediant, Deum ſincero corde & pio affectu colant, timeant, ament, conſtitutiones publicas, quæ circa ſacra latæ ſunt, nec divinis literis adverſæ, religioſe ſequantur, & omnem animum, vitam, mores ad pietatem componant. Denique pro omnibus, ut quisque, quod ſui officii & muneris eſt, faciat. Partitim enim procedit Apoſtolus Paulus: Primo pro omnibus preces fundi jubet: Deinde ſpeciatim pro Regibus & quicunque jus imperandi habent; tandem finem generalem addit, ut piè vivatur: quoniam verò ad hunc finem conſequendum non omnes æquali modo graduve influunt, ſed alio & pleniore Principes, alio privati: ideoque pro omnibus quidem oratur eo fine, ita tamen, ut quivis, quod decet & oportet, id agat. Firmat hanc rationem egregiè honeſtas eodem loco adjuncta pietati, quæ ad civilem vitam reſpicit, cum hæc ad ſpiritualem. Quàm verò non ſequitur pro omnibus orandum, ut vitam honeſtam degamus, ergò Regibus jus non eſt imperandi in civilibus negotiis ad honeſtatem illam præcipiendam aut tuendam; ergo leges ferre nequeunt, quæ Civium actionibus vivendi agendique regulam dent; ergò non jus dicere ad præmia bonis rependenda, malis pœnas, &c: Tam malignè profectò cohæret altera illatio, omnes piè vivere debere, ac proinde Regibus poteſtatem circa ſacra non competere. Finis enim totius civitatis ſibi planè aliud vult, qui eſt, ut in

ea

ea quàm feliciſſimè vivatur. Ea verò demum felix & beata eſt Reſpublica, ſecundum (*a*) Auguſtinum, *quæ Dei eſt amans & amata Deo, illum ſibi Regem, ſe illius populum agnoſcit*: quocum illud (*b*) Ariſtotelis convenit, optimam vivendi rationem eam eſſe, quæ ad Deum conſiderandum maximè facit: & eam peſſimam, quæ à conſiderando Deo, colendove avocat. Sed ad Principem ſolum ſpectat ordinare ad finem civitatem, & de mediis proſpicere, quibus illo frui liceat. Subditorum enim conditio hic vicem inſtrumenti ſubit, quo civilis hic artifex ad faciendum curandumque opus uti ſolet. Adeoque ſanè hac etiam ratione pro Regibus precari convenit, ut Deus, à quo omnia bona proveniunt, eorum animos regat & conſilia, ne in religionis præpoſtera aut neglecta cura à meta propoſitæ civilis beatitudinis exerrent. Agnovere hoc ſuum officium optimi quique Imperatores, & in eodem à ſapientibus confirmati ſunt. Theodoſius in Epiſtola ad Cyrillum ait, *Cæſarei eſt muneris, ut non ſolum pacifi e, ſed piè etiam ſubditi vivant.* Et idem cum Honorio in Epiſtola ad Marcellinum: *neque enim aliud belli laboribus agimus, aut pacis conſiliis ordinamus, niſi ut verum Dei cultum orbis noſtri plebs devota cuſtodiat*: quem etiam in ſenſum Iſidorus Peluſiota eundem Sacerdotio & regno finem facit, τὴν τῶν ὑπηκόων σωτηρίαν. Cui geminum illud Ammiani Marcellini eſt: *Nihil aliud eſſe imperium, ut ſapientes definiunt, niſi curam ſalutis alienæ.*

(*a*) De Civit. Dei lib. 5. cap. 14.
(*b*) In fin. Eudem.

Et Auguſtinus felices eos Reges dicit, *ſi ſuam poteſtatem ad Dei cultum maxime dilatandum majeſtati ejus famulam faciant.* Auctor etiam libri de regimine Principum, qui Thomæ adſcribitur, *finis*, inquit, *ad quem Rex principaliter intendere debet, in ſeipſo & in ſubditis eſt æterna beatitudo, quæ in viſione Dei conſiſtit: & quia iſta viſio eſt perfectiſſimum bonum, maximè movere debet Regem, & quemcunque Dominum, ut hunc finem ſubditi conſequantur.*

§. 5. Filii, inquit idem Paulus, *obedite* (*a*) *parentibus in omnibus*, ergo etiam in pietatis & ſacrorum inſtitutione. Quod ſi filii parentibus obedire tenentur, quanto magis ſubditi Regibus, qui majus & eminentius imperium habent, quam patrium eſt, nec patitur ſubordinationis ratio, ut quod latius eſt, contineri poſſit ſub arctiori. Dubio autem omni caret, in civitate minora maritorum, patrum & dominorum imperia majeſtati ſubeſſe, quæ illa ambitu ſuo eximie comprehendit: ſtatuendum itaque erit, quòd patri extra Rempublicam licet, id multo magis in ea Principi: quod populum Iſraeliticum haud quaquam latuit, qui (*b*) Joſuæ in *omnibus* obedientiam pollicetur, ut olim Moſi paruerat.

§. 6. Referenda etiam in hunc argumentorum cenſum omnia ea ſunt, quæ divite apparatu in ſacra ſcriptura circa regium officium de obſervantia & cuſtodia legis, de Domino ſerviendo, exoſculando Chriſto legentibus occurrunt. (*c*) *Poſtquam ſederit Rex in ſolio regni ſui, deſcribet ſibi deuteronomium legis hujus in volumine accipiens*

(*a*) Coloſſ. 3, 20. (*b*) Joſ. 1, 17. (*c*) Deuterom. 17.

cipiens exemplar à Sacerdotibus Leviticæ tribûs & habebit ſecum, legetq́ illud omnibus diebus vitæ ſuæ, ut diſcat timere Dominum Deum ſuum, & cuſtodire *verba & ceremonias, quæ in lege præcepta ſunt.* Non ſimplex hic & privata ad propriam ſalutem cuſtodia Regibus tantum injungitur, ſed imprimis etiam publica, cum imperio & coërcitione conjuncta, ad legem Dei cum à contemptu vindicandam, tū ab injuriis & corruptelis: nec de ſecunda tantum legis tabula, civilis potiſſimum vitæ norma verba accipi debent, ſed de prima etiam, & tota lege, nam ſermo indifferens hoc loco nullam admittit reſtrictionem, & æquipollet univerſali, quæ velut hujus interpres *Joſ. 1, 17.* extat, ubi Dominus ad Joſuam ita infit: *Confortare & eſto robuſtus valde, ut* cuſtodias *& facias* omnem *legem quam præcepit tibi Moſes ſervus meus.* Ubi duo imprimis notatu digna: primò præcipi cuſtodiam omnis legis à Moſe latæ. Deinde diſcerni actum cuſtodiæ legis ab actu obſervantiæ ejus & impletionis, quaſi hæc, obedientia nimirum erga legem, Regem deceat quà fidele Eccleſiæ membrum & legis divinæ rigori ſubjectum: illa verò cuſtodia ut imperantem & Vicarium Dei, qui ex formula Romanorum antiqua divinitus data poteſtate cavere debet, ne religio & ſacrorum majeſtas in ſua civitate detrimentum capiat. (a) *Et nunc Reges intelligite, erudimini, qui judicatis terram. Servite Domino in timore & exultate ei in tremore: Oſculamini filium, ne quando iraſcatur.* Jubentur hic intelligere Re-

(a) Pſalm. 2, 10, 11, 12.

ges, erudiri, ſervire Domino, oſculari filium non tam communi omnium hominum obſequio & conditione, ita enim novo præcepto aut peculiari acclamatione non opus fuiſſet, quam ſingulari, & proprio eorum officio; id eſt ſceptra Regi Regum humili devotione ſubmittere, poteſtate ſua ad propagationem & defenſionem Eccleſiæ uti, puritati doctrinæ ſtudere, abolere heterodoxos cultus, lupos ab ovili Domini arcere, alere Miniſtros Eccleſiæ, & his gemina, quæ omnia Principibus imperium in ſacra haud obſcurè vendicant. De oſculo, filio à Regibus dando, paucis monendum, illud non eſſe amoris aut dilectionis; ſed magis obſequii & ſubjectionis, quæ loquendi formula apud Hebræos non inuſitata eſt, à moribus aliarum gentium, ut Indorum, deſumpta, quibus in ſignum fidei & ſubjectionis Regem exoſculari ſolemne fuit: Quare Septuaginta Interpretes verba Geneſeos 41, 40. *Super os tuum oſculabitur omnis populus*, ut ad ſenſum verbalem textus Hebræi ſonant, rectè per vocem ὑπακούσεται explicarunt, quos etiam B. Lutherus in Germanica verſione ſecutus eſt. *Elevate portæ capita veſtra*, canit (*a*) alio loco regius Pſaltes, *& elevate vos portæ ſeculi, & introibit Rex gloriæ*. Per portas ſeculi ſummæ hujus Orbis poteſtates, ſeu ἐξουσίαι ὑπερέχουσαι intelliguntur, quas ſignatè Septuaginta per ἄρχοντες ὑμῶν reddiderunt. Iterum hic tam gravis ad ſolos Imperantes exclamatio indicio nobis eſt, requiri ab ipſis aliquid præcipuum dignumque jure regio: quod nihil aliud præter poteſtatem in ſacra

(*a*) Pſalm. 24, 7.

ſacra eſt. Illuſtres ſunt hanc in rem apud Auguſtinum duo loci, quos hic tetigiſſe non pigebit. *In hoc Reges*, (a) ait, *ſicut eis divinitus præcipitur, Deo ſerviunt, in quantum Reges ſunt, ſi in ſuo regno bona jubeant, mala prohibeant, non ſolum quæ pertinent ad humanam ſocietatem, verùm etiam quæ pertinent ad divinam religionem.* Et (b) alibi. *Quomodo ergò Reges Domino ſerviunt in timore, niſi ea, quæ contra juſſa domini fiunt, religioſa ſeveritate prohibendo atq; plectendo. Aliter enim ſervit, quà homo eſt, aliter quà etiam Rex eſt. Quà homo eſt, ſervit vivendo fideliter, quà verò etiam Rex eſt, ſervit, leges juſta præcipientes & contraria prohibentes convenienti vigore ſanciendo. Sicut ſervivit Ezechias lucos & templa idolorum, & illa, quæ contra præcepta Dei fuerant conſtructa, deſtruendo. Sicut ſervivit Joſias talia & ipſe faciendo: Sicut ſervivit Rex Ninivitarum univerſam civitatem ad placandum Dominum compellendo. Sicut ſervivit Darius, idolum frangendum in poteſtatem Danieli dando, & inimicos ejus leonibus ingerendo. Sicut ſervivit Nabuchdonoſor, omnes in regno ſuo poſitos à blaſphemando Deo lege terribili prohibendo. In hoc ergo ſerviunt Domino Reges, in quantũ ſunt Reges, cum ea faciunt ad ſerviendum illi, quæ nõ poſſunt facere niſi Reges.* Actus igitur, qui his & aliis locis in ſacris literis ſpeciatim requiruntur à Regibus, ex uſu imperii, quod Regũ peculiare &

(a) Cont. Creſcent. l. 3. c. 51.
(b) Epiſt. ad Bonif.

proprium bonum eſt, fluunt, nec in arbitrio aut jure privatorum ſunt. Equidem cuivis licet ſervire Domino cultu adorationis & pietate domeſtica: Sed veram religionem præcipere ſubditis, eos cogere ad audiendum divinum verbum, extirpare fana & idolorum templa, inhibere victimas gentilium ritu mactandas, publicè docendam religionem curare, eligere Paſtores, Epiſcopos, illis omnem honorem & reverentiam exhibendam jubere: Loca publica ad Baſilicas aut Scholarum domos deſtinare, & cætera, hæc omnia cum actus publici ſint, & ex majeſtate immediatè prodeant, à Regibus potiſſimum requiri intelliguntur, cum ineptè à ſubditis ſperentur, agendi facultate omni deſtitutis, quos potius pati oportet & perferre ſuperiorum impietatem, qui negato veræ religionis uſu non tantum ſuperſtitionibus aut gentilium deliriis ipſi adhærent, ſed eadem in omnibus ſuis regnis publicè accipi & doceri mandant, conſtitutis ſuppliciis in eos, qui rectius ſentiunt. Nullum enim in primitiva & parturienti Chriſtianorum Eccleſia exemplum eſt, fideles, ſive Apoſtoli fuerint ſive Epiſcopi, ſive quicunque alii, ſibi ſummum arbitrium in Imperatores aut Principes incredulos ſumpſiſſe, multo minus vi aut pro imperio voluiſſe religionem mandare. Quin potius prædicatione Evangelii & functione Sacerdotali contenti abſtinebant ab omni coactione, licet interdum vires non deeſſent, nec congregatis publicè hominibus deſtruebant idolorum aras, aut impediebant victimas, quô minus falſis Diis ab Ethnicis mactarentur: Sed commendato ſupremo

premo Numini omni rerum eventu ſola verbi divini prædicatione ſtrenuè fungebantur, ut miſeros homines de errore & ſuperſtitione docerent, parati interim ad infinitas injurias & cruciatus, ſi quos ipſis pro cœleſti veritate & Eccleſiæ dilatatione ſuſtinendos Deus judicaſſet. Longè autem alia religionis facies illo tempore fuit, quo primum ipſi etiam Imperatores Chriſto nomen & fidem dederunt. Hi enim auctoritate & ſummo imperio inſtructi multa tunc faciebant, quæ privatis optare magis licuit, ut fierent, quam patrare. Nam utcunque factum per ſe pium & laudandum ſit, illicitum fit, ſi ab alio, quàm per quem fas eſt, præpoſtero zelo agatur. Quid pulchrius eſt & magis pium quàm patriam ab hoſtibus defendere? Sed cum perduellionis infamia magnum malum habebit, quicunque privatus exercitu conſcripto adornet defenſionem eo colore, quod Princeps deſes ſit & Reipublicæ negligens: *nihil juſtus præcipuè cogitet in his rebus*, inquit Auguſtinus, *niſi ut bellum ſuſcipiat, cui bellare fas eſt: non enim fas eſt omnibus.* Quid honeſtius eſt, quid divinius, quàm jus ſuum cuique tribuere? Quis autem laudaverit illum Advocatum, qui cum videat à judice aut corrupto aut imprudente ſuo Clienti injuriam fieri, ſibi ipſi ſpreto tribunali jus vult dicere, & executioni dare, utcunque æquiſſimum dixerit? Haud melius profectò ſubditus facit, qui veræ religionis promovendæ ſtudio turbas miſcet in Republica, & ſibi poteſtatem aliquam jubendi vetandique arrogat, quam non habet. At in Principe hæc omnia diverſa ſunt ob majeſtatis præ-

ſentiam, quæ cives in rebus per ſe non illicitis ad ſtrictiſſimum obligat obſequium. Hujus vi & præſidio ut Imperans cum effectu neceſſarii obſequii bona præcipit & mala prohibet, ſic veram religionem inſtituit, defendit, conſervat: Falſam verò proſcribit, diruit idola & eorum templa & removet impedimenta, quæ ſalutarem Evangelii curſum remorari videntur. Atque hice ſunt veri illi regii actus, poteſtatis circa ſacra merè illativi, quos Deus dum à Regibus, qua tales ſunt, exigit, nobis oppido liquet, ſub imperio civili comprehendi. Benigniſſimum enim Numen à nullo hominum ultra ſuum depoſitum quicquam aliud ſibi reddi poſtulat.

§. 7. Præterea in veteri Judæorum Republica optimos quosque Reges & Magiſtratus non citra laudem & divina præmia religionis & ſacrorum curam ſuſcepiſſe conſtat, increpitis aliis, qui connivebant ad populi idololatriam, toleratis lucis & excelſis, in quibus ſpirituali adulterio Diis quisque ſuis ſacrificaſſe dicitur, maximâ veri Dei indignatione & æternæ hominum ſalutis diſpendio. Moſes primus Judaicæ Civitatis poſt Deum conditor & Ordinator, vi *regii officii*, quod in populo (*a*) adminiſtravit, religionem apud Israelitas conſtituit, promulgatis legibus, quæ cultum divinum & ſacrorum rationem concernerent, cùm omni populo obſervandis, tum etiam Sacerdotum & Levitarum Ordini: ut integer Leviticus Liber, & ſatis magna pars Exodi, Numerorum ac Deuteronomii teſtantur. Equidem haud me latet, Deum, qui iſtam

(*a*) Deuterom. 33, 5.

iſtam gentem ſibi quaſi hęreditariam elegit, cum qua usque ad familiare colloquium deſcenderet, leges ut alias, ita etiam quæ ſacra moderabantur, planè ſingulari modo & immediatè ſuo digito juſſuque ſanciſſe, ut Moſes nihil præter inſtrumentum videri poſſit, quo medio Deus ſuam voluntatem populo ſuo declaraverit. Quatenus tamen Rempublicam Judæorum in ordine Civium ad ſe invicem imperantium parentiumq; ſpectamus, tuliſſe utique Moſen etiam leges poteſtate ſibi à Deo conceſſa haud inficias ire poſſumus, & docent id expreſſè ſacræ literæ, Moſen *mandaſſe* legem, idque *regio officio* (*a*) aſſerentes. Officio, inquam, regio, non pontificali aut Sacerdotali, quale hodie ſibi in totum Chriſtianum orbem Romanus Papa competere ait. Id ſaltem alii Reges præ Moſe peculiare habent & præcipuum, quod ipſis jus ſit Civibus ſuis leges dare, quæcunque legiſlatori placent, modo juri naturali, divino & gentium non ſint contrariæ. Hic verò promulgare eas tenebatur, quas ex ipſiſſimo divino ore percepiſſet. Nec tamen adeò ipſius in arctum redacta erat poteſtas publica, quin interdum nec Deo jubente nec conſulto aliquid ſuopte ingenio facere potuerit. Nam ad (*b*) Soceri ſui Jethræ conſilium Magiſtratus judiciarios in populo conſtituit, qui ipſum immenſis juris dicundi laboribus ſublevarent: & quin in aliis negotiis identidem incidentibus idem fecerit, nullus dubito: Poſt mortem Moſis, qui Aaronem quoque & ejus filios in Sacer-

(*a*) Deuterom. 33, 4. 5.
(*b*) Exod. 18, 25. 26.

Sacerdotio initiavit, Succeſſor, (*a*) Joſua nó ſequius in ſacris poteſtate ſua uſus eſt, renovato fœdere inter Deum & populum, Levitis ad arcæ deductionem delegatis, ac ordinatis plurimis aliis, quæ ad religionis & cultus divini conſtitutionem pertinere viſa ſunt. Continuata eſt eadem poteſtas ad Judices, ut in Judicum libro haud exigua veſtigia ſunt, & mutata poſtmodum in regnum Republica in Reges translata. Ita (*b*) *Saul abſtulit magos & hariolos de terra*; (*c*) David arcam Domini ex ædibus Obededomi in Regiam deduxit, (*d*) ad conſervationem miniſterii & majorem cultus divini ſplendorem, vaſa aurea argentea, & pretioſam ſupellectilem ex hoſtium manubiis partam, vel ab ipſis in ſubjectionis ſignum ſponte oblatam Domino Deo ſuo conſecravit: (*e*) conſtituit coram arcâ de Levitis, qui miniſtrarent canendo gloriam & laudes Dei. (*f*) Officia Levitarum per certas vices & ordines diſtribuit: & denique prohibitus templum ædificare (*g*) comparavit filio ſuo neceſſaria ad ejus molem decenti majeſtate & magnificentia erigendam. (*h*) Salomon exauctoravit Abiatharem Sacerdotem, quòd turbis & præpoſteræ fratris ſui ambitioni participaſſet, ſurrogato in ejus locum Sadoco. Nec legitur Abiather eo tempore ſe fori præſcriptione contra Regem defendiſſe. (*i*) Idem Salomon extruxit immenſis opibus & ſplendidiſſimo apparatu Hieroſolimitanum templum arcam fœderis in illud dedu-

(*a*) Joſ. 8, 5, 24. (*b*) 1. Sam. 28, 9. (*c*) 2. Sam. 6, 12. (*d*) 2. Sam. 8, 11. (*e*) 1. Paralip. 16, 4. (*f*) 1. Paralip. 23, 4. (*g*) 1. Paralip. 22. 2. (*h*) 1. Reg. 2, 27. (*i*) 1. Reg. 8.

deduxit, & fuſis ad Deum inſtantiſſimis precibus innumeriſque victimis cæſis ſolemni ritu initiavit. (*a*) Aſa Rex, *qui, quod bonum & placitum erat in conſpectu Domini, fecit*, ſubvertit aras, lucos & excelſa, alienis Diis dicata, confregit ſtatuas, à majoribus coli ſolitas combuſto idolo Miplezet, cui Maecha ejus mater ſuperſtitioſa fœmina ſingulari ritu ſerviebat, edictoque propoſito, ut omnes ſubditi relictis gentium religionibus Dominum Deum patrum ſuorum quærerent & adorarent. Reſtituit altare Domini, & ſubditos ad fœdus cum Deo iciendum idque juramento confirmandum adegit. (*b*) Joſaphatus Aſæ filius præter ſucciſionem lucorum & editiorum, Principes & Sacerdotes circuire totum regnum ſuum, & populum in lege Dei inſtituere curavit, miſſis viſitatoribus, qui reformationem collapſi & depravati cultus cum falſi everſione ſuſciperent. Imò ipſe ad ſubditos profectus eos ore, manu, exemplo ad majorum religionem revocavit, conſtitutis ubique Sacerdotibus & Levitis, qui ſacris rite defungerentur, cum aliquali in Eccleſiaſticis jurisdictione, ſed certis cancellis incluſâ (*c*) Ezechias quantum laboraverit in reſtituenda religione, notius eſt, quàm ut multis dici debeat: non memorabo inciſos lucos, confractas ſtatuas, excelſa ſublata; Æneus ſerpens, quem Dei juſſu à Moſe confectum, & hucusq; religioſè in miraculi memoriam aſſervatum populus ſuperſtitioſe adorare cœperat, ipſius mandato ſublatus, tum apertæ &

(*a*) 1. Reg. 15, 12. &c. 2. Paralip. 14, 3. &c. (*b*) 2 Paralip. 17. & 19. (*c*) 2. Reg. 18, 4. 2. Paralip. 29. & 31.

blicari, & populo integrum prælegi juſſit, ut intellecto errore emendationi omnes ſtuderent, Ipſe rex, quantum ſuarum virium fuit, ad antiqua ſacra, ſincerè peragenda, contulit, Camarimis Idolis deletis, quibus Reges Judæ in excelſis adolere conſueverant, & mandato Sacerdotibus dato, ut omnia vaſa peregrini cultus templo ejicerent, ne inſtrumenta ſupereſſent aut memoria deteſtandæ idololatriæ.

§. 8. Et ſic in Vetere Judæorum Republica imperium circa ſacra ſemper à Regibus usque ad Babylonicam captivitatem uſurpatum eſſe, ex his quæ diximus abunde liquet. Quæ deinceps tempora poſt reductum ex ſervitute populum inciderunt, ut confuſionis plena fuerunt, imprimis ubi per Alexandrum M. Perſarum Monarchia everſa eſt, ut eodem brevi defuncto iterum illius imperium in plura regna diſſipatum; ita in illis multum deſudare nullo operæ pretio imprudentis foret. Fatendum tamen, nullis Regibus & incerto obſequio in civilibus turbis paulatim creviſſe ſacri Ordinis potentiam, ut plerunque ſolet, qui tacentibus Prophetis, exhalanteque pietate, omne in populum imperium ad ſe traxere, adeò ut ſummi Sacerdotes ut plurimum etiam Principis eſſent purpura & armis conſpicui; donec iidem ipſi in tyrannos delaberentur, ad vexandam plebem intentos, à quibus ut nihil recti piique ſperari poteſt; ita ante eos Sacerdotum in ſacra imperium nec aliis præjudicio eſſe: nam & iidem ſeculari poteſtate uſi ſunt, quam Regibus ex hac ratione negare ineptiſſimum fuerit.

§. 9. Chri-

§. 9. Chriſto Salvatore nato, paſſo & in cœlum aſſumpto cum Republica Judæorum etiam illorum religio deſiit, & vera Dei Eccleſia, novo fœdere inſtaurata, tranſiit ad Chriſtianos, miſſæ hominum ſaluti certâ fiducia innixso, & per eandem nullo gentium diſcrimine Deo reconciliatos. Hîc per trecentos annos, & quod excurrit, nulla legitimi in Chriſtianam religionem imperii veſtigia apparent, Imperatoribus nimirum adhuc abominandis gentium ritibus addictis, & miſera ſervitute, crudeliſſimisque perſecutionibus prementibus fideles; ipſis verò Chriſtianis, ut ſubditis, poteſtate omni deſtitutis, ut proinde mirum non ſit, illis nolentibus veræ religionis tutelam publicam ſuſcipere, his non potentibus, deſtituta humano imperio ſacra in ſolius Dei providentia & defenſione recubuiſſe. Poſtquam verò ligato ad palum infernalem Dracone ipſi etiam Romanorum Principes, initio à Conſtantino M. facto, divino jugo colla ſalutari humiliatione ſubmittere, & exoſculari Filium Dei æternum ceperunt, protinus eorum imperium ad religionem ordinandam impenſum eſt. Sic, quem paulò antè nominavimus, Conſtantinus M. edicto publico templa idolis ethnicorum conſecrata occluſit, Chriſtianis de libertate religionis idoneè cavit, omnes ſubditos ſuos ad amplectendam Chriſtianorum fidem graviter hortatus eſt, principio à ſe facto, ut cæteris exemplo eſſet, piis Doctoribus ſtipendia conſtituit, & propter Arianam hæreſin convocavit Nicænum Concilium, cui ipſe in perſona præfuit, & damnata Arii doctrina Patrum

trum decreta ac canones imperiali auctoritate confirmavit, interdicto propoſito, ne quis publicè aut privatim ſomnia Arriana ſequeretur. Extat ejus Epiſtola apud (*a*) Euſebium poſt Synodum Nicænam Eccleſiis ſcripta, qua egregium ſtudium promovendæ religionis abunde teſtatur. *Putavi mihi ante omnia in id enitendum eſſe*, inquit, *ut in Eccleſia fides una, feliciſſimi populi ſincera caritas & religio erga authorem omnium Deum nunquam diſcrepans obſervetur.* Hoc ſui juris & muneris eſſe cum plurimis legibus Clero & populo in religionis cauſa præſcriptis, tum imprimis ingenua & ſimplici ad Epiſcopos confeſſione declaravit, cui nemo contradicere tunc juſtum duxit. *Vos eſtis Epiſcopi in Eccleſia*, ita (*b*) ait, *ego extra Eccleſiam ſeu templum Epiſcopus à Deo ſum conſtitutus.* Nec minus Conſtantini Succeſſores in conſtituendis & emendandis ſacris laboraſſe inveniuntur. Marcianus in prima ſeſſione Concilii Chalcedonenſis ita patres alloquitur. *Cum primum per electionem in regnum de ſecreto Dei profecti ſumus, inter tantas publicas utilitates nullum magis nos conſtrinxit negotium, quàm rectam & veram fidem Chriſtianorum, quæ ſancta & veneranda conſiſtit, indubitatam omnibus declarare.* Declarare vult hic Imperator omnibus Chriſtianam fidem non expectata Pontificis auctoritate aut conſenſu, quem eo tempore ſupra concilia & ipſius Imperatoris arbitrium poſuiſſe paradoxon erat. Theodoſius morti jam

(*a*) l. 3. de ipſius vita. p. 891. (*b*) Arumæ. J. P. Tom. 4. Diſc. 43. c. 2. n. 3. ex Euſeb. l. 4. de Vit. Conſt. M. c. 24.

vicinus teſte Ambroſio potiorem Eccleſiæ quàm imperii curam egit. Imprimis verò Juſtiniani noſtri meminiſſe debemus, cujus plurimæ conſtitutiones extant, in rebus ſacris occupatæ, ut de (*a*) recto in Deum ſenſu, juxta ſacræ ſcripturæ normam habendo; de ſcripturarum (*b*) lectione & (*c*) verſione; de (*d*) vita & officiis Clericorum: (*e*) de diebus feriatis, ordinationibus (*d*) bonis Eccleſiaſticis, de (*d*) Epiſcopis & aliis cultui divino propriis legibus. Præſertim verò vox ejus memoratu digna adhuc celebratur, (*f*) *non minor nobis cura eſt horum, quæ ſanctiſſimis Eccleſiis proſunt, quàm ipſius animæ.* Sub hæc quo felicius ſecuriusve res Chriſtianorum indies habuerunt; eo minor in religionis Antiſtitibus pietatis & antiquæ ſanctimoniæ ratio, ſubeunte paulatim vaſtiſſimos animos ambitione, ſuperbia & opum quærendarum cupiditate. Hinc omnia eorum conſilia in id ferè directa, ut ſuperficiaria externæ ſanctitatis ſpecie credulę plebis animos quisque in majorem ſui adorationem & cultum faſcinaret, aliis quocunque modo in contemptum aut ſuſpicionem conjectis, quos improbis ſuis deſideriis obſtare compererunt: inde prima inter Conſtantinopolitanum & Romanum Epiſcopos de honore & primaria dignitate certamina, quæ cum Imperatores in ipſis adhuc cunis opprimere debuiſſent, tanquam aliquando in Reipublicæ peſtem deſitura, fatali impru-

(*a*) l. 1. ſ. 6. & t. t. C. de Summ. Trinit.
(*b*) Novell. 133. c. 2. (*c*) Nov. 146. c. 3.
(*d*) t. t. C. de Epiſc. & Cler. (*e*) l. fin. & tot. tit. C. de Feriis. (*f*) Nov. 3.

imprudentia foverunt, donec ſtultiſſimus Phocas exitiali errore palam pro Romano ſententiam dixit. Sic obtento honoris primatu ambitioſi Præſules audaciores facti ulterius iverunt, ſumpta univerſalis Epiſcopi in totum Chriſtianum orbem facie, qui omnibus aliis, in quocunque dignitatis gradu conſtitutis, jure imperare poſſit: quo primo claſſico Antichriſtum ad hierarchiam ſacram ſtabiliendam uſurum jam ante Gregorius M. prædixerat. Ab hoc tempore Imperatorum in Sacra & Clerum legitima poteſtas cepit occultè in dubium vocari, exortis inter Leonem Iſaurum & Conſtantinum, Romani Imperii Principes, nec non Gregorios II. ac III. Pontifices ſuper imaginum adoratione diſſidiis: nihil tamen ab Imperatoribus in præjudicium ſui juris obtentum eſt, quamvis Pontifices omnia ſumma feciſſent, ſuſcitatis etiam in Italia factionibus, & vectigalibus tributisque Cæſari exſolvi prohibitis, peſſimi hac in re Salvatoris noſtri vicarii, qui gentili etiam Principi Petrum debita pro ſe ſuisque tributa pendere juſſit. Quamobrem cum Imperatores Græci, ut par fuit, inſolitum Præſulum horum faſtum & improbas ſpes diutius ferre non potuiſſent, bella graviſſima in Italia exorta ſunt, inde Ravennatenſibus Exarchis juſſu Imperatorum ſeditoſos Patres ad pœnam depoſcentibus: Hinc Romano populo cum factione ſua eosdem illos pervicaciter defendente: quibus tandem medii ſe interpoſuerunt Longobardi, non alio conſilio, quam ut utrosque opprimerent. Pontifices tot hoſtibus hinc inde incumbentibus ſe impares conſpicati ad Fran-

eorum auxilia confugerunt, deſperantes de Imperatorum veniâ, quos tantopere irritaverant. Ita tandem Romanum in occidente imperium ad Carolum M. & ejus poſteros delatum eſt, qui nihilo ſecius tamen poteſtatem ſuam ad religionem ordinandam, quin ipſum Pontificem in ordinem cogendum, jugiter exercuit, ut meditatum ſacrum imperium aliquantulum delituerit: Teſtes in id ſunt tum Capitula Francorum, ut vocant, quorum non minima pars in conſtituendis ſacris occupata eſt, tum præſertim plurimi actus ſummæ Caroli M. & ejus ſucceſſorum poteſtatis in ipſam Romanam Eccleſiam illativi. Ita Pontificem ſine conſenſu & probatione Imperatoris creari nefas fuit: Carolus inter Leonem & ejus accuſatores Judex ſedit, innocentem Pontificem pronuncians: ut aliorum nunc taceam, quæ paulo infra pleniore modio cumulabimus. Et quidem iſte rerum ſtatus usque ad Heinricum IV. continuavit: quàm malè enim Otto Imperator Creſcentium multaverit, vel pueris conſtat. Quamvis verò Gregorius VII. parricidali ſua contumacia non parum imperatoriam majeſtatem labefactaverit, majus deinde vulnus ſub Paſchale in abdicata Epiſcoporum & Cleri electione paſſam, non omni tamen ad hunc usque diem in ſacra poteſtate imperium Rom. exui potuit, quin retenta EccleſiæRomanæ Advocatia reliquias aliquas ex priori jure quaſi ex communi naufragio ſervarit; nec unquam Imperatores omne circa religionem arbitrium ita in unum Pontificem conferre voluerunt, ut ſibi nihil omninò reliqui fecerint. Pleni ſunt Receſſus

ceſſus Imperii legum publicarum, quæ ſacris moderantur, etiam reformandi iure Imperatori tributo: Notabilia ſunt verba (*a*) Receſſus anno 1544. conditi, in quo ſui officii Carolus eſſe dicit, diverſas in Imperio religiones conciliare, & ad unam veram reducere. Clarius idem illud in (*b*) Receſſu de anno 1548. exprimit, fide ſtatibus interpoſita, ſi quæ in ſacris ceremoniis erroris aut ſuperſtitionis plena irrepſerint, à ſe emendatum iri; & noviſſima (*c*) Osnabrugenſis Pacificatio Imperatori Romano idem jus dat reformandi religionem, quod alii Reges & Principes in ſuis Rebuspublicis habent. Et ne putes ex privilegio quodam vel conſenſu Papæ hoc eſſe, Receſſus imperii de jure regiæ poteſtatis à ſolo Deo conceſſæ loquuntur. In Krafft unſers obliegenden Käiſerlichen Amts; unſerm tragenden Amt nach/2c. ſuo itaque jure hîc Imperator agit, quicquid agit, non mandato alieno. Reliqua quæ ſenſim Pontifices ad ſe traxerunt, noſtra incuria & patientia animati, ut ea non mediocria eſſe lubens fatear, ita nullo periculo, ſed ingenti Reipublicæ bono iisdem privabuntur, ſi aliquando nobis priſtinus patriæ amor & pietas in præcordia redierit. Solo enim errore & præpoſtera religionis larvâ in noſtra Republica imperant, quo animadverſo citra ullum piaculum res ſuas ſibi habere & noſtras nobis relinquere ex formulâ antiqua juberi poterunt; quod ut citius fiat, nemini niſi

(*a*) §. Erſtlich der ſtreitigen Religion halben.
(*b*) §. Nach dem auch in berührten Rathſchlag.
(*c*) Art. 5. §. 13. Quod vero ad Comites.

ni niſi illis grave eſt, qui ex publica calamitate ſaginari ſolent.

§. 10. Hac ratione in Romano Imperio Cæſares ſemper poteſtatem ſuam circa ſacra exeruerunt. In aliis regnis idem factum eſt. De Francis paſſim in id *l. 2. Spirenſis Chronica*, præſertim verò *cap 41.* Lehmannus clariſſimè docuit. De Gothis & Vandalis, Arrianam hæreſin ſecutis res ipſa per ſe loquitur: & hodie locupletiore teſtimonio Chriſtiana regna ſalutari Evangelii luce repurgata, ut Anglia, Suecia, Dania, & melior Germaniæ pars exemplo ſunt. Illa etiam, quæ adhuc in fide Romanæ Curiæ ſunt, non parum debent defecatæ per Lutherum religionis veritati, dum & ipſi oculos in rem ſuam prudentius aperuerunt, diſcuſſis ubique humanarum traditionum tenebris; & Pontifices multo temperatiores in uſu ſuæ poteſtatis facti ſunt, exemplum ſcilicet veriti, ne nimia contumacia irritatos Principes ad libertatem ſollicitarent. Quanti enim ipſis quondam conſtitit imprudenter negata Heinrico VIII. Angliæ Regi, & defenſori Catholico diſpenſatio, alias quinquies aureorum millibus emi ſolita? Quanto pluris etiam vibratum in Lutherum fulmen, quem præſtitiſſet opima dementiri præbenda? His ictibus Piſcator Romanus cautior factus umbram potius videtur retinere priſtinæ potentiæ, quàm ſolidum robur: Hiſpaniarum Rex, devotiſſimus in ſpeciem Eccleſiæ filius res ſuas hac ipſa religione & obſequio agit, haud æquè fidus, ubi de præjudicio ejus agitur: itaque Philippus II. ſuperiore ſeculo per Oratorem ſuum Sixto V. Pontifici denunciari

ari curavit, ſe eum non agniturum pro Pontifice, niſi deſineret in occulto cauſæ Heinrici IV. Galliæ Regis favere. Longè minùs Gallia omnem poteſtatem civilem in ſacra abſtinet, in qua ad hunc usque diem Concilii Tridentini promulgatio contra Eccleſiæ Gallicæ libertates non potuit obtineri, quamvis ea ſuperiori ſeculo in turbis regni publicis omni vi aſtuque tentata fuiſſet. Tenuit nihilominus Rex nominandi Epiſcopos jus, & appellationes ab abuſu in cauſis ſpiritualibus ad Regium tribunal jugiter conſervatæ ſunt, fruſtra ringente Clero, & ſummis imis confundente, ut abolerentur: tum in læſæ Majeſtatis crimine nulla admittitur fori præſcriptio, ſed æquè in Eccleſiaſticas perſonas ac ſeculares animadverti fas eſt, perduellionis convictas, ſicut Cardinalis Guiſius Blœſis captus ac interfectus ſua peſte regni jura roboravit: Ut alias nunc Eccleſiæ Gallicanæ libertates taceam, quæ Regibus Francorum in ſacra aliqualem poteſtatem largiuntur, non ex beneficio Pontificis ortam, eandem enim imo ampliorem, Reges Galliæ habuerunt, antequam Romanæ Eccleſiæ ullas partes in ſua Republica fecerunt: ſed ex communi periculo, velut felices reliquias, ſervatam, dum cætera fatali Europæ Chriſtianæ ignavia peſſum irent. Italiam nunc lubens prætereo, quæ utcunque præ aliis Romanæ Eccleſiæ addictior ſit, nunquam tamen omne in ſacris arbitrium Pontifici uni permiſit, ceu vel unius Venetorum Reipublicæ cum Paulo V. habita diſcrimina, quæ ad belli usque ſtrepitum eruperunt, ſufficienter arguunt.

§. 11. Haud leve etiam indicium regii circa ſacra imperii Sacerdotium præbet, quod antiquis temporibus ipſi Reges obiere: non fideles tantum, ut Melchiſedecus, quibus & Patresfamilias in hoc accenſendi ſunt, Noa, Abrahamus, quem (*a*) Deus *monſtraturum* ait *liberis & familiæ pie vivendi rationem*; ſed gentiles etiam: inde apud Virgilium:

Rex Anius, Rex idem hominum, Phœbiq; Sacerdos.

Et Homerus paſſim Heroës, id eſt Principes ſacrificaſſe narrat: ſicut & Diodorus, apud Æthiopes Reges fuiſſe Sacerdotes: Plutarchus apud Ægyptios, Herodotus apud Lacedæmones: Plato apud Athenienſes & pleroſque Græcorum civitates: De Romanis Livius & Halicarnaſſæus idem memorant, ut Numa Pompilius Rex familiari cum Divis colloquio oſtendit, quod non facile citra Sacerdotium fieri potuiſſet, unde etiam ſublato regno manſit aliquis Sacrorum Rex, de cujus regno ita Plutarchus ἦγε βασιλεία πρὸς τὸ πᾶσαν ἀρχὴν ἔχειν ἐν ἑαυτῇ συλλαβοῦσα, ϗ ταῖς μεγίσταις ἱερουργίαις καθωσιῶται πρὸς τὸ θεῖον. Quandoquidem itaque Reges olim & Sacerdotio functi leguntur, quæſtio eſt, an illud ſpeciali quodam titulo habuerint, an verò Regio jure? Ut poſterius credamus, indubitatis argumentis cogimur. Equidem haud velim præfractè negare, nonnunquam mandatum divinum acceſſiſſe; cæterum de omnibus id probari non poteſt, nec fictio neceſſaria eſt. Primis poſt diluvium temporibus ubi adhuc multis ſeculis veram religionem apud pluri-

(*a*) Geneſ. 18. 16.

plurimas gentes duraſſe prope verum eſt, per univerſum orbem tenebantur homines Deum colere, quatenus eum norant, eique ex totis viribus gratias agere: quoniam verò ſemper cultus divinus peculiares ritus habuit, quibus Deus placari voluit, adeoque aut omnes ritus illos obire tenebantur, aut nonnullis ex ſuo cœtu Sacerdotium committere. At in unaquaque ſocietate munera publica diſtribuendi jus apud illum eſt, cui imperium competit: Ut patrifamilias in domo: Regi in civitate. Qui verò alii functionem aliquam aſſignare poteſt, eandem & ſibi ipſi rectè aſſignat, dum ei par ſit, nec lege ſuperiore prohibeatur, quo minus accipiat: ſed neque naturali neque gentium publica jura Sacerdotii functionem Regibus interdicunt, ut multis (a) Grotius probat, cui hæc & alia plura debemus: relinquitur ergò, Reges ſuo jure, quo in totam civitatem uſi ſunt, adminiſtrandi Sacerdotii ſibi facultatem ſumpſiſſe: quod exinde etiam magis apparet, dum omnes fatentur, in ſtatu illo priſmævo jus fuiſſe multitudini liberæ eligendi ſibi Sacerdotem; quod jus deinde, ut omnes aliæ expediendorum negotiorum rationes, in eum translatum eſt, cui multitudo ipſa ſe regendi poteſtatem fecit: nec abnuit electionis indoles, ex juſſione & prohibitione, actibus imperii, conſtans: jubetur enim aliquis fungi Sacerdotio: & alii ab eo abſtinere. Sunt verò in civitate jubendi vetandique partes apud ſolum imperantem: alios premit obſequii neceſſitas; ideoque in hoc etiam electionis ad Sacerdotium negotio: Hac

(a) De Imp. Summ. poteſt. Circ. Sacr.

præſuppoſita certitudine nunc ultro concludimus : Si ſummis poteſtatibus jure regio Sacerdotii functionem ſibi ipſis aſſignare licet, competere utique iisdem in Sacra poteſtatem, in quibus totum Sacerdotium occupatum eſt : Et vel hæc una conſequentiæ ratio jus aperit, quod Principes in electione Sacerdotum olim habuerunt, & nonnulli ingenti Reipublicæ damno ſibi à Romana Eccleſia eripi paſſi ſunt.

§. 12. Eandem pro Regum circa Sacra imperio ſententiam Orthodoxa Chriſtianorum Eccleſia omni ævo pronunciavit. (*a*) Socrates Hiſtoricus verè dixit, *ex quo Imperatores facti ſunt Chriſtiani, res Eccleſiæ ab ipſis dependiſſe:* nec alio ſenſu (*b*) Optatus Milevitanus *: non eſſe Rempublicam in Eccleſia, ſed Eccleſiam in Republica: i. e. in Romano imperio.* In antiqua inſcriptione Conſtantinus *religionis & fidei auctor* dicitur; ac notum eſt Baſilii judicium, qui Eccleſiam vocavit *navem univerſalem, cujus ſibi gubernacula à Deo concredita :* nec minus diverſa orbis parte Carolum M. Moguntinenſe Concilium *veræ religionis rectorem* appellat, ſicut Eleutherius Epiſcopus Romanus Regem Britonum *Dei Vicarium* etiam in religionis negotio, de quo in vetere illo epiſtolio agit, quod nomine ejus circumfertur: Eximia in hoc argumento Auguſtini loca ſunt, Donatiſtis oppoſita, qui olim, ut hodie Pontificii. in ſummas poteſtates admodum fuerunt injurioſi. *Serviunt Reges terræ Chriſto,* (*a*) inquit, *etiam leges ferendo pro Chriſto. Terror temporalium poteſtatum quan-*

(*a*) l. 5. præfat. (*b*) l. 3. (*c*) Epiſt. 48. ad Vincent.

quando veritatem oppugnat, juſtis fortibus glorioſa probatio eſt. Infirmis periculoſa tentatio. Quando autem veritatem prædicat errantibus & discordantibus, cordatis utilis admonitio eſt, & inſenſatis inutilis afflictio. Non eſt tamen poteſtas niſi à Deo, &c. Sive enim poteſtas veritati favens aliquem corrigat, laudem habet ex illa, qui fuerit emendatus: Sive inimica veritati in aliquem ſæviat, laudem habet ex illa, qui victor fuerit coronatus. Et (*a*) alibi. *Mirantur Donatiſtæ, quia commoventur poteſtates Chriſtianæ adverſus deteſtandos diſſipatores Eccleſiæ; ſi non ergo moverentur, quomodo redderent rationem de Imperio ſuo Deo? intendat caritas veſtra quid dicam, quia pertinet hoc ad Reges ſæculi Chriſtianos, ut temporibus ſuis pacatam velint matrem ſuam Eccleſiam habere, unde ſpiritualiter nati ſunt.* Iterum (*b*) alio loco Donatiſtis reſpondet, *ad curam Regis pertinuiſſe, ut Ninivitæ Deum placarent, cujus viam Deus annunciaverat.* Hoc addito: *Quamdiu vos non tenetis Eccleſiam, quam prænunciaverunt piſcatores, Apoſtoli plantaverunt, tamdiu Reges qui eam tenent, rectiſſimè ad ſuam curam judicant pertinere, ne vos adverſus eam rebelletis impunè.* Leo etiam (*c*) ad Theodoſium. *Pro integritate fidei Chriſtianiſſimum Principem convenit eſſe ſolicitum.* Ac (*d*) rurſus: *Quantum rebus humanis conſulere divina providentia dignetur, ſolicitudo clementiæ veſtræ ſpiritu Dei incitata demon-*

(*a*) Tract. 2. in Joh. (*b*) l. 2. contr. Epiſtol. Gaudentii c. 26. (*c*) Epiſt. 9. (*d*) Epiſt. 12.

demonſtrat, quæ in Catholica Eccleſia nihil impacatum, nihil vult eſſe diverſum, quoniam fides, quæ non niſi una eſt, in nullo poteſt eſſe ſui diſſimilis. (*a*) Idem ad Leonem Auguſtum. *Debes Imperator incunctanter advertere regiam poteſtatem tibi non ſolum ad mundi regimen, ſed maximè ad Eccleſiæ præſidium eſſe collatam* : Non eſt, quod aliquis objiciat, de ſola Eccleſiæ defenſione & præſidio citra ullum de religione judicium loqui hæc teſtimonia : Nam illa Eccleſiæ defenſio non eò tantùm collimat, ne à vi externa & ſeculari evertatur : ſed imprimis etiam, ne internis & domeſticis vitiis, quæ Clero perquam familiaria ſunt, inquinetur, ne à priſtinis moribus & pietate antiqua deflectat : ne novis & inſolitis, imo adverſis Dei verbo & civili vitæ traditionibus oneretur; ne falſa & hæretica dogmata irrepant, magis ſacrificulorum abdominibus alendis opportuna, quàm ut Deo placeant. Ne paſtores ipſi in lupos degenerent, quibus ovile Chriſti miſerè deglubere volupe eſt & ludibrium, parum de animarum ſalute ſollicitis, dummodo ipſis bene eſſe licet : in his profectò, & quæ ſimilia ſunt, major defenſionis Eccleſiæ neceſſitas apparet, quàm ut extraneorum hoſtium violentiam probibeamus : ſemper enim periculoſius eſt civile bellum, ſive illud ſpirituale ſit, ſive mundanum, eo, quod eſt externum. Fruſtra verò tu hanc curam in ſolum Pontificem & ejus columnas Cardinales contuleris : Quid enim ab illis hominibus recti piique expectari poteſt, quibus religio metitur utilitate & privato com-

(*a*) Epiſt. 75.

commodo? Quibus major bonorum quærendorum ratio, quàm animarum: quibus quotidie ex neſcio quo cœli theſauro novas licet promere divitias, ut ipſi ditentur, non ut alii ſalventur: Fac hujus rei periculum ſi lubet, quàm prompti ſint Paſtores illi ad tollenda in Eccleſia offendicula, errores ac abuſus: injice mentionem corruptæ diſciplinæ per legitimum liberumque Concilium in Capite & membris ſananda: Hæc tonitrua ſunt, hæc anathemata in Curiæ Romanæ auribus, quæ pejùs juſtum Concilium odit, quàm lucem noctuæ. Ignis privato parabitur, pro ſuo in Eccleſiam hoc ſtudio: & Principibus horrenda fulmina: nec aliter ſanè Eccleſiaſtici Statûs ratio patitur, quæ omnis perpetua catena ad emungendas ſimplicis plebeculæ divitias cohæret; tum ad domeſticam majeſtatem ſervandam, tum mittendos emiſſarios, qui occaſionèm opprimendorum eorum occupent, qui dum prudentius ſibi ſapiunt, hæretici ſunt. In hanc piam militiam ſingulis annis immenſa profunditur auri argentique vis, iiſdem artibus mox colligenda. Et verò tandem in quo niſi Principe præſidium erit, ſi Pontifex & ejus Palatini palam in hæreticos degenerent? ſi à fide deficiant? Dii meliora, inquiunt, & ipſum malum ominatori. Sed omnia ab illis ſperare poſſumus, qui intrarunt ut vulpes, regnarunt ut Leones, mortui ſunt ut canes. Multi Pontifices ſine fide & Deo vixerunt: hoc ultimum tantum hæreticæ pravitatis deerat, ut publicè docerent, quod crederent; & ſine dubio idem feciſſent, niſi de dignitate fuiſſent periclitaturi ſua.

Omnis

Omnis itaque Eccleſiæ defenſio Principis eſt Nec tam excludimus Epiſcopos, quàm ſubordinamus: Faciat quisque, quod ſui eſt officii & muneris: Hi divini verbi prædicatione, ſpiritualibus armis, ſobriè & prudenter adhibitis, ingenio denique & rationum arietibus oppugnent hoſtes ſuos: Illi verò etiam ſeculari brachio & poteſtate, in facinoroſos aut turbatores Eccleſiaſticæ unitatis ſeverè animadvertant, Eccleſiam à mendis & humanis fictionibus, ſaluti hominum æternæ periculoſis repurgent: Clericorum avaritiam, ambitionem ac ſpes immoderatas intra debitos cancellos detineant, ac denique omnia ea induſtriè faciant, quæ ad ordinandam piè religionem, tollendosque abuſus neceſſaria ſunt: Hoc Imperatoris eſt, hoc regiæ poteſtatis, quam (*a*) Electores quamq; Monguntinus & Trevirenſis in Electione Caroli V. agnoverunt, *Statum Reipublicæ deſiderare talem Imperatorem*, ajentes, *qui præter alia* CONSTITUAT *&* EMENDET *religionis ſtatum*: Huc Lutherus *Athanaſii exemplo confugit velut ad aram præſidiumq́ legum*, orans Imperatorem Carolum, *ut doctrinæ Chriſtianæ tutelam ſuſcipiat, ſeq́ contra vim & injuriam omnem defendat, quo usq́ de cauſa conſtiterit.* Hæc cum ſit doctrina pia, vera, certa Eccleſiarum omnium, quæ à jugo Pontificio defecerunt, de calumniis & injuria adverſariorum noſtrorum meritò conquerimur, identidem ad noſtram invidiam hæc Principibus ingerentium, quaſi Reformatorum religione non tantum fides in Deum, ſed & omne erga

(*a*) Apud Sleidan. lib. 1.

erga legitimos Magiſtratus obſequium penitus convellatur. O triſte & infelix mendacium, quod ipſæ noſtræ Confeſſiones toto orbe publicatæ convellunt: quibuscum certè nemo inſidias adverſariorum faſtumque Sacri ordinis ad contumeliam Principum exſurgentem contulerit. Profectò enim *longè aliter catuli olent, aliter ſues*: ut proverbium habet. Una eſt omnium Eccleſiarum noſtrarum vox ex (*a*) Iſidoro Hiſpalenſi. *Cognoſcant Principes ſeculi, Deo debere ſe rationem reddere propter Eccleſiam, quam à Chriſto tuendam ſuſcipiunt: Nam ſive augeatur pax & diſciplina Eccleſiæ per fideles Principes, ſive ſolvatur, ille ab eis rationem exigit, qui eorum poteſtati ſuam Eccleſiam credidit.* Nec diſplicet Angliæ lex, excommunicandos illos cenſens, qui affirmarent Regem Angliæ non eandem habere in cauſis Eccleſiaſticis auctoritatem, qua uſi ſunt pii Hebræorum Reges.

§. 13. Non incommodum, opinor erit, diſſentientes ipſorum armis conficere. Jus canonicum in hac lite non ex omni parte Pontificium ſeu adulatorium eſt. *Boni Principis eſt ac religioſi*, (*b*) ait, *Eccleſias contritas atque conſciſſas reſtaurare, novas ædificare, & Dei Sacerdotes honorare ac tueri.* (*c*) Item: *Principes ſeculi nonnunquam intra Eccleſiam poteſtate adeptæ culmina tenent, ut per eandem poteſtatem diſciplinam Eccleſiaſticam muniant. Cæterum intra Eccleſiam poteſtates neceſſariæ non eſſent, niſi ut quod non prævalent Sacerdotes efficere* per

(*a*) Sen. 3. cap. 51. (*b*) c. Boni diſt. 96. (*c*) c. Principes 23. q. 5.

per doctrinæ ſermonem, poteſtas hoc imperet per diſciplinæ terrorem. Sæpe per regnum terrenum cœleſte regnum proficit, ut qui intra Eccleſiam poſiti contra fidem & diſciplinam agunt, rigore Principum conterantur, ipſamq; diſciplinam, quam utilitas Eccleſiæ exercere non prævalet, cervicibus ſuperborum poteſtas principalis imponat, & ut venerationem mereatur, virtutem poteſtatis impertiatur. Cognoſcant principales ſeculi ſe Deo debere eſſe reddituros rationem propter Eccleſiam, quam à Chriſto tuendam ſuscipiunt, &c. & rurſus. (*a*) *Adminiſtratores ſecularium dignitatum ad Eccleſiarum tuitionem conſtituti eſſe debent.* Qualis vero tuitio & adminiſtratio Eccleſiarum intelligatur, jam §. præcedenti explicavimus. Canonico juri ſuccenturiabimus aliquos pontificiæ religionis Theologos, qui actiones Sacerdotales imperio ſummarum poteſtatum ſubjiciunt: (*b*) Johannis Pariſienſis hæc verba ſunt. *Licitum eſt Principi abuſum gladii ſpiritualis repellere eo modo, quo poteſt, etiam per gladium materialem, præcipuè ubi uſus gladii ſpiritualis vergit in malum Reipublicæ, cujus cura Regi incumbit, aliter enim gladium ſine cauſa portat* (*c*) Franciſci Victoriæ iſta: *Reſpublica civilis eſt perfecta ſibi ſufficiens, ergò poteſt ſe defendere ab injuria cujuscunq; propria auctoritate.* mox: *Poſſunt Principes ſervare proprias Reſpublicas, non ſolũ per modum defenſionis, ſed etiam auctoritativè.* Denique (*d*) Rogerii Widdringtoni illa. *Si eveniat*

(*a*) c. Adminiſtratores 23 q. 5. (*b*) De Poteſtat. Reg. & Pap. c. 31. (*c*) Releſt. de Poteſt. Eccleſ. ſect. 7. (*d*) In Apolog.

niat ſpiritualem poteſtatem male uti ſpiritualibus in perniciem Reipublicæ temporalis, per accidens ſubditur poteſtati politicæ, cui cura temporalium incumbit, & conſequenter poteſtatem habet ſuper omnes actiones externas, quæ pacem temporalem injurioſe perturbant. Item: *injuſta ſpiritualium adminiſtratio, vel ut excommunicatio Principis notorie injuſta, aut interdictum regni manifeſte iniquum, ab Epiſcopo, qui tali Principi civiliter ſubjicitur, quatenus pacem publicam perturbat, & ſeditiones ac tumultus in Republica excitat, qua ratione naturam criminis politici ſortitur, ad tribunal Principis pervenire videtur.* In diſputatione poſterius edita Pariſienſem & Victoriam ſecutus hæc habet. *Reſpublica temporalis eſt perfecta & ſibi ſufficiens, ergo propria auctoritate ab injuria cujuscunq; ſe defendere, & abuſum gladii ſpiritualis, præcipuè ubi vergit in malum Reipublicæ, cujus cura Regi incumbit, per gladium materialem repellere poteſt.* Ad argumenta Suarezii ſic reſpondit: *Penes Reges temporalis eſt poteſtas prohibendi atque puniendi crimina ſpiritualia, ut injuriæ temporales ſunt, & civilis Reipublicæ tranquillitatem injurioſè perturbant.* Imo propius in eodem libello rem ita tangit: *Mitto jam examinare, utrum ad civilem Regum Chriſtianorum poteſtatem ſpectet crimina ſpiritualia, non tantum ut injuriæ temporales ſunt, & civili tranquillitati obſunt: ſed ut crimina etiam ſunt ſpiritualia, & ſpirituali Eccleſiæ Chriſti, cujus à Deo protectores conſtituti ſunt, bono incommodant;*

prohibere, & pœnis temporalibus caſtigare. Mittit nimirum hæc eo conſilio, quod vera non audeat eloqui, falſa nolit.

§. 14. Hæc omnia, quàm vera ſunt per ſe, rationibus ſummis innixa, in ſacris literis fundata, exemplis probatiſſimis aſſerta, à veneranda antiquitate credita; tam malignè & veteratoriè à Pontificiis oppugnantur, quorum hierarchici ſtatus ratio non fert parem in imperio, nedum ſuperiorem. Hi ſummam & abſolutam circa ſacra poteſtatem arbitrandi & decidendi uni Pontifici, Chriſti in his terris Vicario, deferunt, excluſis omnino Principibus, quos miniſtros & executores Pontificiæ voluntatis faciunt, adeoque ad alienam libidinem alligant, non patiuntur proprio jure uti: quod ad ſalutem Reipublicæ à Deo habent. Collimant ad hanc metam omnium pene Theologorum eorum ſcripta, ineptiſſimis rationibus, & quandoque textibus ex divino Codice aut miſere arreptis aut injurioſe explicatis referta, quibus Primatum illum Papæ hactenus, qua licuit, fulciere: nec ſibi ipſi Pontifices deſunt, blanditiis, expoſtulationibus, minis, cenſuris in eos detonantes, qui manus in emendationem religionis & ſacræ diſciplinæ injicere volunt: Non opus eſt ut externa, & res Galliæ ſuperiore ſeculo per factiones & in turbis actas hic tædioſe repetamus: in ipſa noſtra patria tantæ tyrannidis luctuoſa extant veſtigia, quæ optimam Caroli V. intentionem in negotio corruptæ religionis tractando haud parum remorata eſt: Teſtes in id locupletes ſunt Pauli III. Pontificis literæ, quas inaudito faſtu & audacia

ad

ad maximum hunc Imperatorem dedit, in Germania id agentem, ut per colloquia, conventus imperiales & legitimum Concilium exortam paulo ante in religione ſciſſuram, cui ipſa Romana Curia impudentiſſimis ſuis indulgentiis ingenti noſtro bono occaſionem dedit, tolleret, & ad concordiam & Eccleſiæ unitatem reduceret ſuos cives: Summa in id omnium bonorum erat conſenſio, ſibi invicem magnificè gratulantium ex ſervitute ſe aliquando eſſe in libertatem vocandos: Sola Romana Curia & ejus ſequaces, quorum delitiæ ſunt plebem ſuperſtitionibus dementiri, * ut ipſi interim delicatius vivant, injurioſe reſtiterunt, omnia prius tentare certi, quàm ut aliorum ſalutem ſuas miſerias facerent. Itaque Pontifex, cui tanquam capiti primas dant, ſuperbiſſimas literas ad Carolum exaravit, quas integras apud (*a*) Wolffium videre eſt: in his cum *ſupremam* ſibi per *divina & humana jura approbante tot ſeculorum conſenſu cùm cogendi concilii, tum ſtatuendi de his & ordinandi, quæ ad Eccleſiæ unitatem utilitatemq́; ſpectant, auctoritatem* ſumpſiſſet, increpito obliquè Carolo quod *de concilio generali, tanquam de remedio omnium oportuniſſimo afflictis Eccleſiæ rebus & ipſius Germaniæ mentionem fecerit, vel de nationali vel de futuro, ad proximum omnium autumnum imperiali conventu, in quo de religione, cæteriſq́; rebus, quæ ad illam pertinent, tractare promittit*, mox majore inſolentia Imperatoris ſalutare conſilium peſſima prævaricatione comparat *facto Uſæ, arcæ ruinam mini-*

E a *tanti*

(*a*) Tom. 2. lect. memor. p. 539.

tanti manum admoventis; ſeditioni Core, Datam & Abiram adverſus Moſen & Aaronem; temeritati Uſiæ incenſum in altari adolentis: addita abſurdiſſima hac applicatione; *an non putas*, inquit, *hoc incenſum eſſe coram Deo leges de religione ſancire: eſt quidem incenſum, idq́ omnium Deo gratiſſimum: ſed non eſt tuum munus illud, Imperator; eſt Sacerdotum Domini; eſt noſtrum imprimis, quibus Deus poteſtatem ligandi & ſolvendi dedit. Nec te excuſat, quod ſanctum ſit factum, vel quod non perpetuum ſed ad tempus, hoc eſt, usque adfuturum Concilium duraturas leges laturum te eſſe dicas: Ut enim id per ſe pium ſit, tamen in eo, cui Deus hoc miniſterium non dedit, maxime eſt impium: Sumis enim tibi jam perſonam, quæ propria eſt Dei, cui ſolum de Sacerdotibus judicium relinquitur, quam ne ad tempus quidem cuiquam ſumere licet*: & paulò poſt. *Si pluribus disſuaſimus, ne in diſceptatione ſuper his, quæ ad religionem pertinent, componenda, jus tibi vel autoritatem ſumeres, non ob id ſcripſimus, quod diſceptationes componi non maxime optaremus: Sed ut exemplis tum ex divina ſcriptura, tum ex Eccleſiaſticis hiſtoricis citatis te admoneremus, ne, quod ad tuum miniſterium non pertinet, ipſe tibi non arrogares, & pro tua & imperatoria dignitate juberes.* Item: *Quod præfers ſtudium & deſiderium, ut componantur controverſiæ in religione, & ut aliqua diſciplina morum in univerſa Eccleſia renovetur, te in hoc quidem magnopere laudamus, & abs te petimus, ut in hoc operam tuam præbeas,*

ceu

ſeu cui Deus curam hujus miniſterii commiſit: Ut enim te tanquam caput in rebus hujusmodi tractandis minime ferendum cenſemus : ita tanquam brachii accommodatiſſimi tuam imprimis opem deſideramus. Indignum, me Hercules, ſummo Imperatore hoc munus, qui dum brachii vicem ſubit, à capite Pontifice movendi, in religionis ſane negotio mobile alienis nervis lignum & cadaver ſine ſpiritu fit. Quis ferat hanc æquo animo Præſulum iſtorum ambitionem & ſuperbiam? qui dum majeſtatem ſuam & potentiam non niſi Imperatorum liberalitati acceptam ferre poſſunt, (Petrus enim Apoſtolus, quem ſuum Patronum faciunt, non aurum, non argentum habuit) eosdem nunc infra ſe tam indignè deſpiciunt, & velo religionis ita faſcinant, ut ſentientes etiam facile decipiantur: Pene omiſeram literarum iſtarum finem, quo, quantum Paulus III. Imperatori circa religionem tribuat, apertius declaravit. *Obtemperabis*, inquit, *Dei*, (i e. Pontificis : nam in ſacris literis hæc doctrina hoſpes eſt: imò ferè hæreſis) *monitis, ſi ita animum inducas, nullum ut in iis quæ ad religionem pertinent, tibi jus & auctoritatem vendices. Si divinam inſtitutionem & Eccleſiæ* (Romanæ) *conſuetudinem ſequens ab ipſis conventibus imperialibus, à quibus abſunt, qui autoritatem de ejusmodi rebus cognoſcendi habent, omnes de Sacerdotibus ac religione diſputationes prorſus excludas, & ad eorum proprium tribunal rejicias; ſi de bonis Eccleſiaſticis nihil ſtatuas.* Hactenus Pontificiæ literæ, quibus ingens examen Theologorum adjungere

E 3 poſſe-

poſſemus, ſi opus foret, & ipſi ſibi potius gloriæ non ducerent, in hoc negotio quàm calumnioſiſſimè de Imperatoris poteſtate loqui. Egit hoc Bellarminus toto de Pontifice Romano libro; & ego tum lectoris patientia, tum meo inſtituto abuterer, ſi hic citra cauſam in probationibus conficiendis, ubi rei ingenua confeſſione ſuperbiunt, diutiùs hærere vellem: Saltem (*a*) Petrum à Soto audiamus, docentem: *Si Princeps conatur definire dubia de religione*, tum meritò audit: *Vade poſt me Sathan: Scandalum mihi es.* Et (*b*) Bellarminum: *Tenentur Chriſtiani Principes*, ajentem, *non permittere ſuis ſubditis libertatem credendi, ſed dare operam, ut ea fides ſervetur, quam Epiſcopi Catholici, & præcipue Summus Pontifex docet eſſe tenendam.* Denique (*c*) Cenſ. Colon. *illud eſt certum* (ſcilicet ut illud, Pontifici in omnia cœleſtia & terrena abſolutum imperium divinitus datum) *alienum eſſe à Principe Rempublicam adminiſtrante definire dubia circa fidem, ſed hoc relegandum ad ſolos Sacerdotes: Deinde hoc tantum eſſe officium Magiſtratus, quoad religionis negotium, ut in eos, quos Pontifices pœna percellendos putant, animadvertat: imò etiamſi Magiſtratus animadvertat, quoſdam errores & abuſus in Eccleſiaſticis irrepſiſſe, non tamen licet illi reformationem inſtituere, ſed Sacerdotes benignè admoneantur, quod ſi admonitionibus nihil proficitur, ſummus eſt aliquis in Eccleſia Præſul, ei deferendum eſt id negotii.* Quid verò,

(*a*) In Aſſert. Cathol. (*b*) De laicis lib. 3. c. 18. (*c*) Ann. 1560. edit. art. 12.

verò, Boni cenſores, auxilii, ſi hic Præſul, ut exempla ſunt infinita, ipſe pejor & crudelior fuerit ſuis Sacerdotibus? Ad quem deinde ibitur? An ſubjicienda ſunt colla miſerorum Chriſtianorum impotenti jugo, quod nec legitimum eſt, nec à Deo cervicibus noſtris impoſitum? Reſpiciant ſe aliquando Reges & Principes, quàm expediat eis injurias iſtas pati, ſæpius in Reipublicæ & propriam illorum peſtem exeuntes.

§. 15. Sed ne invidiâ potius aut lachrymis pugnaſſe videamur, quam rationibus, trahendi ſunt in lucem adverſarii, & arma eorum exploranda, in quibus tantæ victoriæ ſpem habent. Infeliciter trahunt in argumentum Uſæ & Uſiæ exempla, quorum ille, dum ruituram arcam ſuſtinet, (a) morte luit: hic adolendo Thymiama (b) lepra eſt percuſſus. Actus enim hi miniſteriales ſolis Sacerdotibus & Levitis proprii longiſſimè diſtant ab imperii actibus, circa religionis negotium occupatis: nihil imperii, nihil poteſtatis ſapit, incenſum adolere, (c) quod non niſi Sacerdotibus licuit; aut fœderis arcam portare humeris, ut (d) Levitis datum. Itaque cùm Pontifex cum ſuo Clero Venerabile circumfert, cum Miſſam celebrat: rectè manum de tabula Principes: Verum ſacrorum curam ſuſcipere, religionem ordinare, collapſum cultum reſtituere, Sacerdotes in officio continere, bonos pios & eruditos viros ad Miniſterium promovere: Avaros, ſuperbos, hypocritas, ſeditioſos, removere ab officio, hoc non eſt adolere thymiama, nec

(a) 2. Sam. 6, 6. 1. Paralip. 13, 10. (b) 2. Reg. 15, 5. 2. Paralip. 26, 18. (c) Num. 16, 4. (d) Num. 4, 15.

arcam tangere. Sed ſcrupulum fortaſſe movet Paulus III. in Epiſtola ad Carolum V. §. præcedente recitatâ, ubi eſſe incenſum coram Deo, ait, leges de religione ſancire? Certè incenſum dici poteſt, non tamen tale, à quo Reges arcebantur, nec quod unis Sacerdotibus incendere licuit: & tu maxime Pontifex annon incenſum coram Deo pùtas preces pias pœnitente & contrito pectore effundere? pauperibus ad ſuſtentationem opes erogare? Quid ſuavius enim Deo olet, hoc ipſo incenſo? Et ut te magis urgeam, ubi de re tua agitur, num incenſum eſt, Sacrum ordinem, imprimis verò Romanam Eccleſiam immenſis ditare divitiis, cœcâ ſuperſtitione colere, Pontificem ut Vicarium Dei adorare, omnem Clerum in ſummo honore habere, monaſteria ſplendidiſſima extruere, eadem ornare imaginibus, picturis, vaſis aureis, argenteisque? Ah ſuaviſſimum, inquis, odorem, ex hoc incenſo ad divinas nares penetraturum! Ah nidorem, pinguiſſimis arietum abdominibus, imò thure & omnibus aromatibus nobiliorem! Quid ais verò, ſacrilegium eſt, hæc omnia facere: *Eſt quidem incenſum, idq; omnium Deo gratiſſimum, ſed non eſt noſtrum munus illud, eſt Sacerdotum Domini.* Non, non, abſit, reclamas; de legibus dixeram: Enimvero, bone Pater, ſi non omnia incenſa Laicis prohibita ſunt, de legibus te ſecurum eſſe jubemus, quæ ad Eccleſiaſticum Statum ordinandum feruntur: prodeunt enim ex imperio, quod Principes habent, & proinde incenſum ſunt, ad quod Laici etiam admittuntur: Eadem ratione licet Regibus manum admovere

arcæ, licet illam humeris portare, id eſt, veram religionem inſtituere, conſervare, defendere: quamvis nemo præter Levitas materialem poterat arcam ferre. Si exemplis agere placet, cur non potius adverſarii noſtri Davidem in ſcenam producunt, officia Levitarum per certos ordines diſtribuentem? Cur non Salomonem, exauctorantem Abiatherem, multò levius res turbantem, quàm interdum Pontifices Gregorii, Innocentii, Alexandri, Paſchales, alii fecerunt? Cur non Aſam, Joſaphatum, Ezechiam, Joſiam, ſubvertentes aras, lucos, & excelſa: leges piiſſimas de vero Dei cultu ferentes; altaria Domini reſtituentes: Conſtituentes Levitas & Sacerdotes, Paſchatos celebrationem mandantes: Librum legis forte repertum auctoritate ſua publicantes, & denique nihil omnino reliqui facientes, quo vera religio à ſuperſtitioſis nævis vindicata ad antiquos ritus à Deo præceptos ac ingenuam ſanctimoniam reduceretur? Hæc omnia altiſſimo ſilentio Pontificii cautè prætereunt, parum ipſis ſua luce profutura: delinientes interea os ſimpliciorum uno aut alio exemplo, quod vel obſcuritate vel ambiguo ſenſu facillimè imponit.

§. 16. Nec paulò acutius eſt alterum telum eorum, qui magno apparatu probant, Eccleſiarum Paſtores non eſſe *vicarios ſummarum poteſtatum:* quid enim exinde? ergo non ſubjecti civili imperio? Quamobrem vero? cùm nec medicus nec ſutor, nec aurifex Vicarii Principis ſint, quos eadem ratione ejus jurisdictioni eximerem. Differunt immane quantum *imperium, & functio cui imperatur.* Nam illius eſt:

non imperata facere, ſed imperando facere ut fiant: Hujus verò: *facere id, quod eſt imperatū:* quemadmodum non eſt Architecti, ut nos rectiſſimè Ariſtoteles docet, manum operi admovere, quod ad operarios ſpectat: ſed ſaltem ſecundū rectam rationem unicuiq; præſcribere, quæ ab operariis facienda ſunt. Ita poteſt Princeps alicui in Civitate opus faciendum imperare, etiam tale, quod natura ſua & muneris emanatione non ſubjacet imperio, ſed diſciplinam & notitiam, imò agendi facultatem plane aliunde habet: ſicut dum imperat Cantori, ut canat, non eſt Cantor Vicarius Principis, nec habet notitiam canendi ex imperio: cogitur interim à Principe etiam quandoque invitus cantare: quemadmodum & ipſi inhiberi poteſt, ne canat, licet canendi facultatem omni tempore habeat. Quod ut plenius intelligatur, ſciendum eſt, functiones omnes quæ ſub imperio ſunt poſitæ, duorum eſſe generum: Alia enim ſubjacent & naturâ & Ordine, ut effecta à ſuis cauſis perpetuo emanantia: Sicut in naturalibus ſoli ſubjacent radii; in artificiis Architecto munus ἐργοδιωκτῶν: in civilibus, quæ imperium aut juriſdictionem continent, ut officium Præſidis, Prætura, Conſulatus, & quicunque alius Magiſtratus: ac de his functionibus verum eſt, eſſe Vicarios Superioris, qui illis defungi ſolent. Alia ſubjacent tantum ordine; ſicut cœleſtibus terreſtria: Architecto itidem munus fabri lignarii, ferrarii, cæmentarii: & tandem in civitate functio medica, Philoſophia, Muſica, agricultura, mercatura, & omnes omnino manuariæ artes: Hæc omnia ſcientiam & agendi

gendi facultatem non ab imperio habent; imperari illis tamen poteſt, tum ut aliquid faciant, tum ut ordine certo faciant: quemadmodum Respubl. ſingulis tribubus leges & inſtituta dat, verbi gratia, Medicorum numerum in Civitate determinat; Cantoribus ſingulis tum canendi partes ſuas addicit, tum quid canendum ſit, jubet: Mercatoribus pretia in res venales conſtituit, alias vendi emique omnino prohibet; agricolis dividit agrum, & derelicta occupari permittit; artificum denique cuique ordini ita pro imperio proſpicit, ut quisque nullo negotio intelligere queat, quid ipſi agendum ſit, & quid agi prohibitum. Ad harum rerum ſolo ordine ſubjectarum exemplum ſubſunt etiam imperio civili ſacræ functiones, quibus ἰυζίας externæ, itemque circumſtantiarum, loci ac temporis indefiniti ratione per certam & ſpecificam determinationem imperatur. Andabatarum itaque more in arena exerrant, qui paſtorale munus non ſummas poteſtates, ſed Chriſtum inſtituiſſe dicunt, ab eodemque functionis ſuæ regulas, quantum quidem ad ipſam muneris ſubſtantiam attinet, accepiſſe: non enim hic quæritur de origine muneris, cauſa, & neceſſariis ejusdem ac perpetuis functionum regulis; ſed de ſubjiciendi tantum modo. Ut hoc univerſum, quod mundum vocamus, res omnes certo ordine diſpoſitas ſibique invicem ſubordinatas continet, quæ tamen origine & cauſa aliæ ab aliis non ſemper dependent: ut terra & aqua ſubſunt aëri, à quo potentias ſuas & naturales qualitates non accipiunt: ita in Civitate etiam, cujus forma nihil aliud eſt quàm ordo

ordo publicus, ordinis ratio à ratione originis longiſſimè ſemper diſtat. Patria & maritalis poteſtas ſine dubio à ſolo Deo per modum cauſandi eſt, quæ ſummis tamen poteſtatibus in Republica plenè ſubjicitur, quamvis antiquior ipſo civili imperio: idem judicium de medica arte formare licet, quæ regulas muneris exequendi à natura & experientia habet, & nihilominus cum ſuis cultoribus ſubeſt in Civitate imperantium ordini: atque hoc in univerſum eſt veriſſimum, non eſſe de ratione ordinis originis ſeriem. Quod verò porrò objiciunt, Paſtores non teneri parere ſummis poteſtatibus, quæ aut jubent à Deo vetita, aut juſſa prohibent, quid in eo ſingulare eſt? Nam cuivis privato tantundem eſt juris non in ſacris modo, ſed omnibus aliis rebus. Judex, qui jurisdictionem ſuam à Principe habet, rectè ſpernit ejus imperium, innocentem condemnare & nocentem abſolvere juſſus: nam ne quidem hoc juberi poteſt imperii vi, quod ad impia aut injuſta non extenditur. A Deo poteſtatem imperans habet, à quo nihil procedit, niſi quod bonum eſt: quod ſi illo ad injurias & vim abutitur, egreditur terminos mandati ſui, & deficiente imperio ſubditus ab obſequio liber eſt: Deficit verò imperium continuo, cum imperatur aliquid faciendum, quod Deus fieri prohibuit; aut quod fieri voluit, inhibetur ne fiat: ut pugnantibus Imperatoris & Præſidis mandatis provinciales hoc relicto illud attendunt, ita Deo magis quàm hominibus parendum eſt, ubi contraria ſunt imperia. Sollicitè tamen cavendum, ne confundantur, quòd fieri plerunque ſolet, agendorum

ratio-

rationes cum neceſſitate patiendi iniqua aut mala. Quæ Deus aut juſſit, aut vetuit, aliter agere non paſtori licet, non judici, non privato, ne quidem ex Principis juſſu: ſed damna & ſupplicia ob non præſtitum obſequium, ſubditis à Tyranno illata & licet ferre, & oportet, ne imperium à Deo conceſſum etiam in malo Principe lædatur: nec diſcrimen inter ſacra & profana facimus, quia utrobique laudabile eſt patientiæ exercitium: non inter hæreticum Principem & paganum, quod hodiè Pontificii faciunt: quoniam & utrumq; idem imperium, quod omnem reſiſtendi facultatem excludit, ſecurum reddit: & utriusque ſubditos eadem patiendi neceſſitas ex conditione perſonæ ſubjectæ orta obligat ad iniquitates ſubeundas, quibus non morale malum patientibus infligitur, ſed pœnale, quod cives etiam per vim injuſtam, imò actionem palàm tyrannicam illatum recipere tenentur, vindicta injuriarum Deo commendata, qui ſibi ſoli in Vicarios ſuos judicium reſervavit.

§. 17. Quæ de periculo confuſionis Eccleſiaſtici & politici muneris afferunt, intempeſtivá ſunt & abſurda: Sicut enim non confunditur in civitate juris dicundi poteſtas, quæ Magiſtratui competit, cum illa Ducis exercitus, quæ in bello gerendo occupata eſt, eò, quod utræque ſummo imperio comprehendantur: ita etiam diſtincta manet Eccleſiaſtica functio à civili, licet ambobus imperari per Principem poſſit: nam neque exinde confuſio aliqua metuenda, quod Deus tam in ſacris quam profanis abſolute regnat: aut quod Pontifex, ut καθ' ἄνθρωπον diſputem, vi ſpiritua-

ritualis poteſtatis in omnia cœleſtia & terreſtria ſibi jus & plenum arbitrium ſumit. Ex quibus ſimul lux affunditur alii dubio, quod movent, ideo Magiſtratui politico non licere adminiſtrare jura Epiſcopalia: quoniam vice verſa nec Epiſcopis jura politica adminiſtrare licet. Hic reponimus, ſi Magiſtratum proprie ſumunt & ex Reipublicæ Romanæ ſenſu, quo ille notatur, qui ordinariam poteſtatem habet, non ſummam, ſed dependentem, non adeo eſt, quod impugnemus argumentum, quoniam ad civilem ordinem conſervandum omnino neceſſe eſt, ut diligenter cuſtodiantur limites cujusque muneris, ne his ſemel turbatis tota civitas in ſuis actionibus confuſis & incertis vicibus impediatur: ita quondam in Romano Imperio non licuit Conſuli ex libris Sibyllinis reſpondere, nec Pontifici aut Sacrorum Regi jus dicere: At vero quando Magiſtratum pro eo accipiunt, apud quem ſummum eſt civitatis imperium, huic plus licere, quàm Epiſcopis, qui ab eodem conceſſa poteſtate utuntur, quis ſanus negaverit? Deinde jurium Epiſcopalium diverſa genera ſunt: Alia enim à Deo immediatè ex Sacræ Scripturæ norma Epiſcopis competunt, ut verbi divini prædicatio, adminiſtratio Sacramentorum, tum uſus legitimus clavis ligantis & ſolventis, in quæ imperium civile ſibi nihil juris arrogat, niſi quatenus abuſui obſtat, & quæ per ſe facienda ſunt, ſuis præceptis ac tutela promovet. Alia propius poteſtati accedunt, & ad conſervationem potius divini cultus, quàm ejus actuale exercitium ſolis Sacerdotibus proprium, pertinent, ut eſt convocatio

Syno-

Synodorum ; Eccleſiarum viſitatio, hæretico-rum coercitio, & cætera, quæ & Sacer Codex,& civiles rationes , & probatiſſima exempla ſummis poteſtatibus vindicant, ut hic ſolos Pontificios, domeſticos teſtes, & rem ſui Præſulis apertè agentes morari neceſſe non ſit. Sufficiat nobis nunc notaſſe , longe aliud eſſe adminiſtrare munus & curare , ut eo ritè illi defungantur, quos decet. Nam conceſſum eſt Imperantibus cogere ſubditos ſuos ad officium maritale in ſua domo cum fide & amore conjugali obeundum, quibus tamen eorum vices in ipſo opere ſubire fas non eſt : & quondam Romæ in miraculorum perplexa expiatione Senatus libros Sibyllinos conſuli mandavit , quamvis ex illis reſpondere nemo præter Sacerdotes potuerit.

§. 18. Sunt alii, qui neſcio quo armorum genere Magiſtratum politicum non eſſe de eſſentia Eccleſiæ affirmant : nam quid hæc aſſertio momenti ad victoriam conferat ignoro : non eſſe de eſſentia Eccleſiæ cum tenebrarum pleniſſima ſit locutio, lucem odiſſe videntur, qui tam obſcurè loqui ſolent. Plerique ita explicant, Eccleſiam eſſe poſſe, etiamſi poteſtas nulla ſumma ſit, aut Eccleſiæ minus amica. Sed non video, quid inde colligi velint. Quod ſi enim omne id, de cujus eſſentia poteſtas non eſt, id eſt , quod ſine poteſtate eſſe poteſt, ſubjici poteſtati nequit, jam nec agricola, nec mercator, nec medicus, nec quilibet privatorum imperium agnoſcet, quod de ejus eſſentia non eſt : id quàm abſurdum vel cogitatu ſit, nemo non perſpicit. Si genuinum verborum ſenſum retinemus, invertenda potius

eſt

eſt adverſariorum mens, ut de cujuscunque eſſentia ſit ſumma poteſtas, illud in ordine civili imperare debeat, non parere: ita ſane ad imperantis eſſentiam, qua imperans eſt, ſumma poteſtas requiritur: ſine hac enim Princeps ne quidem per ſomnium concipi poteſt: qui tamen non ſubjicitur, ſed alios ſibi ſubjectos habet.

§. 19. Haud longè abit ab hac ſententia illud Pontificiorum polythrylleton, *Imperatorem eſſe intra Eccleſiam, non ſupra eam:* id quod veriſſimum eſt, de univerſali & Catholica Eccleſia conceptum. Sed hoc modo nullos adverſarios habent: neque enim nos tam ſtupidi ſumus, qui cujusvis Principis poteſtatem in Catholicam totius orbis Eccleſiam per omnes Chriſtianas Reſpublicas diffuſam extendere velimus, cum haud quaquam nos lateat, omne imperium civile ſuæ civitatis finibus terminari. De aſpectabili unius Reipublicæ Eccleſia cautè accipi enunciatum debet, ne imperii ſuperioritas exinde detrimentum capiat. Princeps eſt quidem etiam intra Eccleſiam ſui regni particularem, quá fidele ejus membrum eſt, quæ deinde Catholicæ partem aliquam integrantem conſtituit: Eſt verò etiam alio ſenſu ſupra Eccleſiam, quam ſumma poteſtate regit ac tuetur: Quid enim aliud eſt Eccleſia viſibilis quàm cœtus fidelium, ſuper quos Regem conſtitui (*a*) ſacræ literæ teſtes ſunt, quæ Saulum, Davidem, Salomonem, *ſuper omnem Iſraelem*, *ſuper populum Dei*, *ſuper hæreditatem Domini* Reges creatos ajunt? In novo fœdere paſſim Apoſtoli Chri-

(*a*) 1. Sam. 8. & 19. &c.

Chriſtianam Eccleſiam de obſequio & ſubje-ctione ſuperioribus debitâ docent, ut Paulus Romanam & Cretenſem : Petrus Ponti, Galatiæ & aliorum locorum : quare ut nihil Imperatoris majeſtati officit in equeſtri aurei Velleris ordine & commilitio eſſe : ita etiam nec eſſe intra Eccleſiam : nam non eo modo, quo imperat, aut ordinis aut Eccleſiæ membrum eſt : ſed diverſo : illius ſocietatis æqualis jure ; hujus vero fidei unione : & ut apertius dicam, Imperator, qua eſt miles aut Chriſtianus, intra ordinem equeſtrem aut Eccleſiam particularem etiam ſui imperii eſt : quà verò Princeps ſive imperans ſupra utramque : quamvis non extra : plus enim hoc dicit, quam illud : qua eadem conceptus diverſitate Rex omnis, qui verè Rex eſt, & intra civitatem ſuam eſſe dici poteſt, dum civitas nimirum pro toto imperantium & parentium complexu ſumitur : & ſupra eam : quatenus iſta voce ſolus ſubditorum ordo venit, ut abſtrahit ab imperio.

§. 20. Nonnulli aliud argumentum contra imperii jus opponunt, idque eorum judicio validiſſimum, quod nimirum ſacra functio circa ipſos etiam Reges verſetur, non tantum in generali, Evangelii prædicatione : ſed & ſingulari clavium miniſterii applicatione, quaſi abſurdum fuerit Regibus ſubeſſe Paſtores, qui illis aut ſalutari clave cœlum reſerare poſſunt : aut pœnali occludere. Sed in hac quoque acie exempla detegent inſidias. Nam quotaquæque functio in civitate eſt, quæ non circa Regem occupatur ? Agricolæ, mercatores, artifices, coqui, ſartores imo omnes ſubditi ſunt, quorum opera Rex in-

 diget

diget : Hunc Medicus eadem arte , qua viliſſimum ex plebe ſanat, & urit interdum, ſecatque, ſi ita res poſcat. Conſiliarii etiam, Jure Conſulti & Philoſophi Principem ſuis conſiliis, legibus, præceptis inſtruunt, docent, regunt, ut hic Paſtores nihil peculiare habeant, ne id quidem, quod de Clavium poteſtate dicitur. Nam illa uti debent non ad arbitrium & libidinem , feriendo bonos, & malos ſolvendo : multo minus ipſimet veram poteſtatem ſolvendi & ligandi ita poſſident, ut Deo neceſſe ſit ſequi illorum judicium , & in cœlo demum illud pro deplorato ac ſpurio habere, quod in terris homunciones, ſæpius cœcis cupiditatibus in transverſum abrepti, cenſura perſtringunt : aut recipere in gratiam, quibus iidem pretio interdum corrupti cœlum promittunt. Abſit hæc nefanda de Deo cogitare : Sed in uſu clavium Paſtores meri miniſtri ſunt, declarantes impœnitentem hominem à divina gratia jam excidiſſe , * non eum pro imperio excludentes, ut absque eorum venia non integrum Deo ſit deperditum filium, ſeque jam reſpicientem in domum recipere : itemque ex adverſo reſipiſcentes, & ſpecimen ſuæ converſionis per idonea ſigna exhibentes pronunciant in Dei gratiam quaſi poſtliminio receptos : non mandant Deo, ut nolens volens eos recipiat: *Quanquam ligatio in cœlis* , ait quidam Theologus , *in præſenti loco, tanquam ad ligationem in terris acceſſura poſterius ponatur, non tamen ſubordinationem cœleſtis ligaminis , ad terreſtre, ſed identitatem eventus, ſignificat, ac demonſtrationem à poſteriori : quorum peccata*

reten-

retenta ſunt in terris, in cælo retinebuntur: i. e. ex retentione terreſtri retentio cæleſtis patefiet, alioqui Deus foret Judex pedaneus, qui hominum ſuffragiis ſubſcribere teneretur. Væ nobis, ſi noſtra ſalus ex judicio humano penderet, quod affectibus deterrimis obnoxium bonis damno eſſe poſſet, & malis ſolatio. Quantis contentionum æſtibus circa finem ſuperioris ſeculi Heinrici IV. Galliarum Regis cauſa in Romana curia agitata eſt! Ex una parte omnis Gallia abſolutionem à Pontifice pro Rege ſuo jam in gremium Eccleſiæ Romanæ recepto petiit: Ex altera Hiſpani totis viribus connixi benedictionem illam ingeſtis ſubinde ſuſpicionibus, intentato metu, & maximorum præmiorum ſpe facta impediebant. Pontifex qui arbiter inter utrosq; ſedebere debuit, palam Hiſpanorum & Unionis fautor deprehenſus eſt, præfractè negata Regi abſolutione, quamvis illam per Nivernium proſtrato in humum corpore & oblata promptiſſimè obedientia, penè infra dignitatem ſuam demiſſe petiiſſet. Quodſi itaque ob corruptum auro, metu, promiſſis Papam nec Deo licuit pœnitenti ignoſcere, quis de ſalute tandem ſua certus eſſe poterit, quæ ex arbitrio perditiſſimi nonnunquam & privatis affectibus obnoxii Præſulis pendet, non ex divina gratia per fidem apprehenſa? Apex hæc eſſet poteſtas ſæviſſimæ tyrannidis, in totius humani generis perniciem exundaturæ, imò ipſum Chriſti meritum ſufflaminaturæ, quòd ſine Paſtorum, & imprimis Pontificis venali gratia non pœnitenti, non fideli quicquam profuerit. Quamobrem clavium poteſtas

ſtas non regia eſt, ſed miniſterialis judicii divini conſequens & declarativa, ut quod in terris ſpeciali & determinata ad ſingulos applicatione ligat, id jam in cœlo ligatum ſit, non denuo ligandum: & quod ſolvit, ibidem ſit ſolutum, non ſolvendum. Sicut Præco, qui ex præcepto Principis ſeditioſis ſubditis, cum reſipuerint, veniam delictorum pollicetur, non ipſe auctor gratiæ fit, ſed jam factam denunciat: Ita Paſtores quoque cœleſtis gratiæ & iræ angeli per externum præconium, illam pœnitentibus inſinuant: hanc contumacibus: qua in re profecto nihil eſt, quòd eos poſſit ab imperio civili eximere. Ut medicus, qui ægroto Principi ab externis morbi ſignis vel ſalutem prædicit, vel peſtem: ut Conſiliarius, qui ex Reipublicæ habitu & actionibus judicium format, infra Regem ſunt: ita Paſtores etiam ex vita & moribus hominum de ſtatu illorum vel ſalutari vel rejecto pronunciantes.

§. 21. Cohærent cum his, & lucem inde aliquo modo accipiunt, quæ de regimine Paſtorum ex ſacris literis ad elidendum civile imperium congeruntur. Ita nimirum Presbyteri ſunt (*a*) *προεστῶτες*, (*b*) *προιστάμενοι*; dicuntur (*c*) *ποιμαίνειν* (*d*) *ἡγεῖσθαι*, quibus populus jubetur *πείθεσθαι* & *ὑπείκειν*: unde colligunt, ſi Paſtoris officium eſt, fidelibus præeſſe, eosdem ducere, regere, paſcere, inter quos tamen non minùs ipſi Reges quam privati ſunt, ſequi, ſummis poteſtatibus non eſſe imperium in Paſtores, quoniam

(*a*) 1. Tim. 5, 17. (*b*) 1. Theſſal. 5, 12. (*c*) Actor. 20, 28. (*d*) ad Hebr. 13, 17, & 7.

niam quis uno eodemque tempore nequit regere & regi, ob repugnantiam imperii & obſequii, quæ nunquam idem ſubjectum afficiunt. Quoniam manifeſta hîc in ambigua regiminis voce captura latet, evolvenda ſunt diverſa regiminum genera, ne nominum ſimilitudo in re diverſiſſima nobis præjudicio ſit. Omne regimen tale eſt, quo poſito vel relinquitur in eo, quem regit, juris & actionis libertas: vel tollitur. Priori modo illi regere dicuntur, qui in rebus non adeo neceſſariis conſilium dant, quod vel ſequi poſſumus, vel citra culpam relinquere: ut quando conſiliarius Principi ſuadet, ut limitem in pace muniat, fortalitium extruat. Cum Advocatus clienti, ut ex duabus actionibus, quæ in una cauſa concurrunt, meliorem eligat: cum Medicus ægroto, ut botanicis potius medicamentis utatur ex Galeni præcepto, quam mineralibus. Poſterius regimen, quo dato tollitur libertas agendi, iterum eſt duplex, vel declarativum, vel conſtitutivum. Illud non propriè obligat, ſed obligationi occaſionem dat, dum notitiam agendorum ei, qui regitur, ita imprimit, ut, niſi ſibi ipſi deeſſe velit, & contra conſcientiam propriam agere, parere teneatur, non imperio ſuperioris obſtrictus, ſed boni viri officio, quod citra peccatum negligi nequit: in hoc itaque regimine ex re ipſa, id eſt, objecto naſcitur obligatio, non à principio extrinſeco. Ita regit Medicus ægrotum oſtendendo, quid ipſi letale ſit & peſtiferum: itemque ſuggerendo, quid ad conſervandam ſanitatem aut recuperandam neceſſarium. Sic Jureconſultus regit Principem

jus dictando, quod dici oportet. Ita etiam morum Doctores civilem vitam inſtruunt, honeſta præcipiendo, & vetando turpia. Nam utcunque per ignorantiam factum culpâ carere poſſit, quam primum tamen aliquis meliora doctus eſt, notitiâ de rei bonitate & malitiâ ex ſe obligationem parit vel ad agendum, quod bonum eſt, vel ad cavendum malum. Continuo cum ægrotus à Medico rationem comperit reſtituendæ ſanitatis, ex naturæ lege, quin re ipſa obligatur idonea adhibere remedia, quibus illam parare valeat: & quicunque virtutem per alium præceptorem agnoſcit, eam ſequi debet, quemadmodum etiam Rex Conſiliario ſuo auſcultare, qui quid utile Reipublicæ, quid item noxium, declarat, vel quæ ſententia ſit in judicio ad juſti ac æqui normam ferenda. Regimen Conſtitutivum iterum eſt vel ex conſenſu, vel vi imperii. Illius obligatio ex jure naturæ eſt, quod pacta conventa ſervare jubet: atque hoc regimen ***non ſolum in inferiorem eſſe poteſt***, ut toto in partes: errat enim Grotius, qui partem minorem in actu quodam ſpeciali non determinativè conſentientem magis ex naturæ lege, quæ vult partem omnem, qua pars eſt, ordinari ad bonum totius, quam conſenſu obligari ait. Sufficit enim hic ad producendam obligationem generalis omnium in ſocietatem primò coeuntium conſenſus, tacitus etiam, & ex ipſa expediendorum negotiorum ratione deſumptus, ſi expreſſus non ſit, quo ſinguli ſe partis majoris judicio ſtaturos promiſiſſe creduntur, cui deinceps per diſſenſum unius alteriusve non licet amplius derogare, quoniam

niam majoris partis jus, quod ad obligandum minorem partem ex omnium voluntate ſaltem præſumpta habet (aliàs enim ſocietatis res exitum vix habere poſſent, ſi quod pluribus placuit, ea paucis reſcindere fas ſit) trahit continuo minorem partem etiam diſſentientem ad ſe, & prior obligatio abſorbet omnem diſſenſum, qui contra fidem datam intempeſtivè interponitur. Ut nunc taceam non adeo certum eſſe, naturaliter partem regi à toto, quam Politicorum ferè receptam ſententiam egregiis rationibus Dn. (*a*) Hornius impugnavit. *Sed & parem*, in quem pari coactio datur, quicquid Zieglerus ſentiat, cui (*b*) alibi ſatisfecimus: ita creditor regit debitorem, quem ex pacto obligatum habet, ut aut ſolvat quod debet, aut uſuras communes ad crediti proportionem præſtet: ita Respublica Rempublicam, quæ ipſi vel conventione aliqua vel ex delicto tenetur: nam & in delictis noxiorum tacitus conſenſus præſumitur ad ſe obligandum vel ad pœnam vel reparationem. *Imò ſuperiorem*: cujus ſtatui non repugnat ex conſenſu obligari & regi, citra tamen coactionem. Tandem regimen conſtitutivum vi imperii illud eſt, quod obligationem ex intrinſeca & eſſentiali ſuæ ſupereminentiæ ratione citra ullum regendorum aut conſenſum præſtitum, aut aſſenſum neceſſarium producit, cum coactione ſemper conjunctum. Hoc regimen proprio ſuo & domeſtico nomine imperium ſeu poteſtas audit, quod iterum in civile dividitur & id quod minus eſt

 civili.

(*a*) De Civitat. lib. 2. c. 1. §. 18.
(*b*) Obſerv. ad H. Grot. l. 1. c. 3. §. 17. p. 243.

civili. Civile regimen vel ſummum eſt, & vocatur majeſtas: vel ſub ſummo, quale eſt imperium Præſidis, Conſulis, Prætoris, &c. Minus civili eſt regimen Patrisfamilias in uxorem, filios, ſervos: unde poteſtas maritalis, patria, herilis. Quibus ita præmiſſis, ad Paſtores veniamus exploraturi, quale ipſis regimen competat: & primo quidem conſtitutivum ex vi imperii, illis non (*a*) Chriſtus ſolum eripit, Apoſtolis ſuis aliam vivendi rationem præſcribens, quam Reges & Principes gentium, quibus dominantur, inſiſtunt. Sed & (*b*) Petrus, vetans Presbyteros κατακυριεύειν τῶν κλήρων: ubi imprimis notandum, quod voce eadem κατακυριεύειν Chriſtus in locis ad marginem notatis uſus ſit, cùm de ſummo Regum imperio loquitur: quemadmodum κατεξουσιάζειν tribuit τοῖς μεγάλοις, qui nimirum infra regiam dignitatem ſunt, quales fuerunt Ethnarchæ Judæorum, apud (*c*) Joſephum εὐεργέται dicti, ad quos fortaſſe Chriſtus apud Lucam reſpexit, cum iſto vocabulo utitur: quare ſi Paſtoribus & regium imperium, & illud adimitur, quod minus eſt regio: ſequitur omne imperium adimi: id quod etiam magis ex negato Presbyteris uſu coactionis, quæ eſſentialis & immediatus imperii effectus eſt, apparet: (*d*) Chriſtus jubet Petrum ut gladium in vaginam recondat, quem in graſſatores nocturnos ſtrinxerat, negans (*e*) regnum ſuum, in quo Apoſtoli dominaturi ſunt, eſſe de hoc mundo, ad cujus defenſionem non militum ope,

(*a*) Matth. 20, 25. Marc. 10, 42. Luc. 22, 25.
(*b*) 1. Epiſt. 5, 3. (*c*) Antiq. Jud. 13. 2.
(*d*) Joh. 18, 11. (*e*) Joh. 18, 36.

ope, ſeu ſeculari brachio, (*d*) ſed Angelorum legionibus uſurus fuerit, ſi vi agere vellet, tum (*e*) noluit eſſe Judex ſuper adulterio cujusdam uxoris, ne vel umbram alicujus poteſtatis civilis ſectari videretur. Apoſtolus Paulus à quacunque vi & coactione Paſtores abducit, cum Epiſcopum (*f*) non vult eſſe πλήκτην: & ſuo ipſius exemplo præivit aliis, quanta modeſtia in illis rebus utendum ſit, quæ aliquid imperii ſapiunt: quando enim (*g*) Corinthios admonet, ut Hieroſolymitas aliqua extraordinaria ope juvent, præoccupat ſtatim, ſe non imperare hæc, (ὐ κατ' ἐπιταγὴν λέγω,) ſed potius ſuadere, precari, intercedere pro fratribus: relicto Corinthiis libero arbitrio citra neceſſitatem aſſentiendi: addit enim μὴ ἐξ ἀνάγκης. Et priori ad eosdem Epiſtola de virginibus conſultus, quia nullum mandatum aut imperium à Domino habeat, nihil imperare audet, ſaltem quid ſibi ea in re videatur, exponit. Notum eſt illud Chryſoſtomi: *Non eſt nobis data talis poteſtas, ut auctoritate ſententiæ cohibeamus homines à delictis:* & ejusdem alio loco. *Homo ſi à fide fuerit abductus, multa imminet Sacerdoti patientia induſtriæ adhortationis, quia non poteſt errantem vi reducere, ſed perſuadere conabitur, ut ad fidem rectam revertatur:* itemque illud Bernhardi: *ſtetiſſe Apoſtolos judicandos lego: ſed ipſe judicantes non lego.* Regimen ex conſenſu ſingulis paſtoribus ut toto in partes nonniſi abſurdiſſime tribuitur: in quantum verò alii ſe fide data ipſis obliga-

F 5 runt,

(*a*) Matth. 26, 53. (*b*) Luc. 12, 14. (*c*) 1. ad Timoth. 3, 3. (*d*) 2. ad Corinth. 9, 7. & 8.

runt, tunc jus ad petendum habent, non qua paſtores ſunt, ſed qua contrahentes. Relinquitur itaque ſolum regimen ſuaſorium & declarativum, quo ducere & paſcere populum, eidemque præeſſe ſolent: & ſiquando imperaſſe leguntur, ita id intelligendum eſt, ſicut remittere dicuntur peccata & retinere, id eſt declarare remiſſa aut retenta: Deus enim qui hominibus ut in omnibus aliis, ita etiam præcipue in cultu divino imperat, per miniſtros ſuos nos de voluntate ſua docet, ſicut Princeps Prætori per tabularium reſcribit, qui longiſſime omnium ab imperio abeſt. Eadem etiam figura interpretari illud apud Jeremiam debemus, quem Deus à ſe conſtitutum dicit ad plantanda regna & exſcindenda: hoc eſt, ad pronuncianda regnorum excidia & plantationes, quæ ipſe Deus facturus ſit: ut jam ſupra innuimus. Interea cum Sacerdotes de ſalute æterna & mandatis cœleſtibus homines admonent, naſcitur obligatio ad obſequium præſtandum non quidem ex juſſu annunciatoris, ſed ex re ipſa, quam cognitam aut fugere nos oportet, ut malam, aut ſequi, ut bonam. Quàm vero regimen illud medici aut Conſiliarii, quo Principē moderantur, nihil ſummo imperio obſtat: tam nihil etiam hoc Paſtorū, quod cum iſto plane idem eſt genere, poteſtatē civilem in ſacra moratur. Et hoc etiam ſenſu epiſtola Apoſtolorū Seniorum & fratrum ad Eccleſias Syriæ & Ciliciæ data accipienda eſt, qua non pro imperio præcipitur, quid ad fidem Chriſtianam recens converſis faciendum ſit, aut omittendum, ſed declaratur ſaltem Chriſtianorum officium ex lege divina,

na, cui omnes deinde obſequium præſtare debent ob legem ipſam jubentem, non ob legis interpretem aut præconem: qua ratione nunc nemini mirum eſſe debet regi regem & regere, cum tam diverſa regimina ſint, quæ inter ſe ſibi invicem non obſtant. Regit enim Rex Paſtores imperio: Paſtores verò Regem divinæ ac naturalis legis declaratione: ibi obſequium oritur ex ipſa ſuperioritate; hic ex re intellecta citra externam vim aut coactionem: nec id in moralibus contingit tantum, ſed & naturalibus. Nam diverſo ductus modo non impoſſibile eſt hominem duci, & ducere: Quemadmodum nauta navigio ſecundo flumine defertur, qui ipſe etiam alium adverſus amnen in nave manu ſua ducere poteſt. De Eccleſia hîc peculiariter monendum, habere eum tum regimen ex conſenſu conſtitutivum, qua cœtus eſt, qui jus habet ſingulas partes regendi: tum quandoque etiam ſummum civile imperium, ſi nimirum fideles aliis impermixti Rempublicam liberam conſtituant, ut hodie Batavi & Veneta Reſpublica: verum utrumque regimen non competit Eccleſiæ ut Eccleſiæ, cujus arma ſpiritualia ſunt, ut verbum Dei, fides, amor: non carnalia, quæque in terra inquilina eſt, imperio deſtituta, non municeps: Sed vel ut cœtui vel ut populo libero: Quemadmodum & Paſtores imperium aliquod inferius, v. gr. patrium, herile aut maritale habere poſſunt, quæ tamen cum ſub ſumma poteſtate in civitate ſint, jurisdictione ſeculari Eccleſiaſticos eximere nequeunt, ſicut nec illud regimen, quod jure Magiſtratus per modum conceſſionis à ſuperio-

re factæ poſſideatur: imprimis cum hæc omnia ipſis competant, non qua Paſtores ſunt, ſed qua Patres, mariti, Domini, Vicarii.

§. 22. Bellarminus alio adhuc ſe commento opponit. *Chriſtus* (a) inquit, *Eccleſiam regendam Petro & Epiſcopis commiſit, non Tiberio, & ejus præfectis, & per annos 300. ſine ullis Regibus Chriſtianis, exceptis pauciſſimis, qui vel breviſſimo tempore imperarunt, ut Philippus Cæſar, vel ſolum in aliqua Provincia, ut Lucius Rex Britannorum, Eccleſia à ſolis Epiſcopis & Presbyteris optime gubernata eſt.* Reponimus, quæ Chriſtus in Eccleſia Petro & Epiſcopis commiſit, ut nimirum oves ſuas paſcerent, id eſt Evangelium per omnes mundi angulos prædicarent, baptizantes homines, & credentibus abſolutionem à peccatis ac æternam vitam promittentes, ea, tanquam Sacerdotalis officii propria, in quæ nihil juris ſummis poteſtatibus niſi quoad defenſionem concedimus, non impediunt, quo minus in aliis ad ſacrorum curam pertinentibus imperio civili liberius ſit arbitrium; nec obſtat, per trecentos annos & quod excurrit Eccleſiam ſibi ſoli in regimine ſuffeciſſe, excluſis penitus Imperatoribus: ſe ipſos enim potiùs Imperatores excluſerunt, Eccleſiam perſequendo, quàm ut illos Eccleſia rejecerit, quæ, quo primum in ejus gremium conceſſerunt, humilima ſubjectione in religionis quoque & ſpiritualibus negotiis rectè monentibus paruit. Malo hic Auguſtini potiùs quam meis verbis Bellarmino ſatisfacere, contra Donati-

(a) Lib. 1. de Laic. c. 17.

natiſtas, idem in hac lite jugum cum Pontificiis olim trahentes, maſcule pro Principum juribus pugnantis. *Non invenitur,* (*a*) inquit, *exemplum in Evangelicis & Apoſtolicis literis aliquid petitum à Regibus terræ pro Eccleſia & contra inimicos Eccleſiæ. Quis negat non inveniri? ſed nondum implebatur illa prophetia: & nunc Reges intelligite, erudimini, qui judicatis terram. Servite Domino in timore. Adhuc enim implebatur, quod in eodem Pſalmo legitur: quare fremuerunt gentes & populi meditati ſunt inania. Adſtiterunt Reges terræ, & Principes convenerunt in unum adverſus Dominum & adverſus Chriſtum ejus. Veruntamen ſi facta præterita in propheticis libris figuræ fuerunt in Rege illo, qui appellabatur Nabuchodonoſar, utrumq; tempus figuratum eſt, & quod ſub Apoſtolis habuit, & quod nunc habet Eccleſia. Temporibus itaque Apoſtolorum & Martyrum illud implebatur, quòd figuratum eſt, quando Rex memoratus pios & juſtos cogebat adorare ſimulacra, & recuſantes in flammas mittebat: nunc autem illud impletur, quod paulò poſt in eodem Rege figuratum eſt, cum converſus ad honorandum Deum verum decrevit in regno ſuo, ut quicunq; blaſphemaret in regno ſuo Deum Sadrach, Meſach, & Abednego, pœnis debitis ſubjaceret. Prius ergò tempus illius Regis ſignificabat priora tempora Regum infidelium, quo paſſi ſunt Chriſtiani pro impiis: poſterius verò tempus illius Regis ſignificavit tempora poſteriorum Regum jam fidelium, quo patiun-*

(*a*) Epiſtol. 48. ad Vincent.

tiuntur impii pro Chriſtianis. Idemque (*a*) alio loco. *Quod dicunt, qui contra ſuas impietates leges juſtas conſtitui nolunt, non petiiſſe à Regibus terræ Apoſtolos talia, non conſiderant aliud fuiſſe tunc tempus, & omnia ſuis temporibus agi. Quis enim tunc in Chriſtum crediderat Imperator, qui pro pietate contra impietatem leges ferendo ſerviret? quando adhuc illud propheticum complebatur; quare fremuerunt gentes. &c. nondum autem agebatur, quod paulò poſt in eodem Pſalmo dicitur, & nunc Reges intelligite, ſervite Domino.* & paulò poſt. *Poſteaquam cepit impleri, quòd ſcriptum eſt, & adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes gentes ſervient illi, quis mente ſobrius Regibus dicat, nolite curare in regno veſtro, à quo tueatur vel oppugnetur Eccleſia Domini veſtri: non ad vos pertinet in regno veſtro, quis velit eſſe ſive religioſus, ſive ſacrilegus, quibus dici non poteſt, non ad vos pertineat in regno veſtro, quis velit pudicus eſſe, quis impudicus. Cum enim datum ſit homini liberum arbitrium, cur adulteria legibus puniantur, & ſacrilegia permittantur, an fidem non ſervare levius eſt animam Deo quam fœminam viro: aut ſi ea, quæ non contemptu, ſed ignorantia religionis committuntur, mitius vindicanda, nunquid ideo negligenda ſunt?*

§. 23. Specioſius eſt, quod apud (*b*) Prophetam Reges demiſſo vultu & pronis in humū genubus Eccleſiam adoraturi prædicuntur, & pulverem ipſius pedum lincturi, quæ verba ſubjectio-

(*a*) Epiſtol. 50. ad Bonif. Comit.
(*b*) Eſa. 49, 23.

jectionem magis à Regibus Eccleſiæ debitam videntur inferre, quàm ut illa imperio ſummarum poteſtatum teneatur obtemperare: atque hic profectò familiaris eſt pontificiorum aries, quo Principum jura in res ſacras oppugnare ſolent: Verum enim verò ſi divinum promiſſionis Oraculum cum aliis Sacræ Scripturæ locis diligentius componimus, quod (*a*) bonum interpretem facere oportet, haud difficulter intelligemus, honorem illum, quem Propheta fatidico ore Eccleſiæ tribuit, ſoli Chriſto, Eccleſiæ capiti eſſe proprium & peculiarem, dici verò de Eccleſia ob Chriſtum in illa ſpiritualiter præſentem. Et hunc ſcilicet eſſe genuinum hujus Vaticinii ſenſum, ut alias rationes omittam, cùm divinæ adorationis cultus evincit, qui ſoli Deo competere poteſt, non Eccleſiæ, quam, ut cœtus fidelium eſt, eo modo colere, quem Propheta requirit, ſacrilegium eſſet: tum imprimis (*b*) Pſalmiſta, eundem honorem haud multum diſparibus verbis futuro Meſſiæ oblatum iri, ſpiritu præfatus, ex quo loco ſuperioris textus incorrupta & vera interpretatio ſumenda eſt. Quæ præterea hinc inde in ſacro Codice & apud Patres inveniuntur loquendi rationes, quibus Reges Eccleſiæ ſervire dicuntur, id non ad ſervitutem, imperio adverſam, pertrahi debet, ſed utilitates Eccleſiæ, quas dum Reges curant & promovent, Eccleſiæ ſerviunt, *nimirum officio conſulendi, & promovendi miſericordia*, ut Auguſtinus ait. eo modo, quo pecuarius gregi ſervit, & tutor pupillo, quorum neuter inferior illo eſt, cujus commodita-

(*a*) Nehem. 8, 9. (*b*) Pſal. 72, 10.

moditatibus vigilat. Servire itaque Reges Eccleſiæ rectè dici poſſunt, Servi eſſe non æquè, niſi per tropum aliquem, ut Eccleſia Chriſtum notet: neque enim unquam Saul Rex Iſraëliticæ Eccleſiæ Servus vocatur: ſed potiùs inverſa vice Judæi Saulis Servi: nec iidem ſeculares ſaltem, (*a*) proceres ejus & purpurati: Sed & Sacer Ordo, & inter illos (*b*) Sacerdos Abimelechus, Saulis juſſu, ſumma iniquitate trucidatus: ad quorum exemplum Synodi etiam, Eccleſiæ Chriſtianę quondam ſub Romano imperio compendium Imperatores Dominos ſuos ſalutarunt: quare ſervire Eccleſiæ eſt inſervire, ſeu regere Eccleſiam, ut partem totius Reipublicæ nobiliorem: quo ſenſu antiqui regnum ſervitutem dixerunt. Pertinet huc illud apud (*c*) Xenophontem: * καὶ γὰρ ὁ βασιλεὺς αἱρεῖται, οὐχ ἵνα ἑαυτοῦ καλῶς ἐπιμελῆται, ἀλλ' ἵνα καὶ οἱ ἑλόμενοι διὰ τοῦτον εὖ πράττωσι.

§. 24. Reſtant denique illi, qui ita ſoli Chriſto in ſacra imperium tribuunt, ut in nullam ejus partem admittant Principes, quaſi vicariam alterius opem ille non deſideret, qui regno adminiſtrando ſibi ipſi ſufficit. Sed hujus argumenti imbecillitas facile eliditur inſtantia, à regimine Dei in hoc univerſum deſumpta, qui ſibi haud dubie ſufficit ad orbem regendum, & tamen Vicarios ſuos terreſtres in quovis regno cōſtituit, ut ſua vice ſint & populo jus dicant: nam vel eo ipſo, quòd Deo ſic placuiſſe videmus civilem ordinem, conſentiendum eſt. Interea cum

(*a*) 1. Sam. 22, 14. 1. Reg. 1, 32. (*b*) 1. Sam. 22, 15.
(*c*) In memorab. Socrat. l. 3.

cum regiæ Chriſti actiones, quas in ſuo regno exercet, non ſint unius generis, quædam enim ita ſe habent, ut non vicariam, non ſociam operam patiantur: aliæ, quæ ſubſidio non tam egent, quàm gaudent & delectantur, ſecundum has ipſas actiones diſtincte circa imperium civile judicandum eſt. Illæ ſunt vel terminales vel mediæ: Terminales voco, quæ ad principium & finem regii muneris pertinent. ad principium, ut interpretatio authentica moralis legis, conſtitutio Evangelici miniſterii & Sacramentorum, cum abrogatione legis Hebræorum ritualis præſente antitypo. Finem concernit ſupremum judicium, in quo Judice Chriſto pro tribunali ſedente bonis præmia deſtribuentur, & improbis pœnæ. Intermediæ, conſortis impatienter ſunt, quæ verſantur περὶ τὸν ἔσω ἄνθρωπον, ſive ſint in homine, ut cum Chriſtus vi Spiritus ſui alios illuminat, alios indurat: ſive de homine, quando peccata remittit aut retinet. Hæ omnes actiones terminales & mediæ meri hominis potentiam excedunt, ac proinde in jure Vicarii non ſunt. Superſunt itaque actiones Chriſti περὶ τὸν ἔξω ἄνθρωπον qua in tuenda & liberanda ab hoſtibus Eccleſia occupantur, in eadem ordinanda & ornanda; hæc cum providentiæ divinæ ſint, quæ ut univerſalis per ſe αὐτάρκης & rebus diſponendis idonea ſummis poteſtatibus nihilominùs ad demonſtrandam multiformis ſapientiæ regulam utitur: ita & hæc Chriſti particularis pro Eccleſia excubans easdem Vicarias ſibi adſumit, veræ fidei patronas & Eccleſiæ nutrices, quibus ipſe Chriſtus nomen ſuum Uncti

G non

non invidet, ſed communicat. Hi ſunt Reges & Proceres, quos Nazianzenus ait Chriſto *συνάρχειν, συνδικεῖν.* non æquali poteſtate, ſed jure Vicario, neque tamen mere miniſteriali: Differunt enim Vicarius & miniſter toto genere. Vicarii eſt producere actiones congeneres illius actionibus, cujus vices gerit, licet inferiores & minus perfectas. At verus miniſter non producit actiones congeneres, ſed tales, quæ principalis cauſæ actionibus inſerviant: unde fit, ut in illis etiam actionibus Chriſti, quæ vicarium reſpuunt, miniſtri admittantur, ſicut in remiſſione vel retentione peccatorum; non verè retinent vel remittunt Paſtores peccata, ſed tantùm à Deo remiſſa aut retenta declarant, quemadmodum nuncius donationem nunciare juſſus non donat: ſed alienæ liberalitati inſervit; quæ verò ratione vicariatus in ſacris rebus Reges jubent vetantque, ejusdem actionis nomen cum divinâ ſortiuntur, proportione tantum diverſâ & gradu inferiore.

ANNO-

ANNOTATA

Ad

CAPUT II.

§. 3.

V*Iſibiles Dei eſſent.*] Unde piè creditum, habere Principes aliquem divinitatis characterem impreſſum. Apud Perſas Artabano teſte apud Plutarchum in vita Themiſtoclis, *ἡ μὲν δὴ τῶν πολλῶν ὄντων νόμων καὶ καλῶν κάλλιστος οὗτός ἐστι, τὸ τιμᾶν τὸν βασιλέα καὶ προσκυνεῖν εἰκόνα τοῦ πάντα σώζοντος θεοῦ. Sanè tam multa leges pulchraq́ eſſent, pulcherrima omnium illa erat, honorare Regem, & adorare eum tanquam imaginem Dei omnia conſervantis.* Ecphantas Pythagoricus in libro de regno & officio Regis rem optimam natura hominem eſſe dixit, ſed maximè divinam Regem. Similem quidem corpore reliquis, quippe ex eadem materia creatum, longè tamen meliore conditione ab optimo artifice productum, *ὃς ἐτεχνίτευσεν αὐτὸν ἀρχετύπῳ χρώμενος ἑαυτῷ, qui fabricavit ipſum ad ſui inſtar :* Continuo ſubjicit eſſe Regem imaginem *τῶ ἀνωτέρω βασιλέως, cœleſtis regis.*

[*Quantum Deus in toto orbe.*] Id etiam paganis viſum, quibus Principes à Deo non aliter discriminati, quam origine poteſtatis & amplitudine imperii. Diotogenes Pythagoricus alius: *ἔχει δὲ καὶ ὡς θεὸς ποτὶ κόσμον, βασιλεὺς ποτὶ πόλιν. καὶ ὡς πόλις ποτὶ κόσμον, βασιλεὺς ποτὶ θεόν. Ut vero ſe Deus habet ad mundum : ita Rex ad Civitatem. Et ſicut Civitas ad mundum, ita Rex ad Deum.* Et paulo poſt: *Θεὸς γὰρ φύσει ἐν τὶ καὶ πρᾶτος βασιλεὺς καὶ δυνάστας. ὁ δὲ γενέσει καὶ μιμήσει. ὁ μὲν ἐν τῷ παντὶ καὶ ὅλῳ: ὁ δὲ ἐπὶ γᾶς. Deus natura primus Rex & Dominus : hic vero,* (id eſt, Rex homo *creatione & imitatione. Ille ubiq́ & in univerſo orbe. Hic ſaltem in terra.* Quo nomine & ipſi Reges Dii ſunt communicatione imperii atque dignitatis, (inferioris certè in ordine ad Deum. Sed ſummi inter homines.) Idem Diorogenes: *Ὁ δὲ βασιλεὺς ἀρχὰν ἔχων ἀνυπεύθυνος, καὶ αὐτὸς ὢν νόμος ἔμψυχος, θεὸς ἐν ἀνθρώποις παρεσχημάτισται. Rex ſummam poteſtatem habens cum ipſe ſit lex quædam viva, Dei faciem apud homines gerit.*

[Ut ſæpius divino ore eximie laudatos novimus &c] Auguſtinus: *Omnes Reges, qui populo Dei non prohibuerunt, nec everterunt, quæ contra Dei præcepta fuerant inſtituta, culpan-*

tur. Qui prohibuerunt & everterunt, ſuper aliorum merita laudantur.

[§. 4. ἵνα ἤρεμον.] *Ut quietam placidamq; vitam vivamus in omni pietate & honeſtate.*

[Τὴν τῶν ὑπηκόων σωτηρίαν.] *Subditorum ſalutem.*

[ἥγε βασιλεία.] *Hoc regnum præterquam quod omnem poteſtatem in ſe comprehendat, maximis ſacrificiis in rebus divinis ſanctum eſt & venerabile.*

[§. 14. *Ut ipſi interim delicatius vivant.*] Sermo eſt, bonis autoribus conſtans, Cæſarem Borgiam Alexandri Sexti Pontificis filium, cum aliquando centum millia aureorum una vice alea perdidiſſet, per contemptum dixiſſe, peccata Germanorum eſſet, quorum jacturam fecerit: quæſtum illum intelligens, indulgentiarum lenocinio comparatum: ita majorum ſimplex pietas palatinis hominibus in Romana Curia joco fuit & deriſui. Cui compar alia Sacerdotis cujusdam vox, ſacrum ordinem, ſi centum ſaltem annos Lutherus venire tardaſſet, effecturum fuiſſe, ut Laici mutato in cibum fœno ſtramineque, capones & ferculorum omnes delitias in Eccleſiam ferrent pro ſalute animarum à ſacrificulis conſumendas.

[§. 20. Non eum pro imperio excludentes.] Johannes Marſilius Pontificius Doctor, quod Venetorum cauſæ faveret, citatus ad inquiſitionis Romanæ iratum tribunal, & cum non compareret, ejectus ex Eccleſia publico diplomate, ſe defendit eodem argumenti genere, cœco fulmini conſcientiæ tranquillitatem pacemq; cum Deo pro clypeo objiciens, nec ſe à communione catholica alieno & impotenti judicio reſectum arbitratus, cum ſe ipſe nunquam ſuis vitiis inde prior ſeparaverit. Imò publicè profeſſus, *pro ſectariis habere, qui dixerunt, poſſe aliquem à Chriſto aut communione Eccleſiæ catholica ſeparari, niſi ſe prius ipſe ſeparaverit: aut aliquem ſine ſua culpa excommunicatum, & tantum ob id, quod non auditur, cum audiri nec poſſunt nec debent, verè & validè excommunicatos eſſe.* Thuan. *Hiſtor. l. 137.*

[§ 23. καὶ γὰρ ὁ βασιλεὺς.] *Rex enim eligitur non tam ut ipſe ſibi bene faciat, quam ut per eum illi, qui eligunt, res publicas & ſuas rectè curent.*

CAPUT

CAPUT III.
DE FINIBUS SUMMI IMPERII CIRCA SACRA.

Summaria.

1. *Imperium circa ſacra quatenus liberum.*
2. *Prima actionum diviſio in internas & externas: & quòd utriſq; imperitetur.*
3. *Actionum ſecunda diviſio in definitas & liberas.*
4. *In utraſq; imperium valet: liberius tamen in in definitas. In definitis ſaltem pro ipſis & circa ipſas.*
5. *Sed non contra illas.*
6. *Itaque non parendum Principi illicita mandanti: ſed nec reſiſtendum probatum id primò rationibus.*
7. *Secundò ſacrarum literarum teſtimonio.*
8. *Tertiò exemplo veræ Dei Eccleſiæ.*
9. *Nullo inter privatos & Magiſtratus discrimine.*

§. 1.

Vidimus imperium, quòd Regum eſt in ſacrorum & religionis negotio: non infinitum tamen illudi, & in abſoluto Principum jure: ſed certis limitibus incluſum, quos tranſilire citra peccatum non poteſt. Definiuntur verò fines illi ex hominum actionibus, quæ proprie materia imperii, ſunt: quare ut hæc meliùs percipiantur, quædam actionum diviſiones præmittendæ ſunt ad majorem certitudinem habendam, quantum imperio in illas liceat.

§. 2. Prima diviſio actionum eſt, quod aliæ ſint internæ, aliæ externæ. Illæ, quæ in ſolo animo & interiori mutæ cogitationis receſſu pendent: Hæ quæ in ſenſus humanos incurrunt, & ex actibus vel ſignis ſeu neceſſariis ſeu probabilibus intelliguntur. Utræque ſunt imperii mate-

ria quoad obſequii obligationem, quam ſubditus debet, ſed diverſo exercitii modo. Internæ enim actiones ſuapte natura incognitæ, imperio adverſo vindicari nequeunt, quoniam in notitiam non cadunt, niſi qua cum externis conjunctæ ſunt, & in illa quaſi influunt: Externæ verò, quæ ſolem teſtem metuunt, animadverſioni etiam ſubjacent, & ſuæ malitiæ, de qua conſtat, pœnas luunt. De iſtis verum eſt, quod communiter dici ſolet: cogitationis pœnam neminem pati: in foro ſcilic. externo, nam καρδιογνώστης Deus impunè nunquam ſiverit: De his, quod aliter: Delictis quemque forum ſortiri. Unde errare (*a*) Grotium opinor, qui internas actiones per repercuſſum demum imperii materiam facit, *ut quia aliqua actio per imperantis interdictionem facta eſt illicita, & cogitando talem actionem, ut faciendam eligere, illicitum eſt: non quia cogitationi proprie lex humana ſit poſita, ſed quia nemo honeſtè poteſt velle facere, id quod factu turpe eſt.* Nam non per repercuſſum tantum & ex mero ſubditi officio internæ actiones imperio ſubſunt, ſed etiam directò, magis ob imperii vim, quàm objecti conditionem, licet coactione externa careant. Ita Magiſtratus, qui furtum, qui adulterium, qui cædes prohibet, obligat ſubditos ad internam quoque obedientiam, ut citra legis transgreſſionem de furto, adulterio, cædibus ne quidem apud ſe cum aliqua delectatione aut propoſiti exequendi certitudine cogitare poſſint, (humanę enim imbecillitati aliquid indulgendum eſt, & leges ſic ferendæ, ut

(*a*) De Imper. Summ. poteſt. Circ. Sacr. c. 3. n. 1.

dæ, ut communis hominum conditio patitur) utcunque nondum ad rem rapiendam manum porrexerit, ſcalas feneſtris applicaverit, confregerit fores aut arcas, alienum pudorem ſollicitaverit, cum gladio cædis faciendæ cauſa in foro deprehenſus ſit. Et ſi Princeps vitia prohibet, quæ potiſſimum animi ſunt, ut invidiam, ambitionem, rancorem, iram, peccat contra Principis imperium ille etiam qui citra externum actum mentis etiam nudæ pravitati indulget, & peccat non ſolum eo, quo rem turpem ſeu actum vitioſum facit, ſed & quò vetitum, id eſt, contra imperium, cui ſubjici oportet non tantum propter iram, id eſt ſuppliciorum metu, qui ab externis actionibus oritur, (eorum enim quæ intra homnis animum ſunt, vindicem in terris nemo timet) ſed & conſcientiam, ut loquitur (*a*) Apoſtolus, cui repugnat Principi rectè & juſte imperanti ex toto corde non obedire; nam internæ rebellionis nomen meretur ſubditi contumacia, quæ ſolo pœnarum timore à delictis arcetur, in omnem continuo licentiam & turpitudinem ruitura illo remoto. Evincit hanc materiæ latitudinem non origo tantum imperii civilis, quod ſe ad divinum refert, in interiora etiam proculdubio efficax: verum etiam expreſſum ſummi Numinis præceptum, Adami poteſtati in primæva conjugalis ſocietatis inſtitutione Evæ voluntatem non minus ſubjiciens, quam externas actiones: eſt verò voluntas meri animi, qui cum parere jubetur imperio, ne quidem nolle aliquid contra id debet: imo latitudo quoque rei, cui imperatur, quæ homo eſt, animo & corpore

(*a*) Rom. 13. 5.

conſtans, certè enim abſurdum fuerit & à ſcopo legislatoris maxime alienum neglecta nobiliore parte vim imperii in ſolam materiam exerere, quæ ne quidem ejus recipiendi per ſe capax eſt. Et profectò in rebus ſacris potiſſimum menti imperatur etiam per Principem: non coactivè quidem, ut neceſſitatem aliquam inevitabilem credendi, quod nolit, imperat: ſed per modum obligationis & coactione quadam morali, ut qui præfractè obſequium negat, criminis contempti imperii reus ſit. Pone enim mandare Principem ut populus Deum toto corde adoret, colat, amet, timeat, ut frequenti corona ſacras conciones audiat, ut parentes liberos ſuos ad ſacrum lavacrum mature ferant, ut idonei homines Eucharistia dominica citra contemptum religioſe & ſæpius utantur, an hîc externas tantum actiones imperium obligare cenſes, nulla in animum ipſum efficacia: an ſatisfeciſſe cenſes juſſibus ſuperioris & conſcientiæ ſuæ, quantum imperii actum attinet, ſi Deum externis manuum plicis venerentur, ſi ritibus, ore, & toto corporis ad pietatem compoſito habitu fucum Eccleſiæ faciant? in interioribus pectoris ruinis ἄθεοι, religionis omnis contemptores, impii, perfidioſi, ſacrilegi. Si concionibus interſint, Sacra Synaxi utantur: ne cenſuras Eccleſiæ incurrant & Principis indignationem, ne de officio ſuo periclitentur: audientes interea maxima modeſtia præcones Dei, eosdemq; aut ſubſannantes tacitis cogitationibus, aut negligentes ſalutaria eorum monita, tanquam fabulas & ritus, quos Imperantes inter ſtatus rationes habent ad ſimpliciorum

animos

animos demerendos. Si liberos baptiſmati afferant non regenerationis neceſſariæ, ſed quæſtus cauſa, ex ſponſoribus colligendi? Quis ſanus iſtud dixerit, non peccare contra imperium, qui externum tantum obſequium præſtat, negato, quod potiſſimum eſt, cultu intrinſeco ingenuæ pietatis? adeoque ferri non poteſt, quod Grotius ait, cogitationi legem non eſſe poſitam: caret quidem lex executione ſua viſibili, ſed non caret obligatione, imò vi aliqua conſcientiis impreſſa, quæ facinoroſis flagelli loco & carnificis ſunt; ac niſi reſipuerint, punietur denique hæc internarum actionum perverſitas in extremo judicio, ubi omnium cogitationes perinde ac facta ſublata diſſimulationum nube in publica luce proſtituentur. Nec alia intentio Legiſlatoris deprehenditur, cui propoſitum eſſe debet ſubditos ſuos non bonos tantum cives, ſed & bonos viros legibus efficere, differunt enim hi duo eadem actionum externarum & internarum rectitudine: ille obſequium præſtat imperio pœnarum metu: hic virtutis amore & propter imperium ipſum: quod revereri obligatus eſt. Multum verò inter eſt Reipublicæ habere cives obſequioſos ex virtute & ex metu: illorum enim actiones ſemper ſibi ſimiles ſunt, quoniam virtus nunquam à ſe deficit: ac proinde Reſpublica ſemper concors, fortis, felix: Horum mutatio indies expectanda eſt, certe timenda, quos certum eſt haud quaquam in officio amplius duraturos, quàm ipſe duraverit metus, qui malus eſt diuturnitatis magiſter: unde in civitate perperua diffidentiæ ſemina, malignè cohærens pu-

blici ordinis compago: diſſidia, factiones, denique Reipublicæ mors. Quamobrem ita habendum, poſſe omnino imperium obligare actiones internas; hactenus enim in notitiam cadunt, cùm congruas legi latæ & ſuperioris intentioni exigimus: ſed non corrigere & vindicare devias aut juri adverſas, quoniam illæ prius non innoteſcunt, quam ſi in actiones externas facto aliquo influant: nam & latent quandoque crimina clam perpetrata imperantem citra obligationis ipſius ex imperio prodeuntis jacturam. Cavendum itaque eſt, ne confundamus temere obligandi modum & modum puniendi, qui longiſſime inter ſe diſtant.

§. 3. Secunda actionum diviſio eſt, quod ante actum humani imperii aliæ jam definitæ ſint: aliæ liberæ. Definitas ajo, aut moraliter bonas honeſtasque, adeoque neceſſario debitas & faciendas: aut malas ac turpes: proinde illicitas, & fugiendas. Liberæ ſunt, quæ antequam de illis humanum imperium aliquid conſtituit, in utramvis partem nullo diſcrimine verſantur, cum & fieri citra turpitudinem poſſint & cum laude omitti: has indifferentes alii vocant ſive adiaphoras, & maximam objecti partem conficiunt, circa quod leges occupantur, de quibus nunc multa dicere nihil profuerit: ſine dubio enim ſunt imperii civilis materia, cujus juſſibus & determinatione aut licitæ civibus redduntur aut vetitæ: quare ad definitas redeamus, quæ duplici modo definitionem ſuam habent: nam vel ſuapte natura, ex ſe & per ſe propter objecti conditionem tales ſunt: vel ex imperio, humano ſu-

periore, quale ſolum divinum eſt. Illæ ad jus naturæ pertinent, quod ex principiis connatis rerum quarundam ſeu bonitatem ſeu malitiam neceſſaria evidentia docet, addito præcepto, ut has fugiendo illis ſtudeamus. In hanc claſſem omnes illæ actiones tranſcribi debent, quæ bonitate ſua vel malitia antevertunt omnem Dei voluntatem liberam, & bonæ vel malæ ſunt non ex imperio divino, ſed ante illud ex objecti vel boni vel mali conditione, quamvis imperium non excludendum ſit in ordine ad homines. Ut exempli cauſa ſunt Deum colere, amare, parentes honorare, homicidio, libidinibus vagis, mendacio, calumniis, cupiditatibus pravis, humanæ ſocietati adverſis abſtinere: & breviter omnia fere Decalogi præcepta, unde latitudo præceptorum juris naturalis commode haberi poteſt, ceu jam Dn. Bœclerus obſervavit. Actiones divino imperio definitæ ad jus divinum poſitivum recte referuntur, imprimis univerſale illud, quod generi humano tum in primis mundi creati incunabulis in Adamo datum, tum poſt diluvium in Noa aut revocatum eſt, aut ampliatum, cum malitia orbis primi, violentia & injuſtitia ebrii quaſi ſuffocatum fuiſſet: ut in civilibus rebus mandata tum perpetua, de homicida capite plectendo, tum ad tempus certum duratura * ut de eſu ſanguinis & τῦ πνίκτυ interdicto. In ſacris non tantum quæ ad fidei ſubſtantiam pertinent, & tam in vetere ante Chriſtum natum, quam hodierna Chriſtianorum Eccleſia à fidelium cœtu credita ſunt, ut de Deo vero, in eſſentia uno & trino in perſonis; de Perſonarum ordine & officiis:

ficiis: de attributis Deitatis, &c. ſed & quæ ad fidem ordinata, cùm excitandam, ut Lavacrum regenerationis: tum confirmandam, ut corporis & ſanguinis Chriſti communio: & olim victimæ, tanquam typus magnæ illius hoſtiæ pro totius mundi injuſtitia mactandæ: in cultu etiam religionis & diſciplina quædam conſtituta ſunt, ut eſt Sabbathi lex, ſeu præceptum de ſeptimo die in pietate & precibus ſanctificando, omiſſo omni & hominum & pecudum labore, & mandatum ἀποσυναγωγῆς, quod Chriſtus Eccleſiæ dedit, ad proceſſum cum eo ſervandum, qui cum fratre ſuo reconciliari nolit. Præter hæc univerſalia jura divina ſunt etiam quædam particularia, in eo quidem cum illis comparanda, ut ex humano imperio nullam mutationem recipiant: cæterum diverſa in obligationis generalitate: non enim alios obligabant, quam quibus data erant. Erant vero data vel populo, vel ſingulis. Populorum omnium unus eſt Iſraeliticus, cui Deus jura poſitiva in ſacris & profanis rebus plurima præſcripſit: Singulis etiam Abrahamo, Iſaco, Jacobo, Moſi aliiſque Dei ſervis mandata quædam leguntur, quæ omnia in ordine ad homines immutabilia fuerunt, adeo ut ne quidem Judæorum Regibus vel minimum in lege apicem corrigere licuerit. Duo obiter hoc loco monẽda duximus: unum eſt, errare illos, qui putant, quondam extra Judaiſmum non fuiſſe Eccleſiam Dei, & omnes, qui ad illam aggregati ſnnt, univerſos etiam judaici populi ſacros ritus ſuſcipere, adeoque neceſſario circumcidi debuiſſe: longe enim

aliter

aliter ſe rem habuiſſe jam luculenter (*a*) Grotius docuit. Alterum, poſſe omninò ea, quæ à Chriſto præcepta ſunt, aliquo modo leges vocari: quod ideò addo, ne quis ex noſtratibus nos ex Socinianorum ſchola ideò prodiiſſe propediem traducat, quod paulo ante ordinem illum in irreconciliabili ſervandum legem ἀποσυναγωγῆς vocavimus, quæ calumnia bono Grotio ex eadem occaſione ſæpe injuriam fecit. Sane enim quamvis Chriſtus non venerit in hunc mundum, ut novum aliquod jugum hominum cervicibus imponeret, aut legem juſtificatoriam ferret, cujus impletione æterna ſalus conſtaret: Sed potius ut ipſe legem veterem pro nobis impleret perfecto obſequio, per fidem deinde nobiſmet ipſis applicando: Quin tamen illa, quæ à Chriſto aut noviter inſtituta, aut circa diſciplinam Eccleſiaſticam ordinata ſunt, propriè leges vocari liceat, non quidem meritorias, ſed tales, quæ ex præſcripto ſuperioris inferiorem obligant, nullus plane dubito. Eminet enim inter triplex Chriſti officium regium illud, quod per rerum naturam ſine legiſlatoria poteſtate concipi nequit: Et ſi in civilibus rebus, quod Principi placet, legis habet vigorem, quanto magis illud etiam, quod Regi Regum maximo, & Domino Dominorum placuit? quo ſenſu profecto ego nunquam verebor ſacræ cœnæ & baptiſmatis inſtitutionem legem vocare. *Baptizate*, inquit Salvator, *omnes gentes: ſumite & edite, bibite ex hoc omnes. Hoc facite, quotieſcunq; feceritis, in mei memoriam*: & in aliis rebus etiam: *ite in univer-*

(*a*) De J. Bet. P. l. 1. c. 1. § 16.

univerſum mundum & prædicate Evangelium, excludite eum à cætu, & ſit vobis ut Ethnicus, &c. ubique verbis præceptivis, obligationem neceſſarii obſequii ex ſuperioris juſſu inducentibus, in quo ipſiſſima legis forma conſiſtit.

§. 4. His ita præmiſſis imperium ſummum in actiones tam definitas quam indefinitas agere dicimus, ſed inæquali libertate præcepti; nam indefinitas actiones, quæ ſic vel aliter ſe habeant, ab initio nihil refert, ut ait (*a*) Ariſtoteles, in utramque contradictionis partem & vetantem, & jubentem ſine diſcrimine flectit, prout ſibi & Reipublicæ commodum eſt: Hæ ſunt, quæ ad inſtar tabulæ raſæ ſe habent, in quam ſtylo licet ſcribere, quæcunque volueris; aut informis ceræ, ex qua artifex vel angelum format, vel cacodæmonem. Definitæ verò actiones, adeoque quoad ſuam bonitatem vel malitiam immutabiles *pro* & *circa ſe* admittunt imperium: non etiam *contra*: *Pro ſe*, ut quod jam vel naturæ lege, vel divino jure poſitivo aut bonum eſt, & factu neceſſarium, aut malum, & fugiendum, denuò Princeps ſuis edictis fieri jubeat vetetque, unde nova naſcitur in ſubditis ad ſuperiores obligatio, etiam in conſcientia, quamvis ſubordinata & minoris gradus, ad peccatum tamen augendum idonea. Ita ſi Rex in ſua civitate legem ferat, ut omnes ſubditi Deum verum & unum religioſe colant: ne eundem blasphemiis & dejerationibus irritent, obſequium debetur imperanti non tantùm quod actio per ſe bona ſit aut à Deo præcepta, vel mala & vetita. Sed & præterea quod

(*b*) Ethic. I. 5. c. 10.

quod Princeps eandem vel juſſerit, vel prohibuerit, cui in omnibus licitis parendum eſt: adſtringunt hac ratione plura vincula fortius & contumax civis, qui aut negligit legem aut data opera tranſilit, tam in ipſum imperium civile, quàm naturam & Deum injurioſus eſt; * reſiſtit enim divinæ ordinationi: qui verò reſiſtunt, ἑαυτοῖς κρίμα λήψονται, ait (a) Apoſtolus. *Circa ſe* admittunt imperium definitæ actiones, qua ejus ſubſidiariam quaſi opem in εὐταξίᾳ externa & agendi modo implorant: nam & quæ fieri oportet, & quæ oportet non fieri, extrinſece mutationis ſunt capacia, quam ab imperio humano accipere poſſunt. Hoc actionibus debitis tempus, locum, modum & perſonas aſſignat, quatenus eadem ipſa per naturam rei vel legem divinam expreſſa non ſunt: Hoc tollit actioni impedimenta, addit præmia bonis: coërcet malos pœnis, aut culpæ veniam dat, vel nudum permittit factum ex neceſſitate morali citra approbationem. Infinita poſſent in hanc rem exempla adduci, paucis nos contenti erimus. Lex divina eſt, & in primordiis ſtatim mundi Adamo ut volunt, data, ſeptimum quemque diem Deo eſſe dicandum omiſſo omni labore: perpetua hæc obligatio fuit, & omni tempore à vera Eccleſia agnita, in diei tamen determinatione nonnihil variatum eſt. Judæi enim ultimum ſeptimanæ ſumpſerunt: nos ex libertate Chriſtiana & in honorificam dominicæ reſurrectionis memoriam primum: actio intrinſeca nullibi immutata: tempus certum additum. In illa ipſa deinde dominicæ diei celebratione

(a) Rom. 13.

lebratione, & quæ tunc fieri communiter ſolent quantæ imperantium partes, ut omnia εὐσχημόνως fiant & κατὰ τάξιν? in ejus poteſtate & arbitrio hora eſt, qua ad laudes, preces & concionem convenitur: tum ſingulorum ordo, argumentum, tempus durationis: In *(a)* novellis Juſtiniani conſtitutionibus plurimæ in hanc rem leges inveniuntur, quæ omnia nunc Pontifices ſui juris eſſe volunt: veluti, Baptiſmi & Sacræ communionis canones elata voce pronunciandos, ut à populo exaudiantur. Sacra myſteria in privatis domibus non peragenda: nec litanias à Laicis niſi præſentibus Clericis canendas. Circa perſonas etiam ſacris functionibus deſtinatas multa inveniuntur diſpoſita: ut ne Epiſcopus ab Eccleſia abſit, niſi ſummæ poteſtatis conſenſu, & ne ſic quidem amplius anno: ne Epiſcopus ordinetur, niſi annos triginta quinque habeat: alia. Præterea à ſumma poteſtate libertas religionis dependet, quam ſub illius præſidio non tantum citra metum profiteri, ſed & absque incommodo continuare licet, amotis impedimentis cùm quæ pietati externa vi officiunt, ſicut Cyrus & Darius templum inſtaurari permiſerunt cohibitis per ſeveriſſima edicta adverſariis, cum pecuniarum ad ſuſtinendas impenſas, pecorumque victimis faciendis idoneorum ex publico erogatione. Item Conſtantini & Licinii propoſito mandato Chriſtiani ἐλευθέρως καὶ ἁπλῶς ea facere licuit, quæ religio Chriſtiana deſiderat: tum quæ ſcandalo dato & vitio rei, quemadmo-

(a) Nov. 137. c. 6. Nov. 58. & 131. c. 8. Novell. 123. c. 23. & c. 13. & 9.

admodum piiſſimi quique Judæorum Reges ſuccidunt lucos, amovent excelſa: conſtringunt ſtatuas, idola, etiam res antiquitate & miraculorum recordatione conſpicuas: ut ſerpentem æneum, à Moſe quondam erectum, quòd ei à populo ſuperſtitioſo adoleretur: Paganica templa Chriſtiani Imperatores claudi juſſerunt, ne recens converſi per mores inveteratos recidivam paterentur. De pœnis in ſacrilegos, in blaſphemos conſtitutis, de præmiis item, honoribus, privilegiis ac indultis ſacro ordini ab Imperatoribus profuſe conceſſis quid in tanta luce multa dicere attinet?

§. 5. Sed non admittunt imperium actiones definitæ *contra ſe*, nec actus imperii imperabiles ſunt, qui repugnando naturali vel divino juri actionem ipſam intrinſecus immutant: ratio eſt, quoniam quod ſuperior poteſtas duratura ſemel lege definivit, id inferiori non licet reſcindere: dependet enim inferior cauſa à ſuperiore, à qua vim ſuam habet & eſſentiam: ſed contra ordinem moralem eſt, ut majus imperium à minore, quòd ab illo dependet, elidatur. Ut Vicarius in Provincia nihil contra Domini juſſum decernere poteſt, ut patrisfamilias in uxorem, liberos & ſervos poteſtas in civitate à Civili abſorbetur: ita divinum imperium longè eminentius omnia humana complectitur, quibus contra illud ne mutire quidem licet, à quo ſolo, omne quod ſunt, habent. Egregie hic Auguſtinus. *Si aliquid juſſerit Curator, nonne faciendum eſt? non tamen, ſi Proconſul jubeat: non utiq; contemnis poteſtatem, ſed eligis majori*

 ſervire.

ſervire. Rurſus ſi ipſe aliquid juſſerit Proconſul, aliud jubeat Imperator, nunquid dubitatur illo contempto illi eſſe ſerviendum? Ergò ſi aliud Imperator, aliud jubeat Deus; quid judicatur? major poteſtas Deus, da veniam ô Imperator! Cum verò definitorum ante humanum imperium duo genera ſint, alia juſta, & alia vetita: duo etiam ſunt genera actuum imperii extra jus imperantis poſiti, *juſſa à Deo vetare, & vetita jubere*: nam neque quod divino imperio factu neceſſarium eſt, imperio humano illicitum reddi quit, neque quod illo vetitum, hoc honeſtum. Ita in ſacris ut maneamus, nec Evangelium, nec miniſterium nec ſacramenta eo modo ſubſunt imperio, ut intrinſece mutari poſſint: quamvis in externis circumſtantiis varie illis imperitetur. Quare non licet Imperanti ſalutarem verbi divini prædicationem, & adminiſtrationem ſacramentorum efficaciter prohibere, ut nimirum propter imperium illud fas non ſit Paſtoribus officio ſuo defungi, & oviculis ſolatium accipere: ſicut in aliis rebus, quæ in jure Principum exiſtunt, graviſſimè iſti peccant, qui adverſus juſſa ſuperiorum aliquid faciunt. Nam quin vi mera & nequiter adhibita potentia interdum Evangelii curſus retardetur, dubio caret. Deinde formulæ à Deo verbi & Sacramentorum miniſterio præſcripta mutationi humanæ non ſunt obnoxiæ: ac denique in univerſum, quicquid ad fidem pertinet, & in ſacris oraculis divinæ gratiæ conſequendæ idoneum inſtrumentum commendatur, neceſſario tenendum

eſt,

eſt, nullo Principibus in fidei articulos aut divinos cultus arbitrio relicto, quia non poteſt fidei articulus eſſe, niſi cœlo exierit, à quo ſolo, quid ad ſalutem credi fierive debeat, patefactum eſt: nec in bonam partem Deus illum ſe colendi modum accipit, qui humano ingenio excogitatus à vera luce ad ἐθελοθρησκείας graviſſima ſummi Numinis cenſura ubique perſtrictas abducit. Eadem ex contrariis & vetitorum ratio eſt, quæ in ſacris non minùs licita à ſummis poteſtatibus fiunt, ſi præcipiantur, quàm inceſtuoſum illud matrimonium, quod quondam apud Perſas per leges publicas inter parentes & liberos contrahere licuit.

§. 6. Hucusque limites ſummi imperii in ſacris patent: Hi aggeres ſunt poſiti ampliſſimæ poteſtati, quos Princeps cum laxat, extra ſuam jurisdictionem jus dicenti impune non paretur, deficit enim obſequii neceſſitas, cum peccatum eſt in mandato. Tenendum tamen ſeriò eſt, ab obſequii negatione non dari tranſitum ad reſiſtendi licentiam, ſi eo nomine ſubditis vis inferatur, quod noluerint libidinibus & injuſtitiæ Principis velificari: quamvis enim actus imperii, qui fertur ad illicita, careat effectu ſuo, id eſt, obligatione, manet tamen ordo civilis inter imperantes & parentes, quo ſtante Princeps majeſtate ſua defenditur, quam vitia nec inquinant nec fugant. Itaque ſi imperans juſſerit, quod Deus vetuit, cave ut moveare. Si minis facta reſpondent, ſi exequitur tyrannus, quod iracunda aut ferina mens ſuggerit, cave, ut reſiſtas. Patientiæ hic clypeo opus eſt, non gladio, non ve-

neno, quod nonnulli liberaliter ſuadent. Sed reclamant Parricidis illis civiles rationes, oracula ſacra & exempla piorum. Civitate ſemel inſtituta ad tuendam tranquillitatem, perit ſingulis civibus naturale illud reſiſtendi jus, quod ad arcendam injuriam habent, & abſorbetur à publico fine, quem non licet conſequi, ſalva reſiſtendi eis, qui præſunt Reipublicæ, licentia. Diſtinctæ ſunt imperantium & parentium functiones, quibus confuſis incondita & diſſociata multitudo fit, ut Cyclopum illa, ubi * ἀκούει οὐδὲν οὐδεὶς οὐδενός: ſive ut eſt apud Homerum

* Θεμιστεύει δὲ ἕκαστος
Παίδων ἠδ' ἀλόχων]

non ſocietas ad juris participationem ordinata, qui præcipuus eſt ſcopus in Rempublicam coeuntium: quemlibet decet curare, quod ſui eſt muneris & officii, non alienum invadere. Qui imperioſo majeſtatis charactere pollent, ſummum rerum arbitrium à Diis accepere: aliis obſequii gloria relicta eſt. His Princeps ut inſtrumentis utitur, ad procurandam civilem ſalutem, propediem impediendam, quando cauſæ moventi reſtiterint: nec gravate conditionem ſuam ferre debent, quam ſibi Ipſis fecerunt. Hæc enim eſt conſenſio eorum, qui Civitatem conſtituerunt, ordine publico animatam; ut apud quos rerum ſumma eſt, non tantum ſuprema jubendi vetandique poteſtate polleant, ſed & ſacroſancti ſint & ab omni injuria defenſi, ut eo majore & auctoritate & fiducia Rempublicam adminiſtrent. Duobus his munimentis ſemel perruptis ſolvitur ſocietatis operoſa compages, & in-

& incerto obſequii imperiique jure, cui plusquam Trojanorum Palladio tranquillitas omnium nititur, inter factiones & *ἀναρχίαν* miserè jactatur publica navis: illuſtris eſt hanc in rem apud Dionem Caſſium locus, quem hûc transcribere lubet. * *οὐ μέντοι καὶ ἐγώ*, inquit, *οὔτ' ἄλλως καλὸν εἶναι νομίζω ἄρχοντά τινα τῶν ἀρχομένων ἡττᾶσθαι, οὔτ' ἂν σωτήριόν τι γενέσθαι ποτὲ, εἰ τὸ ταχθὲν ὑπερφρονεῖν κρατεῖν αὐτοῦ ἐπιχειρήσειε. Σκέψασθε δὲ ποῖος μὲν κόσμος οἰκίας γένοιτο, ἂν οἱ ἐν τῇ ἡλικίᾳ ὄντες τῶν πρεσβυτέρων καταφρονήσωσι; ποῖος δὲ τῶν διδασκαλείων, ἂν οἱ φοιτῶντες τῶν παιδευτῶν ἀμελήσωσι; τίς ὑγίεια νοσοῦσιν, ἂν μὴ πάντα τοῖς ἰατροῖς οἱ κάμνοντες πειθαρχῶσι; τίς δὲ ἀσφάλεια ναυτιλλομένοις, ἂν οἱ ναῦται τῶν κυβερνητῶν ἀνηκουστῶσι. Φύσει τε γὰρ ἀναγκαία τινὰ καὶ σωτήρια τῷ μὲν ἄρχειν ὡς τοῖς ἀνθρώποις, τῷ δὲ ἄρχεσθαι τέτακται.* Nec rectè aliquis objecerit, boni alicujus & juſtitiæ fruendæ cauſa homines olim aliis ſe ſubjeciſſe, non ut ad injurias & inſaniam eorum paterent, quos tueri oves ſuas oportet, non deglubere: ceſſante itaque fine illo ceſſare etiam obligationis neceſſitatem, tanquam ex conditionis defectu, ſine qua nunquam in ſocietatem itum fuiſſet: nam ſi vis ineſt huic argumento, illa tantum erit, ut ſi in omnium certiſſimam perniciem Rex feratur, omnes etiam ſibi conſulere poſſint: non verò etiam ſi unum alterumve ex univerſa multitudine petat. Procul dubio enim ſatius eſt obligare aliquem Civium ad tantam patientiam, quam ſingulis concedere, ut de damno & injuriis ſibimet ipſis caveant, pernicioſiſſimo exemplo, quod mox aliis velum fuerit improbis cupiditatibus tegendis: nec eſt tanti unius ſalus,

ut propter eam Respublica periclitari debeat, quæ in ſecuritate imperantium maxima ſui parte conſiſtit : iſtâ enim peſſundatâ, nemo privatorum ſoſpes ex communi naufragio enatat; ſed citra magnum boni publici incommodum aliquando civis jacturam facimus. Et ſanè quin primi ordinis civilis auctores ea mente fuerint, non dubitandum, multò minùs verò, quin ſe ipſos ad tam ſtrictam parendi neceſſitatem abdicato reſiſtendi jure potuerint obligare : non tantum major pars minorem, ex ſocietatis ratione, quæ non fert, ut hæc illi ſe opponat, ne quidem ad ſui conſervationem, ſed & ſinguli ſeipſos : nihil enim peccat, qui in patriæ commodum juri ſuo renunciat, quod naturâ habet, & patitur potius injurias, quam ut ordinis publici ſalutarem faciem reſiſtendo convulſiſſe videatur, qua integra & incolumi etiam privatorum res, utcunque per vices turbatæ, melius ſe habent, quam ſi unusquisque contempta Reipublicæ ſanctimonia ſibi privato vigilet. Rectè ſapientiſſimus (a) Plato. * Τὸ μὲν γὰρ κοινὸν ξυνδεῖ, τὸ δὲ ἴδιον διασπᾷ τὰς πόλεις. καὶ ξυμφέρει τῷ κοινῷ καὶ τῷ ἰδίῳ ἀμφοῖν, ἢν τὸ κοινὸν τίθηται καλῶς μᾶλλον ἢ τὸ ἴδιον: Nec pejus Xenophon. * ὅστις ἐν πολέμῳ ὢν στασιάζει πρὸς τὸν ἄρχοντα, πρὸς τὴν ἑαυτοῦ σωτηρίαν στασιάζει: ratio apud (b) Livium eſt, quia *Respublica incolumis etiam privatas res ſalvas facilè præſtat : publica prodendo tua nequicquam ſerves*, id quod paulo prolixius Thucydides ita explicavit. * Ἐγὼ γὰρ ἡγοῦμαι πόλιν πλέω ξύμπασαν ὀρθουμένην ὠφελεῖν τοὺς ἰδιώτας, ἢ καθ' ἕκαστον τῶν πολιτῶν εὐπραγοῦσαν, ἀθρόαν

δὲ σφαλ-

(a) de Leg lib. 4. (b) l. 26. c. 36.

ἢ σφαλλομένην. Καλῶς μὲν γὰρ φερόμενος ἀνὴρ τὸ καθ' ἑαυτὸν, διαφθειρομένης τῆς πατρίδος οὐδὲν ἧσσον ξυναπόλλυται: κακοτυχῶν δὲ ἐν εὐτυχούσῃ πολλῷ μᾶλλον διασώζεται: ὁπότε οὖν πόλις μὲν τὰς ἰδίας ξυμφορὰς οἵα τε φέρειν : εἷς δὲ ἕκαστος τὰς ἐκείνης ἀδύνατος : πῶς οὐ χρὴ πάντας ἀμύνειν αὐτῇ, καὶ μὴ, ὃ νῦν ὑμεῖς δρᾶτε ταῖς κατ' οἶκον ἐκπεπληγμένοι, τοῦ κοινοῦ τῆς σωτηρίας ἀφίεσθαι. Quod ſi itaque aliquando Civitatum Rectores nimia formidine, iracundia, amore, aut aliis affectibus præpediti à regio publicæ ſalutis & juris tramite abducantur, inter infrequentia id habendum, interventu meliorum deinde compenſanda: Abuſus hic eſt legitimæ poteſtatis, potiùs ferendus, ut alia fortuita, quàm propter eum ampliſſimus uſus in diſcrimen vocandus. Vocaretur verò in maximum diſcrimen, ſi cuilibet ex privatis jus eſſet malè imperantibus nocere: nam propediem alii præjudicio invitati etiam bonos Principes opprimerent, qui ad eorum rationes & vota minus imperant: injuriam enim ſibi fieri tunc etiam interpretabuntur, quando libidines & ſcelera vindicant. Quamobrem longè præſtat tolerare (a) *luxum & avaritiam dominantium, quomodo ſterilitatem aut nimios imbres, & cætera naturæ mala,* quàm peſſimo exemplo parricidiis præire. Sanè lex, quæ ſecuritati imperantium propter publicam utilitatem cavet, non deficit in ſpeciali malæ adminiſtratæ Reipublicæ caſu, de quo ne quidem ſuſpicari voluit: ſed mavult hunc diſſimulare potius, ac ſurda, quod ajunt, aure prætervehere, quàm vel apicem de rigore ſuo remittere, * in

(a) Tacit. 4. Hiſtor. 74. 4.

quo omnium populorum tranquillitas conſiſtit. Quod de civili lege quondam (*a*) Cato dixit, *nullam legem ſatis commodam eſſe, id modo quæri, ſi majori parti & in ſumma prodeſt*, in hac quoque veriſſimum eſt. Prodeſt enim profectò majori gentium parti non lædi imperantes, quorum plurimi ſunt rei publicæ ſtudioſi; quibus verò id non prodeſt, illi ſub lege tamen ſunt, & communibus regulis conſtringuntur, quia etſi ratio legis in iſto ſpeciali facto ceſſet, manet tamen ratio in ſua generalitate, cui ſpecialia ſubjici oportet: id enim melius eſt, quàm absque norma vivere, aut eam cujusque arbitrio permittere: Appoſitè (*b*) Tacitus ad hanc rem; *Habet aliquid ex iniquo omne magnum exemplum, quod contra ſingulos utilitate publica rependitur.* Et (*c*) Seneca. *Satius erat à paucis etiam juſtam excuſationem non accipi, quam ab omnibus aliquid tentari*: idque ad ſervandam domi militiæque diſciplinam multis in negotiis uſu venit. (*d*) Miles, qui caſtigare ſe volenti Centurioni reſtiterit, à veteribus notatur: Si vitem tenuit, militiam mutat: Si ex induſtria fregit, vel manum centurioni intulit, capite punitur, nullo diſcrimine, jure injuriave à centurione cæſus ſit. Quid verò militaris illa decimatio, qua re ex ignavia aut ſeditione militum male geſta decimi cujusque jugulum ſorte petitur, an reprobanda exinde eſt, quod fortiſſimo etiam poſſit periculum creare? Senatus Conſultum Silianum quis neſcit, ſervos omnes occiſo Domino & incerto percuſſore

(*a*) Liv. lib. 34. c. 2. (*b*) Annal. 14 c. 44 7.
(*c*) de Benef. l. 7. c. 16. (*d*) Macer. in l. Mil § ſ. ff. de re mil.

cuſſore ad ſupplicium trahens, quamvis in noxios ſæpè animadvertatur? Hac ſeveritate ſi Reſpublica ad Dominorum ſecuritatem uti potuit, quanto magis, cum de Principis ſalute, in qua omnium etiam ſalus vertitur, munienda ſolliciti ſumus? Nec id quidem immeritò, ſummo imperio per ſe multorum odiis ex poſito, & miſerabili Principum conditione. *quibus de conjuratione comperta non creditur niſi occiſis*: ut nulla legum cura videri nimia debeat, quando unus omnium centrum vel amoris vel odii. Tribuni olim apud Romanos ἄσυλοι: i. e. inviolabiles erant: quantò juſtius verò Reges, qui plus quàm Tribuni? Adde nunc etiam Deum, à quo Reges, boni & mali; Quî ſcis itaque, an ad vindicanda populi delicta hoc inſtrumentum adhibeat, quod anceps retundere. Verè Vatum (a) Princeps.

—— * δεινὸν δὲ γένος βασιλήϊόν ἐστι
Κτείνειν: ——

Et ſol Philoſophiæ. * οἱ ἀρχὴν ἔχων ἐπιτάξειν, οὐ δεῖ ἀντιπλήττειν: ipſo nomine tuti ſunt: nam * ἄρχοντές εἰσιν, ὥσθ' ὑπεικτέον, τί μήν; ait Sophocles: Item Plutarchus in Agide. * οὐ θεμιτὸν οὐδὲ νενομισμένον βασιλέως σώματι τὰς χεῖρας προσφέρειν: non tantum ſi juſtè imperant, verum etiam quando injurioſè. Æſchilus cenſuit. * Τραχὺς μόναρχος καὶ οὐχ ὑπεύθυνος κρατεῖ. Item Euripedes: * τὰς τῶν κρατούντων ἀμαθίας χρεὼς φέρειν. Deniq; Sophocles etiam:

Ἀλλ' ὃν πόλις στήσειε, τοῦδε χρὴ κλύειν
Καὶ σμικρὰ, καὶ δίκαια, καὶ τἀναντία.

(a) Homer. Odyſſ. π.

Quod à Seneca ita verſum:

Indigna digna habenda ſunt, Rex quæ facit:
Æquum atq; iniquum Regis imperium feras.

Quin privatis ipſis, ſi me audient, auctor fuerim, ut injurias potius tolerent, quàm præfractè reluctentur. Quid lucri enim, quid ſpei eis captatur? Parata eſt peſtis, ſive parcant vitæ Regis, ſive occidant: ibi irritatior contumacia tua redditus mox te perdet: nam tenuiſſimi ſunt Principum animi, & omnis freni impatientes; Hic facinoris ultor eſt, quisquis ſucceſſit, (*a*) *tradito Principibus more, munimentum ad præſens, in poſterum ultione*: quippe ad ſuam etiam ſecuritatem pertinere exiſtimabit, percuſſorem ulciſci: & vel exempli cauſa

(*b*) *Regi tuenda maxime Regum eſt ſalus.*

Ac profectò habet aliquid ſecreti fati, velut Sejani equus, imperantium vita, quàm nec innoxiè quidem lædere citra vindictæ metum licet. * Prudenter ſapientes obſervarunt, regicidium vix unquam impunè auctoribus manſiſſe, etiamſi per imprudentiam aut caſu peccaverint. Triſte hujus rei eſt in Gallia exemplum Mongomerii Comes, Heinrici II Regis in haſtiludio interfector; Hic quamvis & provocatus à Rege & omnino ad certamen coactus tamen cæde regiâ piacularis creditus eſt, & ob eandem cauſam Lutetiæ juſſu Reginæ ſecuri percuſſus: *nam quod illi perduellionis affictum eſt*, ait (*c*) Thuanus, *aut ſuperioribus edictis aut data nuper fide remiſſum fuerat: ſed hoc impotenti Regentis deſiderio condonatum, qua hominem regia morte pia-*

(*a*) Tac. Hiſt. c. 44. 4. (*b*) Senec. Oedip. (*c*) Hiſt. l. 58.

te piacularem quavis ratione pœna dedi poſtulabat, ut hoc inſigni exemplo omnes diſcant, ſolo caſu non tantum conſilio nocentes effici, quicunq; vel imprudenter perniciem Principibus attulerint. Nec privatis ſaltem patientia prodeſt, ſed & univerſitati, quæ cum ſalum illud publicum quocunque colore turbat, ſæpius ipſa fluctibus mergitur. Altiſſimas radices Regum potentia habet, & raro ea *moles convelli ſine convellentium exitio poteſt.* Ut (*a*) Tacitus loquitur. Unde factiones, diſſidia, clades, denique bellum civile, quod mare ipſum calamitatum, & in quo miſera etiam victoria eſt. Quid nî igitur (*b*) Favonio credamus? * χεῖρον εἶναι μοναρχίας παρανόμου πόλεμον ἐμφύλιον. Adeoque ſanè laudabilius, utilius, melius, ferre onus, quam cervicibus excutere in caput tuum recaſurum. Opportuna eſt hic (*c*) Taciti admonitio, *meminiſſe temporum, quibus nati ſumus, & bonos Principes votis expetere, qualeſcunque tolerare.*

§. 7. Et ita quidem nos Philoſophiæ præcepta atque civiles rationes docent: Sed ex ſacris literis huic rei major evidentia & certitudo conciliatur. Nam ſi Deus nos durare ad ſuperiorum injurias voluit, quid miſeri recalcitramus? Voluiſſe autem (*d*) Paulus teſtis eſt, cujus luculentum præceptum, * πᾶσα ψυχὴ ἐξουσίαις ὑπερεχούσαις ὑποτασσέσθω: rationem addit. οὐ γὰρ ἔστιν ἐξουσία εἰ μὴ ἀπὸ τοῦ θεοῦ: αἱ δὲ οὖσαι ἐξουσίαι ὑπὸ θεοῦ τεταγμέναι εἰσὶν ὥστε ὁ ἀντιτασσόμενος τῇ ἐξουσίᾳ τῇ τοῦ θεοῦ διαταγῇ ἀνθέστηκεν: οἱ δὲ ἀνθεστηκότες ἑαυτοῖς κρῖμα λήψονται: qui

(*a*) Hiſtor. l. 4. (*b*) Apud Plutarch. in Brut.
(*c*) Hiſtor. l. 4. c. 8. n. 3. (*d*) Rom. 13.

quo loco primo notandum, loqui Apoſtolum de Poteſtatibus in abſtracto, i. e. civili imperio, citra perſonæ, cui ineſt, reſpectum: omnis enim poteſtas à Deo eſt: at vitioſus Princeps, at Tyrannus in ſenſu compoſito non eſt à Deo, à quo malum non deſcendit: ergo dictum de poteſtate ſola intelligendum, quæ etiam in ſubjecto corrupto immaculata manet & ſine labe. Vitium enim & ſævitiam perditiſſimus homo de ſuo adjicit, imperium non inficit. Deinde imperium illud, cui omnis anima ſubdita eſſe jubetur, non tantum boni & juſti Principes, ſed etiam mali ac crudeles poſſidere poſſunt: ut enim virtutes morales imperium nullum dant, ita nec vitia auferunt: quis pejor Saule Rege? Quis Deo inobedientior, & in homines, imprimis verò proceres regni ac ipſum divino digito deſtinatum ſucceſſorem magis injurius? Agnovit tamen David in Tyranno etiam unctum illud Domini: illud inviolabile Characteris cœleſtis aſylum. Unde porro ſequitur, ſuper eminentes poteſtates eſſe ordinationem Dei tunc etiam, cum in ſubjecto vitioſo ſunt, ac proinde reſiſtentes malis & injurioſis Dominis non minus ordinationi divinæ reſiſtere, quàm ſi optimis aut æquiſſimis: neque enim minus his illi imperium habent: non ad perſonas nec ad imperantium vitam reſpicit Paulus, quæ profectò ſæpius omnibus iniquitatibus polluta non à Deo: ſed ad poteſtatem, quam ſemper Deus dat, licet quandoque ingrato aut minus digno: unde appoſite Chryſoſtomus ad hunc locum notat, non Principem quemlibet à Deo, ſed quamlibet poteſtatem eſſe. Falſus

itaque

itaque eſt & veterator (*a*) Miltonius, qui Pauli dictum, ad eos, qui Tyrannis obſiſtunt non pertinere putat. Certe Tyrannus in ſenſu compoſito non eſt ordinatio Dei, ſed poteſtas illa, quam cœlitus accepit: Verum Tyranno reſiſtendo poteſtati etiam, & ordinationi Dei reſiſtitur, quæ in eo conſiſtit, ut parentes obediamus ſuperioribus, non tantum cum pie & juſte regnant, ſed & ſi avarè & crudeliter: ut (*b*) alibi pluribus contra Miltonium explicavi. Quarto is, qui reſiſtit, Apoſtolo, ſignatè admodum dicitur, ὁ ἀντιτασσόμενος, quaſi ex æquo cum imperante compoſitus, ſicut duæ acies hoſtiles propediem conflicturæ ſibi invicem opponuntur. Hunc reſiſtendi modum damnat, qui injuriis non ferendis ſed propellendis aptus eſt. Si Princeps aliquem animo cædendi occidendive invadat, ἀντιτασσόμενος eſt, qui vitã & corpus gladio aut quocunq; telo*cum invaſoris periculo defendit, non qui fugit: Si contra jus ſpoliare rebus ſubditos cupit, ἀντιτάσσεται ille, qui raptorem violenter repellit, verberat, interficit: non qui occultat res, donec præterierit furor. Denique comminatio reſiſtentibus dictatur, quod ſibi ipſis judicium accipient: æternum imprimis, niſi reſipuerint: non excluſo tamen temporali, nam rariſſime factioſis aut regicidis ſeditiones inſidiæque bene cedunt, ſed divina Nemeſis, in cujus ſpeciali tutela Reges ſunt, plerumque furias jam ipſo ſucceſſu ſecuras opprimit: *ne vel unquam improbis timor vel ſpes abſit calamitoſæ virtuti*: ut hæc Barclai verba in-

(*a*) In defenſ. pro popul. Angl. c. 4.
(*b*) Obſerv. in H. Grot. l. 1. c. 4. §. 4.

ba inflexo paulatim ſenſu huc applicemus. Et hunc eſſe Paulini loci genuinum ſenſum ipſiſſima veritas (*a*) Chriſtus explicat, qui gladium à Petro in nocturnos graſſatores vibratum in vaginam recondi jubet, addito, * *πάντες γὰρ οἱ λαβόντες μάχαιραν, ἐν μαχαίρᾳ ἀπολοῦνται*, quibus verbis diſerte improbat defenſionem, quæ vi fiat, contra vim etiam injuſtiſſimam, ſed publica auctoritate illatam: quæ enim major crudelitas, quæ inſolentior tyrannis eſſe poterat, quam illa Judæorum, qua extortis à Pilato per calumnias ſtipatoribus in mundi Salvatorem, ad crucem çapiendum uſi ſunt? quod juſtius defenſionis nomen, quæ pia magis & legitima indignatio, quàm Petri, qui pro Domino & Magiſtro meritiſſimo pugnavit? Reprimit tamen præliandi impetum Chriſtus, & ad patientiam Petrum hortatur, eo quod nullam legitimam capiendi arma vocationem habeat: ſubjuncta generali comminatione, omnes perituros gladio, qui citra officium publicum privata manu etiam defenſionis cauſa enſem arripuerint, i. e. quocunque modo vel injuſtis ſuperiorum cupiditatibus violenter reſtiterint. Quod idem à (*b*) Petro paulo diſertius traditur, qui, dum ſervos cum omni timore Dominis ſubditos eſſe jubet, non tantum bonis & æquis, ſed & duris, *σκολιοῖς*, una opera officium boni civis exprimit: nam rationes, quas adjicit, ut nunc imperium taceam, ſubditos non minus quam ſervos ſtringunt: commendat enim patientiæ virtutem duplici potiſſimum loco: tum quod decorum ſit, innocentes imperantium injurias

(*a*) Matth. 26, 52. (*b*) 1. Epiſt. 2, 12.

jurias pati : * Τοῦτο γὰρ χάρις, εἰ διὰ συνείδησιν θεοῦ ὑποφέρει τὰς λύπας, πάσχων ἀδίκως. Ποῖον γὰρ κλέος, εἰ ἁμαρτάνοντες καὶ κολαφιζόμενοι ὑπομενεῖτε; ἀλλ' εἰ ἀγαθοποιοῦντες καὶ πάσχοντες ὑπομενεῖτε, τοῦτο γὰρ χάρις παρὰ θεῷ : tum quod neceſſarium, exemplo à Chriſto relicto, quod ſequi oportet. * Εἰς τοῦτο γὰρ ἐκλήθητε, ὅτι καὶ Χριστὸς ἔπαθεν ὑπὲρ ἡμῶν, ἡμῖν ὑπολιμβάνων ὑπογραμμὸν, ἵνα ἐπακολουθήσετε τοῖς ἴχνεσιν αὐτοῦ, ὃς ἁμαρτίαν οὐκ ἐποίησεν, οὐδὲ εὑρέθη δόλος ἐν τῷ στόματι αὐτοῦ. Ὃς λοιδορούμενος οὐκ ἀντιλοιδόρει· πάσχων οὐκ ἠπείλει. In Clementis quoque conſtitutionibus quod uno loco de ſervorum obſequio cum injuriarum patientia conjuncto dicitur, * ὁ δοῦλος εὔνοιαν φερέτω πρὸς τὸν δεσπότην μετὰ φόβου θεοῦ, κἂν ἀσεβὴς, κἂν πονηρὸς ὑπάρχῃ· id alio ad regem etiam extenditur : * Βασιλείᾳ οὐ θεμιτὸν ἐπανίστασθαι : quod enim in minoribus ſocietatibus conſtitutis non licet : quomodo eis liceat, qui majoris & omnium perfectiſſimæ participes majori etiam & eminentiori imperio ſubſunt, quod cætera omnia auguſtiſſimo complexu in ſe comprehendit? unde rectè ſapienter ab officio filii, patris iram ferentis ad illud ſubditi tranſierunt. De Lyſimacho (*a*) Juſtinus ait, *magno animo Regis velut parentis contumeliam tulit* : & notum eſt apud (*b*) Livium illud: *Ut parentum ſævitiam, ſic patriæ PATIENDO AC FERENDO leniendam eſſe.* Ius regium, quod apud Samuelem legitur, quamvis de verò jure, id eſt facultate honeſtè & juſtè aliquid agendi ſit, tamen quod in fine additur, populum gravi imperio preſſum opem Dei implo-

(*a*) Lib. 15. (*b*) Lib. 27.

imploratorum, quod nimirum humana remedia nulla extarent, quin & ad injurias trahi poſſit, impedimentum non video. Equidem haud nego, potiſſimo ſui ſenſu ad ipſum regiminis genus, quod regium & ſua natura adſtrictius ſeveriusque eſt, & populo licentioſo minus aptum, reſpicere, non excluſis tamen injuriis, ad quas à jure in regia purpura facilis tranſitus. Sed quicquid tandem hujus ſit, id textus apertè indicat, ſubditos, ſi quid diſpliceat in Monachia, ſive hoc ſit ipſa Reipublicæ forma, unius arbitrio relicta; ſive dominantium luxus & injuriæ, omni humana ope deſtitutis ſolius Dei auxilium & vindictam implorare, minimè omnium verò ſibimet ipſis conſulere poſſe: ne verbis quidem, cum ſcriptum in (*a*) lege ſit, *Diis*, i. e. imperantibus, ***non maledices*, *& Principi in populo tuo non maledices***: peculiare aliquid præcipi quivis eò animadvertit, quod ne in privatum quidem falſa maledicta jacere liceat, ut ſpeciali Principis mentione non opus fuiſſet: quare veris etiam maledictis abſtinendum in Regem eſt: nam (*b*) *κατηγορεῖν τὸν ἄρχοντα εἰς τὴν πόλιν ὑβρίζει*: quanto minùs facti atrocitate: apertè (*c*) David in ſua etiam cauſa dixit: neminem eſſe poſſe inſontem, qui manus Regi inferret: & (*d*) novimus eundem religione perculſum non mediocriter pœnituiſſe, quod vel fimbriam veſtis regiæ tentaſſet; tantam perſonæ Saulis inſenſiſſimi hoſtis ſui ſanctitudinem eſſe intelligebat: Expectanda igitur divina manus eſt, & interea patienter jugum

(*a*) Deuter. 22. 28. (*b*) Problem. Ariſt. Sect. 40.
(*c*) 1. Sam. 26. 9. (*d*) 1. Sam. 24. 6.

gum ſubeundum, quod conditio noſtra nobis impoſuit. Perſas eo nomine Claudianus laudat, apud quos

----- *quamvis crudelibus æquè*
Paretur Dominis.

quo cum convenit, quod Tacitus habet: *Ferenda regum ingenia*, & : *bonos imperatores voto expetendos, qualescunq; tolerandos.*

§. 8. Sic vixit ſic docuit omni ævo vera Dei Eccleſia. In Vetere teſtamento Abrahamus & Iſacus, inquilini Philiſtrorum ac Ægypti Regibus uxores pene ſuas ceſſerunt, quod vitæ metuerent. Jacobi filii in Ægyptum commeatus parandi cauſa profecti & mox ab Oeconomo Joſephi ſacrilegii accuſati, quamvis nullius ſibi criminis conſcii eſſent, omiſſa omni defenſione capi ſe ſiverunt, ut innocentiam ſuam coram ipſo Prorege agerent. Populus verò Iſraeliticus in eadem Ægypto graviſſima ſervitute contra pacta conventa preſſus, & in opus publicum laterum conficiendorum damnatus totis quadringentis annis nullam ſeditionem excitaſſe legitur, Regibus omni crudelitatis genere in illos deſævientibus, juſſis quoque pueris recens natis omnibus necari, ut fœcundam gentem labore, inedia, deniq; maſculæ prolis defectu conficerent: Et tamen animos defuiſſe putas ſexies centum millibus hominum intolerabili liturgia ad extremam ferè deſperationem adactorum? nimis creduli ſunt & rerum humanarum ignari, qui ita ſentiunt. Quoties una aliqua Civitas, eaque nec opibus nec viribus valida adverſus potentiſſimum imperium ſurrexit, nulla omninò

boni eventus ſpe? graviſſimi enim ſunt morſus irritatæ neceſſitatis & non raro homines tædio vitæ abrumpendæ ipſa *deſperatione in audaciam accinguntur*: itaque conſcientia profectò fuit, non metus à periculis, quæ impetum parandæ libertatis tenuit; Hæc longe fortiora animo vincula injicit, quàm quæ ferrea corpus vinciunt, & vindice Deo terret, cùm ab hominibus ſecure agitur. Scilicet à teneris ſic inſtituti Israëlitæ erant, ferendas imperantium injurias potiùs, quam repellendas, & ſpiritualibus armis, precibus, votis piis, patientia contra pugnandum, non gladio. Sincera hac pietate imbuti indigniſſima quotidie ſuſtinere maluerunt, quàm motu ſuſcitato in Deum peccare, in Regem, in boni ſubditi officium. Rapiebantur in horas à tenerrimis parentum complexibus plorabundi infantes ad necem, & ipſe populus à domeſticis curis ad publicum opus, plagas, verbera, ſervitutem: & quod mirêre in contumaciſſimo populo, hæc omnia tolerant, ferunt, remediis adverſus illa uſi lachrymis, obſequio, ſupplicationibus ad Regem & ad Deum precibus; nec prius regno exceſſerunt, quàm illud ipſis cum bona Regis venia licuit, miraculis, & ſuppliciis cælitus immiſſis territi. Jam David deſignatus dudum regni Judaici Rex quomodo ſe contra Saulis perſecutionem tutatus eſt? Latebras quærit, modo deviis locis occultatus, modo apud externas gentes refugio captato, omiſſa penitus pugnandi occaſione, nec urbibus tentatis, quod ei perfacile fuiſſet: quin hoſtem ſuum in inſidias & poteſtatem pertractum, ut impune illum potuiſ-

potuiſſet occidere, contra Procerum ſuorum conſilium incolumem dimittit, ignaviâ per unctum Domini excuſatâ. Elias Propheta Achabi tyrannidem fuga devitat, non igne deſuper vocato, quo duos illos centuriones ſingulos cum quinquaginta militibus peremit: Eandem vivendi rationem Chriſtiana Eccleſia iniit poſt ſublatam Judæorum & religionem & Rempublicam. Chriſtus ipſe fugam concedit, quibus mortis periculum propter religionem impendet, præter fugam nihil; ita fugerunt ex urbe in urbem alteram, Apoſtoli, fugere Chriſtiani primi, in Eccleſia parturiente exactiſſimis gentilium Imperatorum perſecutionibus correpti; contra Julianum defectorem lachrymis & ſuſpiriis Eccleſia præliata eſt, quòd aliud contra perſecutorem non erat remedium, ut Nazianzenus teſtatur; nec tamen eo tempore vires Chriſtianis deerant, multis legionum Ducibus cum ipſis Provinciis atque legionibus ſinceram fidem amplectentibus: Hoc inſtituto maxime crevit religio noſtra, uberrima ſubinde Chriſtianorum ſegete ex ſanguine martyrum repullulante, ut, ſi vi uti contra Tyrannos voluiſſent, abunde virium habuiſſe credantur. *Si enim hoſtes*, inquit Tertullianus ad Imperatores, ejus rei haud ignaros, *& apertos non tantum vindices occultos agere vellemus, deeſſet nobis vis numerorum & copiarum. Plures nimirum Mauri & Marcomanni, ipſiq; Parthi, vel quæ tacunq; unius tamen loci & ſuorum finium gentes, quam totius orbis? Externi ſumus & veſtra omnia implevimus, urbes, inſulas, caſtella, municipia, conciliabula*

bula, caſtra ipſa, tribus, decurias, Palatium, Senatum, forum, ſola vobis relinquimus templa: cui bello non idonei non prompti fuiſſemus, etiam copiis impares, qui tam lubenter trucidamur, ſi non apud iſtam diſciplinam magis occidi liceret quam occidere. Cyrillus etiam teſtis ejusdem patientiæ: *Inde eſt, quòd nemo noſtrum, quando apprehenditur, reluctatur, nec ſe adverſus injuſtam violentiam veſtram, quamvis nimius & copioſus noſter ſit populus, ulciſcitur: Patientes facit de ſecutura ultione ſecuritas: innocentes nocentibus cedunt.* Et Auguſtinus. *Neq; tunc civitas Chriſti, quamvis adhuc peregrinaretur in terris, & haberet tam magnorum agmina populorum, adverſus impios perſecutores pro temporali ſalute pugnavit, ſed potius ut obtineret æternam, non repugnavit, ligabantur, includebantur, cædebantur, torquebantur, urebantur, laniabantur, trucidabantur & multiplicabantur: non erat eis pro ſalute pugnare, niſi ſalutem pro ſalute contemnere.* De legione Thebæa, militibus ſexies mille, ſexcentis ſexaginta ſex Chriſtianis omnibus conſtante res notiór eſt quam ut dici debeat, juſſi enim gentium Diis adolere, cum recuſarent, decimati primò, mox omnes cæſi ſunt: qui reſiſteret, quod armatis & tantis pro manibus erat, nemo inventus, *cædebantur paſſim*, ita habet vetus martyrologium, *gladiis non repugnantes, ſed & depoſitis armis cervices perſecutoribus vel intectum corpus offerentes, non vel ipſa ſuorum multitudine, non armorum motione elati ſunt, ut ferro conarentur aſſerere juſtitiæ cauſam, ſed*

hoc

hoc ſolum reminiſcentes, ſe illum confiteri, qui nec reclamando ad occiſionem ductus eſt; & tanquam agnus non aperuit os ſuum: ipſi quoq; tamquam grex Dominicarum ovium laniari ſe tanquam ab irruentibus lupis paſſi ſunt. Cum vero Maximiano & Diocletiano Imperatoribus crudele edictum Nicomediæ propoſitum fuiſſet, quo ſacri Codices ad ignem, Baſilicæ ad ruinam, ipſi Chriſtiani ad cruciatus & necem vocabantur, unusque ex illis indignatione edictum diſcerpſiſſet, quo nomine publico ſupplicio in eum animadverſum eſt, cæteri jure cæſum pronunciarunt, velut in Principes licet maxime ſanguinarios innoxia pene ira injurium, nec memoria indignum illud eſt, quòd Veteres Chriſtiani ne quidem exilii certis hominibus non toti cauſæ aſſignati locum ſibi egredi fas eſſe exiſtimarunt, Johannis Apoſtoli exemplo, qui Pathmo inſulâ ſe continuit, ut Imperatum erat, qua de re hoc Cypriani judicium legitur. *Ælias in eam patriam, unde extorris factus eſt, regreditur, ut deprehenſus, non jam quaſi Chriſtianus, ſed quaſi nocens pereat.* Ne verò Pontificii, quod ipſis hic ſolemne eſt, inter gentiles Principes & hæreticos diſcrimen faciant, Valentem adjungamus, Arrianum Imperatorem, impiè & crudeliter in eos ſævientem, qui ex verbi divini ductu & Patrum catholicâ doctrinâ filium Patri ὁμούσιον profitebantur. Maxima certè eo tempore verè credentium multitudo fuit, quin major ipſis hæreticis, quæ nunquam adverſus Cæſaris impietatem ſe armis defendit: imò Euſebius Pius Samoſatæ Urbis Epiſcopus ejus imperio pulſus cohibuit

hibuit populum, retinere ſe volentem, & compeſcuit jam imminentem ſeditionem inquiens; *nec ego me vallabo circumfuſione populorum.* Ambroſio ingẽtes injuriæ à Valentiniano, Valentiniani filio, nec ſibi privato tantum, ſed & omni fidelium cœtui fiebant, quas perferre maluit quàm ulciſci, unde nunquam adduci potuit, ut Maximi copiis aut populi concitatiſſimi, operamque ſuam prolixè deferentis, ſtudiis in Imperatorem Eccleſiæ hoſtem uteretur: *Coactus*, inquit, *repugnare non novi, dolere potero, potero flere, potero gemere: adverſus arma, milites, Gothos quoq; lachryma mea arma ſunt: talia enim ſunt munimenta Sacerdotum, aliter nec debeo nec poſſum reſiſtere.* & mox, *exigebatur à me, ut compeſcerem populum, referebam in meo jure eſſe ut non excitarem, in Dei manu, ut mitigaret.* Quamobrem etiam ſedulo caverunt Chriſtiani, ut à factionibus abſtinerent, etiam incerto Dominantium jure, ne vel imprudentia peccarent. *Unde Caßii*, inquit Tertullianus, *& Nigri & Albini? unde qui inter duas lauros obſident Cæſarem? unde qui faucibus ejus exprimendis palæſtricam exercent, unde, qui armati palatium irrumpunt, omnibus tot Sigeriis ac Partheniis audaciores? De Romanis ni fallor: id eſt, de non Chriſtianis.* Idemque alio loco. *Circa majeſtatem Imperatoris infamamur: tamen nunquam Albiani, vel Nigriani, vel Caſſiani inveniri potuerunt Chriſtiani*, nunquam igitur contra Imperatorem ſteterunt: pro eo ſemper, qua per Deum licuit. *Milites Chriſtiani*, ait Auguſtinus, *ſervierunt Imperatori*

infi-

infideli: quando volebat, ut Idola colerent, ut thurificarent, præponebant ei Deum: diſtinguebant Dominum æternum à Domino temporali, & tamen ſubditi erant propter Dominum æternum etiam temporali. In extremo & certiſſimo vitæ diſcrimine adverſus flagitioſæ Principis voluntatis executores immanes carnifices defenſio licita eſt, non æque ipſum Pri cipem. Nam David etiam armatos circa ſe habuit, cui alio fini, niſi pugnaturus in Saulis ſtipatores, ſi ad extrema cogeretur: ipſum verò Saulum, forte fortuna in ſuas manus delapſum ne quidem attingere voluit: ſolam ejus haſtam cum ſcypho, argumenta ſui obſequii & reverentiæ in Regem, ſecum tulit. Armenii Maximium bellum ob fidem inferentem anno circiter 310. ingenti prælio profligarunt, non ſine laude, quam eo facto conſecuti ſunt, ad quorum exemplum Novatiani quoque, referente (*a*) Socrate Hiſtorico, Mantinienſes milites in ſe miſſos penè ad internecionem delevere. Tractavi prolixius hoc argumentum in (*b*) obſervationibus ad Grotium, quò compendii cauſa lectorem remitto. Quod ad Martyrum exempla, imprimis verò Thebæam legionem attinet, qui mori maluerunt quam reſiſtere, licet nec animus nec vires deficerent, conditione temporum excuſantur, quibus religio Chriſtianorum adhuc adoleſcens & tenera innocentium ſanguine & miraculoſo patientiæ robore plantanda fuit: *aſſerenda tum temporis*, inquit (*c*) Hornius, *à confeſſo-*

I 4 *ribus*

(*a*) Lib. 2. c. 38. (*b*) L. 1. c. 4. §. 7. p. 282. &c.
(*c*) De Civit. l. 2. c. 12. §. 12.

ribus rei Chriſtiani certitudo & veritas erat, & approbanda veniebat adeò in conſpectu orbis univerſi, ut nondum confirmati ſatis haberent exemplar, quod reſpicerent. Id melius autem fieri haud poterat, quàm ſi magnanimi prodirent Heroës, qui ingenti animo mortem obirent propter fidem, quam publicè docebant vel ſequebantur: non enim ſine inſigni utilitate communis rei & incremento naſcentis Eccleſiæ audiebantur cædes conſtantiſſimorum hominum, qui non tantum perſeverantiam majorem popularibus doctrinæ ſalvificæ aſpirabant, ſed tacitos ſæpe relinquebant ſtimulos in animis perſecutorum, adeò ut hi inquirerent altius, inque ipſas deſcenderent cauſas hujus, quàm vocare ſolebant, pervicaciæ, mox deprehenſa cœleſti veritate & profiterentur eam & propugnarent, & qua affecerant ejus cultores morte, pro eadem obire diem nihil quicquam recuſarent. Martyrum igitur exempla ſingularem æquitatis laudem habent, quod cum potuerint fugere vel repugnare, ad confirmandos ſocios & conteſtandam doctrinæ veritatem ſe interficiendos tradiderint: interpretanda vero neutiquam ſunt, quaſi perpeſſi talia ſint propter negatam jure reſiſtendi facultatem.

§. 9. Sunt quidam, qui, quod hucusque de non reſiſtendo ſuperioribus diximus, ſolos privatos concernere putant, non Magiſtratus inferiores, quibus adeo jus reſiſtendi injuriis ejus, qui ſummum imperium habet, eſſe ajunt, ut ſi officio ſuo, tam populo quam ſibi, deſint, graviter peccent. Dici non poteſt, quantas iſta hæ-

reſis in Gallia turbas dederit, qua tamen nihil impudentius, nihil improbius, nihil falſius dicitur: Nam Apoſtolus Paulus, qui omnem animam poteſtatibus ſupereminentibus ſubeſſe voiuit, non excludit Magiſtratus, ſed ad idem obſequium ligat, quod privati debent. Hos enim ad poteſtates ſupereminentes non pertinere apertè Petrus docet, qui aliter Regi ὡς ὑπερέχοντι, aliter ἡγεμόσιν, id eſt Præſidibus, Ducibus Magiſtratibus, ὡς δι' αὐτοῦ πεμπομένοις parendum eſſe præcipit: quare Magiſtratus in cenſu illarum animarum ſunt, quæ ſubjectionem debent, neque in ſacris ſcripturis ullo loco quoad obſequii debitum & negatam reſiſtendi licentiam inter haſce & privatos diſcrimē factum animadvertas. Quin contra potius David & Samuel uterque perſona publica Saulem Regem manifeſtè jam inſanientem ſolita veneratione ac cultu proſecuti ſunt: ſicut & in Chriſtiana Eccleſia plurimi Provinciarum Præſides ac Duces legionum fuerunt, qui ſuæ poteſtatis prætextu vix unquam Tyrannis reſtituerunt. Rectè Marcus Aurelius ſapientiſſimus imperator dixit, *Magiſtratum de privatis, Principem de Magiſtratibus, Deum autem de Principibus decernere ac judicare:* nec aliud ratio civilis ordinis patitur; in jure enim ſummi imperii eſt ipſa Magiſtratuum creatio, qui in ordine ad imperantes tam privati ſunt; quam in ordine ad privatos publici. Totum eſſe, tota eſſentia & latitudo Magiſtratuum à majeſtate dependet, in cujus injuriam non retorquendum eſt, quod à ſe cauſam habet: ubi enim voluerit Princeps, vel nutus momento in viliſſimam pri-

I 5 vati

vati conditionem adempta auctoritate decidet, qui modo purpura & imperio fulſit. Sicut in domo ſervus poteſtate ſua, quam à Domino in conſervos accepit, in ipſum Dominum, quamvis graviter & perverſe dominantem, uti nequit: ſicut nec uxor in maritum imperio, quod ex ejus liberalitate in liberos & totam familiam habet: ita nec Magiſtratui utcunque maximo, modo infra Regem ſit, in auctorem & cauſam ſuæ poteſtatis inquirere & animadvertere licet. Vide plura de hoc argumento, quæ contra Miltonium Anglum in *(a)* obſervationibus noſtris ad Grotium annotavimus.

ANNOTATA
Ad
CAPUT III.

§. 3.

UT de eſu ſanguinis & *τῦ πνίκτυ* interdicto.] Utique enim in vetere Eccleſia ante Chriſtum natum univerſale præceptum fuit, Judæis cum omnibus fidelibus commune, ſanguine & ſuffocato non veſci. In novo fœdere expiravit quidem obligatio, fuſo jam & immolato cruore illo, cujus reverentia humanum genus à pecudum ſanguine abſtinere debuit. Sed inconſultum viſum Apoſtolis repentina mutatione à Judæis ſcindi, averſaturos procul dubio illa ſacra, quæ non ſolum à majorum inſtitutis prorſus abducerent, verum etiam poteſtatem rei facerent, olim ſine gentium discrimine omnibus piis æquali interdicto vetitæ: inde cavendum offendiculum rata Eccleſia, quæ illo tempore nondum ſpem omnem abjecerat de Judæorum converſione, retento ad tempus onuſculo quodam, quo cum Judæis conſociaretur, invidiam leniit remiſſæ neceſſitatis circumcidendi præputia, quam etſi populus, patriis ritibus usque ad pertinaciam imbutus, ægrè ferret negligi, plenior tamen excuſatio fuit & ratio mutationis, quod illam nec ipſi Judæo-

(a) Lib. 1. c. 4. 6. 7.

Judæorum ſapientes neceſſariam ducerent niſi illis, qui in fœdus cum Abrahamo percuſſum cuperent adoptari. Cæteris ſufficere viſa ſeptem illa mandata, Noæ poſteris poſt terram à diluvio purgatam data, inter quæ illud de ſuffocato & ſanguine relatum eſt. Id prolixius à Grotio explicatur, cujus ea de re hæc verba ſunt *in cap. 4. de Imperio Summ. Poteſt. circ. Sac. §. 8. Sic & in illa Apoſtolorum, Seniorum & fratrum Epiſtola ad Eccleſias Syriæ & Ciliciæ verba hæc* ἐπιτίθεσθαι βάρος *ſimili modo ſunt exponenda: non enim novum onus imponitur Chriſtianis, alioqui enim ſequeretur ſcortari ante hoc decretum licuiſſe, cum ejus quoque rei abſtinentia iiſdem oneribus accenſeatur, ſed declaratur quod ſit Chriſtianorum officium ex lege divina, quæ actiones liberas ad aliorum ſalutem promovendam vult dirigi, & offendicula anxie vitari. Jam vero Judæi, quanquam proſelytos propiore quodam affectu amplexabantur, ſoliti tamen, ut ex ipſorum libris apparet, ferre etiam alios ex gentibus, dummodo ea inſtituta ſervarent, quæ Deus dederat Noæ filiis, in quibus & hoc erat comprehenſum, ne quis ſuffocato aut ſanguine veſceretur. Contra verò ſi quis ea præcepta in commune data humano generi contemneret, eum omnes hoſtem ducebant publicum, cum quo nihil ſibi ne humani quidem juris commune exiſtimabant. Nam Cananæos quoque & vicinos ipſis populos internecione devotos arbitrabantur non aliam ob cauſam, quam quod iſtius generis præcepta violaſſent. Quare & Apoſtolorum ævo cum legem ritualem abrogatam à Chriſto nondum poſſent intelligere Judæi, aliter exiſtimare non potuerunt, quam gentes illis ceremoniis, quæ toti humano generi præſcripta erant, non minus quam ſe Iſraëliticis legibus obligari: ideoque ab iis inſtitutis recedentes hoſtiliter erant averſaturi. Quod cum magnum eſſet futurum impedimentum propagando Evangelio, tenebantur ſanè gentiles ea in re Judæi obſequii: ideoque poſtquam deſperare cœpit de plerisque Judæorum ad Chriſtum adducendis, hoc onus ſine ulla abrogatione ſponte ſua per occidentis Eccleſias evanuit, quia ſcilicet vis obligandi non niſi ex illa, quam diximus divina, lege pendebat, quod ſpeciatim in cauſa idolothytorum ad Corinthios explicat Paulus.*

[§. 4. Reſiſtit enim divinæ ordinationi.] Rectè Auguſtinus: *Nam & apud homines pœnas luit, & apud Deum frontem non habebit, qui hoc facere noluit, quod ei per cor Regis ipſa veritas juſſit.* Item: *Hoc jubent Imperatores quod jubet & Chriſtus, quia cum bonum jubent, per illos non jubet niſi Chriſtus.*

[§ 6. ἀκύρου

[§. 6. ἀκούει οὐδ.] *Audit in nullo nemo neminem.*
[θεμιστεύει.]

Imperat vero unusquisque
Liberis & uxoribus.

[οὐ μὴν τοὶ καὶ ἐγώ.] *Neque ego per ſe bonum aut pulchrum eſſe arbitror, ſi Princeps à ſubditis in ordinem redigatur: nec ſalutare quid fieri poſſe unquam, ſi quod ordinatum eſt ſervire, dominari illi,* (id eſt Principi) *conetur. Conſiderate vero qualis in domo ſit ordo futurus, cùm, qui in juventute ſunt, ſeniores contemnunt? Aut qualis ſcholarum, ſi qui frequentant, Praeceptores flocci faciunt? Quæ item ſanitas ægrotis, qui non in omnibus ſequuntur Medicos? Et quæ navigantibus ſecuritas, quando Magiſtris nautæ non obediunt? Natura enim hæc duo in hominum genere ut neceſſaria & ſalutaria ordinata ſunt, hinc imperare, illinc parere.*

[τὸ μὲν γὰρ κοινόν.] *Publicum enim ſtipat civitates, privatum convellit. At tam publicæ quàm privatæ rei plurimùm intereſt, ut magis publicum bene ſe habeat quam privatum.*

[Ὅστις ἐν πολέμῳ ὤν.] *Quicunq; in bello miles adverſus Imperatorem ſeditioſus ſit, adverſus ſuam ipſius ſalutem tumultuatur.*

[ἐγὼ γὰρ ἡγοῦμαι.] *Ego enim ita cenſeo, Civitatem illam, quæ in communi ſe rectè habet, magis prodeſſe privatis etiam, quam quæ ad ſingulos cives demerendos fertur: ipſa verò publicè ſibi nocet. Vir enim domi ſibi ſoli felix peſſum eunte patria unà nihilominus perit. Sed qui incolumi publico privatim patitur, multo magis ſervatur. Cùm igitur Civitas privatas quidem calamitates ferre poſſit: ſinguli vero publicas Civitatis non poſſint, cur non omnes oporteat huic auxiliari & non, quod vos nunc facitis, domeſticis malis obruti, publicæ rei ſalutem negligere?*

[In quo omnium populorum.] Poliarchus apud Barclajum in Argenide. *Nec me aliud Meleandri partibus junxit,* inquit, *quam quod illius calamitas omnibus gentibus abominandum exemplum eſt, quæ quietem nunquam agant, ſi vitiis Principis iraſci liceat & inſidiari bonitati.*

[δεινὸν δὲ γένος.] *Difficile eſt genus regium,*
Occidere.

[εἰ ἀρχὴν ἔχων.] *Si, qui imperium habet, percuſſerit, non ille repercutiendus eſt.*

[ἄρχοντές εἰσι.] *Principes ſunt, obediendum igitur, quid mi?*

[οὐ θεμιτὸν.] *Neque juſtum eſt, neq́ legibus congruum Regis corpori manus afferre.*

[τραχὺς μόναρχος.] *Aſper etiam Rex & nulli obnoxius imperat tamen.*

[τὰς τῶν κρατούντων.] *Imperantium inſcitia ferenda eſt.*

[Prudenter ſapientes obſervarunt.] Confer exempla apud Forſtnerum *in not. Polit. ad Tacit. l. 1. c. 8. ad verb. cum occiſus Caſar aliis peſſimum aliis pulcherrimum facinus videretur.*

[χεῖρον εἶναι.] *Pejus eſſe principatu injuſto bellum civile.*

[§. 7. Πᾶσα ψυχὴ.] *Omnis anima poteſtatibus ſuperioribus ſubjecta eſto: quia non eſt poteſtas niſi à Deo, quæ vero ſunt poteſtates, à Deo ordinatæ ſunt: quare qui reſiſtit poteſtati, ordinationi divinæ reſiſtit. At qui reſtiterunt, ſibi ipſis judicium accipient.*

[Cum invaſoris periculo.] Grotius *in cap. 5. §. 4 de Imper. Summ. Poteſt. circ. Sacr.* inquit; *Neq́ jubentia neque vetantia præcepta obligant ad agendum omittendumve aliquid contra legem Dei ſive naturalem ſive poſitivam: ſed duntaxat ad patiendum; idq́ tum demum, ubi pœna evitari niſi vi oppoſita non poteſt.*

[πάντες γὰρ οἱ λαβόντες] *Omnes enim, qui gladium ſumunt, peribunt gladio.*

[τοῦτο γὰρ χάρις] *Hoc enim eſt gratia, ſi quis Dei cauſa perfert injurias, injuſtè patiens. Quæ enim gloria, quod ob peccata affecti plagas toleratis, ſed cum rectè facientes perfertis verbera, hoc eſt gratia apud Deum.*

[εἰς τοῦτο γὰρ ἐκλήθητε.] *In hoc enim vocati eſtis, quod & Chriſtus paſſus ſit pro vobis; relinquens vobis exemplar, ut ſequamini veſtigia ejus, qui non fecit peccatum, nec repertus eſt dolus in ore ejus: qui cum maledictus inceſſeretur, non regeſſit maledicta, nec cum pateretur, minatus eſt.*

[ὁ δοῦλος.] *Servus amet dominum cum timore Dei, etiamſi impius ſit & malus.*

[βασιλεία οὐ θεμιτὸν] *Contra regnum nefas eſt inſurgere.*

CAPUT IV. DE JUDICIO CIRCA SACRA.

Summaria.

1. *Cur de judicio circa ſacra agendum.*
2. *Definitio judicii circa Sacra.*
3. *Ejuſdem diviſio.*
4. *Probatur ſummum illud Principi competere.*
5. *Refutata aliorum objectio, quod Princeps labi poſſit.*
6. *Itemq́ alia de ſummo Chriſti judicio.*
7. *Modus exercendi judicium explicatus.*
8. *Diſtinguendum tamen inter rectitudinem actionis & ejus validitatem.*

§. 1.

VIſo & aſſerto imperio, qùod imperantibus circa ſacra competit, nunc inſigniora ejus jura ſeu partes poteſtativas percurrere animus eſt. Quoniam verò omnem imperandi actum præcedit judicium, eſt enim imperare voluntatis, judicare verò intellectus, qui rem ipſam prius examinat, ac deinde voluntati agendam committit, ideoq́ue hîc etiam nonnulla de judicio circa ſacra ſummo & humano in quavis Republica dicenda ſunt.

§. 2. Judicium potiſſima ſua & genuina ſignificatione actum ſuperioris denotat, quo inter partes litigantes definit, quod juſtum eſt, à quo poſtea & locus ille, ubi jus redditur, judicium appellatum, ut judicium Aulicum, Rotweilenſe, Provinciale: Magis vulgariter pro quacunque definitione ſumitur, etiam interna, in omnibus, quæ contemplamur aut agimus; Ita judicium

um circa ſacra in communi eſt veræ religionis & cultus divini deſignatio, quam quisque hominum ex intellectu recto & libero depronit, qui objectum ſeu religionem ut veram cognoſcit ac judicat: in ſingularibus definitio illius, quod in quavis religionis negotio dubio aut controverſo occurrit: ut exempli cauſa infantes etiam baptizari poſſe: ſacram Synaxin ſub utraque dandam & ſumendam: bonis operibus non mereri cœlum. Pontificem non eſſe univerſalem Paſtorem & Eccleſiæ Catholicæ viſibile caput. Hæc omnia intellectus ſacris literis, Conciliis liberis & incorruptis, Patrumque traditionibus congruentia judicat, adeoque voluntati credenda & confitenda tradit.

§. 3. Hac ratione judicium circa agenda univerſaliter ſumptum duplex eſt: unum, quod propriis actionibus præit: alterum quod per proprias actiones refertur ad alienas, quod rurſus dupliciter fit: refertur enim ad actiones alienas per actiones proprias vel per modum intellectus, quod judicium directivum rectè vocari poteſt: vel per modum voluntatis, unde judicium imperativum, de quo ultimo nunc nobis laborandum, nam directivum etiam aliis, qui ſummo imperio ſubſunt, in ipſos quoque imperantes citra imperativi diſcrimen aut damnum competit.

§. 4. Quamobrem cùm ſummum imperium in ſacris non minus quam profanis apud eum ſit, cui Dii civitatis clavum, ſeu, ut Tacitus loquitur, ſummum rerum arbitrium dederunt, rationis eſt, ut eidem quoque ſummum judicium tribuatur,

tur, quod imperium actu & tempore præcedit: id enim, quod rectum piumque judicavit, imperat. Competit verò eidem judicium nō abſolutum, quod ſolius Dei eſt, qui & abſolute regnat: ſed reſtrictum, & ſummū in ordine ad ſubditos, eodē plane modo, quo ſummum imperium in rebus civilibus, cui ſuperius divinum nihil quicquam detrahit. Verū hoc eſſe, quod diximus, vel ex eo patet, quòd nemo in tota civitate reperiatur, cujus ſuperiore judicio leges & ſententiæ Principis retractari aut reſcindi poſſint: nam neq; ordo civilis neq; ſana ratio patitur, ut cum Sacrorum ordinatio & negotium religionis tam in ſuo univerſali complexu quam ſingulis circumſtantiis, certam quandam determinationem, eamque in civitate quavis ſupremam in ordine ad homines inter ſe, requirant, ſicut aliæ civiles res, iſta determinatio & judicium ſubditis magis, quorum conditio in obſequio conſiſtit, quam imperantibus competat, quibus tota civitatis cura incumbit. Apage hinc Pontificem, ſe univerſalem omnium Eccleſiarum ac ſummum Curatorem faſtidiosè venditantem: facti eſt & ambitionis, non juris, quicquid uſurpat: ex ſeculi imprudentia aut infelicitate dominatus, non divino inſtituto: neque enim in ſacris oraculis vel umbram tantæ poteſtatis invenire licet: inſanus profectò fuerit, qui illud quod de Ovium Paſtu à Chriſto Petro commendato affertur, huc inaudita violentia rapuerit, cum non Petrum magis quam quemvis alium Paſtorem concernat. Sed ſit ille, (quod tamen abſit) ſupremus judex inter omnes Chriſtianos, nihil decedet ſummitati judicii Princi-

pis

pis in quaque civitate, quemadmodum nec eidem divinum judicium obeſt: Nam qui Epiſcopos ſtatim Pontifici ſubſtituunt, excluſo penitus imperante, næ illi omnem ordinem invertunt, & in una Republica duo ſumma faciunt, unum in civilibus, & alterum in ſacris, quod nihil aliud eſt, quàm palàm inſanire: Enim verò ſi ad antiquiora tempora paulatim reſpicimus, ubi Romana hierarchia nondum tam monſtroſe parturiit, omnes Imperatores & Reges ſuum judicium in ſacris ſupra illud quoque Pontificis, nedum aliorum Epiſcoporum, eſſe judicarunt. Teſtes in id locupletiſſimi ſunt Synodi & Concilia Oecumenica, in quibus & præſederunt Principes ſeculares, & ſua auctoritate atque judicio de vera religione deciderunt, damnatis hæreſibus. * Ita imperatoria Conſtantini M. ſententia in Concilio Nicæno Arriana ſomnia damnata ſunt: ita idem Imperator cognoſcere voluit, an quæ ab Epiſcopis Tyri acta erant, recte ſe haberent vel ſecus: ita Martianus *ſuum negotium* eſſe duxit *rectam & veram fidem omnibus declarare*: Ita Theodoſius & Valentinianus; *inter cæteras ſollicitudines, quas amor publicus pervigili nobis cogitatione indixit, præcipuam imperatoriæ majeſtatis curam eſſe proſpicimus religionis indagationem: cujus ſi cultum retinere potuerimus, iter proſperitatis humanis aperitur inceptis.* Ita Theodoſius ad Hormisdam: *inquiſitio veræ religionis præcipua eſt ſollicitudo imperialis majeſtatis.* Ita Juſtinianus ad Epiphanium. *Nos maximam habemus ſollicitudinem circa veri Dei dogmata, & circa Sacerdotum hone-*

ſtatem. Ita Carolus M. in Feliciana controverſia arbitrum ſe vocat; decernendo, *quid eſſet de hac inquiſitione firmiter tuendum.* In liberis Rebuspublicis, ubi vel apud optimates, vel populum rerum ſumma eſt; judicium de religione illis adhæret, quibus & imperandi jus, inter quos ſi minus conveniat, judicio majoris partis ſtabitur, niſi aliter conventum: nec enim indiſtinctè & extra noſtram Rempublicam ubique gentium verum eſt, quod hodie in omnium ore volutatur axioma, majora in religionis cauſa non valere, cùm naturalis illa ratio, quæ partem ad ſalutem totius ordinat, & tacitus in ſocietatem coeuntium conſenſus inter negotia ſacra & profana nullum diſcrimen faciat: ſermo enim hic eſt de publico judicio, quo de religione definitur non inter privatos parietes habenda, ſed publica auctoritate & legum præſidio docenda, quod cur in minoris potius partis jure, quàm majoris poni debeat, nullam cauſam video: nec refert, quod pars iſta minor poſſit aliquando rectius de Deo ſentire: nam & deterius ſentire poteſt, ſicut in fœderatis Belgii Provinciis & Anglia Photiniani, Sociniani, Anabaptiſtæ & alia hujus farinæ apum infernalium examina, quæ eodem modo majorem Orthodoxorum partem vincant neceſſe fuerit. Et hæc ita ſe habent, niſi pactis conventis quævis Civitas ſibi & ſubditis aliter proſpexerit, ſicut interdum evenire videmus, ut judicium illud circa religionem, ut majeſtatis etiam jura ab Imperantibus civibus aliis, qui dignitate & imperio pollent, communicetur, ut quilibet in ſuis ditionibus id exercendi ci-

tra ſummi Principis interventionem jus habeat. In Patria noſtra & Romano-Germanico imperio à multis retro ſeculis ad Carolum usque quintum judicium de religione publicum Imperatoris fuit, donec ob cauponarias quorundam emiſſariorum artes & opum cum miſeræ plebis diſpendio æterno ac temporali congerendarum plus quam Eriſichthoniam famem melior Germaniæ pars ex diuturno veterno tandem evigilavit, & à diriſſima ſervitute ſe in Chriſtianam libertatem aſſeruit. Dici non poteſt, quam ægre Romana curia generoſam hanc Germanorum prudentiam tulerit, cœlum & tartara motura, ut ipſi priſtino nidore adoleatur, unde civilibus bellis Germania miſere conflictata eſt, quæ primis principiis captivitate Saxonis & Heſſi infauſta nobis tandem Mauritio Duce ac liberatore, Caroliique ignominoſa fuga in melius & pacem religioſam, de qua plura mox, verterunt, per quam jugum Pontificium denuo à noſtris cervicibus generoſe excuſſum & religio reſecta traditionum humanarum mole ad priſtinam ſanctitatem, qua tunc licuit, reducta eſt. Ab illo tempore ſtatibus imperii judicium aliquod in religionis purgandæ negotio ſummo quidem Imperatoris inferius, ſed tale tamen, quod nec ab eodem * pro lubitu poſſit impediri tollive, conceſſum, quo in ſuis provinciis adhuc utuntur, in quantum ſcilicet per pacem illam religioſam licet, haud ita pridem Osnabrugenſi pacificatione multis locis aut explicatam aut in melius, quod judicium hoc attinet, redactam: nam & id, quod Ordines habent, aliqua ex parte reſtrictum, ut ſubditos ſuos ante Januarii primum diem anni

1624. in poſſeſſione religionis cujusque ex receptis deprehenſos reformare invitos illis non amplius jus ſit, ut plenius deinde dicemus.

§. 5. Quæ ab aliis contra judicium Summarum poteſtatum circa ſacra adferuntur, nihili omnino æſtimamus. Nam qui ideò omne judicium Principi negant, quòd labi poſſit & errare, non vident eundem hac ratione ab omnibus civilibus negotiis arceri. Quoties in jure dicundo, in conſiliis capiendis, in bello & pace, in fœderibus, in legibus ferendis graviſſime impingitur, quæ omnia tamen in jure Principum ſunt. Quid vero à Pontifice interdum avaritia & ambitione ebrio non idem lapſus errorisve periculum? Vehementer fallor, aut ipſæmet hujus Curiæ traditiones & commenta divitiis parandis quàm pietati propiora luculentum id teſtimonium perhibent. Quare non pugnant invicem labi poſſe, & judicare, niſi omnia judicia de humanis etiam rebus tollere velis: obtuſius eſt rationis acumen, quam ut ſemper in veritatem penetret, quæ in puteo deliteſcit; lora & perticæ, quibus illam inde extrahimus, judicium eſt, quod à re quærenda cum ideo deterremus, quaſi labile ſit & incertum, veritas ipſa nunquam invenietur. Jam ſi privatus quisque tum ſuæ ſalutis curandæ, tum familiæ ordinandæ cauſa circa veram religionem judicium ſibi ſumit, quanto minus illud Principi negandum eſt ad felicitatem civitatis procurandam? Quoniam verò in Republica pro perſonarum conditione & gradu ordo ab imo ad ſummum datur, judicia quoque diverſa & ſibi invicem ſubordinata eſſe neceſſe eſt, do-

eſt, donec tandem ad ſummum omnium perveniatur, quod præter illud Principis nullum aliud eſſe poteſt: in infinitum enim haud datur progreſſus, ſed ubi ad ſummum in civitate adſcendimus, ſubſiſtere oportet. Hoc ſummum Principis judiciũ cum non minus quàm cujusvis privati errori & affectibus obnoxium, nec porro inter homines ullum ſit, cui certo fidere licet, ſequitur errores quorundam *non humano, ſed divino judicio reſervari*, ſicut jam dudum Ivo Epiſcopus Carnutenſis dixit. Sed & etiamſi Princeps minus rectum piumve de religione judicium formaverit, non caret id omni effectu ſuo. Certe quidem homines obſequium non debent, cum idolis adolere, Chriſto maledicere, fidem abnegare, neceſſaria pietatis caritatisve officia deſerere jubentur: major enim Dei poteſtas eſt, quæ hæc vetat ut illicita: injuriam tamen eo nomine illatam vi nequeunt repellere, ſed pati tenentur ultione judicio divino commendata, ut paulo ante docui. Deinde hic quoque eſt judicii pravi & erronei effectus, ut falſa religio præſidium publicum habeat, ſine metu & impedimento profitenda, cum vera preſſa ſit, & obnoxia perſecutionibus. Cohærent cum his & eadem reſponſione dimitti poſſunt, qui Principem à judicio eo obtentu excludunt, quod minus peritus ſit rerum, quæ à Theologis diſceptari ſolent: nam confundunt aptitudinem judicandi cum jure judicii publici ſeu Imperativi, quæ duo tamen inter ſe diverſiſſima ſunt: & quis non videt hæc in omni genere imperiorum diſtincta eſſe? Quot ſervi ſunt prudentes & calliſſimi,

 diſſimi,

diſſimi, longe Dominis ſuis ad familiæ regimen aptiores, qui tamen ex eo ſtatum ſuum non mutant? Quot item Domini, ſtolidiſſima ad imperium indole præditi, ut Senecæ joco regnare etiam inter fatuos poſſent, qui imperio non exuuntur, ad quod tamen velut aſini ad lyram! In ipſa Civitate multi interdum ſubditi & prudentia & moribus plurimum imperantibus præſtant, qui ſatis ſibi felices videntur, cum ſaltem ad conſilium de Republica vocati fuerint: Judices quoque haud raro & juris, quod dicere debent, & aliarum omnium rerum imperiti, quorum nihilominus ſententia jus facit: ſic adeò in judicio imperativo nihil aptitudo ad ipſum jus confert: in directivo, ubi conſilium magis datur, quàm pro imperio aliquid edicitur, res paulo aliter ſe habet: nec enim quis facile ab eo ſe perſuaderi in re patietur, cujus auctorem ipſum imperitum novit: nec ſapientis viri auctoritatem temere negliget, quæ ſola interdum per ſe dubio hærentique animo pondus aliquod addere poteſt ad definiendam actionis qualitatem.

§. 6. Nihilo magis ſummum Chriſti judicium huic de quo loquimur obſtat, quemadmodum nec ſummum ejus imperium civili poteſtati: ordo inter hæc eſt, ſed extra civitatem, nos verò de ſummo, quod in civitate eſt, agimus. Quin ſemper humanum judicium ad Chriſti illud divinum accedere debet, ut actio recta ſequatur, aliàs enim ob defectum intellectus cum re ipſa ex conſcientia dubia procedens vitioſa eſt, cum agenti perinde fuerit, rectè an ſecus egiſſe, quæ ipſa incuria non caret ſua reprehenſione: vel

enim

enim in id ſaltem judicium adhibendum, ut credat, judicium, quod ſequitur, Chriſti eſſe. Sicut verò ad privatas actiones cuivis privato tale judicium competit, ita ad actiones publicas ſummis poteſtatibus: eſt verò inter actiones publicas non poſtrema, quæ de religione recipienda judicat & definit: Recte hic Brentius. *Ut privatus privatam, ita Princeps publicam habet de doctrina religionis poteſtatem judicandi & decidendi.* Seu: *judicio opus eſt, præſertim Principum, ut ſciant, quam doctrinam & privatim ad ſuam ſalutem æternam & publicè in populo Dei tueri debeant.* Sacra ſcriptura tantum abeſt, ut judicio noſtro obſtet, ut potius eidem ancilletur & ſerviat velut lydius quidam lapis, ad quem judicii rectitudo probari debeat: cùm judex vocatur, per tropum id fit, nam citra figuram norma judicandi eſt, nunquam autem eſt idem ſui regula. De judicio Paſtorum & Doctorum, qui ſenſus in ſcriptura exercitatos habent, non ſumus difficiles: Alterius enim id generis eſt, & actionibus alienis præit directivè ac per modum intellectus; noſtrum verò per modum voluntatis, quod imperando fit. Compatibilia itaque hæc judicia ſunt, non ſibi invicem adverſa, quorum hoc ſummum inter homines poteſtate eſt, illud auctoritate.

§. 7. Et hæc quidem de judicio ipſo dixiſſe ſufficiat. De modo exercendi nunc pauca quædam. Duo imprimis ſunt Principibus neceſſaria ad judicium in rebus ſacris recte inſtituendum, intelligentia & pietas: illa ad actionem confirmandam, hæc ad ornandam. Quod apud

Tacitum Imperatori Tiberio votum, ut *Dii ipſi intelligentem divini humaniq; juris mentem darent*, id Chriſtiano Principi tanto magis precandum, quò vera religio ſuperſtitioſos gentilium ritus anteſtat: Hoc decorum Imperanti, quem turpe eſt negligere divina, æterna illa, & omnis ſapientiæ veros receſſus: cum humana curet fluxa & caduca: nec idem difficile; nam *Theologia*, ut Nazianzenus ait, *res eſt ſimplex & nuda, ſine magno artificio divinis conſtans teſtimoniis, quam tamen pravè quidam convertunt in artem difficillimam.* Ut proinde fruſtra ſint, qui imperantem tanta negotiorum mole occupatum ſacrarum rerum cognitioni non poſſe vacare objiciunt. Sane quæ ad fidem & ſalutem ſperatu, creditu, factu ſunt neceſſaria, vel quæ neceſſaria quidem abſolute non ſunt, magnum tamen in Eccleſia momentum habent, ea nec multa adeo ſunt, nec obſcura, ſed obvia cuique, & clarè emicantia, cùm certiſſimis oraculorum divinorum teſtimoniis, tum Eccleſiæ purioris continuato conſenſu: nec eſt quod de ſenſu ambiguo aut ſubtilitate quiſquam conqueratur, quia *prope nos verbum eſt*, ut ait Apoſtolus, *in ore noſtro, in corde noſtro.* Cætera, quæ inutiles magis tricas & ambitioſam ſapientiæ ac argutiarum oſtentationem, per ocioſas quæſtiunculas affectatam olent, quàm pietatem aut Chriſtianam diſciplinam, ſine diſcrimine à Principe ignorantur, cum utique melius fuerit, nunquam moviſſe Camarinam illam, qua Chriſtianæ rei tot clades & vulnera ex ſciſſa religionis unitate illatæ ſunt. Age verò ſi ex plebe quivis tardiſ-

ſimo

ſimo intellectu inter laborioſas quotidiani victus amictusve curas ea, quæ ad corpus fidei pertinent, percipere aptus eſt, cur de Regibus deſperemus, quorum tamen corda propiore quodam Spiritu Deus inſtruit? Adſunt judicaturo divina & humana auxilia, quibus uti poterit. Veterum quidam vere dixit, *plus ſe precando, quam legendo didiciſſe*, nec ſurdus eſt ad illa Eccleſiæ deſideria Deus, qui ipſos Reges *intelligere, erudiri, exemplum legis deſcribere, idq́; penes ſe adſervare & in eo legere omnibus diebus vitæ ſuæ* jubet. Hic Moſen, Joſuam, Simſonem, Saulem, Davidem idoneos regimini, plenos ſapientia fecit; Hic Salomoni adoleſcenti, qui neſciebat, *quomodo gradus ſuos dirigeret, cor ſapiens & intelligens dedit*, quale nec ante eum quiſquam hominum habuit, nec deinde habiturus eſt; ad quam proculdubio ſingularem præſentiæ divinæ in Regibus efficaciam reſpexit idem Salomo, dum in parabolis ſuis *Vaticinationem inſidere labiis regis*, ait, *& in judicio non prævaricari os ejus*. Hoc præſidio divino fretus quid eſt de quo quis non feliciter judicare poſſit? Theodoſius profecto Imperator eodem duce inter plurimas ſectas judex, cum opem divinam in arcano imploraſſet, ſententiam tulit, ut debuit, & Juſtinianus Imperator *talem edidit fidei confeſſionem, ut à nullo Patrum Epiſcoporumve editam aut pleniorem aut luculentiorem* conſtet. Fac tamen aliquid inopinum emergere, in quo hæreat, tempore utetur & conſiliis: illo, quoniam ut ait ille apud Liviū, *omnia non properanti clara certaq́; ſunt, feſtinatio improvida eſt, & cæca:* &

 nihil

nihil magni diſcriminus conſiliis tam inimicum quàm celeritas. His, cùm certum ſit, *Principem ſua ſcientia non poſſe cuncta complecti,* multosque Regis oculos & multas aures eſſe debere; & hæc quaſi mutuata prudentia Imperantibus laudi cedit, non ignominiæ aut contemptui; inter ſapientes enim & ille ab antiquis refertur, qui domeſtico ingenio deſtitutus aliorum præcepta ſequitur. *Sæpe audivi*, inquit Magiſter Equitum apud Livium, *eum primum eſſe virum, qui ipſe conſulat, quod in rem ſit, ſecundum eum, qui bene monenti obediat.* Et Cicero: *Sapientiſſimum eſſe dicunt eum, cui, quod opus ſit, ipſi veniat in mentem, proxime accedere illum, qui alterius bene inventis obtemperet.* Quod uterque ex Heſiodo ſumpſiſſe videtur.

Οὗτος μὲν πανάριστος, ὃς αὐτὸς πάντα νοήσει,
Ἐσθλὸς δ' αὖ κἀκεῖνος, ὃς εὖ εἰπόντι πίθηται.

Alterum fulcrum pietas eſt, quæ *ad omnes res utilis promiſſionem habet hujus & futuræ vitæ.* Quid juvat Imperantem ſcientia divinarum atque humanarum rerum, quid rectum in ſacris judicium, ſi hæc regina ab actionibus abſit, & ſimulata ſanctitate ex ſtatus magis ratione, quam toto animo & corde religio conſervetur? Fumum humanis actionibus facere poterit, non item Deo, qui arbiter & inſpector non operum tantum noſtrorum, ſed conſiliorum, mentium. Egregie (*a*) Seneca. *Nihil Deo clauſum eſt, intereſt animis noſtris & cogitationibus mediis intervenit.* Duo itaque vitia hic maxime judicaturo fugienda ſunt, ſumma de Deo ſecuritas, ſeu

(*a*) Epiſt. 84.

ſeu ἀθεότης, quæ cuidam μεγίστη νόσων vocatur: deinde ſuperſtitio, quia modus judicii in hac abyſſo tenendus, quoniam veriſſimum eſt, quod apud Tacitum: *ſanctius ac reverentius eſſe de actis Deorum credere quam ſcire.*

§. 8. Enim verò hic diligenter notari debet, duo hæc, quæ diximus, hoc eſt, intelligentiam & pietatem ad rectitudinem actionis requiri, non etiam validitatem actus; Plus enim illud deſiderat, quam hoc, & poteſt actus eſſe ratus, quamvis actio non ſit recta, quemadmodum ex prodiga donatione apparet. Ratio eſt quod ad plenam actionis ex omni ſui parte perfectionem non tantum opus ſit morali agendi poteſtate: ſed etiam intellectu bene informato & judicio determinato, tum honeſto animi propoſito, tandem modo & circumſtantiis debitis: actus verò validitati ſufficiat ſolum agendi jus, id eſt, moralis illa facultas, quam juſtitia ſpecialis, quæ Grotio expletrix, Ariſtoteli ἐπανορθωτικὴ ſeu συναλλακτικὴ appellatur, conſiderat. Quare ut actus valeat, ſatis eſt, ſi in jure agentis ſit, non extra jus: Eſt verò extra jus vel abſolute, ut in illis, quæ cum ſuapte natura tum univerſali Dei interdicto illicita ſunt: vel relatè, quando agere quidem licet, ſed non per eum, qui agit, ut cum quis debitum à debitore exigit, quod ei non debetur, cum ſubditus inconſulto Rege cives armat & ad bellum educit, cum alieno ſervo præcipitur. Ut verò actio recta ſit, ſcientiam & honeſtatem præcipuè adeſſe oportet, quibus deficientibus vitiatur quidem actio, qua ex imperante procedit, ſed non redditur actus

imperii

imperii vitioſus, cui idem obſequium ſubditus debet, ac ſi ex optima & honeſtiſſima intentione proceſſiſſet.

ANNOTATA
Ad
CAPUT IV.

§. 4.

ITa Imperatoria Conſtantini M. ſententia] Vid. infra hiſtoriam Theodoſii & ad illam Brentii judicium. c. 8. §. 24.

[Quod nec ab eodem pro lubitu poſſit impediri.] Ita Proteſtantes in interceſſione ſua pro Palatino ad Carolum V. apud Goldaſtum Reichs-Satzungen p. 275. Jhre Majeſtät könnten leichtlich ermeſſen / daß der Augſpurgiſchen Confeſſion verwandten Ständen nicht gebühren wolle / andern ſo in der Religion mit ihnen nicht gleich ſtimmen jetzt oder künfftiglich das Urtheil heim zu ſetzen / wenn Sie dafür halten oder achten / daß dem wahren Verſtand der Augſpurgiſchen Confeſſion ſeine Meinung gemäß ſey. Dann unter dieſem Schein möchte ohn dieſer Ständ Verurſachung vielen Leuten / und inſonderheit den Schwachglaubigen / welche Chriſtus mit ſeinem Blut erworben / Gewalt und Unrecht geſchehen / wie dergleichen Exempel bis anhero nicht wenig vor Augen geweſen. Hæc quidem illi. Quia tamen præter recepta in Imperio ſacra omnes aliæ ſectæ proſcribuntur, in quas Imperatori jus eſt animadvertendi, non videtur ſanè ille penitus à judicio excludi poſſe, cùm diſceptatur de nova diſciplina vel recipienda in publicum præſidium, vel expellenda civitate. Fortè igitur Proteſtantes non ſolius arbitrii Imperatorii aut catholicorum Statuum rem eſſe cenſuerunt decidere, quis conſentanea Auguſtanæ Confesſioni doceat credatque: Sed ad omnium ordinum judicium pertinere cauſam, amica compoſitione, ut in ſacris apud nos fieri ſolet, finiendam. Quod ſi enim noſtrates Proceres ſibi ſolis, omne arbitrandi jus de confeſſionis ſuæ ſociis voluiſſent arrogare, excluſo Imperatore & Catholicis, non alia ratione, quam ne ſub aliena ſpecie homines ſimplices circumvenirentur: opponi illis ab altera parte par metus poterat, ne vetitæ religiones ſub larva Auguſtanæ Confeſſionis favore Proteſtan-

tium

tium paulatim irreperent, ſi neceſſe ſit hic cœcum eſſe Imperatorem, ſic prorſus ſuo jure, quod in hæreticos coercendos habet, exuendum, quando demum a Proteſtantibus illum reſcire oporteat, quis pro ſectatore vetitorum ſacrorum condemnandus ſit. Qua circulatione res nunquam habitura fuit exitum. Quare ſic partiendum negotium erat, ut utraque parte ad judicandum admiſſa neque hinc querelæ ſupereſſent vim ſociis fieri: neque illinc violatæ jurisdictionis indignabundus dolor. Confirmat ſententiam noſtram publicus uſus. Nam cùm Ferdinandus Imperator edicto ſuo à religioſa pace illos excluſiſſet, qui Calvini dogmata impenſius ſequuntur, irritum judicium Proceribus noſtris propediem viſum eſt, quod ſolus Imperator inconſultis Statibus pronunciaſſet: adeoque ad invidiam concitandam multis dicteriis oneratum. Ex adverſo nec apud Catholicos decreti vim obtinuit noſtrorum ſententia, illos ut fratres ad conſortium publicæ ſecuritatis admittentium. Diu igitur lis in incerto hæſit, ſubinde his illis obloquentibus, donec Osnabrugenſi pace conſenſu omnium ordinum validum pro Reformatis judicium ſtetit, quibus proinde ex illo tempore de beneficio religioſæ pacis nemo auſus eſt amplius movere controverſiam. Igitur modus definiendi dubias in religione res Cæſareæ Majeſtatis ſcitis Statuumque concordibus ſuffragiis conſtat: aliquo horum deficiente infecta re diſcedi ſolet.

[§. 7. οὗτος μὲν πανάριστος.]

Hic quidem optimus, qui ipſe noverit omnia
Bonus tamen & ille, qui bene monenti obtemperat.

CAPUT

CAPUT V.

DE LEGISLATORIA POTESTATE CIRCA SACRA, UBI DE PACE RELIGIOSA.

SUMMARIA.

1. *Poteſtas legislatoria etiam in ſacris rebus inter jura majeſtatis eſt.*
2. *Quâ definitur, quæ Sacra publicè habenda; quæ toleranda: quæq; fugienda.*
3. *Admixta quæſtio, an ex uſu ſit Reipublicæ varietas religionum, & negata.*
4. *Interdum tamen aliquid temporibus dandum: id quædam regna fecerunt.*
5. *Sed imprimis Germania noſtra religioſa pace ſancita: cujus origo narratur.*
6. *Itemq; materia ejus & argumentum.*
7. *Firmitas pacis aſſeritur primo contra metum injectum.*
8. *Secundo contra Pontificis auctoritatem.*
9. *Tertio contra defectum poteſtatis paciſcendi.*
10. *Quarto contra Tridentini Concilii decreta.*
11. *De interpretatione pacis.*
12. *Proteſtationes adverſus religioſam pacem non valent.*
13. *Amicabilis inter partes compoſitio de religione non penitus impoſſibilis.*
14. *Peculiares quædam controverſiæ enumeratæ.*
15. *De juriſdictione Conſilii Aulici in cauſis religioſis, remiſſivè.*
16. *De civili concordia æqualitate obtinenda.*
17. *De jure reformandi, quod Statibus competit.*
18. *De Reformatis in ſpecie ſub religioſa pace comprehenſis.*
19. *De reſervato Eccleſiaſtico.*
20. *Ejus origo narratur.*
21. *Et progreſſus atq; confirmationes,*
22. *Semper reclamantibus tamen Auguſt. Confeſſ. Statibus.*
23. *Deniq; poſt Ferdinandi Edictum res in inſtrumento pacis tranſacta.*
24. *Digreſſio ad merita cauſæ: & Proteſtantium quædam*

rationes

rationes contra reſervatum recenſita ab antiquitate petitionis deſumpta.

25. *Alia Proteſtantium rationes à poteſtatis defectu.*

26. *Quæ à Catholicis contrariis argumentis refutantur.*

27. *Examinantur utriusq; partis rationes, & oſtenditur, Proteſtantes certo modo conſenſiſſe in Eccleſiaſticum reſervatum.*

28. *Quod etiam absq; illorum conſenſu valeret.*

29. *Proteſtatio autoris: & ad Osnabrug. Tractatum tranſitio.*

30. *Ibi prima Evangelicorum conditiones pacis circa hunc articulum narrantur.*

31. *Et prima Catholicorum.*

32. *Ab iisdem paulo mox mitigata.*

33. *Proteſtantium ſecunda conditiones.*

34. *Et legati Saxonici adjectio.*

35. *Ultima Catholicorum rationes pacis ab Oratore imperatorio propoſita.*

36. *Ut & Evangelicorum.*

37. *Quid tandem ea de re in inſtrumento pacis ſancitum.*

38. *De tempore reſtitutionis.*

39. *De bonis Eccleſiaſticis mediatis, & rationes Evangelicorum pro jure reformandi.*

40. *Catholicorum rationes contra reformationis jus.*

41. *Evangelicorum prima conditiones pacis.*

42. *Et prima Catholicorum.*

43. *Legati Cæſarei interceſſio.*

44. *Et reſponſio Evangelicorum.*

45. *Sanctio pragmatica ex inſtrumento pacis de hac cauſa.*

46. *De juriſdictionis Eccleſiaſticæ ſuſpenſione.*

47. *De reditibus.*

48. *De jure ſubditorum in mutanda religione.*

49. *De jure ſubditorum in mutata tuenda: & emigrationis libertate.*

50. *De Ferdinandea Declaratione.*

51. *Ejus formula.*

52. *Quid in tractatu Osnabrugenſi & inſtrumento pacis ea de re actum ſancitumq;.*

53. *Prima inſtrumenti illius ſanctio.*

54. *Et ſecunda.*

55. *Et tertia.*

56. Et quarta.
57. De immediata Nobilitate.
58. De Civitatibus imperialibus.
59. Monitum de non bellicanda religioſa pace.
60. Alia vis legum in damnandis & amoliendis ſacris, quæ falſa aut non toleranda judicant.
61. Quæ non improbanda, quia malum coercere Princeps debet, i. e. ut Dei Vicarius.
62. Dum divina præcepta ſequitur & defendit.
63. Id ampliùs argumento à Pſeudoprophetis oſtenſum.
64. Et ab exemplis piorum Principum.
65. Deinde quà Summus Civitatis curator.
66. Tertio quà vir bonus.
67. Argumenta contraria adducta & refutata.
68. Interdum tamen tolerata diverſa religiones.
69. Permiſſionis illius gradus explicati.
70. Legislatoria poteſtas etiam ad ſingula momenta rerum extenditur: quod exemplis oſtenſum.
71. Caroli M. & Germanorum Cæſarum quædam jura enarrata.
72. Aliquando mutata etiam, quæ ſacris literis & Apoſtolorum canonibus definita: ſed tantum κατ' ἐπίκειαν.
73. Modus utendi oſtenſus.
74. Quæſtio deciſa, an Eccleſia per ſe habeat poteſtatem ferendi leges.
75. Exempla aliquot adducta Imperatorum à canonum decretis abeuntium.

§. I.

NUnc ad ſpeciales quoſdam imperii circa ſacra actus veniendum eſt, qui tam late ferè patent, quàm tota majeſtatis natura, ſed nos potiora tantum decerpemus. Eminet inter hos legislatoria in rebus ſacris poteſtas, quæ in omni Republica ad eum ſpectat, qui ſummum jubendi vetandiq́ue jus habet. Hîc de rebus & definitis & indefinitis leges fert, nec in profanis tantùm, ſed & religionis & ſacrorum negotio, quibus, ſi juſtæ ſunt & piæ, ſtare ſubditi tenentur, quam-

quamvis à Pontifice & Clero ſua auctoritate non ſint probatæ: Sin minùs, negato quoad iſtum imperii actum, qui ad illicita fertur, obſequio contenti in aliis rebus fidem non exuant: Oppido inſigni fraude Paulus III. Pontifex Carolo V. illuſit, quando leges de religione ſancire non eſſe imperatorium munus affirmavit, ſed ſacerdotum Domini, ſed imprimis Pontificis, quibus Deus poteſtatē ligandi & ſolvendi dedit, nam ſolvendi illud & ligādi jus in nuda divini judicii declaratione ſubſiſtit, nec præjudicat legislatoriæ imperantium facultati, ut jam ante animadverti. Certè ab omni orbis cōditi ſerie *tam apud gentiles quam veram Dei Eccleſiā de hac Principis poteſtate addubitare ſacrilegium fuit, ut in mutatione tanti momenti merito privilegium divinum deſideremus, quod curiæ Romanæ cœlitus miſſum eſſe oportuit: aliàs veniam meremur & excuſationem, ſi nobis ea in re non licet eſſe faciles, qui tandiu rem in ſuo priſtino ſtatu conſiſtere dicimus, donec mutata appareat. Quod enim hanc in rem de petra inconcuſſa, de Ovium cura, aut aliunde capillitio trahunt, ut vulgare proverbium habet, cum à veneranda antiquitate purioris adhuc & ſanctioris Eccleſiæ Chriſtianæ iſto ſenſu nunquam ſit creditum, commento propius videtur, quàm veritati: Fortaſſe verò hoc Vicariatûs generalis diploma cum donatione Conſtantini M. eodem loco reconditum fugit lucem & conſpectum hominum, ne ſi ex ſuperſtitioſis tenebris extrahatur, multum de veneratione ſua amittat.

§. 2. Leges, de rebus latæ, quæ in ſacris de-

finitæ ſunt, vel totam religionem concernunt, vel ſingulas ejus partes. Illæ eò imprimis pertinent, ut definiant, quæ nam religio in Civitate publicè doceri & exerceri debeat, quod in arbitrio & jure Imperantis eſſe omnes Politici concordibus ſuffragiis ſtatuunt, qua in re, ſi in ulla aliâ, vis ſummi imperii magnificè eluceſcit, de quo nos nec ſenſus dubitare ſinunt, nec experientia: Quærentibus enim cur alia religio in Hiſpania Italiavè vigeat, alia in Suecia aut Daniâ, ad imperantes, ut mutationis ejus cauſam proximam, recurritur, hujus vel illius religioni addictos. In Anglia Maria regnante Romana ſacra ſequebantur homines; Eliſabethâ vero, Evangelica religio reſtituta, utrobique voluntate imperantium, qui hanc vel illam publicè docendam juſſerunt. Objiciunt hic nonnulli mutandæ religionis periculum, ſi uni Principis arbitrio committatur, verùm ſatis maligne, ut opinor, aut imprudenter. Quodſi enim legitimæ poteſtatis uſum propter incertum abuſus metum indiſtinctè tollere volumus, jam nullum jus erit, quod Principi relinquetur: non juris dicundi, cum injuriam facere poſſit; non gerendi belli, cum injuſtum gerere, aut juſtum etiam minus provide ſeu opportunè, non tributorum indicendorum, cum bonis ſubditos ſpoliare: non alius cujuſcunque, quo abuti licet: ut enim nihil tam molle eſt aut voluptuarium, quo vir bonus non ſanctè utatur, ſic nihil ſua bonitate abuſum omnem excludit. Respublica ut beata ſit & felix, religione opus habet, eaque certâ ac publico præſidio profitenda, quæ ſpeciali definitione debet

debet publicari. Hanc definitionem quamvis Princeps alii commiſerit, de homine ibitur ad homines non minore mutationis periculo. Quamobrem unicum ſolatium in providentia divina eſt, quæ Regum animos ita flectit & ducit, ut Eccleſiæ optimum & ſaluberrimum: Etiam Tyranni, etiam perſecutores fidelium cultui ſæpius magis profuere, quàm Chriſtiani Principes, Eccleſiâ inter diriſſima ſupplicia, imò ab ipſo ferro opes animumq; ducente. *Sive poteſtas, veritati favens*, inquit Auguſtinus, *aliquem corrigat, laudem habet ex illa, qui fuerit emendatus: ſive inimica veritati in aliquem ſæviat, laudem habet ex illa, qui fuerit coronatus.* Itemque: *Imperatores cum in errore ſunt, pro errore ſuo contra veritatem leges dant, per quas juſti & probantur & coronantur, non faciendo, quod illi jubent, quia Deus prohibet.* * Ex adverſo cum à metu externo vacat religio, in ſe ipſam haud raro vertitur, Paſtoribus ambitione & ingenii per inutiles diſputationes oſtentandi illecebris ad ſchismata & hæreſes mox deficientibus, per quas Eccleſia Chriſtiana plus detrimenti cepit, quàm decem graviſſimæ, quas numerant, ſub paganiſmo perſecutiones non dederunt. In primordiis Chriſtianæ fidei ſedulo ſibi Viri pii & ſancti caverunt, ne quocunque religionis propagandæ aut inſtituendæ colore jure publico ac vi uterentur, quamvis ſummi poſt Imperatorem Magiſtratus, Præſides Provinciarum, Prætores, Senatoresve jam dudum Chriſto nomen dediſſent, opportuna profectò novandis rebus manubria, ſi eo tempore ſedi-

tioſos Pontifices inveniſſent. Et mirum ſanè eſt, noſtros majores non ignaviæ incuſemus aut rei Chriſtianæ proditæ, qui tam oportunam occaſionem fidei propagandæ è manibus ſuis imprudenter elabi paſſi ſunt. Sicuti verò ſub imperio Ethnicorum Principum religio noſtra ubique depreſſa & adflicta, ita continuo eadem poſt Conſtantini M. Chriſtiani Imperatoris tempora tuta & quod ajunt, in portu, ut ſecundum Deum tam repentinę felicitatis prętꝑ ipſumPrincipem nulla alia cauſa afferri poſſit, id quod Judæis etiam accidiſſe legimus, quorum religio ad Regum ingenia ſubinde in pejus meliusvè mutavit, quo nomine & à Deo vel laudati ſunt vel increpiti. Nec minus ad coercendam vetitarum religionum luxuriam, quam receptam tuendam, ſummis Poteſtatibus jus eſt, qua in re ſi rectam viam inſiſtunt, id Dei imprimis beneficium, & fortunæ: non enim excidunt propterea jure ſuo, cum pro errore ſtant, & impiis edictis veritatem oppugnant, quod ſæpius primis à Chriſto nato trecentis annis factum legimus. Conſtantino regnante feliciora demum Eccleſiæ Chriſtianæ tempora inciderunt, quæ acceſſione Imperatorum nobilitata tam piè ſuperſtitioſos gentium ritus publica auctoritate & judicio ſenſim delevit, quàm flagitioſe olim ab ipſis in curſu ſalutaris fidei impedita fuit: Tum primum imperiali lege Idolorum templa in orbe Romano clauſa ſunt, tum vetitum gentium Diis adolere, tum omnes ſubditi ad Chriſtianam religionem cum ſecurè docendam, tum amplectendam, mandatis, hortamentis, benignitate & clementia qua

qua pertracti, qua invitati, nec in publicis ſaltem locis offendicula illa & irritamenta malorum amota, ſed in privatis quoque domibus, ſuperiore nimirum Principis imperio, cum antea nemini privatorum publicum religionis exercitium ſeu vi arripere, ſeu deteſtandam idolomaniam evertere licuiſſet: Quicquid illis hac in re juris fuit, id omne intra parietes proprios ſubſtitit; in publicum prodire nefas erat cum aliqua coactione, quam Veteres Chriſtiani religionis ardore in privatis, adeoque jubendi cogendique facultate deſtitutis nunquam excuſarunt. Concilium Elibertinum, *ſi quis idola fregerit, & ibidem occiſus fuerit*, in numerum Martyrum recipi vetat, *quod neq; in Evangelio ſcriptum ſit, neq; ab Apoſtolis traditum reperiatur.* Chriſtiani illius ſupra memini, quem alii ob diſcerptum Maximiani & Diocletiani Imperatorum Edictum crudele, contra Chriſtianos Nicomediæ propoſitum, jure cæſum pronunciarunt; & optimo judicio Nicephorus Abdam Epiſcopum reprehendit, quòd Perſarum πυρεῖον extinxerit, quæ res ibidem magno damno rei Chriſtianæ ceſſit. Scilicet Apoſtolorum & qui eos ſecuti ſunt, arma ad fidem tradendam ſpiritualia fuerunt, ut Dei verbum, & morum ac diſciplinæ ſanctitas, cum extrema injuriarum & contemptus patientia: non carnalia, minæ, vis, gladius, quæ per privatos arripi ne quidem in juſtiſſima cauſa Chriſtus permiſit: itaque monſtraſſe errores, monuiſſe devios ſatis habuerunt, non remotis offendiculis, quæ publica auctoritate defenſa privata tolli non debuerunt. Expectanda erant

ipſorum Imperantium judicia, donec agnito lapſu eandem opem ad deſtruendas ſuperſtitiones conferrent, quam ante ad fovendas: quo ſenſu interpretari convenit (*a*) Deuteronomii illam legem, quâ Judæi gentilium *aras diruere, ſtatuas frangere, lucos ſuccidere & ſculptilia comburere jubentur*, ut nimirum illi, qui imperium habent, mandatis præeant, ſubditi prompta executione imperantibus præſto ſint, quod his verbis optime (*b*) Auguſtinus expoſuit: *Cum acceperitis poteſtatem, hæc facite; ubi non eſt data nobis poteſtas, non facimus, ubi data eſt, non prætermittimus. Multi pagani habent abominationes iſtas in fundis ſuis, nunquid accedimus ac confringimus: Prius enim ut idola in eorum cordibus confringamus, quando & Chriſtiani facti ſunt, ipſi aut invitant nos ad tam bonum opus, aut præveniunt nos.* Unde ſatis nunc apparet, legibus & externa coercitione non niſi ſummis poteſtatibus licuiſſe paganismum evertere: nec paganismum ſolùm, ſed & hæreſes, quæ unionem fidei dirimerent, & pravis ſuperſtitionibus aut errore pernicioſo Catholicæ Eccleſiæ & ſimpliciorum conſcientiis inſidiari viderentur. Hoc modo Imperatores Chriſtiani vetuerunt hæreticorum coitiones & conciliabula, ademerunt eis baſilicarum uſum, & ex teſtamento quicquam capiendi, vel ad honores & publica munera perveniendi ſpem, imò nulla non alia imperatoria indignatione proſecuti ſunt, ſicut ex Codice noſtro Juſtinianeo clarum eſt, præterquam quod ſanguine & ultimis ſuppliciis

(*a*) Cap. 7, 5. (*b*) Serm. 6. de Verb. Dom. Sec. Matth.

pliciis parcius uſi ſint, quo nomine Idacius & Ithacius à Gallis Epiſcopis damnati, quòd in Priſcillianiſtas quoſdam gladio animadverti ſuaſiſſent. Aliquando tamen cum diverſæ à Chriſtiana religiones, tùm hæreſes & ſchismata pro temporum & Reipublicæ conditione toleratæ ſunt, ut Judæorum pervicax & cœca pietas, gentilium item damnandi ritus, quos primis ſuæ converſionis annis Conſtantinus ſtatim abrogare noluit, ſub aliis Imperatoribus, iisque non minus piis ſectarium virus impunitum plane fuit: Quin quod magis mirere, extant adhuc leges in omnium oculis, quæ Judæorum religionem haud incurie ordinant, ut Conſtantini, Valentiniani, Valentis, Arcadii & Honorii, Theodoſii, Juſtiniani tributis iisdem juribus Judæorum Archiſynagogis, quæ Chriſtianorum Epiſcopis, & vetitis in ipſorum ſectam recipi, qui Primatibus eorum diſplicent, vel reſurrectionem ac judicium ſupremum negant: quam Cæſarum in hoc negotio ſollicitudiné non eo accuſare poſſumus, quòd nimium ad aliorum impietates & ſuperſtitioſos ritus conniverint, cùm etiam in lege divina facti quasdam permiſſiones non tam à à Deo probatas, quàm artis limitibus, ne latius evagentur, circumſcriptas inveniamus.

§. 3. Perduxit nos hic locus ad quæſtionem in politica prudentia haud poſtremam, an ex uſu ſit & ſecuritate imperantis, varias in Civitate, easque à ſe diverſas religiones liberè ſubditis permittere? Scimus, quæ Ægyptiorum Regum mens & conſilia, qui variam & miſcellam religionem induxerunt ſtabiliendo ſceptro: difficilius

 enim

enim in ipſum Regem conſpiraturos arbitrati ſunt, quibus inter ſe malè conveniret, nec *quicquam adverſus ſubditos utilius, quàm ſi inter ſe non conſpirent*? Et probavit Julianus Apoſtata, qui Ammiano teſte, *ut diſpoſitorum roboraret effectum, diſſidentes Chriſtianorum Antiſtites cum plebe diſciſſa in palatium intromiſſos monebat; ut civilibus diſcordiis conſopitis ſua quisq; religioni ſerviret intrepidus, quod agebat ideò obſtinate, ut diſſenſiones augente licentia non timeret unanimantem poſtea plebem.* nec ratione videtur inſtitutum carere; quòd (*a*) Cato in familia ſua ſpectavit & effectui dedit, ἀεὶ τινὰ στάσιν ἔχειν τοὺς δούλους καὶ διαφορὰν πρὸς ἀλλήλους, ὑπονοῶν τὴν ὁμόνοιαν καὶ δεδοικώς cur non Princeps in Republica? ubi (*b*) *Societas lapidum fornicationi ſimillima eſt, quæ caſura niſi invicem obſtarent hoc ipſo continetur.* Quod ego ut in levibus diſſidiis non reprobem, ita in religione vix admitto, qua diviſa neſciunt ſubditi odiorum modum, ſed perpetuis agitantur turbis, in quibus quod præſidium Principi eſſe poteſt? Incidit concordiæ vinculum, qui unitatem religionis, ex quo partes & factiones in imperio, (*c*) *quæ fuerunt eruntq; pluribus populis magis exitio, quàm bella externa, quàm fames morbive, quæq; alia in Deum iras velut ultima malorum vertunt.* Ut duo quercus robora, cuneo medio ſuſpenſa eo luxato violenter coeunt cum ſummo moventis periculo; ita ſciſſis religione animis urgetur ſtudiis partium hinc inde

Prin-

(*a*) Plutarch. Caton. (*b*) Senec. Epiſt. 97.
(*c*) Liv. l. 4. c. 9.

Princeps, & quaſi inter ſaxum ſtat & ſacrum, ſi medium teneat; omnibus ſuſpectus, nulli acceptus; cum in partes tranſit, alteram hoſtem habiturus. Sit verò ad ſecuritatem Dominantis diſſidentes in religione ſubditos habere; ad Reipublicæ profectò commodum non eſt, quæ turbis inteſtinis marceſcit ac diffluit. In comitiis, in Senatu, in judiciis, in exercitu, de civilibus rebus vix unquam bene conſentiunt, qui diverſa ſacra ſequuntur: exagitant ſe invicem, contemnunt, proſcindunt, unde diffidentia, irritatio animorum, denique odium, nebulæ illæ & nubes, quæ bonis conſiliis & publicæ rei officiunt, ad privatam cujusque factionis intentionem utilitatemque impensâ operâ. Hanc ſui ſecuritatem cum tanto communis boni diſpendio conjunctam optare Tyranni princeps nota eſt, non legitimi & boni Regis, qui honeſtiore longe modo ſibi proſpicere poteſt. At quid rationibus opus, quid argumentis, cùm exempla præpoſteram hanc prudentiam damnent, ſenſus revincant? Quæ noſtro & ſuperiore ſeculo non damna & quas non clades Chriſtianæ rei ſciſſa religionis unitas in Europa dedit? Quando mota hæc ſacra quaſi anchora, & non univerſa Reipublicæ navis turbata, jactata & fluctibus pene merſa? Germania, Gallia, Anglia, Belgium, Hungaria, Suecia, Polonia, Dania, ſi ſuo periculo, motibus, ruinis, excidiis, incendiis, parricidiis, fidem non faciunt, quos teſtes conquiremus? Patria noſtra nunc duobus civilibus bellis ob eam rem defuncta. Galliæ major & periculoſior incubuit ejusdem tempeſtatis moles & ſævitia, quę floren-

tiſſimum quondam & nunc regnum in deſolationem cineresque, & parum abfuit, diriſſimam Hiſpanorum ſervitutem redegit: nec diverſæ populorum in ſacris rebus opiniones Gallorum Regibus tanta veneratione & obſequio in ordinata & quieta Republica olim adoratis, à ſicariis & cucullatis latronibus ſecuritatem, ſed exitium potiùs conciliarunt, Heinrico III. & IV. inſidioſis Monachorum ictibus per ſummum ſcelus interfectis, quaſi impios & profanos lædere fas ſit, qui Deum ipſum primi læſiſſe viderentur. Angliæ Regina Eliſabetha, fœmina virilis animi & ſapientiæ, petita ſæpius iisdem artibus, majore felicitate & Numinis favore peſtem vitavit. Quid verò nunc Belgium dicam, totis octoginta annis internecino bello abſumptam, & tandem ſua virtute rupto jugo in libertatem aſſertam? Fallor aut hæc ipſa in religione diſſenſio Hiſpanicæ dominationi tanti ſtetit, quanti nulla clades ab externo hoſte accepta, infracta æterno bello, quod utriusque Indiæ divitias conſumpſit, & melioris Belgii amiſſione formidabili adeò potentia, quæ vicinis Principibus quondam gravis fama magis hodie & antiqua gloria conſtare fertur, quàm virium fiducia. Sane Galliæ regnum, quaſi vicem repenſurum captatæ ex civilium motuum miſeria occaſionis impunè nunc Hiſpaniæ inſultat, Flandriam Burgundiamque ſubinde carpendo, vix ad defenſionem paratis Hiſpanis, imò vero ſibi gratulantibus, ſi periculo dilato magis quam depulſo pacem jactura quorundam ab hoſte redimere poſſit, qui mox viribus inſtructior ad plura reverſurus ſit. Quare non video, quomodo religio-

religionis in plures ſectas ſciſſura imperanti aut ſecuritatem afferat, aut emolumentum, niſi forte in eo regno, ubi ſubditorum fidei Rex diffiſus externo ſatellitio ſalutem ſuam debet, tunc enim ejus maxime intereſt, cives debiles habere & meticuloſos, id quod certiore ratione nunquam fiet, quam cum ipſimet inter ſe ſimultates fovent & diſſidia. Verum hæc regni corruptiſſima forma perpetuo partium hiatu maligne cohærens brevis ævi eſſe poteſt, ſed vel interno vitio collabitur, vel externorum hoſtium facilis præda fit, neceſſario ad ſui defenſionem robore, hoc eſt concordia, & conſpiratione animorum deſtituta.

§. 4. Cæterum ita quidem omni Reipublicæ optandum eſt, & totis viribus eò connitendum, ut *unus ſit Dominus, una fides, unum Baptiſma adſervandam unitatem ſpiritus in vinculo pacis*: Verum enim verò, incidunt nonnunquam tam calamitoſa tempora, ut excitato ſemel de religione incendio nec facile tanta ruina ſarciri, nec tam grave vulnus cicatricem ducere poſſit, dum religio *ſua cuiq; optima videtur, ut quæ non ratione, ſed affectu dijudicetur à ſingulis.* Hoc rerum ſtatu ſubtrahenda paulatim vento vela, ſi rectà non licet decurrere, & obliquato latere tempeſtati cedendum, ne publica navis incumbentibus procellis quaſſata penitus diſſiliat: quid præſens ægrotantis Reipublicæ conditio ferat, non quid ſimpliciter ad publicam tranquillitatem utile, ſpectandum eſt, ni malis venenum pro amuleto procurare, peſtem pro valetudine. Eſt enim ea hominis natura & indoles: ut duci magis ad ſanitatem velit, quàm

oborto collo rapi, præſertim ſi vires non deſunt, quibus errorem defendat. Itaque ſi temporum calamitate in illas neceſſitates præcipitavimus, ut in religione diverſum ſentientibus ad civilem concordiam ſtabiliendam aut indulgendum quodammodo ſit, aut ad utriusque partis internecionem usque ſæviendum, quis non illius Principis ſapientiam laudaverit, qui auctoritate ſua interpoſita libertatem aliquam conſcientiis laxat, quas deinde ſenſim ad officium reducturus eſt, ubi prima contumacia deferbuit, quàm ſi nimio rigore & easdem obſtinatiores reddat, & Rempublicam indies turbatiorem? Quod cum in hæreticis palam inſanientibus locum etiam habere poſſit, nec enim jubetur probaturve error, ſed fertur; quanto magis in illis, qui per ſalutarem religionis infandis ſuperſtitionibus obrutæ reformationem ex carcere & cœca ſervitute exierunt? eundem cum aliis civibus Deum, eadem ſacra habentes, niſi qua parte ſe in Chriſtianam libertatem vindicarunt, quam & conſcientiis neceſſariam, ſi intra recti & honeſti cancellos contineatur, nec publico bono noxiam, ſed oppido utiliſſimam, tam invidere auctoribus ſuis non decet, quam ipſi libenter antiquum adhuc jugum, per quod ſibi tantopere placent, illis relinquunt, ſi externa ſaltem & civili concordia tranquillè inter ſe vivatur. Quo conſilio & Gallia adverſus Hugonotos ſuos & Anglia in Catholicos uſa, quæ regna eodem religionis turbine diu rotata non prius quietem invenerunt in civilibus rebus, quàm pacem aliquam in ſacris.

§. 5. Præcipuè verò in noſtra Republica pax religio-

religioſa, ob eandem cauſam inter Catholicos Romanos & Evangelicos ſub Carolo V. parario Ferdinando, tum Romanorum Rege, & Imperatoris Vicario in Comitiis, incomparabili qua pietate, qua iuſtitia & animi magnitudine Principe, facta, & nupero Pacis Weſtphalienſis inſtrumento confirmata & explicata, per quam concordia inter caput & membra, tum membra inter ſe ipſa reducta, & Imperio Romano exoptata diu quies conciliata eſt: Ejus conſtituendæ quando ipſimet Romani Pontifices inexplebili avaritia & divitiarum per turpiſſimas nundinationes quærendarum libidine occaſionem dederint, non eſt, quod eam nobis tantoperè exprobrent, ad quam neceſſitate ultima compulſi ſumus. Hæc pax quoniam in argumento legiſlatoria circa ſacra poteſtatis, quæ Imperatori competit, præcipuo loco habenda eſt, à nobis pro inſtituto noſtro nunc tradi & explicari debet. Origo ejus hæc eſt. Cum ſeculo decimo ſexto à Leone Pontifice in univerſum pene Chriſtianum orbem ex neſcio quo cœli theſauro per publicos emiſſarios & caupones indulgentiarum, quas vocant, tota flumina & plauſtra venum expoſita eſſent, conſtitutis ubique declamatoribus, qui divinæ mercis præſtantiam & efficacem bonitatem ineptiſſimis mendaciis ſimpliciorum hominum animis conciliarent, ut dum Glauci & Diomedis permutatione imprudentibus fumum vendunt, ipſi aurum recipiant & miſeræ plebis ſanguinem, bonus Germaniæ Genius Tezelium hominem impudentem & ſtolidè ferocem, ejusdem beneficii rancidum præconem in Saxoniam

& Wit-

& Wittebergam tulit, ubi crepundiis ſuis venum propoſitis, quotidianis declamationibus ad raucedinem usque ſibi collum rumpere non deſiit, donec Martinum Lutherum, Auguſtini Ordinis illic ſodalem, ſibi adverſarium excitavit: qui hominum credulitatis miſertus, certatim indulgentias illas, tanquam firmiſſimum præſidium adverſus omnia peccata præterita & futura ementium, eos ex ambone hortari cepit, *prudentius agerent, neq; merces illas tanti compararent, quod enim his rebus impenderent, multo poſſe melius collocari.* Hoc claſſico innocenti ſubito crabrones excitati ſunt, qui diſputationibus, libellis, minis, cenſuris in Lutherum, intempeſtivum adeo plebis patronum, horrendum in modum detonuerunt, ſecutis mox iſta belli ſpiritualis præludia Præſulis Romani fulminibus, fortiori, ut ipſi videbatur, brachio miſſis, quam ut Monachus impetum tantæ irarum molis ſuſtinere poſſet: Sed vel ſolo hoc exemplo conſtitit, invictas eſſe neceſſitatis vires, & ſæpè deſperationem ſalutis principium fuiſſe. Lutherus, qui initio ſibi cum ſolo aliquo circumſoraneo rem eſſe putavit, de nulla re minus quàm ipſa reformatione cogitans, ubi ſe inauditum Romæ damnatum, & jam ad rogum quæri videt, non habita innocentiæ, non deprecationis, non appellationis ad futurum Concilium ratione: periculum audacia discutiendum ratus mirabili Dei ductu opus aggreditur, quod jam pridem tam neceſſarium viri pii & docti habuerũt, quàm ſupra privati hominis vires ob præpotentem Romanæ aulæ ambitionem poſitum: ita ſæpè Deus præpoſtera homi-
num

num prudentia ad ſuam gloriam uti ſolet, ut qua in re ſibi præſidium quærunt, eadem ipſis exitio vertat. Profectò enim ſi Pontifex ad unas & alteras Lutheri literas, quibus illi obliquè perſtricta inimicorum malitia omnem obſequium defert, imò ſilentium ſpondet, & errorem deprecatur, benignius reſpondiſſet, monitis Proxenetis ſuis, ut cautius illuderent, & Luthero ſpe alicujus honoris factâ, diſſidium illud in prima herba potuiſſet facilè opprimi, quod cum in virum evaſit, Romanæ ſedi tanto luctu & jactura ſtetit. Saxo Elector indignatus præcipitato judicio hominem opprimi, nullius criminis convictum, palam ejus patrocinium etiam apud Pontificem ſuſcepit, ea in re ab Univerſitatibus Wittebergenſi ac Lipſienſi ſuccenturiatus, id quod ſuperbum Præſulem tam malè habuit, ut ab illo tempore cum Imperatore Carolo & in Germania nihil non fecerit, quó oriens Evangelii clarior lux inductis tenebris occultaretur. Interea Lutherus indies confidentior in ipſum etiam Pontificem, & Romanæ Eccleſiæ abominabiles, ut ipſi viſum, ſuperſtitiones ac vitia calamum ſtringit, illum in Apocalypſi notatum Anti-Chriſtum, hanc Babylonem clamando felici adeò ſucceſſu, ut momento plurimi Germaniæ Principes & Civitates Imperii agnita veritate ejus doctrinam amplexi ſint, nec Imperatoris indignationem veriti, qui ad Pontificis gratiam aucupandam Lutherum proſcripſerat, eandem in publicis Imperii conventibus contra alteram partem maſculè defenderint. Itaque cùm ob religionis diviſionem diſſidia & ſimultates inter Ordines quotidiè

in

in majus excreſcerent , & merito quisque prudentum timeret,ne in mutuam patriæ perniciem aliquando deſitura eſſent. Carolus Imperator de Concilio libero, velut unico componendarum litium remedio , habendo ſeriò cogitare cepit, cujus mentio ſubinde à Statibus in omnibus penè Imperii receſſibus ab Anno 1524. usque ad 1532. habitis refricata eſt. Quoniam verò malum non ferebat dilationem, ſed maturam manum deſiderabat , Pontifex autem non facilè Concilio aſſenſurus credebatur, per quod auctoritas ejus detectis fraudibus in ordinem cogeretur, placuit ad omnimodam compoſitionem usque temporariâ ope laboranti patriæ ſuccurrere, In hanc rem conditum primo Noribergenſe Decretum, multis in locis edicto Wormatienſi derogatorium , quo, ut & in Spirenſibus comitiis Anno 1626. habitis cauſa Lutheri tantum non probata eſt, fremente multum ad hæc Cæſare, & contemni imperia ſua querente, Secuta inde alia Spiræ comitia Anno 1529. in quibus juri Lutheranis quæſito quaſi repenſa vice multum detrahebatur prævalida Imperatoris gratia , ad quam ſe plurimi Ordinum componebant. Nam repetito Wormatienſi edicto Statibus libertas conſcientiæ & jus ampliùs reformandi ademptum, re in eo ſtatu, ut tunc fuit juſſa , ut deinceps maneat. Sed Saxo, Brandenburgicus & Heſſus, quibus ſe alii Principes ac Civitates Imperii adjunxerunt, nimium ſe gravari edicto rati, contra illud publico ſcripto proteſtati ſunt, appellatione etiam ab actione Spirenſi ad Cæſarem liberumque Concilium interpoſitâ: unde Proteſtanti-

ſtantium nomen exortum: Legati quoque ad Carolum miſſi, qui ad occupatas pridem Principis aures ægrè auditi tradita appellatione in carcerem conjecti ſunt. Pupugit hæc res mirum in modum Proteſtantium animos, qui recenti adhuc fœderis Catholicorum quorundam adverſus ſe initi fama pejora ab alieno à ſua cauſa Imperatore veriti de defenſione propria cogitare ceperunt, indictis ex hac cauſa Smalcaldiæ, Noribergæ, ac denique Francofurti conventibus, in quibus fœdus Smalcaldicum vel ictum vel confirmatum eſt, multis Civitatibus in id ſubinde ad tuendam conſcientiarum & jurium ſuorum libertatem nomen dantibus: Hæc usque ad annum trigeſimum ſecundum acta, irritato interim Saxone Regis Romanorum creatione, in qua ſuæ interceſſionis nullam rationem habitam indigniſſimè tulit. Exacerbatis ita hinc inde animis cum res ad apertum bellum ſpectare videretur, pace publica jam repetitis actionibus turbatâ, Moguntinus & Palatinus Principes denuò partes ſuas apud Cæſarē ex Belgio Ratisbonam ad Comitia euntem interponunt, & eo permittente actionem Saxonem & Heſſum eodem ſtudio ad pacem hortantur. Conventu Sweinfurti habito ac poſt multas disceptationes Norībergam translato, licet ſumma rei conciliari non poſſet, tamen periculo Turcico imminente, cui Germaniæ vires opponi neceſſe fuit, in has leges concordiæ cauſa conventum, quas deinde Cæſar edicto publico ratas habuit: Ut pax publica per totam Germaniam ſit, & ne cuiquam religionis cauſâ moleſtia fiat usque ad Concilii tempus,

vel hoc tardante, donec per Imperii publica Comitia alia fuerit ratio inita componendi diſſidii, gravi conſtituta pœna in eos, qui contra fecerint. Cæſar in ſe recipit Concilii intra ſex menſes denunciandi, & anno poſt inchoandi celebrationem, quo non impetrato ab univerſis Ordinibus controverſias de religione diremptum iri promittit: interea ſuſpenduntur omnes actiones forenſes in cauſis religionis contra Proteſtantes intentatæ, & ne poſthac ullæ moveantur, edicitur. Quod contra fit, pro nullo futurum. Proteſtantes verò promittunt Imperatori & Romanorum Regi obſequium in rebus civilibus, & adverſus Turcicum bellum auxilia. Hæc prima pax, ſeu potius induciæ pacis, ut (*a*) alibi vocantur, fuere, in religionis cauſa per univerſum imperium promulgatæ, & quaſi æternæ illius Anno 1555. conſtitutæ præparatoriæ, ſæpius deinde repetitæ & confirmatæ, non in (*b*) Ratisbonenſibus tantum illis comitiis, ſed & biennio poſt in transactione Cadavienſi, & ab Oratoribus Commiſſariisque Cæſareis, Anno 1539. (*c*) per Francofurtenſes inducias: ac porrò in (*d*) Comitiis Ratisbonæ Anno 1541. habitis, rurſus (*e*) Anno ſequenti prorogatæ, (*f*) biennio poſt repetitæ, & iterum (*g*) ſequenti Anno, adeoque in omnibus

(*a*) Receſſ. Imper. de Ann. 1541. §. Und damit. & 1555. §. In ſolcher.
(*b*) Hordl. de Cauſ. Bell. Germ. Tom. I. pag. 70. 71.
(*c*) Idem pag. 149.
(*d*) §. Und damit.
(*e*) Receſſ. de Ann. 1542. §. Und damit die Zeit.
(*f*) Receſſ. de Ann. 1544. §. Nachdem wir uns.
(*g*) Receſſ. 1545. §. Dieweil wir aber.

bus publicis conſultationibus, quæ facta pace celebratæ ſunt, ut proinde usque ad Annum 1646. quo Germanicum bellum à Carolo ceptum, res in Germania ſatis quietæ fuerint. Mox verò periculoſius diſſenſiones recruduerunt, & tandem civile bellum, quod à Pontifice exoratus Cæſar adverſus Proteſtantes omnimodo in ordinem cogendos ſuſcepit, id tandem ipſimet auctori ignominioſa fuga in malum vertit, nullo Evangelicorum publico damno; nam captivitatem Saxonis & Heſſi, translatam vero Electoralem dignitatem in Mauritium inter privata incommoda ponimus: certè enim ab eo tempore cœleſtis veritas non ſuppreſſa, ſed aucta eſt. Ubi utramque partem ſatietas belli tenuit, iterum ſarciendæ concordiæ rationes repetitæ; primo in Auguſtanis Comitiis Anno (*a*) 1548. (*b*) 1551. celebratis, injecta Concilii redintegrandi mentione. Deinde per (*c*) Paſſavienſem transactionem, novis induciis conditis, quibus tamen dilatum magis malum, quàm ſublatum, cum Proteſtantes ſubinde vociferarentur, nec amplius in incerto quaſi ſalo fluctuari, & ex alieno arbitrio pendere vellent, ipſa jam experientia & ſenſibus docti, nullum Concilium liberum per Pontificem, qui Cæſarem obnoxium habebat, ſperari poſſe, æterna pace, non induciis, de fide ſua & ſecuritate ſibi caveri poſtularunt, & æquum petere Ferdinando Romanorum Regi viſi ſunt. Profecto enim ſicut nunquam Evangelici liberum Concilium, in quo Præſide Imperatore de cor-

M 2 rupta

(*a*) ſ. Und nachdem. (*b*) ſ. Und als wir.

(*c*) Extat apud Gold. Reſcr. & Stat. Imp. p. 175.

rupta Eccleſiæ diſciplina cuique ſententiam citra metum dicere licet, fugerunt, ita nulla ſpes erat eo tempore, ut neceſſariis illorum deſideriis ſatis fieret, oculis ad Tridentinum paulo reflexis, de quo etiam inter Catholicos tunc jocus fuit, Spiritum Sanctum ſingulis ſeptimanis ex Capitolio per veredarios equos Decreta ad Patres perferre. Itaque tandem in pacem religioſam ſempiternam & usque ad religionis amicam compoſitionem duraturam conſenſum eſt, quæ in Comitiis Auguſtæ Vindelicorum Anno 1555. indictis ſancita, & cum præſenti ſeculo rurſus per edictum Ferdinandeum turbaretur, pace Weſtphalienſi confirmata & explicata antiquam inter caput & membra concordiam, quà tamen per diverſitatem religionis licet, reduxit.

§. 6. Articuli & conditiones religioſæ pacis in receſſu imperii Anno 1555. publicato longa ſerie extant, quibus cum tranſactionem, poſtmodum verò auctoritate publica ſæpius confirmatam, conferre operæ pretium eſt. In compendio tamen hæc ejus capita ſunt.

1. Nemo, cujuscunque dignitatis ſit vel conditionis alterum, de quacunque cauſa, neque per ſe neque alieno nomine bello petito: vel eos, qui hæc faciunt, conſilio, ope, receptu, juvato; ſed alius aliũ vera ac infucata caritate proſequitor, alimoniâ & reditibus omnibus ſalvis, qui ad jus provocant: Adeoque Cæſaream ac Regiam majeſtatem omnes Status, & viciſſim Status Majeſtates ſuas in pace religioſa conſervanto.

2. Cæſaream & Regiam Majeſtatem, itemque Status imperii antiquæ religionis nemini ex Or-

dinibus ob Auguſtanam confeſſionem, aut ſub Religionis aliove colore vim illaturos, nec eorum conſcientias gravaturos, ſed quietam, illius religionis, fidei, ceremoniarum, conſtitutionum Eccleſiaſticarum, quæ aut in præſens latæ ſunt, aut poſt futuræ, item, bonorum, ſubditorum, jurium & ſuperioritatis poſſeſſionem cuivis relicturos; unione religionis nonniſi per amicabilem compoſitionem & Chriſtiana media procuranda.

3. Ex adverſo Status Auguſtanæ confeſſioni addictos Cæſaream & Regiam Majeſtatem, nec non Status Antiquæ religionis, Eccleſiaſticos & ſeculares cum Capitulis & reliquo Clero tam in fide recepta, & quæ ab illa dependent, quam bonis ſecularibus & juribus ac dignitatibus quibuscunque nihil omnino turbaturos: diffidiis & litibus ſecundum jura ac Conſtitutiones Imperii decidendis.

4. Alii tamen, ſub duabus religionibus non comprehenſi ab hac pace religioſa excluduntor.

5. Eccleſiaſtici Status, ab antiqua religione deficientes omnibus ſuis bonis, quæ Eccleſiæ ſunt, nec non dignitatibus, beneficiis, reditibus, ſalvo tamen honore, excidunto, relicto Capitulis, aut ad quos ea res ſpectat, libero arbitrio, eligendi perſonam antiquæ religioni addictam, quæ in tranquilla omnium jurium ac beneficiorum Eccleſiaſticorum poſſeſſione cum Capitulis & Eccleſiis aliis relinquitor; ſed nullo futuræ & amicæ compoſitionis præjudicio.

6. Bonorum Eccleſiaſticorum ab Ordinibus Auguſtanæ confeſſionis tempore Paſſavienſis

tranſactionis, ut & hujus religioſæ pacis poſſeſſorum nulla in jure repetitio ſit: Cameræ omni deſuper juris dicundi poteſtate interdicta.

7. Jurisdictio Eccleſiaſtica ad majorem inter utriusque religionis ſocios concordiam ſarciendam, adverſus Auguſtanæ confeſſionis ſectatores ad usque religionis unionem ſuſpenditor, ſalvis tamen reditibus, decimis, feudis, juribus & privilegiis, nec non jurisdictione in caſibus, qui Auguſtanam confeſſionem, Conſtitutiones ac Ceremonias Eccleſiaſticas, ordinationem miniſterii, quæque alia religionis ſunt, non concernunt.

8. Ut verò Statibus antiquæ religionis omnes ipſis competentes, reditus & proventus integri manere debent: ita quoque cuilibet Statui, ſub quo ſunt & ſituantur, jurisdictio ac ſuperioritas territorialis in his bonis, quam ante hanc pacificationem habuit, illæſa maneto: piis tamen cauſis ex bonis illis ſine religionis diſcrimine curatis.

9. Lis verò ſuper hanc rem orta per arbitros ab utraque parte nominandos intra ſex menſes deciditor, re interim usque ad ſententiam integra manente, ſic tamen, ut medio litis tempore illi, quibus ex bonis fructus proveniunt, miniſteria Eccleſiæ aliasque pias cauſas ſuſtentare debeant.

10. Status neque Statum, neque ejus ſubditos ad religionem cogito, vel hos contra ſuperiores defendito aut irritato: ſalvo cujuscunque in patronis & defenſoribus èligendis, jure.

11. Subditis à ſuperiorum religione diverſis jus

jus emigrandi & vendendi bona ſine ullo impedimento eſto, præſtita ratione ſervitutis perſonalis & tributi ſatisfactione, ut & ſalvo Dominis in mancipia jure.

12. Pax firma, perpetua, inviolabilis & ſine conditione usque ad religionis unionem per media Chriſtiana & amicabilia utrinque procurandam, erigitor: quod ſi verò illa compoſitio per concilia, colloquia & acta comitialia non ſit ſecutura: pax ſemel ſancita maneto.

13. Nobilitas immediata pace religioſa & ejus beneficiis comprehenditor.

14. In civitatibus imperialibus, ubi utriusque religionis cives ſunt, alius alium quietè ſuæ pietati vacare ſinito, concordia in civilibus firmâ.

15. Quæcunque in aliis Imperii Conſtitutionibus paci huic religioſæ adverſa ſunt, eidem nihil deroganto: nec ulla declaratio vel aliud quid contra illam dator, obtinetor, aut acceptator: ſi quid contra fiet, id irritum eſto.

§. 7. Pace confecta, per quam conſcientiarum libertati ſatis cautum videbatur, mox diſputationes ortæ ſunt, cum utraque pars habere aliquid judicari vellet, de quo jure conqueri poſſet. Principium à Pontificiis factum, quibus admodum doluit, magnam bonorum Eccleſiaſticorum partem in Evangelicos translatam: nec verò hi etiam ex omni parte contenti, occluſo ipſis per reſervatum Eccleſiaſticum ad immediatas imperii fundationes ac dignitates Epiſcopales aditu. Primo de firmitate pacis diſputatum, quam maleferiati quidam homines, Pontifici Romano

 etiam

etiam cum patriæ excidio gratificari cupientes, totis viribus convellere nitebantur, Jeſuitis præcipuè ad hanc ſacram militiam opem ſuam impendentibus. Quamobrem ſedulo conquiſita hinc inde argumenta, per quæ calumniis ſuis fidem conciliarent, & Catholicorum Principum conſcientias urgerent, injecto ſcrupulo, quaſi in continuo reatu hærerent, quibus pax illa probaretur. Metus ante omnia productus, quem Imperatori Carolo & Ferdinando Regi armis Evangelicorum injectum ipſum contractum irritare, impudenti rabie clamitarunt, qua profecto re non parum pudor & fama fortiſſimorum Principum malignè ſugillata eſt. Quis enim facile ſibi perſuaderi patietur, Carolum inter bella & armorum ſtrepitus educatum, tot adoreis mactum Victorem, tot periculis defunctum, in præliis & media morte intrepidum, terrorem Africæ & Hungarici regni felix præſidium, tuto in Italia receptu de Proteſtantibus ſecurum, & majoribus copiis, ſi voluiſſet, in Germaniam rediturum, metu adigi potuiſſe ad pacem faciendam? Quis Ferdinandum, non tantum fratre Cæſare, maximorum regnorum Principe, ſed & duorum regnorum & latiſſimarum præterea provinciarum propriis viribus, ut & ſubſidiaria omnium Catholicorum ope ſubnixum? An Proteſtantes totum imperium in poteſtate: Imperatorem verò ſuum & Regem in vinculis habuerunt, ut intentato mortis metu ab invitis ad deſideria eorum reſponderetur? In liberis imperii comitiis omnium Statuum, quos civilis belli mutuæ lanienæ ſeriò pœnituit, conſenſu per Ferdinan-

dum Cæſaris Vicarium cum plena poteſtate conſtitutum Senatus conſultum illud de religionis libertate factum,&poſtea ab ipſomet Imperatore æque libera voluntate confirmatum eſt, qui plus habuit Germaniæ ſuæ, quam Patriam ſemper duxit, externa concordia conſuluiſſe, quam ad Hiſpanorum hirudinum ſanguinolenta conſilia auſcultaſſe, laqueos, ignem, pontum, ferrum ad perdomandos Evangelicos ſuggerentium. In privatis civium promiſſis non leviſſimus quivis metus, ſed qui in conſtantem virum cadere poteſt, neque is quidem remittente jam facti atrocitate injectus reſciſſionem meretur: Quanto magis in publicis negotiis terriculamenta inania à verò metu excludere oportet, ubi cũ Principibus res eſt,qui natura ad conſtantiam&magnanimitatem facti non tam facile metuere poſſunt? Quod ſi enim omnes illas leges, quæ neceſſitate aliqua & civili ratione ad ordinum jura augenda in imperio latæ ſunt, exceptione metus ſufflaminare licet, jam actum eſt de eorum libertate & privilegiis, aut nullis omnino, aut non adeo multis exiſtentibus,quæ non civilis concordiæ cauſa, adeoque belli habendi metu conceſſa fuerint. Capitulatio Cæſarea, quæ Imperatoris poteſtatem tanto ſtudio & rigore in arctum cogit, eadem arte facillimè eluderetur: nam certe electus metuere debuit, ut imperio excideret, niſi in capita & articulos propoſitos juraret. Conventionum quoque, quas imperans cum ſeditioſis civibus nonnunquam facere cogitur, nec religio ulla nec fides per hoc metus diverticulum eſſet, adeoque nec diffiden-

fluentiæ & diſſidiorum tollendorum ratio, quæ plerunque in generali amneſtia ſancienda conſiſtit. Quoties verò ipſe Pontifex graviſſimis minis, paratis cenſuris, imo exterorum Principum ſollicitatorum armorum metu Imperatores terruit, ut inofficioſis donationibus Petri patrimonium, & imprudenti facilitate cum perpetua Cæſareæ majeſtatis injuria Eccleſiæ Romanæ ambitionem foverent. Hæc profectò aut metus remedio pari jure revocare fas eſt, aut Pontificii nobis contemptim illudere cupiunt. Accedit, quod etiamſi metus principiò in contractum incidiſſet, is utique repetitis adeo edictis purgatus fuiſſet, cum nullus pene à facta pace religioſa Receſſus in imperio ſit publicatus, qui non aut pacem religioſam expreſſis verbis probaverit, aut honorificam ejus fecerit mentionem, noviſſima verò Osnabrugenſi pacificatione omne ejus rei dubium penitus ſummotum, confirmata denuo pace, non attentis ullis proteſtationibus, exceptionibus aut contradictionibus: nec Pontificii ampliùs ſe metu territos conſenſiſſe ſalva verecundia dicere poſſunt, qui, ut protocolla tractatus expreſsè habent, non una vice ſatis arroganter jactarunt, ſufficientes adhuc ipſis vires eſſe, quibus religionem defenderent, ſi Proteſtantes in puncto reſervati Eccleſiaſtici nihil concedere vellent. Enimvero quicquid tandem de metu ſit, illud certiſſimum eſt, jure gentium non dari metus, etiam juſti exceptionem, quod publicæ tranquillitatis cauſa ita placuit, ne bella ex bellis ſerere neceſſe ſit, ſubinde illis, qui ſuccubuerunt, meliore oblata occaſione, à data fide ſe

metus

metus prætextu excuſantibus : unde ortum illud JCtorũ (*a*) axioma videtur, *non decere Principem metus exceptionem*, cujus auctoritati & famæ non parum nocet ad alterius arbitrium circumagi.

§. 8. Alii omiſſo metu ad Pontificem confugiunt, ſine cujus juſſu & aſſenſu nihil in cauſa religionis ad favorem & ſublevationem Proteſtantium Imperator conſtituere potuerit. Placet hæc ſapientia immane quantum Romanæ Curiæ & tantum non inter articulos fidei reponitur. Sed argumenta, quibus auctoritatem illam & ſupremum in Eccleſia dominatum fulcire volunt, tam imbellia ſunt & fatua, ut mirum ſit invaluiſſe opinionem, niſi vi primum & malis artibus, non ratione aut pietate defenſam conſtet. Quid enim in tanti momenti re aliud præter perfidè intellectos aliquos ſacræ ſcripturæ locos, (quos tamen antiqua & purior Chriſtiana Eccleſia nunquam eo ſenſu vel per ſomnium cepit) & privata domeſticorum teſtimonia adferunt? Quando ante Gregorii VII. tempora Vicariatus, adeoque ſummi imperii per Pontificem Romanum in Eccleſia affectati tam immania crudaque veſtigia extant? * De honore & proedria aliquoties certatum non ignoramus: * ſed vix ullus repertus eſt, qui œcumenici Epiſcopi nomen ſibi & poteſtatem ſumeret, * imò vero Gregorius M. modeſtia & morum innocentia ſuis ſucceſſoribus longe diſpar pontifex eam ambitionem haud dubiam futuri Anti-Chriſti notam dixit. Diſſenſiones, quæ inter Heinricum IV. Im-

(*a*) Alb. Gent. de Jur. bell. l. 3. c. 14.

IV. Imperatorem & Gregorium exortæ, * huic monſtro occaſionem dederunt, quod ſeculi ſimplicis & rudis infelicitas multum promovit, cum tamen ultra decem ſecula Chriſtiana Respublica maximo ſuo bono * illa doctrina caruiſſet. Verum non aliter rationes Hildebrandi ferebant, quàm ut dominatum in Clerum ſumeret ejecto Cæſare, quo ſine hierarchiam pridem meditatam & fundamento cariturам & brevi diſpariturам providebat: quod conſilium deinde ſucceſſores ejus adeò utile & opportunum ſuis cupiditatibus invenerunt, ut id omni modo ſibi retinendum eſſe arbitrati ſint, præſertim tam facili ad credendum plebe, quàm ipſi ingenioſi ad audendum aliquid fuerint. Ab illo tempore * immenſis librorum centonibus Vicariatus iſte & ſumma in Eccleſiam Univerſam Pontificis auctoritas ab otioſis ac ingenio ſuo abutentibus ſacrificulis aſſeri cepta, conquiſitis undique ſubſidiis, quæ peſſimam cauſam ſuſtinerent: Ex ſacris quidem literis quædam eam in rem obtorto collo rapta magis, quam deprompta, quibus tamen nec ipſi multum fidere videntur: nam plurimi ex Jeſuitis, iique magni nominis ſcriptores citra ſcrupulum affirmant, *Vicariatum Pontificis non poſſe ex Verbo Dei ſcripto probari:* recurrunt itaque ad Eccleſiæ Catholicæ traditiones, veluti tutiſſimum ſomniis ſuis & impoſturis portum, ſub cujus umbra improbas ſpes & falſi crimina facilè recondunt. Quicquid enim ex occaſione temporis ad Romanæ Curiæ commodum & auctoritatem valdè pertinere deprehenditur, ne contemptum ex novitate trahat, oppidò antiquis

tradi-

traditionibus tranſcribitur,* quarum condendarum jus & poteſtatem ſibi Pontifices ſumunt. Sed hac ipſa licentia crudeliter nobis illudi nemo eſt, qui non animadvertat. Ut enim concedamus, quod vix tamen credibile eſt, non omnia in ſacris literis creditu neceſſaria comprehendi, ſed quædam etiam orali per Eccleſiam & continuo traduce committi fidelibus, neceſſe profectò erit, hæc ab Apoſtolis, qui vel ex ore Chriſti talia exceperunt, vel immediato Spiritus Dei ductu & ſcribebant & docebant, haberi: de illis enim ſolis, ut ex cœlo acceptis & divino digito monſtratis certi eſſe poſſumus. Quæcunque verò ceſſante iſtâ ſingulari inſpiratione & θεοπνεύστει poſtmodum, addita, tanquam incerta & dubia, & ab ingenio humano profecta, nullo periculo rejicere licet: aliàs nec traditionum nec ſacræ ambitionis modus aut finis eſſet, ſi ſubinde nova dogmata, haud raro antiquæ diſciplinæ contraria recuderentur. Quare cùm veræ Dei Eccleſiæ mille annis & quod excurrit, de Pontificis Romani Vicariatu nec ex bibliis ſacris, nec certâ traditione Patrum quicquam innotuerit, oportet profectò eum ab hominum inſtituto eſſe, adeoque ſuppoſititium & adulterinum: nam Vicarium Dei in Eccleſia univerſalem conſtituere, non eſt humani juris, ſed divinæ poteſtatis, quam ſicut nullum dubium eſt id facere potuiſſe, ita feciſſe maximum; Concilia, quæ de primatu loquuntur, non extra ſuſpicionem ſunt, aliquid in gratiam Pontificis, à quo ferè, ut nunc mores ſunt, dependent, decreviſſe: nam vel ſolum Tridentinum argumento nobis eſt, quam parum ſince-

ſincerè in illis procedatur: ut nunc taceam, ne Synodis quidem credendum eſſe, niſi earum decreta ſacris oraculis conveniant: Nemo verò hic cautiore ignaviâ juris Canonici Doctoribus verſatur, qui de plenitudine poteſtatis Pontificiæ tanquam *de ingenti & imperſcrutabili abyſſo, loquuntur, ex qua nemo magis poſſit emergere, quàm ex profunda & immenſa aquarum voragine: nam rem eſſe infinitam, quæ nec finem nec principium, nec ripam nec fundum, nec ſummum, nec imum, nec medium nec extremum habeat.* Hoc modô, cùm veræ deficiant probationes ad fulciendum ſacrum imperium, ſimpliciorum animos religioſo rei ſupra captum humanum poſitæ myſterio perſtringunt, ne ſi ulterius inquirere pergant, fabulam narrare deprehendantur: unde conſultius eſſe ducunt abſtruſa nec penetrabili magnitudine ſecreti curioſos faſcinare, & profanorum oculos à cœlo averſos in terram alligare, quò minùs maculas in ſole videre poſſint: quippe expeditiſſima eſt illa ratio ad flectendas hominum mentes, ſi negotio, quod vix creditum iri apparet, religionis ſanctitas admiſceatur; omnibus magnis imperiis fundandis Deorum imperia prætenduntur, & quo familiarior quis cœlo creditur, eo majore auctoritate ſuperſtitioſos ad obſequium cogit: multa enim ſunt, quæ plebi religione perſuaderi debent, cum rationibus nequeant. Numa Pompilius Romanorum Rex ut divino metu & ſacris ritibus Civitatem imbueret, congreſſum cum Dea ſimulavit, cujus juſſu & conſilio religionem ordinaret. Mahumetes fœdiſſimæ pietatis auctor eadem

via

via ſuis deliriis fidem conciliavit; uterque diſputare de religione ſubditos vetuit, quæ credenda, non exploranda eſt. Nolim cum his Primatum Papæ conferre, illud tamen certum eſt, non abſimili conſilio eum à Canoniſtis defendi, magna inſuper veri Dei injuria & animarum diſpendio. Pontificis enim poteſtatem, imperſcrutabilem abyſſum, profundam & immenſam aquarum voraginem, rem infinitam, principio & fine, ſummo & imo carentem dicere, quid hoc aliud eſt, quam omnipotentiam, & Epiſcopum Deum? Quid aliud, quàm à cultu ſumi Numinis ad vivi idoli adorationē ſumma impietate & ſtultitia plebem deducere, quæ ſpiſſo judicio dum præſentia ferè ſequitur, majore veneratione hominem Deo colit, poteſtate in cœleſtia & terreſtria prævalidum. Sed ut redeam, unde digreſſus ſum, concuſſo Primatu Pontificis, qui nudis tantum verbis & externa potentia, non oraculis, non rationibus ſuſtentatur, corruit una auctoritas illa, quam in univerſam Eccleſiam ſibi tribuit, & poteſtas de religione leges ferendi ad Principes redit, quam his ille Præſul olim injurioſè extortum ire voluit: Jure verò imperantibus in ſacris rebus ſalvo non deſideramus amplius alienum mandatum ad actus validitatem, cui ſatis eſt in jure agentis eſſe. Quodſi enim Principi licet publica lege definire, quæ religio in Republica docenda ſit & ſequenda, quid ni etiam cum iis, qui diſſentiunt, pacem facere libertate conſcientiis data? Abſit ut Imperatorem etiam in rebus ſpiritualibus per modum regiminis imperativi Pontifici ſubjiciamus. Conſilium ejus, ſi ſalutare eſt & bonum, non ſpernendum

nendum ut Epiſcopi exiſtimamus: ſed temperet ſibi viciſſim in alienam meſſem ſacrilegam falcẽ mittere : Imperii Romani cura ad Imperatorem pertinet, cujus Imperio, ut ſupereminenti, Eccleſiaſticus ordo non minùs quàm ſecularis ſubeſt. Quid Pontifici in rebus noſtris negotii aut juris, ut iſtarum regimen ab ejus nutu pendere neceſſe ſit ? Aut quis non indignetur, ambitioſum Præſulem, majorum noſtrorum indulgentia & profuſa liberalitate ſaginatum opes contra Patronos ſuos vertere, vix precaria illis in Republica poteſtate conceſſa ? Quid enim colore ſpiritualis Imperii non ad ſe trahit, aut quid inauſum relinquit ad potentiam ſuam indies promovendam ? Quæ gravior verò injuria Principibus Chriſtianis fieri poteſt, quàm ſi ſacerdotem, plerunque externum, & haud rarò hoſtem in meliorem Reipublicæ partem admittere cogantur, qui eos deinde penitus excluſurus eſt ? Nam ubicunque ſemel iſte auctoritate & veneratione invaluit, religionis & Eccleſiaſticæ diſciplinæ, nec non ſacri Ordinis & bonorum dicatorum omnem ſibi curam vindicat, interdicto imperantibus, quod à Deo & ordine civili habent, in iſta jure ; qua ratione in duas factiones ſcinditur Civitas, Clero ad Pontificem propenſo, qui eos jurisdictione civili exemit : & plebe Principes ſuos ſequente. Quæ verò non ex tanta ſciſſura confuſiones & turbæ, cùm ſerpente in horas ſacra avaritia perpetuum de finibus regundis litigium, & ita in una ſocietate duæ quodammodo Reſpublicæ, quæ ſeparatas à ſe invicem, imò diverſas rationes habent ? Quando igitur tandem cum noſtro malo

ſapere

ſapere incipiemus? Liceat mihi hic citra fucum dicere, quod ſentio, non magis Deus in Eccleſiam ſuam Romano Pontifici ſupremam jurisdictionem cœleſti mandato conceſſit: quàm Turcis, quod tanto ſtudio inter juſtificas bellorum cauſas referunt, in univerſum orbem dominatum.

§. 9. Tertia ſententia eorum eſt, qui pacem religioſam moralis quid in ſe vitii habere, adeoque ob defectum legitimæ facultatis paciſcendi de re turpi & illicita ab initio ſtatim nullam irritamque pronunciant: de hæreſi enim fovenda augendaque agere, quam peſſimi homines reformatam Evangelicorum religionẽ indigitant. Sed non eſſe in jure Imperantis recipere hæreſim & probare cum Catholicæ Eccleſiæ detrimento. Sed profecto hic inauditi condemnamur ac innocentes. Quæ enim eſt illa Proteſtantium hæreſis, quæ culpa? an quod Deum ex præſcripto verbi ſui colimus? quod Magiſtratui obſequium deferimus, quod pietati, juſtitiæ, caritati, & integritati vitæ ſtudemus? quod ſuperſtitiones & offendicula, quibus rudis plebs in cultum externum & vetitum delabitur, removemus? quod religionem Chriſtianam à fabuloſis Pontificiorum traditionibus & deterrimi fermenti immunditie repurgamus? Quod Curiæ Romanæ injuſtiſſima imperia, quæ Chriſtianam libertatem intolerabili jugo ſupprimunt, generoſo ſupercilio contemnimus? quod Roma exiimus, ubi bonis viris nec piis eſſe licet nec honeſtis? Quod degeneres ab antiqua ſanctitate mores & corruptiſſimam Eccleſię diſciplinam corripimus?

N deni-

denique quod non amplius patimur nos laqueis illis circumveniri, quibus olim apud attonitum præpoſtera pietate populum tantum non totius Germaniæ vires & divitias expiſcati ſunt? His criminibus oneramur, hæc invidioſa hæreſeos nomina ſunt, quæ iracundi judices in vindictam amiſſæ propriis vitiis auctoritatis ſuæ per calumnias noſtræ innocentiæ impingunt. Quid enim ſanctius hac ipſa doctrina eſt? quid ad ſacrarum literarum & divinæ voluntatis præſcriptum propius? quid tandem civili vitæ & Principum majeſtati accommodatius? itaque per pacem virtuti & pietati præſidium quærimus adverſus hoſtes, quos noſtra prudentia & felicitas ægre habet, non malitiæ & ſceleribus patrocinamur. Quantum verò cum veris hæreticis Principem deceat in fœdus & amicitiæ leges coire, deinde dicemus, ne præjudicio cauſam noſtram videamur afflixiſſe.

§. 10. Nec paulo magis verum illud erat, quod jactabatur, per Concilii Tridentini decreta damnatâ noſtrâ fide pacem religioſam ſublatam eſſe. Nunquam illud à Principibus Evangelicis pro legitimo agnitum eſt, quod editis ſcriptis & multis locis ſuſpectum fecerunt, & interpoſita appellatione, quoad ſeipſos, invalidum: nec cauſa eſt, cur Pontifex propterea illis multum ſuccenſeat, cum Galliæ & Hiſpaniarum Reges, dilectiſſimi Eccleſiæ Romanæ filii idem in ſuis regnis plenè publicari adhuc usque diem paſſi non ſint. Liberum Concilium Proteſtantes deſiderabant, in quo omnibus nullo metu aut periculo jus eſſet de religione & collapſa diſcipli-

na ingenue diſſerere, præſide Imperatore, qui pro ſua prudentia deciſivo judicio de veritate cœleſti ſtatueret. Tridentinum ſervum fuit, per unum Pontificem, qui tamen in eo pars eſſe debuit, multis nominibus accuſanda, ad ludibrium Chriſtiani orbis circumactum, Patribus, quos obnoxios Præſuli pleroſque legerant, ne muſſitare quidem auſis, & decretis ejus Romæ in Capitolio confectis, quæ neceſſario ſequi Concilium debuit. Cum aliquando liberius Epiſcopi Hiſpani de modo & ratione tractandi cenſerent, continuò Pontifex, veritus ne aliquid monſtri Synodus parturiret, illam Bononiam transtulit, ut Epiſcopos magis in poteſtate haberet: nam quod ea mutatio infecto aëri adſcripta, corruptis Medicis ſuſpicionem in majus augentibus, ea re honeſtam excuſationem quæſitam conſtat, & invidiæ, quæ timebatur, lenimen, tradunt enim vix duos homines toto illo tempore, quo Concilium Bononiæ ſedit, Tridenti contagione periiſſe. Certè Imperator Carolus non diſſimulavit indignationem ex tam repentina migratione conceptam, quando nec auctoritati ſuæ nec precibus datum, ut Patres manerent, & deſuper cum Pontifice acerrimè contendit. Utut verò de Concilio ſit, id meridiana luce clarius, non ad illud religioſam pacem alligatam eſſe: nulla ratione Proteſtantes in illam hac conditione conſenſiſſent, quod velut jam ex alta ſpecula providerent, Synodum Pontifici obnoxiam, ipſis minus æquam fore: ideoque ne vis conſcientiis fieret, (a) amicabilis compoſi-

N 2 tionis

(a) Receſſ. Imp. 1555. §. Und nachdem eine Vergleichung.

tionis mentio facta, ad quam pax duratura eſſet, quo prudentiſſimo conſilio neceſſitatem credendi, quod nolint, deprecati ſunt. Præterea abſurdum fuiſſet confirmare pacem ſingulis pene receſſibus, multis annis poſt finitum Concilium habitis, quæ cum illo deſinere debuit: nec aliam imperio mentem olim fuiſſe recens (a) Osnabrugenſis Pacificatio argumento eſt, per quam religioſa pax fere ante ſeculum conſtituta manere jubetur, usque dum de religione utraque pars amice convenerit, ex quo facilis nunc ad quæſtionem contentioſe ſæpius agitatam, *an pax religioſa perpetua ſit?* reſponſio eſt, in ſenſu diviſo, & quousque religio in Germania diviſa, eſſe omnino æternam: temporalem verò in ſenſu compoſito: nam cum unione religionis inſtaurata ſublato ſubjecto confeſtim interituram: nec propterea male quis pacem æternam vocari exiſtimet, quod aliquando poſſit ceſſare, quando etiam Prætor actiones ſuas perpetuas dicit, quæ triginta annos vim ſuam retinent.

§. 11. * De interpretatione pacis olim quoque diſceptatum. Nulla lex eſt tam ſtudioſe conſcripta, quæ non quandoque interpretatione egeat, emergentibus ſubinde rebus, de quibus eo tempore, cum lex facta, cogitatum non eſt; aut verbis ambiguis ſenſum dubium ſuggerentibus. Hoc juris Rudolphus & Ferdinandus II. Imperatores ſuum eſſe voluerunt, excluſis penitus ſtatibus, qui proinde de illa re non una vice conqueſti ſunt. Ferdinandus prolixo edicto, quod pro lege publica Cameræ ſervandum præce-

(a) Act. 5. §. Transactio.

præcepit, dum pacem declarat,& omnes controverſias pro Catholicis decidit, bello inteſtino cauſam præbuit, & per hoc deinde majorem Proteſtantibus ſecuritatem: Pace enim facta (*a*) placuit, ut de dubiis religioſæ pacis in imperii conventibus inter utriusque religionis Proceres amice tranſigeretur: ita pragmatica ſanctione Imperatori adempta occaſio intempeſtivis decretis turbandi Proteſtantium pietatem & quietem publicam. Ita Deus tandem immenſa ſua ſapientia in melius vertit, quod nobis peſtem allaturum adverſarii male conſulti judicarunt. Nam viris bonis hoſtes etiam ſui quando minime omnium id putant, prodeſſe ſolent, adeò verum illud Græcorum adagium.

ἡ δὲ κακὴ βυλὴ τῷ βυλεύσαντι κακίστη.

§. 12. Supervacaneum eſt hic monere, (*b*) Proteſtationes Pontificis & aliorum Weſtphalicæ paci oppoſitas irritas eſſe & inanes, quas imperium ipſum prudentiſſima ſeveritate & merito contemptu rejecit. Captat Romana Curia ex turbis & miſeriis noſtræ Reipublicæ lucrum ſuum, ut non niſi ægerrime pacis negotium ferre potuerit, imprimis tot bonis Eccleſiaſticis ſeculo redditis, ex quibus olim immenſas divitias collegerat. Verum nos jure noſtro utimur, & quæ bona Imperatores pro conditione temporum quondam Eccleſiis dederunt, eadem hodie pro ſalute Reipublicæ in profanos uſus expendere fas eſt. Piis cauſis dicata non deſierunt ſub poteſtate civili eſſe, cui ipſa Eccleſia obſequitur. Urit hoc Pontificis animum & ſubtriſti dolore

(*a*) I. P. art. 5. §. 17. (*b*) Inſtr. pac. art. 5. §. Transactio-

invidum exedit cor. Quid nos? ſpernimus irarum moles viribus vacuas,& beneficio pacis conſtanter fruimur.

§. 13. Inſuper Pontificii mentionem amicabilis in religionis negotio compoſitionis, quæ in receſſu placuit,ut dicis cauſa adjectam,rident, nec ſpem eſſe ullam ajunt, ut, qui legitimo concilio,ad quod ſemper appellarunt, totiusque Catholicæ Eccleſiæ judicio damnati hæreſim pertinaciter propugnant, eandem blanditiis aut obſequio convicti velint ejurare. Verùm non noſtra eſt in hoc malo culpa: Quàm legitimum concilium fuerit,quo turpiſſima prævaricatione damnati ſumus: Quæ hæreſis noſtra ſit, à Pontifice Romano tanto furore proſcripta; paulò ante ſtrictim & modeſtè expreſſimus: ab aliis, qui id profeſſo ſtudio agunt, major veritatis lux revincendis calumniis affuſa. Quis vitio nobis vertet, ſi ſolem cum tenebris, libertatem cum ſervitute, munditiem cum ſordibus, pietatem cum ſuperſtitione permutare recuſamus? Quid prodeſt nobis religio à vitiis purgata, ſi violento adverſæ partis turbine abrepti recidivam patimur? ſi quod conſtantiâ noſtrâ & ſapienti fortitudine obtinuimus, mox ignavâ facilitate amittamus? Optamus profectò totis viſceribus, imò omnibus diebus apud Deum precibus noſtris intercedimus, ut tandem aliquando rationem monſtrare velit per Chriſtiana & honeſta media religionis uniendæ: ſed vim deprecamur & conſcientiarum carnificinã, quam iniquiſſimi noſtri judices nobis intendunt. Huic cavendæ Pontificem hoſtem fortiter repellimus: Occupati

Impe-

Imperatoris inſubida mandata humiliter deſugimus, & neceſſitatem declinamus fidei ex alieno arbitrio recipiendæ. Provocamus interim ad amicam compoſitionem, haudquaquam per illam excluſo concilio, dummodo liberum ſit & antiquæ diſciplinæ. Imperatorem in eo Præſidem volumus, non Pontificem: locum nec ſuſpectum nec inſidioſum: jus dicendi ſententias non metu aut ſpe impeditum: decreta denique ad Sacræ Scripturæ ſalutarem normam auctoritate Cæſaris, ut Præſidis ſupremi publicanda, quibus non minùs ipſe Pontifex, quàm alii ſtare teneantur. Tale concilium cum negatur; alias vias, per colloquia, per diſputationes aut quemcunque modum ineundas cenſemus, non expectata etiam Romanæ curiæ ſcientia aut approbatione, quæ, ut hactenus experientiâ conſtitit, plus affectata poteſtate & avaritia negotio tantopere deſiderato offecit, quàm amicis utrinque ſtudiis & mutua animorum benevolentia profectum eſt. (†) * Non deſperamus verò penitus de divina gratia, aut malum pro deplorato habemus: ante omnia præparandi ad fraternam concordiam civium animi, omiſſis utrinque convitiis & invidioſis hæreticorum nominibus: quâ in re multũ poterit Imperatoris & Statuum imperii auctoritas, juſſis ubique rixoſis concionatoribus injuriis & verborum acerbitate abſtinere: hactenus enim, nullo ad animarum ſalutem profectu, neſcio ad quem pro Deo ſingularem zelum referunt conviciandi libertatem, qua nihil tum Chriſtiano turpius, tum pernicio-

(†) Vid. Prot. Pac. p. 184.

ſius Reipublicæ dici poteſt. Ita compoſitis animis ſeponendus eſt in noſtra Republica Pontificis Primatus, quo ſtante nulla per omnem æternitatem in religione concordia ſperanda eſt. Et id utique citra Catholicæ fidei detrimentum fieri poſſe nequaquam dubitandum. Ita Heinricus VIII. Angliæ Rex abolita per omnem Angliam Papæ auctoritate ſe Caput Eccleſiæ Anglicanæ conſtituit, integra de cætero fide, quæ ante fuit: Sic Carolus V. Imperator in Hiſpania Pontificis nomen proſcripſit, retenta nihilominùs antiqua religione. Gallia, patriæ libertatis retinentiſſimum regnum quoties idem fecit, ſi iniquior Pontifex tempeſtatem & turbas conciere viſus eſt? Et dici profectò nequit, quanto id Reipublicæ commodo & utilitate fiat. Sacer enim Ordo, qui in omnibus provinciis majorum imprudentia ultra juſtam ſui menſuram crevit, admiſſo pontificio nomine & primatu vix ſe membrum Reipublicæ ſentit, omni obſequio & jurisdictione in unum Pontificem delatâ, & excluſis jure ſuo ac imperio Principibus, quod à Deo in cives ſuos nullo diſcrimine acceperunt. Eliſo Primatu, & reſtituta in Clerum Imperatoribus poteſtate jam plurimum ad ineundam unionem profectum, & innumeræ uno velut ictu quæſtiones deciſæ, quibus mordicus defendendis, quamvis majeſtatem magis externam & emolumentum Pontificum, quàm ipſam fidem reſpiciant, Curia Romana immenſum laborat. Sed & Proteſtantibus major erga Imperatorem & Ordines antiquæ religioni addictos fiducia redibit, quando eos flaminibus alienis non ampliùs agi-

tari noverint. Porro nationale Germaniæ Concilium, (* œcumenicum enim per ambitionem Romanæ Eccleſiæ non licet ſperare) auctoritate Imperatoris convocandum, in quo utraque pars de controverſis fidei articulis, qui haud ita multi ſunt, mitem primo ac moderatam ſuſcipiat diſceptationem, mox etiam remiſſis utrinque & permiſſis citra ſciſſuræ notam adiaphoris, aut explicatis, quæ duriora videntur, compoſitionem. Unione inter Catholicos & Proteſtantes ſancita, facilius Proteſtantes inter ſe, Lutherani nimirum, & qui κατ᾽ ἐξοχὴν reformati dicuntur, convenient, utpote quorum confeſſio, ſi contentionibus & factis ad oſtentationem diſputationibus abſtineatur, vix in uno aut altero articulo, in quo recte concepto Reformati haud quaquam ſe difficiles præbituri ſunt, diſcrepat, nec parum unitati proderit, ſi à definitionibus periculoſis, quantum fieri poteſt, abſtineatur, & cum de ſenſu loci alicujus Sacræ Scripturæ ambigitur, ad antiquiſſima Eccleſiæ tempora recurratur. Verum de ratione concordiæ in Eccleſia procurandæ alibi prolixiores futuri erimus: id ſaltem nunc addere fas ſit, hunc modum, pium, æquum, bonum, maligne à quibusdam (*a*) Pontificiis, contractibus & pactionibus, ruſticis inter ſe invicem iniri ſolitis, comparari, qui indoli & naturæ religionis, quæ non imperari vult, ſed benigne perſuaderi, imò primæ Eccleſiæ moribus ac inſtitutis, longe melius quadrat, quam illud Romani Præſulis *coge intrare*, quod ſæviſſimæ tyran-

N 5 nidi

(*a*) Vid. Auth. Auton. Part. 3. c. 13.

nidi propius accedente inquiſitionis ſanguinolentæ officio immani carnificina nulla in Eccleſiam utilitate, maximo in Rempublicam damno, conſcientias excruciat.

§. 14. Præter illa, quæ Pacem Religionis univerſim attinent, peculiares olim circa articulos quosdam controverſiæ exortæ, quæ diu inter partes tum in Comitiis, tum privatim ore & calamo, interdum quoque armis agitatæ cum non poſſent conſopiri, interceſſit tandem Ferdinandus II. Imperator, & notiſſimo ſuo edicto anno 1629. publicato, quod claſſicum belli civilis fuit, plurimas pro Catholicis decidit: Sed conquerentibus de iniquitate Proteſtantibus, & executionem paratam oppoſita vi impedientibus, pace Weſtphalica paulò aliter conventum eſt, omni auctoritate edicto illo abrogata. Singula breviter videbimus.

§. 15. (*a*) De jurisdictione Imperatoris in cauſis pacem religioſam concernentibus quondam inter Catholicos & Proteſtantes acerbè diſceptatum, his imperatorium tribunal, ut ſibi multis nominibus ſuſpectum aut iniquum ſummo ſtudio defugientibus: * qua de re plura alibi dicturi ſumus. Lis enim per pacem Osnabrugenſem ſublata eſt.

§. 16. Cum præcipua pàcis religioſæ intentio & finis fuerit concordia civilis, inter utriusq; religionis conſortes tenenda adeoque amicitia & caritas Chriſtiana (†) imprimis commendantur, quæ tamen felicius non licet conſequi, quàm

(*a*) Inſtr. pac. art. 5. §. 20. (†) Adrel. Pax. art. 1. verb. it rechter Freundſchafft und Chriſtlicher Lieb meinen.

quàm introductâ paritate in civilibus negotiis, ante omnia verò juſtitiæ adminiſtratione, & honorum dignitatumve capeſſendarum ſerie. Quæ paritas quoniam malignius obſervari Proteſtantibus videbatur, ad judicium aulicum & Spirenſis Cameræ tribunal nonniſi fere Catholicis admiſſis, promptioribus utique cum in proceſſibus decernendis tùm ferendis ſententiis, ſi litigantes favore religionis ſublevarentur, qua de re,& illa præterea, quod ſubditis emigrantibus nec beneficium publicis legibus indultum maneat integrum, nec nativitatis, bonæ famæ aut artium teſtimonia à Magiſtratu iniquo concedantur, graviſſimæ Proteſtantium querelæ proſtant, ideoque (*a*) noviſſimâ pace majoris concordiæ cauſa placuit,ut *exacta in reliquis omnibus*, (quæ ſcilicet expreſſa ſanctione nullam inæqualitatem habent) *inter utriusq; religionis Status omnes & ſingulos ſit & mutua æqualitas,quatenus formæ Reipublicæ, imperii Conſtitutionibus & præſenti Conventioni conformis eſt: ita ut quod uni parti juſtum eſt, alteri quoque ſit juſtum, violentia omni, & via facti ut alias, ita hic inter utramq; partem perpetuo prohibita:* De puncto juſtitiæ quoque ut & ſubditis emigraturis (*b*) infrà quædam in inſtrumento pacis traduntur.

§. 17. Jus reformandi Statibus competens olim valde controverſum (†) fuit, aliis ejus fundamentum in ſola jurisdictione & ſuperioritate terri-

(*a*) Inſtrum. Pac. Art. 5. §. 1.
(*b*) Art. 5. §. 12. verb. Sive autem. et. Conventum autem eſt.
(†) Art. 2. verb. oder nochmals aufrichten möchten.

territoriali ponentibus: aliis inſuper in qualitatate feudali aut ſubfeudali, jure gladii, patronatus, filialitatis, retentionis; per quæ Proteſtantibus plurimæ moleſtiæ creatæ, de quibus in (*a*) tractatu pacis Osnabrugæ graviter conqueſti ſunt. Et quamvis (*b*) Catholici petierint, ut res in eo ſtatu relinqueretur, in quem per pacta, inveſtituras, transactiones jam collocata eſt: Tenuerunt tamen Evangelici, ut indiſtincte à ſola ſuperioritate & jure territorii jus reformandi dependeat, quod in inſtrumento pacis expreſſè cautum.

§. 18. De reformatis (†) quondam vehementer dubitatum: Certe Pontificii ſcriptores nullum non lapidem hoc ſeculo movebant, ut eos à pacis religioſæ præſidio & Societate Auguſtanæ Confeſſioni addictorum dirimerent, rati, quod pene accidit, utrosque facilius opprimi poſſe, ſi ſeparatos inveniſſent, non alio noſtrûm ſolatio, quàm quod Ulyſſes peremptis ſociis habuit, ultimus devorandus. Adjuverunt etiam noſtrates Theologi haud parum vaferrima illorum conſilia triſtiſſima intemperie in civilibus turbis ubique vociferantes, Calvinianos, quos contemptim vocant, nec pace religioſa comprehendi, nec in imperio ferendos: imò vero Principes ad eorum oppreſſionem ſumma imprudentia identidem concitantes. Placuit hoc animorum ulcus ſupra modum Pontificiis, qui interna hæc inter Proteſtantes diſſidia aliquando in ipſorum peſtem

(*a*) Vid. Protocoll. Tract. & act. pacif. p. m. 181. & 244.
(*b*) Ibid. p. 227. (*c*) Art. 5. §. 14.
(†) Art 4. doch ſollen alle andere.

peſtem eſſe exitura callidè providebant, itaque ſimulata ac inſidioſa amicitia ſtudioſe Lutheranorum partes fovere, hos bonos cives dicere, quibus cum ipſis concordia ſit & pax civilis: Calvinianos verò ſectarios, non juris vinculo, non conventionum fœderumvè ſanctimonia ſecum conjunctos: adeoque hoſtes imperii, conjunctis viribus exterminandos. Suſpecta jam tum erat prudentiſſimo cuique hæc inopina facilitas eorum, quos paulò ante acerrimos habuimus perſecutores, & leoninam cum ipſis ſocietatem contrahi haud occultis indiciis ſuboluerat: nec communi rei defuerunt ipſimet reformati, monitis ſubinde officioſe fratribus, ne contempto periculo in mutuam perniciem præfracte ruerent. Sed prævaluit adverſus neceſſariam concordiam impotens odium, quod ſub ſpecioſa religionis larva rixoſi quidam Theologi Principibus ſuis malè conſultis ingerebant: unde ſparſi paſſim libelli, Calvinianos pace religioſa non teneri: melius eſſe neceſſitate impoſita ad Papatum deficere, quàm Calvini dogmata: Calvinianos in plus quam nonaginta novem articulis Arrianos ſequi & Mahumetana deliria: quæ dum hi contrariis ſcriptis aculeate & interdum condigne refellunt, in maximo contentionum æſtu irritati animi ſunt, nihil ad rei Chriſtianæ ſummam profectum eſt. Et ſanè deſiderare tunc aliquis in hoc ſeculo majorum noſtrorum æquitatem potuiſſet & moderationem, qui apud Carolum pro reformatis enixo ſtudio interceſſerunt, ne beneficio religioſæ pacis excluderentur; verba eorum legi merentur, quæ ſunt apud

(a) Gol-

(*a*) Goldaſtum hæc. Und wiewol die Ständt der Augſpurgiſchen Confeſſion verwandt ſich Gewiſſens und Gehorſams halber/ auch der Warheit zu Beyſtand gegen der Käyſerl. Majeſtät dermaſſen erklärt / ſo wäre doch ihr Gemüt / Will und Meinung gar nicht/ den Churfürſten Pfaltzgraven oder andere/ ſo in etlichen Articuln mit ihnen ſtreitig in Teutſchen oder in fremden Nationen in einige Gefahr / viel weniger aus den Religion Frieden zu ſtellen / oder auch deß Gegentheils Verfolgung/welche inn- oder auſſerhalb Teutſcher Nation fürläufft/ zu billigen/ſtärcken/oder den Armen/ Betrübten/Bekümmerten deß Worts Chriſti ihr Creutz und Verfolgung ſchwerer nnd gröſſer zu machē. Huic Evangelicorum declarationi alienum à mente ſenſum (*b*) Limnæus ex Cranio affingit, quaſi reformatos nec velint à pace removere, utpote quos eorum doctrina ſatis removeat, nec admittere, cum invita altera parte id ipſis non liceat. Hac enim tergiverſatione, & pene dixerim ludibrio nihilo magis conſultum eis fuiſſet, quos ſublevare voluerunt, omni alia religione præter Catholicam Romanam & Auguſtanæ Confeſſioni conformem publicis legibus interdicta, ut quis hoc ſenſu interceſſionem pro amicis vulpeculæ illius catarrho meritò conferret, quæ ad leonem dominum admiſſa, cum de odore domus rogaretur, odoris languore ſe à periculoſa reſponſione excuſavit. Itaque Evangelicorum Statuum preces pro Palatino Helveticorum doctrinam ſecuto ita capiendæ ſunt, ut ei

(*a*) Reichs-Satzung. pag. 295.
(*b*) J. P. Tom. 1. l. 1. c. 13. n. 32.

ei prodeſſe poſſint, nimirum quod reformati ob unum alterumve articulum diſcrepantem non debeant religioſa pace excludi, imprimis Palatino in fundamentali juſtificationis noſtræ nec non aliis plurimis capitibus ab Auguſtana Confeſſione non diſcedente: Solo propemodum ſacræ cœnæ articulo, in quo diſſentiat: ſed ſpe facta, ut meliora edoctus mutet: quæ diſcrepantia non tanti ſit æſtimanda, ut religioſæ paci noceat, quando & in antiqua religione non in omnibus articulis ab univerſis idem ſentitur: ad hunc enim ſcopum nec aliorſum collimant verba illa: Es wolten auch ihre Majeſtät ſich gleicher Geſtalt erinnern / daß auch bey dem Päpſtlichen Theil im Haupt-Articul der Rechtfertigung vor GOtt betreffend und vielen andern nicht an allen Orten gleichmäſſiger Weis gehalten und gelehret werde. Hæc procul dubio eo tempore Proteſtantium fuit ſententia, quæ hoc ſeculo iterum, ut dixi, per inteſtina diſſidia & animorum ægritudinem convelli cepta eſt, blandiente data opera Evangelicis Ferdinando, qui ad leniendam edicti ſui invidiam hoc in gratiam eorum adjecere voluiſſe viſus eſt, ut Calvinianos extra pacem ſua declaratione poneret, quod tamen re intrinſecus perſpecta illis ipſis, quibus gratificari cupiit, in pejus vertiſſet, niſi Deus pro nobis vigilaſſet, ubi in cauto veterno obdormivimus. Deniq; ſatiatis cōviciis & odio animis pace Weſtphalica *unanimi Cæſareæ majeſtatis omniumq; Ordinum Imperii conſenſu placuit, ut quicquid juris aut beneficii, cùm omnes aliæ conſtitutiones imperii, tum pax religioſa & publica hac trans-*

actio, in eaq; deciſio gravaminum cæteris Catholicis & Auguſtanæ Confeſſioni addictis Statibus & ſubditis tribuunt, id etiam iis, qui inter illos reformati vocantur competere debeat: ſalvis tamen Statuum, qui Proteſtantes nuncupantur, inter ſe & cum ſubditis ſuis conventis, pactis, privilegiis, reverſalibus & diſpoſitionibus aliis, quibus de religione, ejusque exercitio & inde dependentibus, cujusq; loci Statibus & ſubditis proviſum eſt, ſalva itidem cujusq; conſcientiæ libertate: ita compoſita lite reformatorum conſcientiis publica lege cautum eſt.

§. 19. Articulus iſte de reſervato Eccleſiaſtico agit, quod noſtro & ſuperiore ævo aureum Eridos pomum quis haud abſurde dixerit: nomen inde ſortitum eſt, quod cum per pacem religioſam Proteſtantes omnibus imperii Statibus facultatem & arbitrium religionem mutandi dari cuperent, Eccleſiaſtici ordines intercesſerint, & ſe eximi ab illa libertate petierint, quaſi ſibi, ut Statibus reſervantes neceſſarium antiquæ religionis uſum. Quamvis verò litigium nupera pace confectum ſit, ut non videatur operæ pretium multis de eo diſceptare: quoniam tamen reſervatum res eſt notiſſimæ famæ, & tot tumultuum in imperio cauſa, ideoque breviter, qua licet, fatum ejus & fortunam multiplicem ab origine ad compoſitionem usque omnimodam tractaſſe haud inutile ſtudium fore duximus. (Vid. *Art. 5.* Und nachdem bey Vergleichung.)

§. 20. Anno Seculi à Chriſto nato, decimi ſexti quinquageſimo quinto in Comitiis Auguſtanis de perpetua religionis pace inter Ferdinan-

nandum Regem & Ordines imperii actum eſt, in cujus conceptione cùm in aliis articulis aliquantulum, tum præcipuè circa Eccleſiaſticorum ſtatuum autonomiam graviſſimæ difficultates ſubortæ. Proteſtantes enim initio nulla Ordinum differentia cenſebant, *quod ſi unus pluresve Electores, Principes & Status abhinc usque ad religionis unionem religioni antiqua, ut vocant, vel Auguſtana Confeſſioni acceſſerint, tum eos, qui antiquam religionem amplectuntur, omnium eorum capaces eſſe debere, qua de Statibus antiqua religionis in praſenti conſtitutione poſita: & ex adverſo etiam Auguſtanam confeſſionem ſecuturos illorum omnium, qua in favorem iſtorum, qui jam Auguſtanam confeſſionem mutata religione habuerunt, ſtatuta ſunt.* Verum id minus antiquæ religionis Statibus, imprimis verò Eccleſiaſticis placuit, qui verborum latitudinem & præjudicium, in fundationum omnium certiſſimam peſtem deſinens cauſati ab aſſenſu ſe continuò excuſarunt, hac ulteriore declaratione, ſi articulum unica voce ad Status *Seculares* ſaltem reſtringerent, ſe in cæteris ab ejus conceptione haud alienos eſſe, re hinc inde verſata cum Ordines invicem cedere nollent, Proteſtantes, qui conſcientia ſe attineri dicebant, quo minus Clerum à ſalutari Evangelii curſu arcerent, ut tamen eum Catholicorum animis ſcrupulum eriperent, quaſi Eccleſiaſticis bonis per occultos cuniculos inhiarent, clauſulam ſuperiori articulo annexerunt, per quam cavebatur, ne imperii fundationes immediatæ ſeculo ullo tempore redderentur, ſed poſt mor-

tem cujusvis Epiſcopi aut Prælati Capitulo, aut ad quos ea res pertinet, jus integrum eſſet electionis, adminiſtrationis bonorum, & alius cucujusque; Salva tamen Secularibus ſuperioritate & juribus; ſpe inſuper facta, ut (*a*) author Autonomiæ tradit, fore, ut à propoſito penitus abſtinerent, ſi receſſui futuro, aut ſaltem ordinationi Cameræ articulus inſereretur, qui Eccleſiaſticam jurisdictionem adverſus Proteſtantes usque ad finalem religionis compoſitionem penitus ſuſpenderet. Ex altera parte Catholici, quibus adjecta clauſula de bonis Eccleſiaſticis nunquam profanandis nihilo melius ſatisfactum videbatur, diverſo longè ſenſu articulum ita conceperunt, *ut Archiepiſcopi, Epiſcopi, Prælati, Capitula, Ordines & omnis Clerus, ſi eveniente caſu antiqua religione deſerta ad Auguſtanam confeſſionem tranſirent, confeſtim ipſo jure & facto dignitate & publicis muneribus excidiſſe intelligantur, data Capitulis aliisq; quibus id de jure aut more in Eccleſia recepto competit, libertate eligendi perſonam aliam, antiqua religioni addictam, qua cũ Capitulis & Eccleſiis in quieta jurium, electionis, præſentationis, confirmationis, conſuetudinum, ac deniq; bonorum omnium, mobilium & immobilium poſſeſſione relinquenda ſit.* In hoc comitiorum æſtu res tandem, de qua invicem convenire non poterant, ad Ferdinandum Regem delata eſt, qui reſcripto 3. Calend. Septembr. Ordinibus miſſo *nihil cauſæ ſe poſt ſeriam deliberationem videre dixit, quamobrem Proteſtantes reſervato*

(*a*) Part. 1. cap. 4.

to Catholicorum tam ægre concederent, quod nullo tamen verbo Proteſtantium rebus noceat, in id tantum adhibita cura, ne Eccleſiaſtica bona ab antiquo & vero uſu per ſuos adminiſtratores, cum religione ad aliena pietatis ſtudia contra Fundatorum ultimam voluntatem & vota converterentur. Conſtitutiones imperii, receſſus, pacem publicam, & Paſſavienſem transactionem expreſſe jubere, ut Auguſtanæ Confeſſionis Status concives ſuos antiquæ religionis nulla vi injuriáq́; laceſſant, ſed tr̃aquillo religionis Conſtitutionum Eccleſiaſticarum, Ceremoniarum, redituum, cenſuum, penſionum, juriſdictionis, tum ſubditorum bonorumq́; uſu & libertate imperturbatos frui patiantur, ut proinde reſervatum illud, quod eundem nec alium ſibi finem propoſitum habet, nonniſi malignè poſſit à Proteſtantibus rejici, quibus dum Catholici Status modum non dant in fundationibus, monaſteriis, Præbendis, transactione Paſſavienſi comprehenſis, eandem moderationem & æquitatem ab ipſis jure meritoq́; expectare: monere itaq; Regiam majeſtatem Status Auguſtanæ confeſſioni addictos, ne porro ſe in honeſtis Catholicorum deſideriis difficiles præbeant, ſed conſcientiarum libertate & ſecuritate propria contenti negotium ipſimet nullo modo præjudicioſum, ſed quod ſolos Catholicos concernit, qui Proteſtantium nimiam pro eorum ſalute ſollicitudinem ægre ferunt, contentioſis protelationibus impedire deſinant. Ad hæc à Proteſtantibus reſponſum eſt, *nolle ſe antiquæ religionis Statibus in eorum territoriis aut civili regimi-*

ne quacunq; ratione præcipere, multo magis convellere fundationum & Eccleſiaſticorum bonorum ſeriem, quibus magna parte Romanum imperium fundatum eſt, ad quod cum aliis conſervandum totis viribus connixuri ſint: hoc agere, ut omiſſo Eccleſiaſtico reſervato ſuboritura indies difficultates & diffidentiæ ſemina firma pace terminarentur: jam ante Eccleſiaſticorum Electorum legatos cum Proteſtantibus in id conſenſiſſe, mutata mox ſententia ad inferiorum quorundam Statuum ſuggeſtiones: ſe verò in reſervatum ob ſequentes graviſſimas rationes non poſſe conſentire; primo non levem Auguſtanæ confeſſioni injuriam fieri, ſi omnes, qui ad eam ſe conferunt, ipſo facto fundationibus excidere, & ut hæreticos dignitatibus privari paterentur. Deinde Sacræ Scripturæ & conſcientiarum libertati repugnare, ſi Status conſentiat, ne perſona Eccleſiaſtica eam religionem acceptet, quam ipſe pro vera & Chriſtiana agnoſcit. Deniq; tertio hujus articuli diſpoſitionem ipſius religionis eſſe quandam præjudicioſam deciſionem, quæ Auguſtanam confeſſionem in doctrinam ſectariam & damnatam præcoci judicio conjiciat, cui nemo ex Eccleſiaſticis, quos ſalutis ſuæ tamen magis quam alios decet eſſe memores, poſſit ſine jactura famæ & dignitatum adhærere: quod cauſæ principali ingenti præjudicio, ut paci maximo incommodo ſit futurum. Hactenus Proteſtantium rationes, quibus cum Catholici repoſuiſſent, *non ad ſuggillationem & injuriam Auguſtanæ confeſſionis, ſed Fundationum conſervationem Eccleſiaſticum*

reſer-

reſervatum pertinere, nec conſcientiis libertatem præcidi, ſed bona Eccleſiis dicata, quæ proculdubio illos non eſſent impeditura, qui Auguſtanam confeſſionem ex animo ſectari velint, & ſic utraque pars propoſito conſtanter adhæreret, tandem Ferdinandus ex officio & pro poteſtate articulum de reſervato paulo mitius & ita conceptum, ut nunc in pacis religioſæ Articulo 5. conſpicimus, Ordinibus exhibuit, monitis Proteſtantibus, eodem tenore paci religioſæ inſertum iri, qui ſpatio deliberandi ſumpto, ut ſuper eo Dominos ſuos conſulerent, & accepto mandato, apud Ferdinandum porrecto ſupplice libello denuo interceſſerunt, quo repetitis rationibus, & interpoſita proteſtatione, non id eo animo peti, quod Eccleſiaſtica imperii bona in ſeculares rationes converſuri eſſent, ingenua libertate explicuerunt, *ſe conſcientia ſalva in reſervatum Eccleſiaſticum nullo modo poſſe conſentire, adeoq; quam demiſſe ſupplicare ſuam regiam Majeſtatem, ne libertati Chriſtianæ contra comitialia Ratisbonæ, Noribergæ & Spiræ facta Decreta vis fieret, ſed æqualitate utrinq; ſervata nemo omnium ad religionem alterutram cogeretur: de cætero pati poſſe, ut religioſa pax, ſicut in aliis articulis concepta, publico conſenſu executioni mandetur. Quod ſi verò tamen præter ſpem Regia majeſtas his non attentis à priore ſententia nullo modo diſcedere, ſed articulum illum, ut à ſua Majeſtate ex plenitudine vicariæ Cæſareæ Majeſtatis, & quaſi compromiſſi, regio officio informatus eſt, publicare decreverit: tunc Proteſtantes regiæ Majeſtati*

prater ſupplices preces oblatas & neceſſarias diſſenſus cauſas non poſſe in eo negotio ulteriorem modum & limites dare, multo minus cupere antiqua religioni addictos Status in ſuis bonis Eccleſiaſticis, beneficiis, officio, dignitatibus verbis aut facto lædere, pro quibus aliquando ſummo Judici non ſint rationes adminiſtratæ rei Chriſtianæ reddituri: cæterum adhuc intrepide profiteri, ne honorem Dei videantur impedire, & æternum ſibi ipſis in conſcientia flagellum relinquant, conſenſum ſuum & approbationem non poſſe præſtare: quo tamen non obſtante pacem tam profanam quàm religioſam cum aliis ſtatibus religioſe obſervaturos, nec non Cæſareæ & Regiæ Majeſtatibus omne debitum obſequium, Statibus vero ſinceram amicitiam concordiamve oblaturos eſſe. His auditis Ferdinandus breviter priora præfatus, ex poteſtatis plenitudine in re quaſi concluſa & ad arbitrium ejus remiſſa articulum de reſervato imperii receſſui ac religionis paci inſeruit, quæ pax, ut receſſus habet, ab univerſis Ordinibus in omnibus ſuis articulis approbata, jurata, ſubſcripta, ſigillata & publicata eſt, datis mox ad Spirenſem Cameram mandatis, ut ſecundum eam inter partes jus dicerent, & ita in illis Comitiis negotium de pace remittentibus aliquantulum Proteſtantibus feliciter finem accepit.

§. 21. Sequenti anno in Comitiis Ratisbonenſibus repetitæ preces ſunt à Statibus Auguſtanæ confeſſionis, idque majore paulum æſtu & exquiſitiore rationum apparatu: minæ etiam admixtæ, ut, niſi ea in re ipſis ſatisfiat, nec alii in

Sena-

Senatibus actioni participaturi ſint: negotium tamen denuò, ut alienum, pro quo aliquando coram tribunali divino reſpondere nolint, arbitrio Ferdinandi permiſſum, renovata ſaltem proteſtatione de non adhibito conſenſu ſuo. Cùm Ferdinandus prolixo ſcripto reſpondiſſet, quo articulum iſtum de reſervato Eccleſiaſtico poſt longas & varias diſceptationes ſcientibus volentibusque Evangelicis paci religioſæ adjunctum affatim probare nititur; Proteſtantes continuò replicarunt, & ſcientiam faſſi ſunt, negato conſenſu, hunc enim ſe ullo tempore præſtitiſſe, vel ipſam pacem religioſam diffiteri, cui Ordinum imperii in hoc articulo diſſenſus & poteſtativa Ferdinandi deciſio quaſi ex officio clariſſimis verbis ad petitionem Proteſtantium inſerta ſit: proinde petere, ut mitigetur paulùm articulus, nec ad Evangelicam lucem ſe converſuris hoc obice via ſalutaris præcludatur. Perſtante in priore ſententia Ferdinando, à Proteſtantibus circa finem comitiorum ſolemnis Proteſtatio cum declaratione 4. Id. Martii anno quinquageſimò ſeptimo interpoſita eſt, qua coram Deo palam faciunt, ſe in reſervatum Eccleſiaſticum nunquam conſenſiſſe, nec nunc conſentire, adeoque permittere illud conſcientiis Catholicorum; cæterum id conceptè declarare, quod evenienτe caſu, ut aliquis Eccleſiaſticus Status, Auguſtanam confeſſionem profeſſus ex eo dignitatibus, bonis, muneribus publicis ſpoliandus ſit, non tantum ipſimet ob injuriam illam, veritati divinæ factam, purgata conſcientia innocentes eſſe velint, ſed & nec facto nec verbis ad ejus op-

ſius Reipublicæ dici poteſt. Ita compoſitis animis ſeponendus eſt in noſtra Republica Pontificis Primatus, quo ſtante nulla per omnem æternitatem in religione concordia ſperanda eſt. Et id utique citra Catholicæ fidei detrimentum fieri poſſe nequaquam dubitandum. Ita Heinricus VIII. Angliæ Rex abolita per omnem Angliam Papæ auctoritate ſe Caput Eccleſiæ Anglicanæ conſtituit, integra de cætero fide, quæ ante fuit: Sic Carolus V. Imperator in Hiſpania Pontificis nomen proſcripſit, retenta nihilominùs antiqua religione. Gallia, patriæ libertatis retinentiſſimum regnum quoties idem fecit, ſi iniquior Pontifex tempeſtatem & turbas conciere viſus eſt? Et dici profectò nequit, quanto id Reipublicæ commodo & utilitate fiat. Sacer enim Ordo, qui in omnibus provinciis majorum imprudentia ultra juſtam ſui menſuram crevit, admiſſo pontificio nomine & primatu vix ſe membrum Reipublicæ ſentit, omni obſequio & jurisdictione in unum Pontificem delatâ, & excluſis jure ſuo ac imperio Principibus, quod à Deo in cives ſuos nullo diſcrimine acceperunt. Eliſo Primatu, & reſtituta in Clerum Imperatoribus poteſtate jam plurimum ad ineundam unionem profectum, & innumeræ uno velut ictu quæſtiones deciſæ, quibus mordicus defendendis, quamvis majeſtatem magis externam & emolumentum Pontificum, quàm ipſam fidem reſpiciant, Curia Romana immenſum laborat. Sed & Proteſtantibus major erga Imperatorem & Ordines antiquæ religioni addictos fiducia redibit, quando eos flaminibus alienis non ampliùs agi-

tari noverint. Porro nationale Germaniæ Concilium, (* œcumenicum enim per ambitionem Romanæ Eccleſiæ non licet ſperare) auctoritate Imperatoris convocandum, in quo utraque pars de controverſis fidei articulis, qui haud ita multi ſunt, mitem primo ac moderatam ſuſcipiat diſceptationem, mox etiam remiſſis utrinque & permiſſis citra ſciſſuræ notam adiaphoris, aut explicatis, quæ duriora videntur, compoſitionem. Unione inter Catholicos & Proteſtantes ſancita, facilius Proteſtantes inter ſe, Lutherani nimirum, & qui κατ' ἐξοχὴν reformati dicuntur, convenient, utpote quorum confeſſio, ſi contentionibus & factis ad oſtentationem diſputationibus abſtineatur, vix in uno aut altero articulo, in quo recte concepto Reformati haud quaquam ſe difficiles præbituri ſunt, diſcrepat, nec parum unitati proderit, ſi à definitionibus periculoſis, quantum fieri poteſt, abſtineatur, & cum de ſenſu loci alicujus Sacræ Scripturæ ambigitur, ad antiquiſſima Eccleſiæ tempora recurratur. Verum de ratione concordiæ in Eccleſia procurandæ alibi prolixiores futuri erimus: id ſaltem nunc addere fas ſit, hunc modum, pium, æquum, bonum, maligne à quibusdam (a) Pontificiis, contractibus & pactionibus, ruſticis inter ſe invicem iniri ſolitis, comparari, qui indoli & naturæ religionis, quæ non imperari vult, ſed benigne perſuaderi, imò primæ Eccleſiæ moribus ac inſtitutis, longe melius quadrat, quam illud Romani Præſulis *coge intrare*, quod ſæviſſimæ tyran-

(a) Vid. Auth. Auton. Part. 3. c. 13.

nidi propius accedente inquiſitionis ſanguinolentæ officio immani carnificina nulla in Eccleſiam utilitate, maximo in Rempublicam damno, conſcientias excruciat.

§. 14. Præter illa, quæ Pacem Religionis univerſim attinent, peculiares olim circa articulos quosdam controverſiæ exortæ, quæ diu inter partes tum in Comitiis, tum privatim ore & calamo, interdum quoque armis agitatæ cum non poſſent conſopiri, interceſſit tandem Ferdinandus II. Imperator, & notiſſimo ſuo edicto anno 1629. publicato, quod claſſicum belli civilis fuit, plurimas pro Catholicis decidit: Sed conquerentibus de iniquitate Proteſtantibus, & executionem paratam oppoſita vi impedientibus, pace Weſtphalica paulò aliter conventum eſt, omni auctoritate edicto illo abrogata. Singula breviter videbimus.

§. 15. (*a*) De jurisdictione Imperatoris in cauſis pacem religioſam concernentibus quondam inter Catholicos & Proteſtantes acerbè diſceptatum, his imperatorium tribunal, ut ſibi multis nominibus ſuſpectum aut iniquum ſummo ſtudio defugientibus: * qua de re plura alibi dicturi ſumus. Lis enim per pacem Osnabrugenſem ſublata eſt.

§. 16. Cum præcipua pacis religioſæ intentio & finis fuerit concordia civilis, inter utriusq; religionis conſortes tenenda adeoque amicitia & caritas Chriſtiana (†) imprimis commendantur, quæ tamen felicius non licet conſequi, quàm

(*a*) Inſtr. pac. art. 5. §. 10. (†) Adrel. Pax. art. 1. verb. it rechter Freundſchafft und Chriſtlicher Lieb meinen.

quàm introductâ paritate in civilibus negotiis, ante omnia verò juſtitiæ adminiſtratione, & honorum dignitatumve capeſſendarum ſerie. Quæ paritas quoniam malignius obſervari Proteſtantibus videbatur, ad judicium aulicum & Spirenſis Cameræ tribunal nonniſi fere Catholicis admiſſis, promptioribus utique cum in proceſſibus decernendis tùm ferendis ſententiis, ſi litigantes favore religionis ſublevarentur, qua de re, & illa præterea, quod ſubditis emigrantibus nec beneficium publicis legibus indultum maneat integrum, nec nativitatis, bonæ famæ aut artium teſtimonia à Magiſtratu iniquo concedantur, graviſſimæ Proteſtantium querelæ proſtant, ideoque (*a*) noviſſimâ pace majoris concordiæ cauſa placuit, ut *exacta in reliquis omnibus*, (quæ ſcilicet expreſſa ſanctione nullam inæqualitatem habent) *inter utriusq; religionis Status omnes & ſingulos ſit & mutua æqualitas, quatenus formæ Reipublicæ, imperii Conſtitutionibus & præſenti Conventioni conformis eſt: ita ut quod uni parti juſtum eſt, alteri quoque ſit juſtum, violentia omni, & via facti ut alias, ita hic inter utramq; partem perpetuo prohibita*: De puncto juſtitiæ quoque ut & ſubditis emigraturis (*b*) infrà quædam in inſtrumento pacis traduntur.

§. 17. Jus reformandi Statibus competens olim valde controverſum (†) fuit, aliis ejus fundamentum in ſola jurisdictione & ſuperioritate terri-

(*a*) Inſtrum. Pac. Art. 5. §. 1.

(*b*) Art. 5. §. 12. verb. Sive autem. et. Conventum autem eſt.

(†) Art. 2. verb. oder nochmals aufrichten möchten.

territoriali ponentibus : aliis inſuper in qualitatate feudali aut ſubfeudali, jure gladii, patronatus, filialitatis, retentionis; per quæ Proteſtantibus plurimæ moleſtiæ creatæ, de quibus in (*a*) tractatu pacis Osnabrugæ graviter conqueſti ſunt. Et quamvis (*b*) Catholici petierint, ut res in eo ſtatu relinqueretur, in quem per pacta, inveſtituras, transactiones jam collocata eſt : Tenuerunt tamen Evangelici, ut indiſtinctè à ſola ſuperioritate & jure territorii jus reformandi dependeat, quod in inſtrumento pacis expreſſè cautum.

§. 18. De reformatis (†) quondam vehementer dubitatum : Certe Pontificii ſcriptores nullum non lapidem hoc ſeculo movebant, ut eos à pacis religioſæ præſidio & Societate Auguſtanæ Confeſſioni addictorum dirimerent, rati, quod pene accidit, utrosque facilius opprimi poſſe, ſi ſeparatos inveniſſent, non alio noſtrûm ſolatio, quàm quod Ulyſſes peremptis ſociis habuit, ultimus devorandus. Adjuverunt etiam noſtrates Theologi haud parum vaferrima illorum conſilia triſtiſſima intemperie in civilibus turbis ubique vociferantes, Calvinianos, quos contemptim vocant, nec pace religioſa comprehendi, nec in imperio ferendos : imò vero Principes ad eorum oppreſſionem ſumma imprudentia identidem concitantes. Placuit hoc animorum ulcus ſupra modum Pontificiis, qui interna hæc inter Proteſtantes diſſidia aliquando in ipſorum peſtem

(*a*) Vid. Protocoll. Tract. & act. pacif. p. m. 181. & 244.
(*b*) Ibid. p. 227. (*c*) Art. 5. §. 14.
(†) Art 4. doch ſollen alle andere.

peſtem eſſe exitura callidè providebant, itaque ſimulata ac inſidioſa amicitia ſtudioſe Lutheranorum partes fovere, hos bonos cives dicere, quibus cum ipſis concordia ſit & pax civilis: Calvinianos verò ſectarios, non juris vinculo, non conventionum fœderumvè ſanctimonia ſecum conjunctos: adeoque hoſtes imperii, conjunctis viribus exterminandos. Suſpecta jam tum erat prudentiſſimo cuique hæc inopina facilitas eorum, quos paulò ante acerrimos habuimus perſecutores, & leoninam cum ipſis ſocietatem contrahi haud occultis indiciis ſuboluerat: nec communi rei defuerunt ipſimet reformati, monitis ſubinde officioſe fratribus, ne contempto periculo in mutuam perniciem præfractè ruerent. Sed prævaluit adverſus neceſſariam concordiam impotens odium, quod ſub ſpecioſa religionis larva rixoſi quidam Theologi Principibus ſuis malè conſultis ingerebant: unde ſparſi paſſim libelli, Calvinianos pace religioſa non teneri: melius eſſe neceſſitate impoſita ad Papatum deficere, quàm Calvini dogmata: Calvinianos in plus quam nonaginta novem articulis Arrianos ſequi & Mahumetana deliria: quæ dum hi contrariis ſcriptis aculeate & interdum condigne refellunt, in maximo contentionum æſtu irritati animi ſunt, nihil ad rei Chriſtianæ ſummam profectum eſt. Et ſanè deſiderare tunc aliquis in hoc ſeculo majorum noſtrorum æquitatem potuiſſet & moderationem, qui apud Carolum pro reformatis enixo ſtudio interceſſerunt, ne beneficio religioſæ pacis excluderentur; verba eorum legi merentur, quæ ſunt apud (*a*) Gol-

(*a*) Goldaſtum hæc. Und wiewol die Stände der Augſpurgiſchen Confeſſion verwandt ſich Gewiſſens und Gehorſams halber/ auch der Warheit zu Beyſtand gegen der Käyſerl. Majeſtät dermaſſen erklärt / ſo wäre doch ihr Gemüt / Will und Meinung gar nicht/ den Churfürſten Pfaltzgraven oder andere / ſo in etlichen Articuln mit ihnen ſtreitig in Teutſchen oder in fremden Nationen in einige Gefahr / viel weniger aus den Religion Frieden zu ſtellen / oder auch deß Gegentheils Verfolgung/welche inn- oder auſſerhalb Teutſcher Nation fürläufft/ zu billigen/ſtärcken/oder den Armen/ Betrübten/Bekümmerten deß Worts Chriſti ihr Creutz und Verfolgung ſchwerer nnd gröſſer zu machē. Huic Evangelicorum declarationi alienum à mente ſenſum (*b*) Limnæus ex Cranio affingit, quaſi reformatos nec velint à pace removere, utpote quos eorum doctrina ſatis removeat, nec admittere, cum invita altera parte id ipſis non liceat. Hac enim tergiverſatione, & pene dixerim ludibrio nihilo magis conſultum eis fuiſſet, quos ſublevare voluerunt, omni alia religione præter Catholicam Romanam & Auguſtanæ Confeſſioni conformem publicis legibus interdicta, ut quis hoc ſenſu interceſſionem pro amicis vulpeculæ illius catarrho meritò conferret, quæ ad leonem dominum admiſſa, cum de odore domus rogaretur, odoris languore ſe à periculoſa reſponſione excuſavit. Itaque Evangelicorum Statuum preces pro Palatino Helveticorum doctrinam ſecuto ita capiendæ ſunt, ut ei

(*a*) Reichs-Satzung. pag. 295.
(*b*) J. P. Tom. 1. l. 1. c. 13. n. 32.

ei prodeſſe poſſint, nimirum quod reformati ob unum alterumve articulum diſcrepantem non debeant religioſa pace excludi, imprimis Palatino in fundamentali juſtificationis noſtræ nec non aliis plurimis capitibus ab Auguſtana Confeſſione non diſcedente: Solo propemodum ſacræ cœnæ articulo, in quo diſſentiat: ſed ſpe facta, ut meliora edoctus mutet: quæ diſcrepantia non tanti ſit æſtimanda, ut religioſæ paci noceat, quando & in antiqua religione non in omnibus articulis ab univerſis idem ſentitur: ad hunc enim ſcopum nec aliorſum collimant verba illa: Es wolten auch ihre Majeſtät ſich gleicher Geſtalt erinnern / daß auch bey dem Päpſtlichen Theil im Haupt-Articul der Rechtfertigung vor GOtt betreffend und vielen andern nicht an allen Orten gleichmäſſiger Weis gehalten und gelehret werde. Hæc procul dubio eo tempore Proteſtantium fuit ſententia, quæ hoc ſeculo iterum, ut dixi, per inteſtina diſſidia & animorum ægritudinem convelli cepta eſt, blandiente data opera Evangelicis Ferdinando, qui ad leniendam edicti ſui invidiam hoc in gratiam eorum adjecere voluiſſe viſus eſt, ut Calvinianos extra pacem ſua declaratione poneret, quod tamen re intrinſecus perſpecta illis ipſis, quibus gratificari cupiit, in pejus vertiſſet, niſi Deus pro nobis vigilaſſet, ubi in cauto veterno obdormivimus. Deniq; ſatiatis cõviciis & odio animis pace Weſtphalica *unanimi Cæſareæ majeſtatis omniumq́; Ordinum Imperii conſenſu placuit, ut quicquid juris aut beneficii, cùm omnes aliæ conſtitutiones imperii, tum pax religioſa & publica hac trans-*

actio,

actio, in eaq; deciſio gravaminum cæteris Catholicis & Auguſtana Confeſſioni addictis Statibus & ſubditis tribuunt, id etiam iis, qui inter illos reformati vocantur competere debeat: ſalvis tamen Statuum , qui Proteſtantes nuncupantur, inter ſe & cum ſubditis ſuis conventis, pactis, privilegiis, reverſalibus & diſpoſitionibus aliis, quibus de religione, ejusque exercitio & inde dependentibus, cujusq; loci Statibus & ſubditis proviſum eſt, ſalva itidem cujusq; conſcientiæ libertate: ita compoſita lite reformatorum conſcientiis publica lege cautum eſt.

§. 19. Articulus iſte de reſervato Eccleſiaſtico agit, quod noſtro & ſuperiore ævo aureum Eridos pomum quis haud abſurde dixerit : nomen inde ſortitum eſt, quod cum per pacem religioſam Proteſtantes omnibus imperii Statibus facultatem & arbitrium religionem mutandi dari cuperent, Eccleſiaſtici ordines interceſſerint, & ſe eximi ab illa libertate petierint, quaſi ſibi, ut Statibus reſervantes neceſſarium antiquæ religionis uſum. Quamvis verò litigium nupera pace confectum ſit, ut non videatur operæ pretium multis de eo diſceptare: quoniam tamen reſervatum res eſt notiſſimæ famæ, & tot tumultuum in imperio cauſa, ideoque breviter, qua licet, fatum ejus & fortunam multiplicem ab origine ad compoſitionem usque omnimodam tractaſſe haud inutile ſtudium fore duximus. (Vid. *Art. 5*. Und nachdem bey Vergleichung.)

§. 20. Anno Seculi à Chriſto nato, decimi ſexti quinquageſimo quinto in Comitiis Auguſtanis de perpetua religionis pace inter Ferdinan-

nandum Regem & Ordines imperii actum eſt, in cujus conceptione cùm in aliis articulis aliquantulum, tum præcipuè circa Eccleſiaſticorum ſtatuum autonomiam graviſſimæ difficultates ſubortæ. Proteſtantes enim initio nulla Ordinum differentia cenſebant, *quod ſi unus pluresve Electores, Principes & Status abhinc usque ad religionis unionem religioni antiquæ, ut vocant, vel Auguſtanæ Confeſſioni acceſſerint, tum eos, qui antiquam religionem amplectuntur, omnium eorum capaces eſſe debere, quæ de Statibus antiquæ religionis in præſenti conſtitutione poſita: & ex adverſo etiam Auguſtanam confeſſionem ſecuturos illorum omnium, quæ in favorem iſtorum, qui jam Auguſtanam confeſſionem mutata religione habuerunt, ſtatuta ſunt.* Verum id minus antiquæ religionis Statibus, imprimis verò Eccleſiaſticis placuit, qui verborum latitudinem & præjudicium, in fundationum omnium certiſſimam peſtem deſinens cauſati ab aſſenſu ſe continuò excuſarunt, hac ulteriore declaratione, ſi articulum unica voce ad Status *Seculares* ſaltem reſtringerent, ſe in cæteris ab ejus conceptione haud alienos eſſe, re hinc inde verſata cum Ordines invicem cedere nollent, Proteſtantes, qui conſcientia ſe attineri dicebant, quo minus Clerum à ſalutari Evangelii curſu arcerent, ut tamen eum Catholicorum animis ſcrupulum eriperent, quaſi Eccleſiaſticis bonis per occultos cuniculos inhiarent, clauſulam ſuperiori articulo annexerunt, per quam cavebatur, ne imperii fundationes immediatæ ſeculo ullo tempore redderentur, ſed poſt mor-

tem cujusvis Epiſcopi aut Prælati Capitulo, aut ad quos ea res pertinet, jus integrum eſſet electionis, adminiſtrationis bonorum, & alius cujusque; Salva tamen Secularibus ſuperioritate & juribus; ſpe inſuper facta, ut (a) author Autonomiæ tradit, fore, ut à propoſito penitus abſtinerent, ſi receſſui futuro, aut ſaltem ordinationi Cameræ articulus insereretur, qui Eccleſiaſticam jurisdictionem adverſus Proteſtantes usque ad finalem religionis compoſitionem penitus ſuſpenderet. Ex altera parte Catholici, quibus adjecta clauſula de bonis Eccleſiaſticis nunquam profanandis nihilo melius ſatisfactum videbatur, diverſo longè ſenſu articulum ita conceperunt, *ut Archiepiſcopi, Epiſcopi, Prælati, Capitula, Ordines & omnis Clerus, ſi eveniente caſu antiqua religione deſerta ad Auguſtanam confeſſionem tranſirent, confeſtim ipſo jure & facto dignitate & publicis muneribus excidiſſe intelligantur, data Capitulis aliisq; quibus id de jure aut more in Eccleſia recepto competit, libertate eligendi perſonam aliam, antiquæ religioni addictam, quæ cũ Capitulis & Eccleſiis in quieta jurium, electionis, præſentationis, confirmationis, conſuetudinum, ac deniq; bonorum omnium, mobilium & immobilium poſſeſſione relinquenda ſit.* In hoc comitiorum æſtu res tandem, de qua invicem convenire non poterant, ad Ferdinandum Regem delata eſt, qui reſcripto 3. Calend. Septembr. Ordinibus miſſo *nihil cauſa ſe poſt ſeriam deliberationem videre dixit, quamobrem Proteſtantes reſervato*

(a) Part. 1. cap. 4.

to Catholicorum tam ægre concederent, quod nullo tamen verbo Proteſtantium rebus noceat, in id tantum adhibita cura, ne Eccleſiaſtica bona ab antiquo & vero uſu per ſuos adminiſtratores, cum religione ad aliena pietatis ſtudia contra Fundatorum ultimam voluntatem & vota converterentur. Conſtitutiones imperii, receſſus, pacem publicam, & Paſſavienſem tranſactionem expreſſe jubere, ut Auguſtanæ Confeſſionis Status concives ſuos antiquæ religionis nulla vi injuriisq; laceſſant, ſed trãquillo religionis Conſtitutionum Eccleſiaſticarum, Ceremoniarum, redituum, cenſuum, penſionum, juriſdictionis, tum ſubditorum bonorumq; uſu & libertate imperturbatos frui patiantur, ut proinde reſervatum illud, quod eundem nec alium ſibi finem propoſitum habet, nonniſi malignè poſſit à Proteſtantibus rejici, quibus dum Catholici Status modum non dant in fundationibus, monaſteriis, Præbendis, tranſactione Paſſavienſi comprehenſis, eandem moderationem & æquitatem ab ipſis jure meritoq; expectare: monere itaq; Regiam majeſtatem Status Auguſtanæ confeſſioni addictos, ne porro ſe in honeſtis Catholicorum deſideriis difficiles præbeant, ſed conſcientiarum libertate & ſecuritate propria contenti negotium ipſimet nullo modo præjudicioſum, ſed quod ſolos Catholicos concernit, qui Proteſtantium nimiam pro eorum ſalute ſollicitudinem ægre ferunt, contentioſis protelationibus impedire deſinant. Ad hæc à Proteſtantibus reſponſum eſt, *nolle ſe antiquæ religionis Statibus in eorum territoriis aut civili regimi-*

ne quacunq́; ratione præcipere, multo magis convellere fundationum & Eccleſiaſticorum bonorum ſeriem, quibus magna parte Romanum imperium fundatum eſt, ad quod cum aliis conſervandum totis viribus connixuri ſint: hoc agere, ut omiſſo Eccleſiaſtico reſervato ſuboritura indies difficultates & diffidentia ſemina firma pace terminarentur: jam ante Eccleſiaſticorum Electorum legatos cum Proteſtantibus in id conſenſiſſe, mutata mox ſententia ad inferiorum quorundam Statuum ſuggeſtiones: ſe verò in reſervatum ob ſequentes graviſſimas rationes non poſſe conſentire; primo non levem Auguſtanæ confeſſioni injuriam fieri, ſi omnes, qui ad eam ſe conferunt, ipſo facto fundationibus excidere, & ut hæreticos dignitatibus privari paterentur. Deinde Sacræ Scripturæ & conſcientiarum libertati repugnare, ſi Status conſentiat, ne perſona Eccleſiaſtica eam religionem acceptet, quam ipſe pro vera & Chriſtiana agnoſcit. Deniq́; tertio hujus articuli diſpoſitionem ipſius religionis eſſe quandam præjudicioſam deciſionem, quæ Auguſtanam confeſſionem in doctrinam ſectariam & damnatam præcoci judicio conjiciat, cui nemo ex Eccleſiaſticis, quos ſalutis ſuæ tamen magis quam alios decet eſſe memores, poſſit ſine jactura famæ & dignitatum adhærere: quod cauſæ principali ingenti præjudicio, ut paci maximo incommodo ſit futurum. Hactenus Proteſtantium rationes, quibus cum Catholici repoſuiſſent, *non ad ſuggillationem & injuriam Auguſtanæ confeſſionis, ſed Fundationum conſervationem Eccleſiaſticum reſer-*

reſervatum pertinere, nec conſcientiis liberta-tem pracidi, ſed bona Eccleſiis dicata, qua pro-culdubio illos non eſſent impeditura, qui Augu-ſtanam confeſſionem ex animo ſectari velint, & ſic utraque pars propoſito conſtanter adhære-ret, tandem Ferdinandus ex officio & pro pote-ſtate articulum de reſervato paulo mitius & ita conceptum, ut nunc in pacis religioſæ Articulo 5. conſpicimus, Ordinibus exhibuit, monitis Proteſtantibus, eodem tenore paci religioſæ in-ſertum iri, qui ſpatio deliberandi ſumpto, ut ſu-per eo Dominos ſuos conſulerent, & accepto mandato, apud Ferdinandum porrecto ſupplice libello denuo interceſſerunt, quo repetitis ratio-nibus, & interpoſita proteſtatione, non id eo a-nimo peti, quod Eccleſiaſtica imperii bona in ſe-culares rationes converſuri eſſent, ingenua liber-tate explicuerunt, *ſe conſcientia ſalva in reſer-vatum Eccleſiaſticum nullo modo poſſe conſenti-re, adeoq; quam demiße ſupplicare ſuam regiam Majeſtatem, ne libertati Chriſtiana contra co-mitialia Ratisbona, Noriberga & Spira facta Decreta vis fieret, ſed aqualitate utrinq; ſer-vata nemo omnium ad religionem alterutram cogeretur: de catero pati poſſe, ut religioſa pax, ſicut in aliis articulis concepta, publico conſenſu executioni mandetur. Quod ſi verò tamen prater ſpem Regia majeſtas his non attentis à priore ſententia nullo modo diſcedere, ſed articu-lum illum, ut à ſua Majeſtate ex plenitudine vicaria Caſarea Majeſtatis, & quaſi compro-miſſo, regio officio informatus eſt, publicare de-creverit: tunc Proteſtantes regia Majeſtati pra-*

præter ſupplices preces oblatas & neceſſarias diſſenſus cauſas non poſſe in eo negotio ulteriorem modum & limites dare, multo minus cupere antiqua religioni addictos Status in ſuis bonis Eccleſiaſticis, beneficiis, officio, dignitatibus verbis aut facto lædere, pro quibus aliquando ſummo Judici non ſint rationes adminiſtratæ rei Chriſtianæ reddituri: cæterum adhuc intrepide profiteri, ne honorem Dei videantur impedire, & æternum ſibi ipſis in conſcientia flagellum relinquant, conſenſum ſuum & approbationem non poſſe præſtare: quo tamen non obſtante pacem tam profanam quàm religioſam cum aliis ſtatibus religioſe obſervaturos, nec non Cæſareæ & Regiæ Majeſtatibus omne debitum obſequium, Statibus vero ſinceram amicitiam concordiamve oblaturos eſſe. His auditis Ferdinandus breviter priora præfatus, ex poteſtatis plenitudine in re quaſi concluſa & ad arbitrium ejus remiſſa articulum de reſervato imperii receſſui ac religionis paci inſeruit, quæ pax, ut receſſus habet, ab univerſis Ordinibus in omnibus ſuis articulis approbata, jurata, ſubſcripta, ſigillata & publicata eſt, datis mox ad Spirenſem Cameram mandatis, ut ſecundum eam inter partes jus dicerent, & ita in illis Comitiis negotium de pace remittentibus aliquantulum Proteſtantibus feliciter finem accepit.

§. 21. Sequenti anno in Comitiis Ratisbonenſibus repetitæ preces ſunt à Statibus Auguſtanæ confeſſionis, idque majore paulum æſtu & exquiſitiore rationum apparatu: minæ etiam admixtæ, ut, niſi ea in re ipſis ſatisfiat, nec alii in

Senatibus actioni participaturi ſint: negotium tamen denuò, ut alienum, pro quo aliquando coram tribunali divino reſpondere nolint, arbitrio Ferdinandi permiſſum, renovata ſaltem proteſtatione de non adhibito conſenſu ſuo. Cùm Ferdinandus prolixo ſcripto reſpondiſſet, quo articulum iſtum de reſervato Eccleſiaſtico poſt longas & varias diſceptationes ſcientibus volentibusque Evangelicis paci religioſæ adjunctum affatim probare nititur; Proteſtantes continuò replicarunt, & ſcientiam faſſi ſunt, negato conſenſu, hunc enim ſe ullo tempore præſtitiſſe, vel ipſam pacem religioſam diffiteri, cui Ordinum imperii in hoc articulo diſſenſus & poteſtativa Ferdinandi deciſio quaſi ex officio clariſſimis verbis ad petitionem Proteſtantium inſerta ſit: proinde petere, ut mitigetur paulùm articulus, nec ad Evangelicam lucem ſe converſuris hoc obice via ſalutaris præcludatur. Perſtante in priore ſententia Ferdinando, à Proteſtantibus circa finem comitiorum ſolemnis Proteſtatio cum declaratione 4. Id. Martii anno quinquageſimò ſeptimo interpoſita eſt, qua coram Deo palam faciunt, ſe in reſervatum Eccleſiaſticum nunquam conſenſiſſe, nec nunc conſentire, adeoque permittere illud conſcientiis Catholicorum; cæterum id conceptè declarare, quod eveniente caſu, ut aliquis Eccleſiaſticus Status, Auguſtanam confeſſionem profeſſus ex eo dignitatibus, bonis, muneribus publicis ſpoliandus ſit, non tantum ipſimet ob injuriam illam, veritati divinæ factam, purgata conſcientia innocentes eſſe velint, ſed & nec facto nec verbis ad ejus op-

preſſionem ulla ratione concurſuri ſint, ſicuti nec executionem pacis religioſæ & profanæ prædicto caſu probare vel ſequi poſſint: interea orare ſuam Majeſtatem, ne hanc diſſenſus ſui per ſolemnem formulam expreſſam mentem aliter capere velit, quàm quatenus ad conſcientiarum exonerationem à Proteſtantibus facta eſt, qui in aliis cauſis & Regiæ Majeſtati paratiſſimum obſequium, & patriæ omnem fidem & ſecuritatem pro viribus præſtaturi ſint. Quo rerum ſtatu tunc diſceſſum eſt, inſerta tamen receſſui, 17. Calend. April. publicato clauſula, ut usque ad plenam religionis unionem pax religioſa ex omni ſui parte firma ſit & perpetua, cui tractatus & actiones, quæ ſub manibus ſunt, nihil omnino derogare aut præjudicio eſſe debeant vel poſſint: ſicut ex ipſo receſſu pluribus patet.

§. 22. Biennio poſt in Comitiis Auguſtanis eadem actio refricata & eliſa eſt, cùm Auguſtanæ Confeſſionis Status certatim ad ſalvandam conſcientiam ſuper diſſenſu ſuo proteſtarentur: Ferdinandus verò ſuperioribus reſcriptis * periculo in ſe recepto adhæreret: nec ullo tempore ſub Maximiliano, Rudolpho, Matthia ceſſatum, imprimis verò prope finem ſuperioris ſeculi negotium maximè caluit, quando Gebhardus Truchſeſius Colonienſis Archiepiſcopus & Elector ejurata Pontificia religione Auguſtanæ Confeſſioni nomen dedit: tunc literis, armis, ſtylo, enſe, Minerva & Marte ſuper reſervato Eccleſiaſtico certatum, ſed pejore noſtrûm conditione. Erneſtus enim Bajoarus proſcriptò Truchſeſio ſedem occupavit, quamvis omnia ſum-

ſumma Proteſtantes facerent, ne priori Domino ſua defectio fraudi eſſet. Brandenburgico Marchioni felicior quidem cum Lotharingiæ Duce de Epiſcopatu Argentoratenſi fortuna fuit, dum pactis & pecunia res transacta. Victoria tamen penes Catholicos & hic ſtetit, qui ipſum Epiſcopatum retinuerunt. Hinc auctæ Proteſtantium querelæ, quarum commentarium in Comitiis Ratisbonenſibus Anno hujus ſeculi decimo tertio celebratis exhibuerunt: ad quas cum non ex animo à Cæſarea Majeſtate, Matthia reſponderetur, pene infecta re diſceſſum eſt. Correſpondentes enim, ut ſe illo tempore vocarunt, de Comitiis proteſtati domum abiere. Ita actio nullis non Comitiis agitata, ſed nullo fructu, utriusque partis pertinacia, cum Proteſtantes æquum petere viderentur; Catholici vero ſibi metuerent, nunquam finem accipere potuit. (Vid. *Auton. p. 60. lat. 2.*)

§. 23. Supervenit deinde poſt aliquot annos Ferdinandeum edictum, quod dum duro nodo durum & violentum cuneum quærendum judicavit, utrumque ferè confregit. Articulo enim ad votum & expectationem Pontificiorum explicato Proteſtantibus bilem movit, de præteritis magis anxiis, quam futuris. Itaque cum urgeretur executio, ad reſtituenda tot Eccleſiaſtica bona ſuſpecto maximè & alieno tempore decreta, ad exteras Sueciæ Regis opes defenſionis cauſa reſpexerunt, quibus ſemel in Imperium pertractis, diuturno, & parum abfuit internecino bello vaſtati ſumus, niſi Deus poſt vicennales clades exacerbatos animos repentè ad pacem in-

clinaſſet. Hujus reducendæ cauſa conventus Osnabrugi in Weſtphalia celebratus eſt, quo inter alia capita & Eccleſiaſticum reſervatum vehementiſſima contentione & partium ſtudio hinc inde volutatum, ut tandem certa & libera omnium Ordinum voluntate decideretur. Primo utraque pars rationes ſuas & argumenta produxit, ad poſtulationis æquitatem tuendam. Deinde utrinque aliquid remiſſum & meliores propoſitæ conditiones. Denique ſervata æqualitate certis legibus conventum : ut propediem videbimus.

§. 24. Priusquam verò id continuo ſtylo perſequar, aliquantisper mihi animi gratia ſubſiſtendum eſſe duxi, & merita cauſæ examinanda, ut, ſalvo aliorum judicio, appareat, quæ pars olim potiore jure nixa ſit. Quamvis enim hodiè inutilis ſit hæc diſputatio, transacta jam re, cui præjudicium nec facere poteſt, nec vult: tamen cum Politici de jure belli, quod Alexander Magnus in Aſiam habuit, ſe variis conflictibus exerceant: & Theologi de forma ſerpentis, qui Adamum decepit, multifariam ſentiant: Jureconſulti verò Libertinorum ex lege Juniâ Norbanâ, aut dedititiorum, quorum nomina vetuſtas retinuit, cauſam agant: Quis vitio mihi vertet, ſi ego innoxia ſedulitate hic curioſus fuerim? Atque eò minùs nunc aliquid partium ſtudiis dediſſe videbor, quo magis certum eſt, utcunque ſe res habuit, jam ſe aliter habere. Igitur ut commodiore luce veritas effulgeat, argumenta utriusque partis juxta ſe invicem ponimus, examine poſtremo ordine ſervato. Proteſtantium ratio-

nes in duplici pene claſſe ſunt. Aliæ enim cauſas aperiunt, cur in reſervatum Eccleſiaſticum nullo tempore conſenſerint. Aliæ verò; cur illud ipſum reſervatum, contra eorum approbationem & voluntatem paci religioſæ inſertum, nullum ſit atque irritum. De prioribus, quas circiter decem ex actis publicis (*a*) Auctor Autonomiæ annotavit, non eſt quod multum laboremus. Nihil enim illis aliud probatur, quàm æquam fuiſſe & juſtam ea in re Proteſtantium petitionem, quo dato non continuo inferre licet, ergo lex, quæ petitionem rejicit, nulla eſt aut invalida. Æquitatis pleniſſimæ ſunt miſeri populi preces, quibus contra fiſcalium edictorum immoderatam ſeveritatem rei familiaris levamen quærunt, manentibus nihilominus edictis, ſi Rex illa noluerit abrogare. Et quid ſi nunc, qui à Pontificia diſciplina diſceſſerunt, apud Hiſpaniarum Regem inſtent, ut defæcatam ab humanis traditionibus Evangelii doctrinam ſibi ſuisque ſubditis in Provinciis ſuis liberam permittat; quid ſi publicè fateantur, ſe non poſſe ſalva conſcientia in regias conſtitutiones conſentire, quæ ſalutiferum Auguſtanæ Confeſſionis uſum prohibent; quis non æquum eos petere videt? quis non excuſatos à conſenſu, qui obſequio ſuo peccatum fovet? Quis item verò ex eo publicas leges tollet, quæ corruptæ religioni contra lucem patrocinium præſtant? Eſt enim, ut ante diximus, in jure regio, cujuscunque religionis publica auctoritate & præſidio docendæ arbitrium: & quamvis ſi Princeps falſam amplectendam jubeat,

(*a*) Part. 2. cap. 4.

beat, lex ad obſequium non obliget, quod Deum offendit: manet tamen ea legis vis & efficacia, ut ſubditi nec veram contra hoſtes Eccleſiæ Imperio civili armatos contumaciter defendere, nec per violenta media propagare, aut loca publica ad commodius pietatis ſuæ exerciti[illegible] in-vadere poſſint. Quæ cum in aperta in[illegible]ria ita ſe habeant, quanto magis, ubi non de [illegible]am animarum ſalute quam externis bonis agitur. Nemini in toto Imperio per Eccleſiaſticum reſervatum ad cœleſtem veritatem via obſtruitur, quæ, * ut aculeatè ſatis Ferdinandus argumentatus eſt, non à neceſſaria Fundationum ſequela dependet: ſed cavetur tantum, ne dignitates & bona Eccleſiaſtica ad Proteſtantes perveniant. Mitior profectò adhuc longè hæc lex eſt, quam Ethnicorum Cæſarum, qui Chriſtianam fidem profeſſos ad nulla publica munera honoresque admiſerunt, cui legum rigori tamen omnes libenter paruere, dummodo à perſecutionibus & vi abſtinuerint. Neque cùm hæc ita dico, aut Ferdinandi inexorabilem adverſus æquiſſima Proteſtantium deſideria animum probo, aut illorum accuſo conſtantiam, in conſenſu non præſtito fortiter & piè exertam: niſi enim ſuæ fidei præjudicium creare voluerint, conſentire in illud non potuere: ſed illud ſaltem volo, non easdem rationes, quæ Proteſtantes propter diſſenſum ſuum excuſant, etiam Eccleſiaſticum reſervatum irritare aut perimere.

§. 25. Nec hoc adeò ipſos religionis noſtræ Proceres latuit, qui in Osnabrugenſi conventu omiſſis his omnibus cauſis, quæ quàm veræ ſunt,

tam nihil publicæ legi nocent, ad propiora tela confugerunt, defectu nimirum legitimæ poteſtatis oſtenſo in condendo illo ad Catholicorum gratiam reſervato: id quod hoc ordine abunde ſibi viſi ſunt explicuaſſe. In religioſa pace verbis claris & conceptis interdictum eſſe, ne Status Imperii, quicunque fuerit, in uſu Auguſtanæ Confeſſionis turbari poſſit, ſed in ejusdem ut & ſubditorum, bonorum, dignitatum & jurium quieta & pacifica poſſeſſione, relinquendus ſit: atque hanc regulam univerſalem jam pridem in annis ſuperioris ſeculi quadrageſimo primo & quarto cum adverſarum conſtitutionum abrogatione, nec non quinquageſimo ſecundo in Passavienſi transactione placuiſſe. Tum Electorale Collegium, cùm prima quaſi facies religioſæ pacis anno quinquageſimo quinto adumbraretur, nullam mutationem quæſiviſſe, nec ſalvo pudore petere potuiſſe, ut Evangelici in conventu ad pacis negotium continuandum & plenariam æquitatem conſtituendam indicto, jus ſuum quæſitum defererent, religione ſua tanta contumelia adfecta, ut inter cauſas & modos dominia dignitatesve amittendi recenſeri debeat. Quamvis verò nonnulli Eccleſiaſtici eo tempore petierint, ut voci Status, vocabulum ſecularis, per modum reſtrictionis adjiceretur, id tamen ab eis minime obtentum eſſe, ſed rem in ſua latitudine, Receſſibus de Anno 1541. & 44. congrua relictam. Equidem hic Catholicos exceptionem ſibi quandam à regula fingere, quam de ſecularibus tantum Statibus intelligunt. De Eccleſiaſticis enim, inquiunt, longe aliud in articulo,

lo, pacis, und nachdeme &c. per reſervatum Eccleſiaſticum conſtitutum eſt. Verum enim verò non intellectu ſolùm, ſed & ſenſibus comprehendi, hunc articulum obligatoriam legis vim nunquam habuiſſe, quod in illum, tanquam correctorium generalis regulæ Status Evangelici nunquam conſenſerint. Eſſe autem unicuique in Germanorum juribus vel mediocriter verſato notiſſimum, in Romano Imperio nullas leges ferri poſſe, nec antiquas authenticè explicari, niſi conſenſu omnium Statuum: præterea in Paſſavienſi tractatu cautum eſſe, ne in cauſis religionis majora ad præjudicium minoris partis attenderentur. Cùm itaque ad validitatem cujusque actus cùm voluntas, tum imprimis poteſtas requiratur, hanc in Ferdinando & Catholicis, non quidem voluntatem, ad condendam legem defeciſſe, quibus non licuit Conſtitutiones Imperii, ut & religioſam pacem pro lubitu, absque Proteſtantium, qui ſemper contradixerunt, conſenſu moderari. Quod verò Catholici hîc regerere ſoleant, articulum iſtum ab Evangelicis ad arbitrium Ferdinandi remiſſum eſſe, id è diametro adverſari religioſæ pacis contextui & Imperii actis, quæ luculenter teſtantur, nunquam hîc conſenſiſſe Proteſtantes, ſed Ferdinandum Regem pro Cæſareæ poteſtatis vicaria plenitudine ita decreviſſe, quæ poteſtas tamen & mandatum non illud potuere efficere, ut ſuæ Majeſtati jus fuerit Statibus invitis legem dare. Sanè non poſſe negari, faſſos eſſe Evangelicos, ſe ſuæ Majeſtati non poſſe modum facere, quid ex mandata poteſtate Cæſarea velit hîc decidere. Sed in

eodem ſcripto pro ſe verbis expreſſis declarare, ſe in reſervatum nolle conſentire: ac quoniam factum inferendi reſervati nequiverunt impedire, idcirco petiiſſe, ut ſaltem verba quædam mitigarentur, quo ipſo tamen non magis probaſſe reſervatum, quàm libellum confitetur, qui apud actorem inſtat, ut illum mutet, omiſſis aculeatis verbis: Aſſecurationem verò & ſubſcriptionem in fine Receſſus ad id ſe determinare, quod firmiter & concordi omnium voluntate ſancitum: jam verò in pace ipſa religionis exprimi, Evangelicos in dictum reſervatum non conſenſiſſe: imò ſe diſſenſum ſuum omnibus Comitiis jugiter teſtatos eſſe, adeò ut Ferdinandus Imperator Anno 1557. 17. Febr. ſpem fecerit, memorem ejus contradictionis ſe futurum, & Maximilianus in reſcripto quodam Cæſareo Anno 1566. idem caput controverſum duxerit, quod ad alios tractatus remittendum, & cum reliquis religionis punctis, qui adhuc ſub judice, ad Chriſtianam concordiam reducendum ſit. Quamvis ipſi Proteſtantes nequaquam id controverſum exiſtiment, cum nihil æquius ſit, quàm ut juxta plurimos Imperii Receſſus, nullus Statuum, ſive Eccleſiaſticus ſit, ſive ſecularis, ex religionis cauſa contemptum ſentiat, vel Imperio ſuo, dominiis, bonis, dignitate & honoribus ſpolietur. Hæc tunc Status Auguſtanæ Confeſſionis.

§. 26. Ad quæ Catholici ordines ſcripto contrario, per modum gravaminum exhibito, reſponderunt; Non negare ſe, ſed Catholicos Status ſemper ante, in, & poſt factam religioſam pacem ex multis invictiſſimis rationibus contendiſſe,

diſſe, quod mutatio religionis, deſertio Eccleſiaſtici Status, voti & profeſſionis, dignitatum & commodorum Eccleſiaſticorum, quæ poſſeſſor nullo alio titulo, quam ratione ſui Status habet, privationem neceſſariam importet, & hoc in religionis pace verbis certis nec ambiguis poſt longas diſputationes communi omnium utriusque religionis Statuum conſilio & voluntate libera decretum, juratum, Cæſaream Majeſtatem in Capitulatione ad totam religionis pacem ſine exceptione obligatam, nec non Cameram ſecundum eam, nullo articulo excepto, judicare juſſam eſſe. Et referre omnino nihil, ſolus Epiſcopus, Prælatus aut Capituli ſodalis ſciente & conſentiente Capitulo deficiat; an & Capitulum cum eo, articulo de uno vel pluribus, & ſic de toto Capitulo collectivè agente: Deſinere enim Capitulum eſſe eo ipſo, quod religionem mutat, & eandem eſſe prohibitionis rationem apud omnes, quæ apud unum vel plures, nimirum incapacitatem talium poſſeſſorum quoad beneficia Eccleſiaſtica, promanantem ex jure divino, fundatorum diſpoſitionibus, generalibus Eccleſiæ Catholicæ nec non Imperialibus Conſtitutionibus, & noviſſimè Statuum Imperii Anno 1555. conſtitutis ac juratis fœderibus. Adhæc ſecundum jura civilia & Canonica nec Epiſcopos nec Capitula eſſe proprietarios dominos jurium Eccleſiæ, ſed nudos Procuratores, adminiſtratoresque, qui univerſo ordini Eccleſiaſtico privatis pactis nullum damnum dare poſſunt, cum uno contra dicente ſervetur jus toti ordini. Receſſus Imperii de Annis 1541. & 1544. ut &

Paſſa-

Paſſavienſem Transactionem in gratiam Auguſtanæ Confeſſionis addictorum de Autonomia in beneficiis & Prælaturis immediatis concedenda ad effectum retentionis dignitatis & bonorum Eccleſiaſticorum nihil decidere; nam ex allegato Anni 1544. Receſſu contrarium diſparere, qui libertatem religionis quoad dignitates & fructus non admittit, ſed Principibus Eccleſiaſticis, qui fuga ſibi conſuluerunt, aut vi pulſi ſunt, reditus & beneficia integra conſervat. Poſito verò, ſed non conceſſo, priores Imperii Receſſus Autonomiam in Fundationibus immediatis ad tempus quietis cauſa admiſiſſe, Pacem tamen religioſam in hoc paſſu omnibus anterioribus Conſtitutionibus derogare, ex qua etiam, non aliis legibus, deciſio Autonomiæ Statibus Auguſtanæ Confeſſioni addictis prætenſæ, petenda ſit. Multò minùs per verba religioſæ pacis generalia, quæ Status Auguſtanæ Confeſſionis ex religionis cauſa turbari vetant, probari libertatem Eccleſiaſticis beneficiis mutata religione utendi, nec hanc illo tempore vel Cæſareæ Majeſtatis vel Statuum Eccleſiaſticorum & ſecularium mentem fuiſſe, ejusmodi libertatem verborum captiunculis confirmare. Secus enim reſervato Eccleſiaſtico opus non fuiſſet, per quod Catholici Status ſibi ſpecialiter cavere voluerunt, poſtquam adverſa pars prioris articuli generalem ſenſum nullo adjecto reſtringi paſſa eſt: nec videri aliquem ob religionem gravari, qui amiſſis propria culpa juribus, ſi nolit amice cócedere, per eos ordine legitimo exuitur, ad quos illa debito acquirendi modo interveniente pervenerunt:

nam cum detentor nec titulum nec poſſeſſionem habeat, non debere ſpolium dici, quod ab eo injuſtè poſſeſſum avocatur. Quodſi objiciatur, Auguſtanæ Confeſſionis Status ad iſtam libertatem reſpexiſſe, & per generalem clauſulam Catholicos obligare voluiſſe : reſponderi à ſe, eam intentionem unilaterem legis aut contractus vim non potuiſſe operari, cum primis, quòd factæ pacis tempore omnes immediatæ fundationes, exceptis paucis, in Catholicorum manu fuerint, quos per pauciores ſuis beneficiis exturbari iniquum fuiſſet. Non pertinere ad Proteſtantes reſervatum Eccleſiaſticum, ſed ad Eccleſiaſticos Status, quorum patrocinium non rogatos ſuſcipere haud deceat : illos nullam libertatem religionis petiiſſe, nec mandaſſe Proteſtantibus, ut alieno nomine agerent. Quam Eccleſiaſtici Electores principio Tractatuum mentem habuerint, nihil referre : ad concluſionem & id attendendum, quid receſſui inſertum, non quid media actione hinc inde jactari conſuevit. Quæſtionem, an mutatio religionis Catholicæ modus ſit & cauſa amittendi Eccleſiaſtica dominia & dignitates, pace religioſa definitam : ſatis famæ & honori, nec non conſcientiis Proteſtantium proſpectum, nec reſervato libertatem impediri, quæ non in eo conſiſtit, ut Auguſtanæ Confeſſionis ſocius beneficium aliquod Eccleſiaſticum habeat. Fruſtrà in elidenda exceptione à regula laborari, quæ à Catholicorum parte non agnoſcitur, nec ab allegantibus probata eſt. Utroſque articulos religioſæ pacis eſſentiales partes eſſe, & ſingulos æquè obligatorios; non corrigere

rigere ſe invicem, ſed ſingulos manere in ſuo vigore, ut à Majeſtate Cæſarea & Statibus concepti & placiti ſunt. Quamvis verò Eccleſiaſticum reſervatum mentionem faciat diſſidii inter Status ex illa occaſione habiti, tamen Confeſſioniſtarum aſſenſum ad effectum obligatorium eo ſufficienter adhibitum, dum illud caput ad Imperatoris deciſionem remiſerunt: & licet ejus remiſſionis religioſa pax non meminerit, eam tamen, & proinde etiam conſenſum ex actis Imperii clarè probari. Cùm enim Status Catholici in omnimodam Auguſtanæ Confeſſionis libertatem & ſuſpenſionem Eccleſiaſticæ jurisdictionis nollent conſentire, Proteſtantes conditionem feciſſe, ut probata jurisdictionis ſuſpenſione ipſi quoque à ſuo propoſito deſtituri ſint: Quare conditione à Catholicis impleta alteram etiam partem ad reſervati Eccleſiaſtici probationem ex natura conditionati contractus obligatam fuiſſe, niſi ex capite non ſubſecuti implementi totam pacem evertere & rem in ſtatum priſtinum reſtituere velimus. Prædictam ad Ferdinandi arbitrium rei contentioſæ remiſſionem ex ſupplice Proteſtantium libello uberius probari, quo fatentur, ſe neſcire modum ſuo majeſtati dare, ſi propoſito conſtanter inhærere velit, ſaltem conſenſum ſuum deprecari, ne conſcientiam lædant. Unde patere, Status Auguſtanæ confeſſionis eo rempore plenitudinem poteſtatis Cæſareæ decidendi controverſum articulum, nondum in dubium vocaſſe, ut nunc faciunt, ſed agnoviſſe diſpoſitionem Cæſaream quoad effectum obligativum &

in foro civili cum aliis pacis articulis acceptaſſe, actis inſuper pro labore gratiis, & obſequio promiſſo: Porro probari confeſſioniſtarum conſenſum inde etiam, quando clauſulas quasdam articulo à Cæſarea majeſtate concepto inferendas curaverunt; ſcilicet, quod Status in hoc puncto non potuerint convenire: quod Eccleſiaſticarum dignitatum renunciatio famæ & honori Auguſtanæ confeſſioni addictorum nocere non poſſit: & ne hæc diſpoſitio amicæ compoſitioni præjudicio ſit: quæ omnia tunc à Ferdinando concordię cauſa impetrata ſunt: ut vix in tanti momenti re Proteſtantes deceat conſenſum adhibitum cautela quadam cauſidica, in contentioſo foro uſitata ſufflaminare. De poteſtate Cæſarea, quam Auguſtanæ confeſſionis Status maligne totius Romani imperii probro ſugillent, non eſſe operæ pretium multis agere. Agnoviſſe eam Proteſtantes non tantum tempore factæ pacis per remiſſionem illam, de qua ſupra dictum: ſed & imperante Maximiliano aliquot annis poſt, porrecto Anno 1576. ſupplici libello, quo gravaminum ſuorum exonerationem petentes inter alia in recognitionem ſupremæ juriſdictionis Cæſareæ Imperatori ſupplicant, non eſſe neceſſarium, unius alterius alteriusve partis aſſenſum expectare: competere Cæſareæ Majeſtati tanquam ſummo Capiti & Defenſori cum legum, tum miſere oppreſſorum omne jus & plenam facultatem interponendi officium Cæſareum, & procurandi, quæcunque publicæ ſaluti ac tollendæ diffidentiæ conducere videntur. Quod ſi itaque Status Auguſtanæ Confeſ-
 ſionis

ſionis eo tempore de ſumma Imperatoris poteſtate tam reverenter & magnifice ſenſerunt, quo ea poſt pacem religioſam multis modis limitata eſt. Quanto magis Cæſareæ Majeſtati licuiſſe, uti jure ſuo ante pacem confectam, nullo adhuc obſtaculo poſito? Cæſaream Majeſtatem Catholicis Statibus non attribuiſſe novum jus, ſed antiquum, & imperio Romano-Germanico coævum confirmaſſe: ad eam confirmationem nec conſenſu Statuum nec nova Cæſarea poteſtate opus fuiſſe, attento, quod alterius religionis Status ad Fundationes & Eccleſiaſtica bona non jus, non actionem habuerunt. Finge tamẽ articulum de reſervato ex defectu Cæſareæ poteſtatis eſſe nullum, adeoque nec eſſentialem partem religioſæ pacis, rem utique ad deciſionem communium jurium Cæſareorum recidere, quæ Eccleſias iis omnibus adimendas jubent, qui vel levi argumento à judicio Catholicæ religionis & tramite detecti fuerint deviare. Accedere juribus publicis uſum & obſervantiam aliorum regnorum Galliæ, Poloniæ, in quibus admiſſa libertate conſcientiæ nemo niſi Catholicus capax eſt beneficiorum Eccleſiis dicatorum. Et habuiſſe Imperatores ſummas rationes, cur per reſervatum illud pro conſervatione Status Eccleſiaſtici vigilarent: Pleraſque enim fundationes non à Principibus, Comitibus & Nobilitate, ut nunc fertur, ſed Carolo M. & ejus ſucceſſoribus eſſe inſtitutas, eaſque eo ſolum fine, ut ſolis Catholicæ & non alienæ religionis, Eccleſiaſticis perſonis ad pias cauſas & cultum divinũ cederent. Certius nihil eſſe, quam, ſi aliquando Miniſter aut

totum miniſterium Auguſtanæ confeſſionis Catholicæ religioni accederet, ut is illudve omnibus dignitatibus & reditibus cariturum eſſet. Unde ex æquitate naturali idem juris Catholicis adverſus ſuæ fidei deſertores non poſſe negari. Tantum Catholici Status.

§. 27. Si quis nunc utriusque partis argumenta invicem collocata probe excutiat, ſummam quæſtionis in duobus verſari deprehendet. Scilicet an Evangelici Status in reſervatum Eccleſiaſticum conſenſerint? Et ſi non conſenſerunt, an defectu illo non obſtante reſervatum nihilominus valeat? in his ſolis cardo totius rei vertitur: Quicquid enim de aliis Receſſibus, de Paſſavienſi Transactione, de generalibus pacis religioſæ verbis affertur, id omne uno reſervato, ſi utique ſubſiſtit, evertitur: nec magis ſtringit modus dominia amittendi, Auguſtanæ confeſſioni contumelioſus, ut videtur: quoniam non omnis modus, quo rerum dominia & dignitates amittimus, contumeliæ comes eſt: ita officium Præſidis officit emptioni bonorum in provincia: * ita apud Eccleſiam Romanam quorundam ordinum profeſſio & votum excludit omnem rei familiaris proprietatem: ita in Camera & Judicio aulico honorifico Aſſeſſoris munere amittitur Procuratoris & Advocati ſtudium: nullibi leviſſimo alicujus injuriæ ſenſu: quotidianum hoc eſt in civili adminiſtratione, ut perſona ſtatum ſuum & conditionem mutante pereant illi priſtina jura, quæ habuit, ſalvo honore. Et profectò re ingenuè conſiderata ſalutaris eſt & honorificus modus perdendi dominia

minia rerum Chriſtiana diſciplina & fides. Ipſe enim ejus Magiſter Chriſtus nos relictis omnibus ſe ſequi jubet. Quamobrem remanet ſolus conſenſus, de quo diſpiciendum. Primo an Proteſtantes eum adhibuerint, quod reſervatum Eccleſiaſticum attinet? Aſſeruerunt hoc communi ore Catholici, negarunt Status Auguſtanæ Confeſſionis: utraque pars pro ſuâ cauſa rationes format, quas paulo ante vidimus. Fortaſſe haud erraverim, ſi conſenſiſſe Proteſtantes dicam & non conſenſiſſe. Illud modo permiſſionis: hoc probationis. Nimirum nunquam in id aſſenſerunt, ut cuique Statuum, ſive is ſecularis ſit, ſive Eccleſiaſticus, propter Auguſtanam Confeſſionem moleſtia & vis fiat. Quoniam tamen à Catholicis impetrari non potuit, ut immediata Eccleſiaſticorum beneficia Epiſcopus vel eorum adminiſtrator retineat, ſi religionem mutaverit, ideoque paſſi ſunt, ut Ferdinandus ad Catholicorum preces legem conderet, bonorum Eccleſiaſticorum in caſu mutationis avocatoriam: Non temerè vellem falſi Ferdinandum arguere, qui in reſcripto quodam Non. Febr. Anno 1557. ad Status Auguſtanæ Confeſſionis in Comitiis dato repetita religioſæ pacis hiſtoria confidenter aſſerit, ſcientibus volentibusque Proteſtantibus reſervatum paci inſertum: ſi de aſſenſu concordiæ civilis cauſa præbito nec conſcientiis & Auguſtanæ Confeſſioni præjudicioſo accipiatur: nec diffitetur (*a*) Stamlerus, *poſtquam Proteſtantes petitionibus ſuis*

 locum

(*a*) de Reſerv. §. 38. n. 51

locum ut relinqueret Ferdinandus, conſequi non poſſe animadverterunt, eos voluntatem tandem ſuam nolentes volentes aliquatenus communicaſſe: imò ipſe (*a*) Limneus, hîc tamen valdè difficilis, poſt longum examen tandem deprehendit differentiam longè maximam inter reſervatum ſcientia & conſenſu Proteſtantium tractationi religioſæ inſertum, & eorumdem conſenſu, ſcientia & approbatione concluſum atque confectum: illum conſenſum admittit; hunc rejicit. Et verò Proteſtantes * non alio ſe colore à neceſſitate conſenſus in reſervatum adhibendi excuſarunt: quàm conſcientiæ ſcrupulo: rem enim ad ſe minimè pertinere, ſed ſolos Catholicos identidem faſſi ſunt: unde ſequitur, illum conſenſum, qui conſcientias non gravat, haudquaquam principiò diſputaſſe: Talis verò omninò erat, qui externæ & civilis concordiæ cauſa nullo religionis præjudicio, propter quod in ipſo reſervato ſibi cavere petierunt, datus eſt: quemadmodum antiqui Chriſtiani illis legibus nulla conſcientiarũ læſione obſequioſe detulerunt, quæ ab iniquioribus paulo Imperatoribus latæ tolerata religione ejus ſaltem ſectatores hac occaſione à certis civilium dignitatũ honorumq́; gradibus excluſerunt. Quin ſi Anglia æquum æſtimet, ut Catholici à Republica arceantur, & legibus ea de re latis conſentiant: cur his iniquum erit, alibi contra noſtram fidem idem ſtatuẽdi: nec enim hic de veriore Chriſtianæ religionis conditione quæritur, ſed tantùm, an quis poſſit honeſtè in id conſenti-

(*a*) De Jur. Publ. l. 1. c. 13. n. 45.

ſentire, quo ejus religio ſalvo publico exercitio in fortunæ bonis externis premitur? idque præcipue, ubi non tam de vitando damno, i. e. re ſua & patrimoniali amittenda agitur, quàm captando lucro, in rebus ad certum uſum à majoribus dicatis, quas adminiſtratorio nomine tenuerunt. Cum itaq; Proteſtátes in reſervati Eccleſiaſtici articulo diverſo reſpectu & conſenſerint & diſſenſerint, utriusque actus, i. e. conſenſus, ac diſſenſus varii quoque effectus ſunt. Illius quidem, ut Statui, qui ob acceptam Auguſtanam Confeſſionem à Cæſare ad dimittenda Eccleſiaſtica beneficia condemnatus eſt, parata in contumacem executione, non potuerint quocunque modo auxiliari, nec facto nec verbis, Cæſareæ ſententiæ & executioni contrariis, niſi forte per modum interceſſionis & ſupplicationis. Hujus verò, ut ipſimet Proteſtantes neceſſe non habuerint, condemnare ſtatum ob eorum religionem, multo minùs Cæſaream commiſſionem ex ea cauſa ſuſcipere, à qua humiliter & obſequioſe ſe excuſare debuerunt, ne conſcientias ſuas, quas ſalvas ſibi reſervarunt, eo ſtimulo ſollicitarent, quod ſuæ religionis conſortes ob ſuſceptam fidem perſecuti fuiſſent. Atque hanc ſaltem operæ Imperatori & Catholicis adverſus condemnatum ferendæ neceſſitatem Auguſtanæ Confeſſionis Status in ſua Proteſtatione Ferdinando 4. Id. Mart. Anno 1557. exhibita deprecati ſunt, non vero ſibi etiam defenſionis jus licentiamque, ad executionem publicam aut prorogandam aut omninò ſufflaminandam ſumpſerunt. Verba eorum ſatis perſpicua ſunt, & legi

 hic

hic merentur. Darneben auch Jhr. Chur- und Fürſtlich Gn. Gn. und Gn. dieſes erklärt haben wollen / wann ſich darüber ein Fall jetzt oder künfftig begeben und zutragen ſolte / daß von wegen der angenommenen Augſpurgiſchen Confeſſion einiger Geiſtlicher / ſeines Stands / Würden / Beneficien und Officien ſolte entſetzt und benommen werden / daß ſie nicht allein derhalben in Jhr. Chur- und Fürſtl. Gn. Gn. und Gn. Gewiſſen befreyet / ſondern auch denſelbigen inn- oder auſſerhalb deß Rechtens nicht verdammen / mit der That oder in ander Weg mit nichten verfolgen helffen wollen: Jnmaſſen ſie auch die Execution deß Landfriedens / dem Religion und Profan-Frieden angehangen auf berührten Fall wider die Geiſtlichen fürzunehmen / Jhrer Chur- und Fürſtl. Gn. Gn. und Gn. halben niemals verſtanden oder derhalben bewilligt / auch nachmals nicht verſtanden noch bewilligt haben wollen. Dann Jhr. Chur- und Fürſtl. Gn. Gn. und Gn. keines Weges gebühren und geziemen will / und iſt ihnen vor GOtt dem Allmächtigen unverantwortlich / an einem Ort ihre Chriſtliche Religion für wahr zu bekennen / und am andern dieſelbe / ſamt ihren Glaubensgenoſſen und Chriſtlichen Glieder zu verdammen / zu ſtraffen und verfolgen zu helffen. Quòd ſi quis verò & eum conſenſum conſcientiis obſtare cenſeat, qui permittit ſaltem, ut Auguſtanam Confeſſionem amplexus Eccleſiaſticus Status Catholicarum Eccleſiarum bonis & dignitatibus annexis, publico legum & juris ordine, non cooperantibus, non laudantibus Proteſtantibus, privetur, is ad (a) Inſtrumentum

(a) Art. 5. §. 3.

mentum pacis reſpiciat, quo mutua & reciproca utriusque partis voluntate & conſenſu concordiæ cauſa idem placuit. Quo fidei enim & conſcientiæ auctoramento in nuper pacificatione Status Auguſtanæ Confeſſionis in reſervatum Catholicorum Statuum conſentire potuerunt, modo Catholici Evangelicorum quoque aliquod reſervatum agnoſcerent: Eodem profecto & ante Catholicorum aſſenſum & probationem: quoniam ſi res ſeu actus per ſe malus, conſcientiisque fuiſſet adverſus, eum ne quidem licuiſſet repenſa vice admittere: nefas enim eſt ea lege furtum tuum probare, ut meo etiam aſſentiare.

§. 28. Deinde fac, nulla ratione Proteſtantes quondam in reſervatum Eccleſiaſticum conſenſiſſe: quid exinde vero? ergò illud non valet? vix utique crediderim. Non omninò de nihilo fuerunt Catholicorum querelæ, de Cæſarea poteſtate quosdam contemptim nimis ſententiam dicere, de qua tamen olim præfracte diſputare (*a*) ſacrilegium fuit. Plurima enim ſunt, quæ reſervatum ſuſtinent invitis etiam Proteſtantibus. Primò jus illud maximum, nobiliſſima reſervatorum Imperatoris portio, quo diſſentientibus Statibus Imperatori licet rem pro poteſtatis plenitudine decidere: quamvis enim verum ſit, diſſentientibus Statibus non poſſe legem ferri, id tamen ita habendum, ſi omnes Status concordibus ſuffragiis ab Imperatore diſſentiant, non ſi inter ſe: quare captioſa eſt locutio, nec penitus conſuetudini & juribus imperii

(*a*) Lib. 3. C. de Crim. Sacr.

imperii congrua, invitis Statibus nihil decerni: nam ſi Statibus nec inter ſe conveniat, nec cum Cæſare, id utique accidere poteſt: ſicut ſuo loco, de Comitiis, plenius dicetur. Deinde non omnes imperii Ordines contra Imperatorem ſteterunt, ſed minor ſaltem pars, ex Proteſtantibus collecta: nulla verò ratio eſt, cur jus ſit minori parti reſcindere, quòd majori una cum ſummo Principe placuit. Nec officit Paſſavienſi transactione cautum eſſe, ne in religionis cauſa majora valeant: id enim ſaltem ratione judicii de religione publicè docenda intelligi debet. Tertio non de Auguſtanæ Confeſſionis periculo, ſed rebus Catholicorum actio erat, quibus ſe officioſius immiſcere Proteſtantes ſuomet judicio non decuit. Petiere enim Catholici, ut bonis ſuis Eccleſiaſticis Imperator edictali ſententia proſpiceret, ne in manus alienas perveniant. Evangelici ſe non poſſe conſentire ajunt: Imperator petitionibus Catholicorum defert, ut æquis. Quæ hîc injuria Proteſtantium? aut qua ratione eorum conſenſus, ut lex valeat, neceſſarius? Si pactis Fraternitatis, inter Principes quoſdam initis alii ea cauſa intercedant, quod ipſis ſpes adimatur Principatus illos, fraternitate comprehenſos, aliquando deficiente Vaſallorum legitima ſerie ad Imperium devolutos nova inveſtitura, meritis ſuis debita, conſequi: num propterea Imperator mutuæ ſucceſſionis conventa confirmare nequit? An irritum eſt decretum Magiſtratus in bonis pupillaribus auctoritate tutoris alienandis, cum proximus agnatus ſperatæ hæreditatis jacturam ſen-

tit?

tit? aut quis emptor legem accuſavit, quæ dotalem fundum alienari prohibet? ita neſcio cur meritò Proteſtantes Imperatori ſuccenſuerint, quòd Catholicorum deſideriis in rebus ad eorundem curam atque adminiſtrationem pertinentibus ſatisfecerit: aut cur conſenſum ſuum ibi neceſſarium eſſe voluerint, ubi ipſis ſecundum proprium teſtimonium nihil juris eſt: * ubi non decet eos Cæſareæ majeſtatis & aliorum Imperii Statuum rebus his unicè competentibus manum injicere? * ubi negotium illud Proteſtantes planè non attinet? * nec de illo purgatis conſcientiis rationes reddere tenentur? * cujus periculum ſuum eſſe & in ſuum caput recidere Ferdinandus juſſit? Accedit quod in conficiendæ religioſæ pacis ratione Imperator cum Catholicis certo modo unam partem conſtitue[illegible] & Proteſtantes alteram. Quis audivit verò, ut inter partes conventis articulis, quæ utrique communes ſunt, altera deinceps & cauſis à ſuo foro alienis pro auctoritate ſe immiſcere voluerit? aut quis non moleſte tulerit hanc nimiam pietatem, quæ pro aliorum ſalute ingratiis excubare cupit? nec excubare ſaltem, ſed pene imperare, quando conſenſum ſuum ad alieni actus, quo cum ipſi nihil rei, validitatem violenter intrudit? imprimis vero, cùm in iis, quæ ſibi dari permittivè petiit, exactè ſit ſatisfactum. Impudens eſt, me Hercules, & calloſum dura fronte (*a*) Limnei conſilium, quod ab eo ſupplicanti datur, qui ad ſuas preces *favorabile reſcriptum* à Principe impetravit, *planeq;*

eo

(*a*) Jur. Publ. l. 1, c. 13. n. 49.

eo modo, ſicut jus faſq́; erat : ut, ſi *perlecto eo ſtatim vel poſt deprehendat, potius ſibi fore, apertius magisq́; cautum ſi aliud quoq́;, cujus tamen & ipſa petitio honeſta erat, impetratum eat eadem in cauſa*, ingenio Principis abutatur, ac denuo pinguius ſupplicet: & ſi repulſam ferat, indignetur Principi, quaſi juſtas conquerẽdi cauſas habeat; perinde ac ſi imperans teneatur omni honeſtæ civium ſuorum petitioni reſpondere, quid enim, ſi ſubinde novis precibus redierint? ſi audacia confirmetur liberali facilitate? Audient profecto, quod (*a*) Jacobus Trevirenſis Elector, vir ut acris, ita avari ingenii, qui cum apud Fridericum III. Imperatorem nunquam ſibi & occaſioni deeſſet, ut aliquid ſibi dari peteret: id tandem apud fatigatas Principis aures reſponſi tulit, *ſi non facis petendi finem: ego negandi principium inveniam.* Quid ſi Proteſtantes Status tempore factæ religioſæ pacis cum Ferdinando precibus egiſſent, ut ſoli Auguſtanæ Confeſſioni liberum & publicum in imperio uſum concederet? ut Pontificis auctoritatem penitus aboleret? ut ipſemet Auguſtanæ Confeſſioni accederet? ut aliis Statibus, qua exemplo, qua mandatis, idem præciperet? ut legem conderet, ne deinceps Romanus Imperator fiat niſi Proteſtantium religioni addictus, ejurato Papatu? annon honeſta hæc ex illorum mente & fide poſtulata? annon iisdem magis potiusque ſupplicantibus cautum? ergò juſta conquerendi cauſa, ſi non facilis ſit Cæſar, ſi tergiverſetur: ſi renuat? Periculoſa utique fuit hac doctri-

(*a*) Lehmann. Chron. Spir. l. 7. c. 96.

doctrina Limnei amicitia: nolim ſane eum mihi petitorem factum: primo ſtatim congreſſu negaſſem, quicquid à me optaſſet: ſatius enim fuerit primum indignationis impetum, ex repulſa irritatum, excipere, quàm demum, cum plurima dederis, poſtremam iram, inevitabili neceſſitate incurrendam expectaſſe.

§. 29. Hæc ita mihi exercitii gratia pro tuenda Eccleſiaſtici reſervati, etiam abſque Proteſtantium conſenſu quondam validi cauſa in medium adferre placuit, quibus, abſit, ut rei Osnabrugenſi pacificatione paulò aliter definitæ præjudicium facere cupiam. Confeſtim in principio hujus diſcurſus proteſtationem interpoſui, me rem conſiderare, ut ante inſtrumentum pacis fuiſſe viſa eſt: non ut nunc eſt, quam & hic repetitam cupio, ne quis me temere contra publicas leges feciſſe putet, quòdocioſis diſputationibus civilem concordiam voluerim tentare: quæ mens tamen à me, qui pacifico ingenio utor, omnium longiſſimè abeſt. Nunc repetenda mihi intermiſſæ paulum narrationis de reſervato Eccleſiaſtico ſeries, & quemadmodum nupera pace ea de re conventum, oſtendendum eſt.

§. 30. Cùm, ut ſupra diximus, tam Auguſtanæ Confeſſionis Status, quàm Catholici adverſus reſervatum Eccleſiaſticum, & pro illo in Conventu Osnabrugenſi gravamina ſua certatim exhibuiſſent, Proteſtantes, qui facile animadverterent, Catholicos non omninò propoſito ſuo ceſſuros, ab utraque parte aliquid remittendum rati, has concordiæ in hoc puncto ineundæ

eundæ rationes, præmiſſis ſolitis proteſtationibus, propoſuerunt; ut Primatus, Archiepiſcopatus, Epiſcopatus, & Collegia immediata, quæ anno hujus ſeculi decimo octavo in plena Evangelicorum poſſeſſione fuerunt, deinceps ita maneant, ſalvo capitulis eligendi jure: & Cæſareæ Majeſtati primariis precibus, ubi id receptum: hac tamen conditione, ne alius præterquam Auguſtanæ Confeſſioni addictus præſentetur. Si quæ ab anno decimo octavo Fundationibus à Catholicis ablata fuerunt, quorum poſſeſſionem illo anno habuerunt: ea reſtituantur & in ſtatum priſtinum vindicentur: Menſes Papales verò in ejusmodi Collegiis penitus aboleantur, nec liceat Pontifici ullas conferre Prælaturas & beneficio vacante bullas ſuper eo impertiri. Electus in illis Collegiis non teneatur confirmationem à Pontifice petere, ſed tantum à Cæſarea Majeſtate regalium & jurium inveſtituram, quæ ei ſine contradictione, ut juſtum & æquum eſt, concedatur. Primates vero, Archiepiſcopi, Epiſcopi aut vacante ſede ipſa Evangelica Capitula Cathedralia ad Comitia aliosque Conventus imperii decentibus titulis convocentur, & ad ſeſſionem in iisdem & ſuffragium admittantur. Ut ratione beneficiorum à Catholicis eodem anno poſſeſſorum in puncto reſtitutionis idem ſervetur Ut Catholicum aliquem Archiepiſcopum aut Epiſcopum una cum toto Capitulo Auguſtanam Confeſſionem profeſſum & jus reformandi jure ſuperioritatis ex pace religionis ſequatur, non excluſo tamen Statuum Provincialium conſenſu, moribus illis debito, &c.

Quòd

Quòd ſi vero ſolo Capituli Electo aut Sodali pro ſua perſona mutante religionem ipſum Capitulum in antiqua religione maneat, ut tunc citra reformandi jus poteſtatemque is, qui mutavit, in dignitatum ſuarum, redituum, Provinciarum, ac ſubditorum poſſeſſione imperturbatus relinquatur: ſalva Capitulo Catholico poſt ejus mortem libertate eligendi poſtulandive vel Catholicum, vel Evangelicum; Evangelico autem forte à Catholico Capitulo electo, jus reformandi ademptum ſit, integris dignitatibus & reditibus ad vitæ dies, ut ſupra. Quod de Catholicis perſonis, mutantibus religionem, propoſitum: idem vice verſa & in Evangelicis jus eſto: Interea illis, quibus reformandi jus non competit, in aulis ſuis, ſacellis & curiis liberum ſuæ religionis exercitium permittitor. Ut in mixtis Collegiis, oculis identidem ad memoratum decimum octavum annum ratione reſtitutionis reflexis, Epiſcopo aut cuidam ex ſodalibus à ſua religione ad alteram transeunti ad dies vitæ dignitatum & bonorum poſſeſſiones maneant. Ex Capitularibus verò aut Canonicis quodam mortuo, qui religionem mutavit, in ejus locum talis ſurrogetur, qui ejus religionis eſt, cujus defunctus ante defectionem fuit, redacto iterum Capitularium numero utriusque religionis ad modum, qui anno decimo octavo fuit.

§. 31. A parte Catholicorum hæ conditiónes pacis cauſa propoſitæ. Reſervatum Eccleſiaſticum, eſſentiale religioſæ pacis membrum, ut lege publica conſtitutum, ita deinceps eſto: non attento, Epiſcopus ſe cum aliquibus ſoda-

libus aut toto Capitulo ad Auguſtanam Confeſſionem contulerit: idque quoad Epiſcopatus & Collegia à Catholicis anno ſeculi decimi ſeptimi vigeſimo ſeptimo poſſeſſa, aut poſtea legitimo titulo acquiſita. Quantum vero ad illa collegia, quæ Auguſtanæ Confeſſioni addicti Status antè & poſt Paſſavienſem transactionem & religioſam pacem poſſederunt, quamvis & horum juſta eſſet repetitio, Catholicos tamen concordiæ cauſa aſſentiri, ut eadem, ab Evangelicis anno vigeſimo ſeptimo poſſeſſa, nec deinde ad Catholicos juſtè translata, ad quadraginta annos à concluſa pace computandos poſſint retineri, quo quadraginta annorum ſpatio ab utraque parte amica in religione compoſitio tentari debeat, eâ vero non ſecuta quisque jus ſuum debito modo & ordine perſequi. In omnibus Collegiis, Auguſtanæ Confeſſionis Statibus ad quadraginta annos conceſſis hoc toto tempore Catholici non excluduntor, nec proviſiones per menſes papales aut indulta Apoſtolica impetratæ aut deinceps impetrandæ, necnon primariæ preces ratione Canonicatuum, Præbendarum aut beneficiorum impugnantor: ſed proviſi ſine contradictione admittuntor, nec ſub ullo prætextu aut colore gravantor: Statuto, juramento aut capitulatione contrariis nullis & irritis. Electionibus & poſtulationibus intra prædictum quadraginta annorum tempus in Catholicos collatis litem non movento, nec electi ſeu poſtulati gravantor: Sed à Cæſarea Majeſtate in electione cum proviſionibus papalibus & impetatoriis defenduntor. Archiepiſcopis, Epiſcopis,

pis, Prælatis, Canonicis & aliis Eccleſiaſticis perſonis in Collegiis & fundationibus mediatis & immediatis religionis Catholicæ exercitium juxta Auguſtanæ Confeſſioni addictos in Eccleſiis liberum eſto. Conceſſio Regaliorum & indultorum, itemque ſeſſiones & vota in Comitiis imperialibus, quæ Auguſtanæ Confeſſionis Status occaſione bonorum Eccleſiaſticorum prætendunt, intra hos quadraginta annos conſuetudini in imperio receptæ relinquuntur. In circularibus autem conventibus, in quibus votum habent Evangelici, porro admittuntor, ita tamen, ne Catholicos excludant. Beneficia Eccleſiaſtica immediata à Statibus Auguſtanæ Confeſſionis curiæ rationalium applicata in priſtinum ſtatum reſtituuntor, reductis electionibus ac poſtulationibus: ut & permiſſis in Catholicorum gratiam papalibus menſibus, primariis precibus, electionibus & poſtulationibus.

§. 32. Mox Catholici per ulteriorem declarationem loco quadraginta & ſexaginta annorum centum indulſerunt, quibus pendentibus ipſis omnes actiones in ſuſpenſo ſint, quas ad bona Eccleſiaſtica habent, via facti in perpetuum prohibita. Interea ſibi reſervatum illibatum, & transactiones particulares inter utramque partem ante vel poſt religioſam pacem conventas, etiamſi pars una alteri aliquid de jure ſuo remiſerit, itemque res deciſas à regula generali ſupra poſita exceperunt. Pontifici menſes papales, & ſi quid collationum immediate aut per indulta factarum Romanæ Sedi vigore Concordatorum Germaniæ competit, nec non Cæſareæ

Majeſtati preces primarias reſervant, cui & Auſtanæ confeſſionis ſtatus loco annatarum, jurium pallii, & confirmationis, quæ Catholici Romanæ ſedi exſolvere tenentur, ſupputatione Eccleſiis & Collegiis conſueta certam ſummam præſtare teneantur. Liberum ſit Catholicis Canonicis in omnibus Fundationibus, quæ Evangelicis relinquuntur, ſuæ religionis ſtatis horis exercitium: & Adminiſtratoribus illarum Fundationum à Cæſarea Majeſtate poteſtas adminiſtrandi fiat, debito homagio jurato, & exſolutis ſportulis. Ratione verò ſeſſionis & voti à more ſolito nihil mutator.

§. 33. Mox Evangelici, animadverſo, Catholicos quantum reſervatum attinet, à propoſito non poſſe dimoveri, ne dirimeretur cætera bene procedens negotium pacis, ſervata æqualitate propius deſcenderunt, & repetitis prioribus, de reſervato ita cenſuerunt, ſi Evangelicus aliquis Primas, Archiepiſcopus, Epiſcopus, Prælatus, Abbatiſſæ principali dignitate ornatæ, aliusve Eccleſiaſticus Status Catholicæ religioni accedet, is omnia bona ſua & beneficia Eccleſiaſtica, cum fructibus & reditibus ſine ulla contradictione cedito, ſed ſalvo honore famaque integrâ: itemque annuis alimoniis pro conditione perſonæ ſuæ & Beneficii opulentia aſſignatis: nec non fructibus usque ad ceſſionem perceptis plene relictis. Quod ſi verò nunc idem Catholici in ſuis Fundationibus, quando aliqua perſona Eccleſiaſtica religionem mutaverit, obſervaturi ſint, Evangelicos non repugnaturos, ſed commiſſuros rem totam conſcientiis Catholicorum,

pro

pro quibus aliquando non ſint reſponſuri, ſalvis tamen itidem honore, alimoniis & perceptis fructibus ut ſupra. Porro placere, ut Numerus Sodalium Capituli utriusque religionis ita deinceps ſervetur, ut Anno 1618. fuit, modo Evangelici non adeo incapaces beneficiorum & Canonicatuum habeantur, ut jus non ſit illis, qui electionem vel præſentationem habent, in demortuorum Catholicorum locum Evangelicos eligendi, præſentandi & admittendi.

§. 34 Has conditiones Electoris Saxonis legatus aliquatenus mitigavit, via facti ratione bonorum Eccleſiaſticorum in perpetuum excluſa: via juris ad centum annos, qui ad alios centum prorogantor, ſi intra illos amicabili compoſitione res non poſſit tranſigi. Transactio Paſſavienſis, cum pace religioſa & ejusdem confirmatione pro perpetua regula habetor, ita tamen ne reſervatum Eccleſiaſticum pars ſit eſſentialis religioſæ pacis. Tempus reſtitutionis ad annum vigeſimum quartum reducitor, ut omnes pene ſtatus reſtituerentur. Qui ante illum annum gravati ſunt, exhibitis gravaminibus, ut fas & æquum erit, reſtituuntor. Evangelici Status Eccleſiaſtici ad Comitia generalia & ſpecialia vocantor, eisdemque ſeſſiones & vota permittuntor.

§. 35. Verum nec eadem ex omni parte Catholicis placebant, qui de pertinacia & iniquitate adverſæ partis apud Legatum Cæſareum graviter conqueſti ſunt, omiſſa cum Evangelicis ulteriore actione: ita totum negotium parum abfuit, omnino abruptum. Quoniam tamen

Catholici Legato Cæſareo poteſtatem fecerunt, ut ultimas ſuas conditiones & quantum deſcendere vellent, absque majore licentia Evangelicis explicaret, is, qui pacem toto animo exoptabat, ea in re facile ſe exorari paſſus eſt: Quamobrem reducta ad annum vigeſimum quartum reſtitutione, & via facti in perpetuum excluſa centum anni propoſiti, intra quos ſuſpenſa omni contra poſſeſſores actione ab utraque parte Chriſtiana & amica compoſitio tentetur, nec prius ab una aut altera parte vel jure agatur, vel vi, quam de norma & modo convenerit, ſecundum quem hæc cauſa decidi poſſit: interea Catholici reſervato Eccleſiaſtico, paci religioſæ inſerto, quiete fruantur, & pro re nata contra mutantes religionem experiantur. Ratione Electionum & poſtulationum mos ſolitus cujusque loci & antiqua Statuta obſervantor, & vacante ſede Capitula adminiſtrationem juraque Epiſcopalia in Auguſtanæ confeſſioni addicto exercento. Menſes papales & aliæ collationes, Romanæ ſedi juxta Concordata Germaniæ debitæ juxta uſum anni vigeſimi quarti deinceps manento: Annatæ verò, jura pallii & confirmationum Cæſareæ Majeſtati ſecundum antiquam computationem & quantitatem exſolvuntor, ut de iis ſua Majeſtas prævio conſenſu Pontificis pro arbitrio diſponere poſſit: Jus primariarum precum Imperatori ſalvum eſto, cum hac tamen clauſula, ut in Collegiis merè Evangelicis ſubjecta Auguſtanæ confeſſioni addicta præſententur, in mixtis verò utriusvis religionis. Quantum ad titulos, ſeſſionem & Votum, quæ Fundationum illarum poſ-

ſeſſo-

ſeſſores ſibi in Comitiis imperialibus, conventibus deputationum, viſitationum, aliisque communibus ac ſingularibus concedi poſtulant, conſentiunt Catholici, ut nomine Poſtulatorum ad Epiſcopatum &c. vocentur, conceſſis ſeſſione & voto, ſi modo in illis libera adhuc electio in uſu ſit, nec bona Eccleſiaſtica in ſeculares Principum rationes translata, aut quoad Statum mutata, adeoque ab aliis Principibus in Comitiis non exempta fuerint: ſed & hoc ipſum non aliter quam conditionibus ſequentibus. Primo, ut, qui titulos, ſeſſionem & vota affectant, Cæſareæ Majeſtati poſtulationis & electionis ſuæ fidem faciant. Deinde: ne quis Epiſcopatum aliamve Eccleſiaſticam dignitatem ſibi vindicet absque Capituli electione, quam Cancellariæ imperiali intra annum & diem, poſtquam facta eſt, obſequioſe inſinuet, deſuper impetrato Cæſareo indulto & præſtito Imperatori homagio in temporalibus. Tertio, ut omnia Auguſtanæ confeſſioni addicta Capitula in circulis illis maneant, in quibus ſita ſunt, & votum habent; In Comitiis verò, conventibus Deputationum, Reviſionum, Viſitationum, &c. pro jure quæſito ſeſſione & voto loco tertio & ſeparato gaudeant, requiſitis eorum votis immediate poſt Catholicos, ſed habita prærogativæ cujusque dignitatis Eccleſiaſticæ ratione. Quarto Electus in Epiſcopum &c. ſi noluerit pro ſua perſona comparere, is Canonicos nonnullos cum aliis Conſiliariis mittat pro conſervatione Status Eccleſiaſtici. Imò, quamvis ipſemet compareat, nihilominus aliquos Collegii Sodales Conſiliariis ſuis dicto ſi-

ne adjungere teneatur. Quinto Capitulationibus ſingulis vicibus interpoſito juramento caveatur, ne Electus vel poſtulatus Fundationes ſuas hæreditarias ullo modo efficere velit: ſed Capitulo liberam electionem poſtulationemque relinquere. In quibuscunque Fundationibus Anno 1624. prope Auguſtanæ confeſſioni addictos Catholica religio viguit, ibi Catholicis ad easdem jus ſit & aditus, nec non liberum ſuæ religionis exercitium, non electione, non præſentatione vel aliis viis turbandum. Alimonia verò illis, qui ob religionis mutationem ſuis beneficiis privati ſunt, neutra pars præſtare teneatur.

§. 36. Evangelici admiſſo centum annorum termino ad ſuſpendēdas omnes actiones conceſſo, reſtitutionis principium ab anno vigeſimo primo fieri petebant, idque plenariè & pure, cum annullatione omnium in his cauſis latarum ſententiarum, decretorum, transactionum & executionum: re in eo ſtatu manere juſſa, in quo anno vigeſimo primo fuit. Ratione reſervati Eccleſiaſtici, electionis, poſtulationis, jurium Papalium, precum primariarum, ſeſſionum, votorum, titulorum, priora repetita, & in titulum Electi vel poſtulati ſed citra præjudicium dignitatis conſenſum. De mixtis Collegiis idem temperamentum, quod ante propoſitum, termino reſtitutionis ſaltem mutato, & anno vigeſimo primo definito.

§. 37. Ad hunc modum Eccleſiaſticum reſervatum per varios & ancipites æſtus jactatum eſt. Tandem præcipuò ſtudio & opera Cæſareorum

legato-

legatorum in certas conditiones poſt longas & difficiles altercationes feliciter conventum, quæ ex (*a*) inſtrumento pacis hæ ſunt. *Bona Eccleſiaſtica immediata quod attinet, ſive ſint Archiepiſcopatus, Epiſcopatus, Prælaturæ, Abbatiæ, Bajliviæ, Præpoſituræ, Commendæ, ſive liberæ fundationes ſeculares, aut alia, una cum reditibus, penſionibus, aliisq́, quocunq́ nomine ſignatis, ſeu in urbibus ſeu ruri ſitis, ea ſeu Catholici, ſeu Auguſtanæ Confeſſionis Status die prima Januarii anni milleſimi, ſexcenteſimi, vigeſimi quarti poſſederint, omnia & ſingula, nullo plane excepto ejus religionis conſortes, qui dicto tempore in reali eorum poſſeſſione fuerunt, usq́ dum de religionis diſſidiis per Dei gratiam conventum fuerit, tranquille & imperturbatè poſſideant, neutriq́ parti liceat alteri ſeu in judicio, ſeu extra, negotium faceſſere, multo minus turbas aut impedimentum aliquod inferre: Si verò, quod Deus prohibeat, de religionis diſſidiis amicabiliter conveniri non poſſit, nihilominus hæc conventio perpetua ſit, & pax ſemper duratura. Si igitur Catholicus Archiepiſcopus, Epiſcopus, Prælatus, aut Auguſt. Conf. addictus in Archiepiſcopum, Epiſcopum, Prælatum electus vel poſtulatus ſolus aut una cum Capitularibus ſeu ſingulis ſeu univerſis, aut etiam alii Eccleſiaſtici religionem impoſterum mutarint, excidant illi ſtatim ſuo jure, honore tamen famaq́ illibatis, fructusq́ & reditus citra moram & exceptionem cedant, Capituloq́, aut cui id de jure competit, integrum ſit aliam perſonam*

(*a*) Art. 5. §. 3.

religioni ei, ad quam beneficium iſtud vigore bujus tranſactionis pertinet, addictam eligere aut poſtulare, relictis tamen Archiepiſcopo, Epiſcopo, Pralato decedenti fructibus & reditibus interea perceptis, & conſumptis. Hæc quantum reſervatum Eccleſiaſticum attinet: quæcunque enim de electionibus & poſtulationibus, jure primariarum precum, juribus papalibus, titulis, ſeſſione, votoque poſtulatorum, itemque de Collegiis mixtis amplius ibi diſponuntur, ſuo quæque loco meliùs referemus.

§. 38. Duo articulus iſte, ſed invicem ſibi connexa habet digna animadverſione. Primum eſt de tempore reſtitutionis, quod hîc Transactione Paſſavienſi determinari videtur. Sed cum eo minus ſtarent Principes Proteſtantes, varias ob cauſas, quas mox videbimus, in Osnabrugenſi conventu aliud propoſitum: primo ab Evangelicis petitus annus decimus octavus, initialis civilis belli: verum iſte à Catholicus ad annum vigeſimum ſeptimum reductus: inde Evangelici annum vigeſimum primum petierunt: ſed vigeſimus quartus conceſſus & tandem utrinque placitus eſt, quo de hæc in (*a*) inſtrumento Pacis leguntur. *Terminus à quo reſtitutionis in Eccleſiaſticis, & quæ intuitu eorum in politicis mutata ſunt, ſit dies prima Januarii anni milleſimi ſexcenteſimi vigeſimi quarti. Fiat itaq; reſtitutio omnium Electorum, Principum & Statuum utriusq; religionis, comprehenſa libera imperii nobilitate, ut & communitatibus & pagis immediatis plenarie & pure, caſſatis omni-*

(*a*) Art. 5. §. 2. & 3.

omnibus interim in ejusmodi cauſis latis, publicatis & inſtitutis ſententiis, decretis, transactionibus, pactis ſeu dedititiis ſeu aliis, & executionibus, reductione ad Statum dicti anni dieiq; in omnibus facta. Et poſtea. *Si ergo Status ſeu Catholici, ſeu Auguſtanæ confeſſioni addicti Archiepiſcopatibus, Epiſcopatibus, beneficiis aut præbendis ſuis immediatis à die prima Januarii anni milleſimi, ſexcenteſimi vigeſimi quarti judicialiter aut extrajudicialiter exciderint, aut quocunq; modo turbati fuerint, vigore harum illico tam in Eccleſiaſticis quam politicis, omnibus novationibus abolitis reſtituantur: ita quidem, ut quæcunq; bona Eccleſiaſtica immediata die prima Januarii anni milleſimi, ſexcenteſimi vigeſimi quarti Catholico Præſule regebantur, Catholicum caput recipiant, & viciſſim, quæ dicto anno dieq; Auguſtanæ confeſſioni addicti poſſidebant, retineant etiam in poſterum, remiſſis tamen, quæ una pars contra alteram prætendere poſſet, perceptis interea fructibus, damnis & expenſis. (Ad Art. 6. verb.* Zu Zeit deß Paſſauiſchen Vertrags.)

§. 39. Alterum, idque ante nuperam pacificationem pleniſſimum contentionis de Collegiis & bonis Eccleſiaſticis mediatis agit: quondam enim acerrimè armis & calamo certatum, quantum in iis Principibus per territorialis ſuperioritatis jus ratione reformationis liceat? Catholici volebant, omnia monaſteria & mediatas fundationes poſt Paſſavienſem transactionem nec reformari potuiſſe, nec ſponte aliam religionem, præter Catholicam Romanam, amplecti.

Contrarium viſum Proteſtantibus, qui dum jure ſuo in ſibi ſubjectos utuntur; nemini injuriam facere credi cupiebant. Utraque pars plurimas rationes pro ſua cauſa adduxit: Hi quidem, quod juxta ipſam religioſam pacem à jure territoriali poteſtas publici exercitii religionis inſtituendi, & quæ ab eo dependent, oriatur, quam etiam Status ſibi oppido poſt edictum Wormatienſe, in reformatam religionem perquam grave & injurioſum in Comitiis Spirenſibus Anno 1526. habitis reſervaverint, ubi nimirum conſtitutum, ut quivis Status imperii religionis curam in ſuis Provinciis & Dominiis ita habere poſſit, ſicut coram Deo & Cæſarea Majeſtate id confidat tueri: & licet in Annis 1529. & 1530. contra iſtam libertatem iratiſſimis edictis ſævitum ſit, quod nihilominus Anno 1530. Auguſtana confeſſio exhibita, in qua & articulus de votis & vita monaſtica poſitus, anno ſequenti accepta, & à Carolo V. per Comitem Palatinum Rheni & Brandenburgicum Evangelicis pax religioſa oblata, & mox Noribergæ opera Saxonis & Heſſi primùm concluſa fuerit, inhibitumque Cameræ, ne ratione ſpolii à Catholicis prætenſi in proceſſibus ulterius progrediatur, quod omne Cadavi porrò declaratum & confirmatum. Nec aliud literas à Statibus Evangelicis Anno 1538. publicatas ſibi velle, in quibus Proteſtantes ſufficienter exprimunt, ſe in ſuis territoriis duplicem divinum cultum tolerare non poſſe. Tum actiones Francofurti Anno 1539. & Hagenoæ Anno 1540. habitas idem declarare, præcipuè cum Evangelici eo tempore reformationem

valdè

valde urſerint, ob perditæ & diſſolutæ vitæ, in monaſteriis agitari ſolitæ, ſcandalum, quod in tantum excreverit, ut Pontifices etiam, Adrianus & Paulus III. de emendatione ſerio cogitaſſe credantur. Adhæc declarationes Caroli V. Imperatoris, de Anno 1541. & ipſos Imperii Receſſus non diffiteri, conceptis verbis decernentes, ut monaſteria integra conſerventur, & unicu que, in cujus imperio ſitæ ſunt, liceat eadem ad Chriſtianam reformationem pertrahere: qu d utique de ſolis Evangelicis intelligendum, qu ndoquidem de Catholicis ne quidem tale pr ſumi poſſit, & Receſſus Anno 44. publicatus cla ſulam hanc expreſſam habeat, non attento, cu s religionis ſint: in Spirenſi etiam Receſſu propoſitiones à Cæſarea Majeſtate factas, & in iis ſubſtantiam declarationis ſupra dictæ contentā eſſe, in quo Receſſu de Anno 44. Saxonicus Elector Anno 1552. Lincii replicam ſuam fundaverit, addito, Evangelicos quantum ſibi conſtet, eo contentos eſſe: quemadmodum idem Electos Paſſavii prolixo ſcripto vehementer conqueſtus eſt, quod præcipuus miniſter Cæſareus dixerit: Spirenſem Receſſum eo colore ſufflaminatum iri, quod tunc tempori aliquid fuerit dandum: nec minus Cæſaream declarationem Anno 1541. factam variis protelationibus declinandam nonnullos cenſuiſſe, quo nomine Catholicos ipſos Anno 1555. ſuccenſuiſſe certum ſit. Porro in actione Paſſavienſis transactionis & pacis religioſæ ſupra memoratam declarationem cum Receſſu Spirenſi non ſublatam, ſed potius rei Eccleſiaſticæ ordinationem ſuperioritate territo-

ritoriali definitam eſſe, dum ſcilicet Cæſarea Majeſtas & Status ea mente fuerint, ut exactiſſima per omnia æqualitas inter Status in cauſa religionis deinceps ſervetur, & quod uni, id & alteri liceat, teſte locupletiſſimo declaratione Ferdinandi ſuper religioſæ pacis primam delineationem: Regiam quoque Majeſtatem cum ſolis Statibus imperii actionem inſtituiſſe, cui nullus Ordo Eccleſiaſticus mediatus interfuerit: edictum pacificatorium Evangelicorum in pace religioſa univerſale eſſe, & tam de futuro tempore, quam præterito conceptum: jurisdictionem Eccleſiaſticam in eorum territoriis penitus ſuſpenſum, nec vel leviſſimam conjecturam, rationi conſentaneam extare, quod Evangelici declarationi illi & Receſſui Spirenſi renunciaverint, qui, ſi id feciſſent, à priore intentione exterminandi ſcandala & libidines ex ſuis territoriis, deſtitiſſent, & ſic nullo metu, nulla vi cogente, ſpontanea incuria remiſiſſent, quod ipſimet paulo ante pio & laudabili zelo fortiter obtinuerint. Nec eſſe præſumendum, ſi aliud in pace religioſa placuiſſet, quod heroicæ mentes, germana fide & candore ſummo ornatæ, paucis menſibus poſt ab eo, quod ibi tam ſanctæ promiſerint, leviſſimo ingenio deſciviſſent. Extare Evangelicorum Statuum ſententiam, durante tractatione religioſæ pacis propoſitam, quæ eo collimet, ut inter Status imperii mutua pax ſit, nec unus alterum in cauſis religionem concernentibus gravare, aut ſubditos alterius ad ſe pellicere poſſit, ſed unusquisque, quantum ad jurisdictionem Eccleſiaſticam, Clerum & bona, quæ non ſunt feuda imperii

perii, ita ſe gerat, ſicut id coram Deo & hominibus audeat defendere, cujus rei quoque Cæſarea Majeſtas in annis 1556. & 57. quando lis illa à Catholicis intempeſtive ſuſcitata eſt, prudenter meminerit, & judicio æquiſſimo ſub favillis latens incendium reſtinxerit. Cæſaream Majeſtatem aliquoties apud Evangelicos pro quibusdam Ordinum Sodalibus interceſſiſſe, ut illis ad dies vitæ alimenta præberentur, imo cum Pontifice ipſo in certos tractatus, inter Status nonnullos & Ordines initos (quibus hi exili pretio accepto locum mutare debuerunt, ut Eslingæ, Lindavi & alibi contigit) conſenſiſſe, quod haud quaquam fuerit factura, ſi Statibus jus reformandi non competiiſſet, quo Catholici ipſi eveniente caſu utantur, vocata in adjutorium declaratione Caroli V. & Spirenſi Receſſu jam ſæpius allegatis, ut ex eorum gravaminibus Anno 1594. exhibitis & inhibita Evangelicis ex eodem fundamento reformandi poteſtate patet, quod in ſpecie adverſus Pappenheimium in cauſa Collegii Gronenbachici Anno 1591. ab Epiſcopo Auguſtano & Abbate Campidunenſi factum. Si literalis religioſæ pacis diſpoſitio cum intentione & ſenſu extra dubium eſſet, Aſſeſſores Cameræ imperialis illud non ſuſcitaturos, & ad imperii Comitia remiſſuros fuiſſe, (ſecus quam annis 1557. & 1556. fecerint, ubi pro declaratione & authentica interpretatione ſollicite ſupplicarunt) nec ſuper ea re ſæpius conſilium plenum habituros, multo minus Abbati Donawerdenſi ad S. crucem contra Comitem Palatinum Philippum Ludovicum, itemque Cathuſio Erfurdenſi

denſi contra Vinarienſem Saxonem petitos proceſſus eo nomine denegaturos, quod ſupplicantes non ſint Status imperii: aut alios ab Abbate Monaſterii Pœdesholmenſis adverſus Ducem Holſatum impetratos Anno 1578. per ſententiam cum adjudicatione expenſarum juſtificata medietate caſſaturos. Ab Imperatoribus & Regibus Romanis plurima reſcripta eodem ſenſu emiſſa, ut tam ex ſententia Ferdinandi primi in cauſa Epiſcopi Auguſtani contra Ottonem Heinricum Electorem Palatinum propter quatuor pagos in judicio provinciali Hochſtettenſi ſitos, quam Ferdinandi II. decretis, in litigiis Neoburgi Principis emiſſis, ubi ſemper jurisdictione territoriali jus reformandi & conſtituendi Statum Eccleſiaſticum determinatur, clariſſime liquet. Quæ omnia eo magis locum habere, quod plurima pars Electoratuum & Principatuum in Statibus Provincialibus, quibus & Prælati accenſendi, fundata ſit, & eo intuitu onera imperii majora perferat: His ſi monaſteria adimantur, ſuſpenſis reditibus & debitis, exinde nihil aliud quam dismembrationem omnium Electoratuum & Principatuum, aliarumque dominationum ſecuturam, ut ejus rei jamjam triſtiſſima exempla in promptu ſint. Paragraphum verò religioſæ pacis, dieweilen/ non eſſe ad fundationes & monaſteria mediata trahendum, id ex gravaminibus ſcriptis publicis Evangelicorum, tum Saxonis Electoris literis ad Cæſaream Majeſtatem in puncto edicti datis ſufficienter intelligi, quemadmodum apud Evangelicos de Protocollo, in Edicto Ferdinandeo allegato nihil reperiri

poſſit,

poſſit, quin ſubmiſſiones, inibi etiam perſtrictæ teſtibus actis imperialibus, imprimis de annis 1566. 76. 82. 94. 1613. in aliis longe terminis loqui, & eam prætenſionem Evangelicos Status ſemper pro reſtrictione vel extenſione religioſæ pacis habuiſſe, in quam propterea nunquam conſenſerint, ſicut Elector Saxoniæ Chriſtianus II. Anno 1608. ad Cæſaream Majeſtatem ſcripſerit, clauſulæ reſtitutoriæ à Catholicis petitæ bona conſcientia à ſe non poſſe deferri.

§. 40. Illi, id eſt Catholici, longè aliter ſentiebant. Scilicet paragraphum religioſæ pacis, Und damit ſolcher Fried/ qui de libero Auguſtanæ Confeſſionis fideique exercitio, nec non ceremoniis & Eccleſiaſticis Conſtitutionibus agit, malignè ad plenam libertatem & licentiam occupandi ea Eccleſiaſtica bona, quæ in aliorum Principum terrirotiis ſita ſimt, extendi; idque tam religioſæ paci ipſi, quàm aliis Conſtitutionibus Imperii luculenter adverſari. Ac primo quidem in religioſa pace, paragrapho Dagegen ſollen/ conceptis verbis proviſum eſſe, ut Auguſtanæ Confeſſioni addicti Catholicos Status in quieta poſſeſſione & uſu religionis, fidei, Conſtitutionum Eccleſiaſticarum, ceremoniarum, tum bonorum mobilium & immobilium, jurium, redituum, decimarum, &c, ut nunc ſunt, deinceps permanere ſinant, non attento, quocunque Aulæ ſuæ ſedem tranſtulerint, omnique vi & turbatione interdicta, quod in §. damit auch clarè repetitum & confirmatum, juriſdictione Eccleſiaſtica contra Auguſtanæ Confeſſioni addictos non aliter quàm expreſſa hac conditione ſuſpenſa, ut hæc

ſuſpenſio Eccleſiaſticis Statibus, Collegiis, Monaſteriis, Ordinibus, in juribus ſuis & proventibus nullum præjudicium faciat. Quamobrem Status Auguſtanæ Confeſſionis in §. dieweil aber ratione bonorum Eccleſiaſticorum mediatorum, quæ ante Paſſavienſem transactionem occuparunt, ſpecialiter ſibi caveri voluiſſe, qua cautione opus non fuiſſet indiſtincta reformandi libertate admiſſa. Quamvis verò Proteſtantes ſæpiuſculè tentaverint, mentem conſtitutionis eo torquere, quaſi ea tantum Eccleſiaſtica bona concernat, quæ Imperio immediatè ſubjecta ſunt, non quæ in Statuum territoriis ſita: ſenſum tamen literalem adeò indubium eſſe, ut ejusmodi interpretationem nullo modo admittat, quippe in dicto §. poſt Imperii Status alios etiam Eccleſiaſticos nominari, quorum mentio eſſet omittenda, ſi non niſi Imperii Status illa diſpoſitione continerentur. Pauciſſima enim monaſteria & ordines: imò verò nulla penè collegia Status eſſe, quorum tamen cùm hic §. tum præcedens, damit auch/ qui ſeſe ad hunc refert, expresſè meminit. Deinde Imperii Conſtitutiones, & in ſpecie Receſſum de Anno 1541. §. Und damit im Heil. Reich inhibere, ne quis cujuscunque conditionis ſit, aliùm ob fidem & religionem usque ad Concilii Nationalis judicium turbare aut ſpoliare poſſit, ſed reducta Chriſtiana concordia Eccleſiaſticis imprimis perſonis, quæ de turbatione conqueruntur, reditibus ſuis & decimis liceat uti frui, quod idem in Receſſu de Anno 1541. repetitum, addita regula, quid in illis proventibus tenendum ſit, qui Collegio aut monaſterio

ſterio debiti in diverſis Statuum dominiis ſituantur. Nec poſſe negari ſcopum & intentionem religioſæ pacis fuiſſe antiquam inter Status concordiam reſtabilire, certè non hâc ratione procurandam, ſi Catholici ordines cum Imperatore ſuo quotidiè Eccleſiaſticos non ob aliam cauſam, quam Catholicam religionem, ſuis bonis exui videre & pati debuerunt? Senſum §. Und damit ad ſolos Principum Proteſtantium ſubditos laicos pertinere, non niſi licentiosè ad monaſteria & ordinem Eccleſiaſticum extendendum. Licèt verò Monaſteria & Eccleſiaſtica bona certo modo provinciis & rationibus ſecularibus connexa ſint, quantum tamen adminiſtrationem, electionem, jura confirmandi, inveſtituræ, aliaque ordinariis locorum competentia attinet, non agnoſcere ſeculare imperium. Porrò in religioſa pace de ſubditis diſponi, ut ex religionis cauſa emigraturi bona ſua posſint divendere, quî igitur probabile ſit ſubditos Eccleſiaſticos ea in re pejoris conditionis fuiſſe, quos licuit ex Proteſtantium mente liberè & impunè omnibus boni Eccleſiaſticis nullo pretio refuſo ejicere? Catholicorum diſſenſum ſufficienter ex eo colligi, quod poſt prima ſtatim attentata ſeverè & vehementer reclamaverint, gravaminibus ad tempora usque Monaſterienſis pacis productis. Certè dubitaſſe aliquando Cameræ Aſſeſſores hac in cauſa, ſed medietatis tantum intuitu, an mediatis perſonis Eccleſiaſticis ex capite religioſæ pacis proceſſus ſint decernendi: non verò an iſtæ poſſint à Proteſtantibus jure bonis ſuis ejici. Verum & idem dubium in Receſſu de Anno 1566.

penitus deciſum, qui jubet unicuique ob religionem gravato jus dicere: eamque diſpoſitionem Cameram Imperialem poſtea tam in cauſa quatuor Monaſteriorum, quàm aliis, decretis proceſſibus, jugiter ſecutam.

§. 41. Habes utriusque partis rationes: difficile eſt diſcernere, quæ meliore jure nixa ſit. Vereor tamen, ne ex diſpoſitione & mente religioſæ pacis, re citra ſtudium & affectus maturè conſiderata, Catholici viciſſent, quod uberius nunc perſequi longum nimis eſſet. Sanè Ferdinando II. Catholicorum potior cauſa viſa eſt, pro qua & in edicto ſuo pronunciavit. Sed cum eo ſtare Evangelici noluiſſent, in conventu Osnabrugenſi hinc inde tollendi diſſidii cauſa variè deliberatum: primo utrique ſuo juri inhærebant, quod ſibi tribuere. Deinde ab Evangelicis propoſitum, ſe pacis cauſa conſentire, ut Monaſteria & mediata Eccleſiaſtica bona poſt annum hujus ſeculi decimum octavum reformata in priſtinum ſtatum reſtituantur, prohibita in poſterum omni ulteriore reformatione, hac tamen conditione, ut fundationes, Monaſteria & bona Eccleſiaſtica antiqui ordinis ſodalibus permaneant, quorum bono erecta ſunt: nec in ea ullo tempore Jeſuitæ admittantur. Cæterum quæcunque ante illum annum tenuerint, iis ampliùs nec cedere poſſe nec velle, imò verò reſtitui cupere, quorum poſſeſſione, quam decimo octavo anno adhuc habuerunt, dejecti ſunt, non attenta ulla exceptione aut ſcrupulo, quem Catholici propter beneficia nonnulla & Monaſteria moverunt, quaſi exempta eſſent, extra territorium, aut non

de

de territorio Evangelicorum, itemque rejecta quæſtione, an bona illa jure ſuffraganeatus, Diaconatus, aut alio nomine Statibus Imperii obligata ſint. Sed id ſolum reſpici deberi, an Evangelici quacunque anni decimi octavi parte in poſſeſſione fuerint. Electionem tempore & loco conſueto peragendam, qua ceſſante Magiſtratui Evangelico fas ſit ex jure devoluto vacantium Præbendarum curam gerere & idoneas perſonas in locum decedentium ſurrogare. Ad hæc Conventibus, eorundemque majori parti liberum eſto Evangelicos Abbates, Priores & Conventuales eligere, Evangelicam religionem amplecti, aut bona ſua Magiſtratui Evangelico reſignare. Paucis verò aut ſingulis ſodalibus religionem mutantibus ad dies vitæ ſuis beneficiis fruendi jus fasque ſit. Inſpectio, Viſitatio, Confirmatio, & his affinia, itemque rationum reddendarum examen, ut olim fuit, ita deinceps maneto. Sodales verò, & eorum adminiſtri, ſive Diœceſanum recognoſcant, ſive non, in civilibus & criminalibus Magiſtratui Evangelico ſubjecti ſunto, & conſueta onera ſine detrectatione portanto: ſalvis Magiſtratui & Statibus Provincialibus in illis monaſteriis & beneficiis omnibus juribus, juſtè acquiſitis, nec non integra libertate eligendi Evangelicos iis in locis, quibus id anno decimo octavo fieri conſuetum.

§. 42. Catholici decimo octavo anno ad vigeſimum ſeptimum reducto, nec non admiſſa quadraginta annorum poſſeſſione poſtularunt, ut & in poſterum ab omni turbatione abſtineatur, & quicquid demum poſt annum decimum ſepti-

mum à Proteſtantibus occupari ceptum, plenè reſtituatur. A beneficio tamen termini vigeſimi ſeptimi anni, ut & poſſeſſionis ad quadraginta annos omnia ea Eccleſiaſtica bona excipienda, in quibus vel titulus priſtinæ poſſeſſionis expiravit, vel judiciali ſententia aut pactis particularibus aliquid jus Catholicis quæſitum.

§. 43. Cùm non convenirent, ab Oratoribus Cæſareis annus vigeſimus quartus juxta Saxonis conſilium propoſitus, extenſa poſſeſſione ad centum annos, quam, qui eo anno habuerunt, retineant, aut in amiſſam ita reſtituantur, ut nullum adverſæ partis quæſitum jus contra valere debeat, exceptis ſaltem iis bonis, quæ notoriè extra territorium occupantium ſita ſunt, aut alio modo Catholicis Statibus incorporata. In mixtis Collegiis ratio poſſeſſionis anni vigeſimi quarti habeatur, quæ ita manere debeat, ſicut eo anno fuit. Quantum ad jura prætenſionis, inſpectionis, viſitationis, confirmationis, correctionis, electionis ex jure devoluto, nec non conſtituendi paſtores in monaſteriis, quæ Auguſtanæ Confesſionis Status dicto anno vigeſimo quarto habuerunt, ea omnia deinceps ita exerceant, ut ex eorum uſu nullum præjudicium Catholicis creetur, nec ſub tali prætextu aliqua mutatio vel circa perſonalia vel realia fiat, multò minùs Catholicis Superioribus & Magiſtratui impedimento in illis ſint, quæ vel de jure vel conſuetudine legitimo titulo acquiſiverunt.

§. 44. Ad hæc Evangelici admiſſa centum annorum poſſeſſione reſtitutionis ut & poſſeſſionis terminum vigeſimo primo anno terminarunt,

rejecta

rejecta exceptione bonorum extra territorium occupantium ſitorum, ut & menſibus papalibus omnino rejectis, ſalvo tamen Cæſareæ Majeſtati primariarum precum jure, quamvis ad qualitatem defunctæ perſonæ reſtricto.

§. 45. Denique poſt longas disceptationes in (a) has leges conventum. *Quæcunque Monaſteria, Collegia, Ballivias, Commendas, templa, fundationes, ſcholas, Hoſpitalia, aliave bona Eccleſiaſtica mediata, ut & eorum reditus, juraq́, quocunque ea nomine appellata fuerint, Auguſtanæ Confeſſionis Electores, Principes, Status, anno milleſimo, ſexcenteſimo vigeſimo quarto die prima Januarii poſſederunt, eadem omnia & ſingula, ſive retenta ſemper, ſive reſtituta, ſive vigore hujus transactionis reſtituenda, iidem poſſideant, donec controverſia religionis amicabili partium compoſitione univerſali definiantur, non attentis exceptionibus, ſive ante ſive poſt transactionem Paſſavienſem aut pacem religioſam reformata & occupata, aut quod non de vel in territorio Auguſtanæ Confeſſionis Statuum, vel exempta, vel aliis Statibus jure Suffraganeatus, Diaconatus aliave quavis ratione obligata fuiſſe dicuntur, unicum ſolumq́ hujus transactionis, reſtitutionis, obſervantiaq́ futura fundamentum ſit die prima Januarii anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo quarto habita poſſeſſio, irritis prorſus exceptionibus, quæ ex introducto alicubi locorum exercitio, interimiſtico, vel anterioribus aut ſecutis pactis generalibus aut ſpecialibus transactioni-*

(a) I. P. Art. 5. §. 9.

ctionibus, vel litibus motis, cauſisve deciſis, vel etiam decretis, mandatis, reſcriptis, paritoriis, reverſalibus, litis pendentiis vel aliis quibuscunque prætextibus & rationibus deſumi poſſent. Ubi igitur ſupradictorum omnium bonorum, eorundem pertinentium, fructuumve Auguſtanæ Confeſſionis Statibus aliquid quovis modo aut prætextu ſive judicialiter ſive extrajudicialiter à dicto tempore interverſum aut ademptum eſt, omnino absque mora & indiſtinctè; (interque illa ſpecialiter etiam Monaſteria, fundationes, atque bona Eccleſiaſtica omnia & ſingula à Principe Wirtenbergico anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo quarto poſſeſſa) cùm ſuis pertinentiis, reditibus & acceſſionibus ubicunque ſitis, unà cum amotis documentis in priorem ſtatum reſtituantur; nec Auguſtanæ Confeſſioni addicti poſthac in habita vel recuperata poſſeſſione ullo modo turbentur, ſed ab omni perſecutione juris & facti perpetuo tuti ſint, donec controverſiæ religionis compoſitæ fuerint. Omnia quoque Monaſteria, Fundationes & Sodalitia mediata, quæ die prima Januarii anno milleſimo, ſexcenteſimo, vigeſimo quarto Catholici realiter poſſederunt, poſſideant & ipſi ſimiliter, ut in Auguſtanæ Confeſſionis Statuum territoriis & ditionibus ea ſita ſint, non tamen in alios religioſorum ordines, quàm quorum regulis primitus dicata ſunt, commutentur, niſi talium religioſorum ordo planè interciderit, tunc enim Magiſtratui Catholicorum liberum eſto, ex alio in Germania ante diſſidia religionis exorta uſitato ordine novos religioſos ſubſtituere. In quibus-

quibuscunq; verò Fundationibus, Eccleſiis Collegiatis, Monaſteriis, Hoſpitalibus, ejusmodi mediatis Catholici & Auguſtanæ Confeſſioni addicti promiſcuè vixerunt, vivant etiam poſthac promiſcuè numero prorſus eodem, qui die prima Januarii anno milleſimo, ſexcenteſimo, vigeſimo quarto ibidem repertus fuit: publicum etiam religionis exercitium idem maneat, quod quovis in loco dicto anno dieq; uſitatum fuit absque unius vel alterius partis impedimento. In quibuscunque etiam Fundationibus mediatis anno milleſimo, ſexcenteſimo vigeſimo quarto die prima Januarii Sacra Cæſarea Majeſtas primarias preces exercuit, exerceat eas & in poſterum ad modum circa bona immediata, ſuperius explicatum. Idem planè hic obſervetur de menſibus papalibus, quod ſupra de iis §. quinto diſpoſitum eſt. Conferant etiam Archiepiſcopi, & quibus aliis id juris competit, beneficia menſium extraordinariorum: Quod ſi quoque Auguſtanæ Confeſſioni addicti in ejusmodi bonis Eccleſiaſticis mediatis dicto anno dieq; à Catholicis realiter, plenè vel ex parte poſſeſſis jura præſentandi, viſitandi, inſpectionis, confirmandi, corrigendi, protectionis, aperturæ, hoſpitationis, ſervitiorum, operarum habuerunt, item parochos, præpoſitos ibi aluerunt, jura iſta illic ſarta tectaq; maneant: etſi electiones debito temtempore modove non fiant, præbendarum vacantium diſtributio & collatio in ejusdem religionis perſonas, cujus decedens fuit, ex jure devoluto ad eosdem pertineat, modo per hoc in iſtiusmodi bonis mediatis inſtituto Catholicæ religionis ni-

 bil

hil præjudicetur, & Magiſtratui Catholicorum Eccleſiaſtico jura ſua ex inſtituto Ordinis in ipſos religioſos competentia ſalva & illibata ſint : quibus etiamſi electiones aut collationes prebendarum vacantium debito tempore facta non fuerint, jus devolutum ſalvum eſto.

§. 46. Jurisdictionis Eccleſiaſticæ ſuſpenſio ab Auguſtanæ Confeſſioni addictis & Catholicis Statibus diverſimodè accepta : illi ita ſuſpenſam ajebant, ut nec adverſus ſe, nec ſubditos eorum mediatos aut immediatos ullo colore exerceri poſſit, ſublatis omnibus quondam à Romanis Pontificibus cum Imperatoribus habitis transactionibus, concordatis, canonibus, & quicquid religioſæ paci præjudicium facit : nimirum citationibus Nunciorum Pontificiorum, diſpenſationibus, Præbendarum collationibus, proteſtationibus, proviſionibus, conceſſionibus, commiſſionibus à Romana ſede emiſſis, denique judiciis in matrimonialibus cauſis. Hi cauſas & caſus, quibus jurisdictio ſuſpenſa eſt, conceptis verbis in pace religioſa expreſſos contenderunt, ſcilicet contra Auguſtanam Confeſſionem, religionem, fidem, Miniſterii ordinationem, conſuetudines Eccleſiaſticas, conſtitutiones & ceremonias : reſervata Archiepiſcopis, Epiſcopis aliiſque Prælatis pro jure quovis loco quæſito poteſtate jurisdictione Eccleſiaſtica in aliis rebus Proteſtantium religionem non concernentibus utendi. In tractatu pacis Osnabrugenſi Evangelicis viſum, huic gravamini non aliter proſpici poſſe, quàm ſublata jurisdictione Eccleſiaſticâ & juribus papalibus pleniſſimè cum omnibus

ſuis

ſuis ſpeciebus, contra Auguſtanæ Confeſſioni addictos ſeu privatos, etiam Catholicorum ſubditos in perpetuum non exercendis. Catholici in ſuæ religionis ſectatores jurisdictionem Eccleſiaſticam liberam & nullo colore impediendam petierunt, cum eam Ordinarii, aut ex horum defectu vicini Epiſcopi, vel quibus id de jure competit, viſitando, corrigendo, deponendo, confirmando, aliovè quocunque modo in clerum & religioſos, tum templa, Monaſteria & bona Eccleſiaſtica in Statuum Auguſtanæ Confeſſioni addictorum ditionibus ſita exerceant. Cauſæ matrimoniales eo demum caſu ſeculari foro cedant, ſi & utraque pars litigans Auguſtanæ Confeſſioni ſit addicta, & Magiſtratus Laicus in poſſeſſione vel quaſi cognitionis conſtitutus. Ubi vero Ordinarii poſſeſſionem judicii etiam inter partes Auguſtanæ Confeſſioni utrinque addictas retinuerunt, ut & cum una pars, ſive actor ſive reus, aut utraque Catholicam religionem profitentur, tunc in quieto jurisdictionis ſuæ exercitio manento. Aliæ verò ad Conſiſtoria Eccleſiaſtica pertinentes cauſæ, quæ Auguſtanam Confeſſionem, & ab ea dependentia non concernunt, ut jura patronatus, decimæ, ſacrilegia & cætera, Ordinariis illibata ſunto, quibus liceat ſacrilegos nullo religionis diſcrimine judicare & punire. Poſtea poſſeſſio jurisdictionis, quam Magiſtratus ſecularis in cauſis matrimonialibus habuit, anno vigeſimo quarto terminata, caſu tamen exiſtente, quo & utraque pars, vel reus Auguſtanæ Confeſſioni addictus eſt: Catholicis vero partibus, aut ſaltem reo Catholico

lico

lico in foro Eccleſiaſtico litigator : in reliquis juriſdictio Epiſcopis adverſus monaſteria , bona & perſonas Eccleſiaſticas ſalva eſto. Cùm Evangelici non plene aſſentirent , niſi quantum ad Catholicorum ſubditos , qui foro Eccleſiaſtico reſpondere teneantur in cauſis Auguſtanæ Confeſſioni non præjudicioſis , (a) Inſtrumento pacis lis hac lege compoſita. *Jus Diœceſanum , & tota juriſdictio Eccleſiaſtica cum omnibus ſuis ſpeciebus contra Auguſtanæ Confeſſionis Electores, Principes , Status , (comprehenſa libera imperii Nobilitate ,) eorumq; ſubditos tam inter Catholicos & Auguſtanæ Confeſſioni addictos, quàm inter ipſos ſolos Auguſtanæ Confeſſionis Status usq; ad compoſitionem Chriſtianam diſſidii religionis ſuſpenſa eſto , & intra terminos territorii cujusq; jus diœceſanum & juriſdictio Eccleſiaſtica ſe contineat ; Ad conſequendos tamen reditus , cenſus , decimas & penſiones in iis Auguſtanæ Confeſſionis Statuum ditionibus , ubi Catholici anno milleſimo , ſexcenteſimo vigeſimo quarto notorie in poſſeſſione vel quaſi exercitii juriſdictionis Eccleſiaſticæ fuerunt , utantur eadem poſthac quoque , ſed non niſi in exigendis hiſce penſionibus , nec procedatur ad excommunicationem niſi poſt tertiam demum denunciationem.* Catholicorum *Auguſtanæ Confeſſioni addicti Status Provinciales & ſubditi , qui anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo quarto Eccleſiaſticam juriſdictionem agnoverunt, in iis caſibus modo dictæ juriſdictioni ſubſint , qui Auguſtanam confeſſionem nullatenus con-*

(a) Actor. 5. 5. 16.

concernunt, modo ipſis occaſione proceſſus nihil injungatur Auguſtanæ Confeſſioni vel conſcientiæ repugnans. Eodem etiam jure Auguſtanæ Confeſſionis Magiſtratuum Catholici ſubditi cenſeantur, inque hos, qui anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo quarto publicum religionis Catholicæ exercitium habuerunt, Jus Diœceſanum, quatenus Epiſcopi illud dicto anno quiete in eos exercuerunt, ſalvum eſto. In quibus Civitatibus vero imperii mixta religionis exercitium in uſu eſt, Catholicis Epiſcopis contra Cives Auguſtanæ Confeſſionis nulla ſit jurisdictio. At Catholici juxta obſervantiam dicti anni milleſimi ſexcenteſimi vigeſimi quarti ſuo jure experiantur. (Ad art. 7. verb. ſoll die Geiſtliche Jurisdiction.)

§. 47. De reditibus, cenſibus penſionibus & decimis tria potiſſimum conſtituta: primo, ut reditus illi, quocunque nomine veniant, qui antiquæ religionis Statibus in ditionibus Statuum Auguſtanæ Confeſſionis competunt, deinceps illis ſine contradictione aut impedimento cedant. Secundò: ne illa redituum ſolutio Statuum juribus & ſuperioritati legitimo titulo quæſita præjudicio ſit: & tertio ut ex proventibus iisdem Auguſtanæ Confeſſionis Status Eccleſiarum ſuarum miniſteria neceſſaria, Sacerdotia & ſcholas, itemque eleemoſynas atque xenodochia, quibus ab illis olim proviſum eſt, nunc quoque poſſint alere & ſuſtentare. Hujus legis primum caput ab Evangelicis in eum ſenſum tractum, quaſi ipſis viciſſim reditus cedendi ſint, qui Fundationibus à ſe occupatis & reforma-

formatis in territoriis Catholicorum Statuum debentur, unde ſpeciale gravamen hac de re in Osnabrugenſi Pacis tractatu ab Evangelicis deſuper productum: Sed Catholici ſe reſervato Eccleſiaſtico ut & exceptione iniquæ poſſeſſionis Fundationum mediatarum, poſt transactionem Paſſavienſem occupatarum excuſarunt. Inde ad poſſeſſionem annorum decimi octavi, vigeſimi ſeptimi, quarti & primi, nec non quadraginta vel centum annorum detentionem pro utriusque partis captu recurſum. Donec (*a*) pace Weſtphalica ita hac de re cõvenit. *Ratione redituum cujuscunq; generis ad bona Eccleſiaſtica eorumq; Poſſeſſores pertinentium ante omnia obſervetur id, quod in pace religionis*, §. Dagegen ſollen die Ståndte der Augſpurgiſchen Confeſſion: §. alsdann auch den Ståndten der alten Religion: *diſpoſitum invenitur. Illi verò reditus, cenſus, decimæ, penſiones, quæ vigore jam dictæ pacis religionis Statibus Auguſtanæ Confeſſionis ob immediatas vel mediatas Fundationes Eccleſiaſticas ante vel poſt pacem religioſam acquiſitas è Catholicorum Provinciis debentur, quorumq; in poſſeſſione vel quaſi percipiendi anno milleſimo, ſexcenteſimo, vigeſimo quarto, die prima Januarii fuerunt, absq; ulla exceptione ſolvantur. Si alicubi etiam Auguſtanæ Confeſſionis Status quædam Protectionis, Advocatiæ, Aperturæ, Hoſpitationis, operarum aut alia jura in Catholicorum Eccleſiaſticorum ditionibus & bonis, ſive intra, ſive extra territorium ſitis legitimo uſu aut conceſſione habuerunt,*

(*a*) J.P. art. 5. §. 15.

runt, quemadmodum etiam Catholici Status, ſi quid ejusmodi ipſis circa bona Eccleſiaſtica Auguſtanæ Confeſſionis Statibus acquiſita competit, omnes ex æquo jura ſua priſtina retineant, ita tamen, ut ne per uſum ejusmodi jurium bonorum Eccleſiaſticorum reditus nimium prægraventur & exhauriantur. Reditus etiam, nec non decimæ, canones & penſiones Auguſtanæ Confeſſionis Statibus, Fundationibus jam deſtructis & collapſis ex alienis territoriis debitæ iis exſolvantur, qui anno milleſimo, ſexcenteſimo vigeſimo quarto die prima Januarii in poſſeſſione perceptionis vel quaſi fuerunt: Quæ vero ab anno milleſimo, ſexcenteſimo vigeſimo quarto deſtructæ fuerunt, aut in futurum concident, earum penſiones etiam in alienis territoriis Domino deſtructi Monaſterii ſeu loci, in quo id ſitum fuit, exſolvantur: Quæ itidem Fundationes die prima Januarii anni milleſimi, ſexcenteſimi, vigeſimi quarti in poſſeſſione vel quaſi juris decimandi e bonis Novalibus in alieno territorio fuerunt, ſint etiam in poſterum, nihil autem novi juris quæratur. Inter cæteros Status Imperii & ſubditos id juris eſto, quod jus commune, vel cujusq; loci conſuetudo & obſervantia de decimis ex bonis Novalibus conſtituunt, aut per pactiones voluntarias conventum eſt. (Ad art. 8. verb. Rent / Zins / Güld und Zehenden.)

§. 48. Haud minor olim controverſia fuit de libertate religionis Vaſallis & ſubditis Statuum concedenda. Univerſum cauſæ hujus argumentum in duas partes ſibi invicem oppoſitas com-

ſuſpenſio Eccleſiaſticis Statibus, Collegiis, Monaſteriis, Ordinibus, in juribus ſuis & proventibus nullum præjudicium faciat. Quamobrem Status Auguſtanæ Confeſſionis in §. dieweil aber ratione bonorum Eccleſiaſticorum mediatorum, quæ ante Paſſavienſem transactionem occuparunt, ſpecialiter ſibi caveri voluiſſe, qua cautione opus non fuiſſet indiſtincta reformandi libertate admiſſa. Quamvis verò Proteſtantes ſæpiusculè tentaverint, mentem conſtitutionis eo torquere, quaſi ea tantum Eccleſiaſtica bona concernat, quæ Imperio immediatè ſubjecta ſunt, non quæ in Statuum territoriis ſita: ſenſum tamen literalem adeò indubium eſſe, ut ejusmodi interpretationem nullo modo admittat, quippe in dicto §. poſt Imperii Status alios etiam Eccleſiaſticos nominari, quorum mentio eſſet omittenda, ſi non niſi Imperii Status illa diſpoſitione continerentur. Pauciſſima enim monaſteria & ordines: imò verò nulla penè collegia Status eſſe, quorum tamen cùm hic §. tum præcedens, damit auch/ qui ſeſe ad hunc refert, expreſsè meminit. Deinde Imperii Conſtitutiones, & in ſpecie Receſſum de Anno 1541. §. Und damit im Heil. Reich inhibere, ne quis cujuscunque conditionis ſit, alium ob fidem & religionem usque ad Concilii Nationalis judicium turbare aut ſpoliare poſſit, ſed reducta Chriſtiana concordia Eccleſiaſticis imprimis perſonis, quæ de turbatione conqueruntur, reditibus ſuis & decimis liceat uti frui, quod idem in Receſſu de Anno 1541. repetitum, addita regula, quid in illis proventibus tenendum ſit, qui Collegio aut monaſterio

ſterio debiti in diverſis Statuum dominiis ſituantur. Nec poſſe negari ſcopum & intentionem religioſæ pacis fuiſſe antiquam inter Status concordiam reſtabilire, certè non hâc ratione procurandam, ſi Catholici ordines cum Imperatore ſuo quotidiè Eccleſiaſticos non ob aliam cauſam, quam Catholicam religionem, ſuis bonis exui videre & pati debuerunt? Senſum §. Und damit ad ſolos Principum Proteſtantium ſubditos laicos pertinere, non niſi licentiosè ad monaſteria & ordinem Eccleſiaſticum extendendum. Licèt verò Monaſteria & Eccleſiaſtica bona certo modo provinciis & rationibus ſecularibus connexa ſint, quantum tamen adminiſtrationem, electionem, jura confirmandi, inveſtituræ, aliaque ordinariis locorum competentia attinet, non agnoſcere ſeculare imperium. Porrò in religioſa pace de ſubditis diſponi, ut ex religionis cauſa emigraturi bona ſua posſint divendere, quî igitur probabile ſit ſubditos Eccleſiaſticos ea in re pejoris conditionis fuiſſe, quos licuit ex Proteſtantium mente liberè & impunè omnibus boni Eccleſiaſticis nullo pretio refuſo ejicere? Catholicorum diſſenſum ſufficienter ex eo colligi, quod poſt prima ſtatim attentata ſeverè & vehementer reclamaverint, gravaminibus ad tempora usque Monaſterienſis pacis productis. Certè dubitaſſe aliquando Cameræ Aſſeſſores hac in cauſa, ſed medietatis tantum intuitu, an mediatis perſonis Eccleſiaſticis ex capite religioſæ pacis proceſſus ſint decernendi: non verò an iſtæ poſſint à Proteſtantibus jure bonis ſuis ejici. Verum & idem dubium in Receſſu de Anno 1566.

penitus deciſum, qui jubet unicuique ob religionem gravato jus dicere: eamque diſpoſitionem Cameram Imperialem poſtea tam in cauſa quatuor Monaſteriorum, quàm aliis, decretis proceſſibus, jugiter ſecutam.

§. 41. Habes utriusque partis rationes: difficile eſt diſcernere, quæ meliore jure nixa ſit. Vereor tamen, ne ex diſpoſitione & mente religioſæ pacis, re citra ſtudium & affectus maturè conſiderata, Catholici viciſſent, quod uberius nunc perſequi longum nimis eſſet. Sanè Ferdinando II. Catholicorum potior cauſa viſa eſt, pro qua & in edicto ſuo pronunciavit. Sed cum eo ſtare Evangelici noluiſſent, in conventu Osnabrugenſi hinc inde tollendi diſſidii cauſa variè deliberatum: primo utrique ſuo juri inhærebant, quod ſibi tribuere. Deinde ab Evangelicis propoſitum, ſe pacis cauſa conſentire, ut Monaſteria & mediata Eccleſiaſtica bona poſt annum hujus ſeculi decimum octavum reformata in priſtinum ſtatum reſtituantur, prohibita in poſterum omni ulteriore reformatione, hac tamen conditione, ut fundationes, Monaſteria & bona Eccleſiaſtica antiqui ordinis ſodalibus permaneant, quorum bono erecta ſunt: nec in ea ullo tempore Jeſuitæ admittantur. Cæterum quæcunque ante illum annum tenuerint, iis ampliùs nec cedere poſſe nec velle, imò verò reſtitui cupere, quorum poſſeſſione, quam decimo octavo anno adhuc habuerunt, dejecti ſunt, non attenta ulla exceptione aut ſcrupulo, quem Catholici propter beneficia nonnulla & Monaſteria moverunt, quaſi exempta eſſent, extra territorium, aut non

de

de territorio Evangelicorum, itemque rejecta quæſtione, an bona illa jure ſuffraganeatus, Diaconatus, aut alio nomine Statibus Imperii obligata ſint. Sed id ſolum reſpici deberi, an Evangelici quacunque anni decimi octavi parte in poſſeſſione fuerint. Electionem tempore & loco conſueto peragendam, qua ceſſante Magiſtratui Evangelico fas ſit ex jure devoluto vacantium Præbendarum curam gerere & idoneas perſonas in locum decedentium ſurrogare. Ad hæc Conventibus, eorundemque majori parti liberum eſto Evangelicos Abbates, Priores & Conventuales eligere, Evangelicam religionem amplecti, aut bona ſua Magiſtratui Evangelico reſignare. Paucis verò aut ſingulis ſodalibus religionem mutantibus ad dies vitæ ſuis beneficiis fruendi jus fasque ſit. Inſpectio, Viſitatio, Confirmatio, & his affinia, itemque rationum reddendarum examen, ut olim fuit, ita deinceps maneto. Sodales verò, & eorum adminiſtri, ſive Diœceſanum recognoſcant, ſive non, in civilibus & criminalibus Magiſtratui Evangelico ſubjecti ſunto, & conſueta onera ſine detrectatione portanto: ſalvis Magiſtratui & Statibus Provincialibus in illis monaſteriis & beneficiis omnibus juribus, juſtè acquiſitis, nec non integra libertate eligendi Evangelicos iis in locis, quibus id anno decimo octavo fieri conſuetum.

§. 42. Catholici decimo octavo anno ad vigeſimum ſeptimum reducto, nec non admiſſa quadraginta annorum poſſeſſione poſtularunt, ut & in poſterum ab omni turbatione abſtineatur, & quicquid demum poſt annum decimum ſepti-

mum à Proteſtantibus occupari ceptum, plenè reſtituatur. A beneficio tamen termini vigeſimi ſeptimi anni, ut & poſſeſſionis ad quadraginta annos omnia ea Eccleſiaſtica bona excipienda, in quibus vel titulus priſtinæ poſſeſſionis expiravit, vel judiciali ſententia aut pactis particularibus aliquid jus Catholicis quæſitum.

§. 43. Cùm non convenirent, ab Oratoribus Cæſareis annus vigeſimus quartus juxta Saxonis conſilium propoſitus, extenſa poſſeſſione ad centum annos, quam, qui eo anno habuerunt, retineant, aut in amiſſam ita reſtituantur, ut nullum adverſæ partis quæſitum jus contra valere debeat, exceptis ſaltem iis bonis, quæ notoriè extra territorium occupantium ſita ſunt, aut alio modo Catholicis Statibus incorporata. In mixtis Collegiis ratio poſſeſſionis anni vigeſimi quarti habeatur, quæ ita manere debeat, ſicut eo anno fuit. Quantum ad jura prætenſionis, inſpectionis, viſitationis, confirmationis, correctionis, electionis ex jure devoluto, nec non conſtituendi paſtores in monaſteriis, quæ Auguſtanæ Confesſionis Status dicto anno vigeſimo quarto habuerunt, ea omnia deinceps ita exerceant, ut ex eorum uſu nullum præjudicium Catholicis creetur, nec ſub tali prætextu aliqua mutatio vel circa perſonalia vel realia fiat, multò minùs Catholicis Superioribus & Magiſtratui impedimento in illis ſint, quæ vel de jure vel conſuetudine legitimo titulo acquiſiverunt.

§. 44. Ad hæc Evangelici admiſſa centum annorum poſſeſſione reſtitutionis ut & poſſeſſionis terminum vigeſimo primo anno terminarunt,

rejecta

rejecta exceptione bonorum extra territorium occupantium ſitorum, ut & menſibus papalibus omnino rejectis, ſalvo tamen Cæſareæ Majeſtati primariarum precum jure; quamvis ad qualitatem defunctæ perſonæ reſtricto.

§. 45. Denique poſt longas disceptationes in (a) has leges conventum. *Quæcunque Monaſteria, Collegia, Ballivias, Commendas, templa, fundationes, ſcholas, Hoſpitalia, aliave bona Eccleſiaſtica mediata, ut & eorum reditus, juraq́, quocunque ea nomine appellata fuerint, Auguſtanæ Confeſſionis Electores, Principes, Status, anno milleſimo, ſexcenteſimo vigeſimo quarto die prima Januarii poſſederunt, eadem omnia & ſingula, ſive retenta ſemper, ſive reſtituta, ſive vigore hujus transactionis reſtituenda, iidem poſſideant, donec controverſia religionis amicabili partium compoſitione univerſali definiantur, non attentis exceptionibus, ſive ante ſive poſt transactionem Paſſavienſem aut pacem religioſam reformata & occupata, aut quod non de vel in territorio Auguſtanæ Confeſſionis Statuum, vel exempta, vel aliis Statibus jure Suffraganeatus, Diaconatus aliave quavis ratione obligata fuiſſe dicuntur, unicum ſolumq́ hujus transactionis, reſtitutionis, obſervantiaeq́ futuræ fundamentum ſit die prima Januarii anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo quarto habita poſſeſſio, irritis prorſus exceptionibus, quæ ex introducto alicubi locorum exercitio, interimiſtico, vel anterioribus aut ſecutis pactis generalibus aut ſpecialibus transactioni-*

(a) I. P. Art. 5. §. 9.

ctionibus, vel litibus motis, cauſisve deciſis, vel etiam decretis, mandatis, reſcriptis, paritoriis, reverſalibus, litis pendentiis vel aliis quibuscunq; prætextibus & rationibus deſumi poſſent. Ubi igitur ſupradictorum omnium bonorum, eorundem pertinentium, fructuumve Auguſtanæ Confeſſionis Statibus aliquid quovis modo aut prætextu ſive judicialiter ſive extrajudicialiter à dicto tempore interverſum aut ademptum eſt, omnino abſq; mora & indiſtinctè, (interq; illa ſpecialiter etiam Monaſteria, fundationes, atq; bona Eccleſiaſtica omnia & ſingula à Principe Wirtenbergico anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo quarto poſſeſſa) cùm ſuis pertinentiis, reditibus & acceſſionibus ubicunque ſitis, unà cum amotis documentis in priorem ſtatum reſtituantur; nec Auguſtanæ Confeſſioni addicti poſthac in habita vel recuperata poſſeſſione ullo modo turbentur, ſed ab omni perſecutione juris & facti perpetuo tuti ſint, donec controverſiæ religionis compoſitæ fuerint. Omnia quoque Monaſteria, Fundationes & Sodalitia mediata, quæ die prima Januarii anno milleſimo, ſexcenteſimo, vigeſimo quarto Catholici realiter poſſederunt, poſſideant & ipſi ſimiliter, ut in Auguſtanæ Confeſſionis Statuum territoriis & ditionibus ea ſita ſint; non tamen in alios religioſorum ordines, quam quorum regulis primitus dicatæ ſunt, commutentur, niſi talium religioſorum ordo planè interciderit, tunc enim Magiſtratui Catholicorum liberum eſto, ex alio in Germania ante diſſidia religionis exorta uſitato ordine novos religioſos ſubſtituere. In

quibus-

quibuscunq; verò Fundationibus, Eccleſiis Collegiatis, Monaſteriis, Hoſpitalibus, ejuſmodi mediatis Catholici & Auguſtanæ Confeſſioni addicti promiſcuè vixerunt, vivant etiam poſthac promiſcuè numero prorſus eodem, qui die prima Januarii anno milleſimo, ſexcenteſimo, vigeſimo quarto ibidem repertus fuit: publicum etiam religionis exercitium idem maneat, quod quovis in loco dicto anno dieq; uſitatum fuit absque unius vel alterius partis impedimento. In quibuscunque etiam Fundationibus mediatis anno milleſimo, ſexcenteſimo vigeſimo quarto die prima Januarii Sacra Cæſarea Majeſtas primarias preces exercuit, exerceat eas & in poſterum ad modum circa bona immediata, ſuperius explicatum. Idem planè hic obſervetur de menſibus papalibus, quod ſupra de iis §. quinto diſpoſitum eſt. Conferant etiam Archiepiſcopi, & quibus aliis id juris competit, beneficia menſium extraordinariorum: Quod ſi quoque Auguſtanæ Confeſſioni addicti in ejuſmodi bonis Eccleſiaſticis mediatis dicto anno dieq; à Catholicis realiter, plenè vel ex parte poſſeſſis jura præſentandi, viſitandi, inſpectionis, confirmandi, corrigendi, protectionis, aperturæ, hoſpitationis, ſervitiorum, operarum habuerunt, item parochos, præpoſitos ibi aluerunt, jura iſta illic ſarta tectaq; maneant: etſi electiones debito tempore modove non fiant, præbendarum vacantium diſtributio & collatio in ejuſdem religionis perſonas, cujus decedens fuit, ex jure devoluto ad eosdem pertineat, modo per hoc in iſtiuſmodi bonis mediatis inſtituto Catholicæ religionis ni-

hil præjudicetur, & Magiſtratui Catholicorum Eccleſiaſtico jura ſua ex inſtituto Ordinis in ipſos religioſos competentia ſalva & illibata ſint: quibus etiamſi electiones aut collationes præbendarum vacantium debito tempore facta non fuerint, jus devolutum ſalvum eſto.

§. 46. Jurisdictionis Eccleſiaſticæ ſuſpenſio ab Auguſtanæ Confeſſioni addictis & Catholicis Statibus diverſimodè accepta: illi ita ſuſpenſam ajebant, ut nec adverſus ſe, nec ſubditos eorum mediatos aut immediatos ullo colore exerceri poſſit, ſublatis omnibus quondam à Romanis Pontificibus cum Imperatoribus habitis transactionibus, concordatis, canonibus, & quicquid religioſæ paci præjudicium facit: nimirum citationibus Nunciorum Pontificiorum, diſpenſationibus, Præbendarum collationibus, proteſtationibus, proviſionibus, conceſſionibus, commiſſionibus à Romana ſede emiſſis, denique judiciis in matrimonialibus cauſis. Hi cauſas & caſus, quibus jurisdictio ſuſpenſa eſt, conceptis verbis in pace religioſa expreſſos contenderunt, ſcilicet contra Auguſtanam Confeſſionem, religionem, fidem, Miniſterii ordinationem, conſuetudines Eccleſiaſticas, conſtitutiones & ceremonias: reſervata Archiepiſcopis, Epiſcopis aliiſque Prælatis pro jure quovis loco quæſito poteſtate jurisdictione Eccleſiaſtica in aliis rebus Proteſtantium religionem non concernentibus utendi. In tractatu pacis Osnabrugenſi Evangelicis viſum, huic gravamini non aliter proſpici poſſe, quàm ſublata jurisdictione Eccleſiaſticâ & juribus papalibus pleniſſimè cum omnibus

ſuis

ſuis ſpeciebus, contra Auguſtanæ Confeſſioni addictos ſeu privatos, etiam Catholicorum ſubditos in perpetuum non exercendis. Catholici in ſuæ religionis ſectatores jurisdictionem Eccleſiaſticam liberam & nullo colore impediendam petierunt, cum eam Ordinarii, aut ex horum defectu vicini Epiſcopi, vel quibus id de jure competit, viſitando, corrigendo, deponendo, confirmando, aliovè quocunque modo in clerum & religioſos, tum templa, Monaſteria & bona Eccleſiaſtica in Statuum Auguſtanæ Confeſſioni addictorum ditionibus ſita exerceant. Cauſæ matrimoniales eo demum caſu ſeculari foro cedant, ſi & utraque pars litigans Auguſtanæ Confeſſioni ſit addicta, & Magiſtratus Laicus in poſſeſſione vel quaſi cognitionis conſtitutus. Ubi vero Ordinarii poſſeſſionem judicii etiam inter partes Auguſtanæ Confeſſioni utrinque addictas retinuerunt, ut & cum una pars, ſive actor ſive reus, aut utraque Catholicam religionem profitentur, tunc in quieto jurisdictionis ſuæ exercitio manento. Aliæ verò ad Conſiſtoria Eccleſiaſtica pertinentes cauſæ, quæ Auguſtanam Confeſſionem, & ab ea dependentia non concernunt, ut jura patronatus, decimæ, ſacrilegia & cætera, Ordinariis illibata ſunto, quibus liceat ſacrilegos nullo religionis diſcrimine judicare & punire. Poſtea poſſeſſio jurisdictionis, quam Magiſtratus ſecularis in cauſis matrimonialibus habuit, anno vigeſimo quarto terminata, caſu tamen exiſtente, quo & utraque pars, vel reus Auguſtanæ Confeſſioni addictus eſt: Catholicis vero partibus, aut ſaltem reo Catho-

lico

lico in foro Eccleſiaſtico litigator: in reliquis juriſdictio Epiſcopis adverſus monaſteria, bona & perſonas Eccleſiaſticas ſalva eſto. Cùm Evangelici non plene aſſentirent, niſi quantum ad Catholicorum ſubditos, qui foro Eccleſiaſtico reſpondere teneantur in cauſis Auguſtanæ Confeſſioni non præjudicioſis, (*a*) Inſtrumento pacis lis hac lege compoſita. *Jus Diœceſanum, & tota juriſdictio Eccleſiaſtica cum omnibus ſuis ſpeciebus contra Auguſtanæ Confeſſionis Electores, Principes, Status, (comprehenſa libera imperii Nobilitate,) eorumq; ſubditos tam inter Catholicos & Auguſtanæ Confeſſioni addictos, quàm inter ipſos ſolos Auguſtanæ Confeſſionis Status usq; ad compoſitionem Chriſtianam diſſidii religionis ſuſpenſa eſto, & intra terminos territorii cujusq; jus diœceſanum & juriſdictio Eccleſiaſtica ſe contineat; Ad conſequendos tamen reditus, cenſus, decimas & penſiones in iis Auguſtanæ Confeſſionis Statuum ditionibus, ubi Catholici anno milleſimo, ſexcenteſimo vigeſimo quarto notorie in poſſeſſione vel quaſi exercitii juriſdictionis Eccleſiaſticæ fuerunt, utantur eadem poſthac quoque, ſed non niſi in exigendis hiſce penſionibus, nec procedatur ad excommunicationem niſi poſt tertiam demum denunciationem. Catholicorum Auguſtanæ Confeſſioni addicti Status Provinciales & ſubditi, qui anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo quarto Eccleſiaſticam juriſdictionem agnoverunt, in iis caſibus modo dictæ juriſdictioni ſubſint, qui Auguſtanam confeſſionem nullatenus con-*

(*a*) Actor. 5. §. 16.

concernunt, modo ipſis occaſione proceſſus nihil injungatur Auguſtanæ Confeſſioni vel conſcientiæ repugnans. Eodem etiam jure Auguſtanæ Confeſſionis Magiſtratuum Catholici ſubditi cenſeantur, inque hos, qui anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo quarto publicum religionis Catholicæ exercitium habuerunt, Jus Diœceſanum, quatenus Epiſcopi illud dicto anno quiete in eos exercuerunt, ſalvum eſto. In quibus Civitatibus vero imperii mixta religionis exercitium in uſu eſt, Catholicis Epiſcopis contra Cives Auguſtanæ Confeſſionis nulla ſit juriſdictio. At Catholici juxta obſervantiam dicti anni milleſimi ſexcenteſimi vigeſimi quarti ſuo jure experiantur. (Ad art. 7. verb. ſoll die Geiſtliche Jurisdiction.)

§. 47. De reditibus, cenſibus penſionibus & decimis tria potiſſimum conſtituta: primo, ut reditus illi, quocunque nomine veniant, qui antiquæ religionis Statibus in ditionibus Statuum Auguſtanæ Confeſſionis competunt, deinceps illis ſine contradictione aut impedimento cedant. Secundò: ne illa redituum ſolutio Statuum juribus & ſuperioritati legitimo titulo quæſita præjudicio ſit: & tertio ut ex proventibus iisdem Auguſtanæ Confeſſionis Status Eccleſiarum ſuarum miniſteria neceſſaria, Sacerdotia & ſcholas, itemque eleemoſynas atque xenodochia, quibus ab illis olim proviſum eſt, nunc quoque poſſint alere & ſuſtentare. Hujus legis primum caput ab Evangelicis in eum ſenſum tractum, quaſi ipſis viciſſim reditus cedendi ſint, qui Fundationibus à ſe occupatis & reforma-

formatis in territoriis Catholicorum Statuum debentur, unde ſpeciale gravamen hac de re in Osnabrugenſi Pacis tractatu ab Evangelicis deſuper productum: Sed Catholici ſe reſervato Eccleſiaſtico ut & exceptione iniquæ poſſeſſionis Fundationum mediatarum, poſt transactionem Paſſavienſem occupatarum excuſarunt. Inde ad poſſeſſionem annorum decimi octavi, vigeſimi ſeptimi, quarti & primi, nec non quadraginta vel centum annorum detentionem pro utriusque partis captu recurſum. Donec (*a*) pace Weſtphalica ita hac de re cōvenit. *Ratione redituum cujuscunq; generis ad bona Eccleſiaſtica eorumq; Poſſeſſores pertinentium ante omnia obſervetur id, quod in pace religionis*, §. Dagegen ſollen die Ständte der Augſpurgiſchen Confeſſion: §. alsdann auch den Ständten der alten Religion: *diſpoſitum invenitur. Illi verò reditus, cenſus, decimæ, penſiones, quæ vigore jam dictæ pacis religionis Statibus Auguſtanæ Confeſſionis ob immediatas vel mediatas Fundationes Eccleſiaſticas ante vel poſt pacem religioſam acquiſitas è Catholicorum Provinciis debentur, quorumq; in poſſeſſione vel quaſi percipiendi anno milleſimo, ſexcenteſimo, vigeſimo quarto, die prima Januarii fuerunt, absq; ulla exceptione ſolvantur. Si alicubi etiam Auguſtanæ Confeſſionis Status quædam Protectionis, Advocatiæ, Aperturæ, Hoſpitationis, operarum aut alia jura in Catholicorum Eccleſiaſticorum ditionibus & bonis, ſive intra, ſive extra territorium ſitis legitimo uſu aut conceſſione habuerunt,*

(*a*) J.P. art. 5. §. 15.

runt, quemadmodum etiam Catholici Status, ſi quid ejusmodi ipſis circa bona Eccleſiaſtica Auguſtanæ Confeſſionis Statibus acquiſita competit, omnes ex æquo jura ſua priſtina retineant, ita tamen, ut ne per uſum ejusmodi jurium bonorum Eccleſiaſticorum reditus nimium prægraventur & exhauriantur. Reditus etiam, nec non decimæ, canones & penſiones Auguſtanæ Confeſſionis Statibus, Fundationibus jam deſtructis & collapſis ex alienis territoriis debitæ iis exſolvantur, qui anno milleſimo, ſexcenteſimo vigeſimo quarto die prima Januarii in poſſeſſione perceptionis vel quaſi fuerunt: Quæ vero ab anno milleſimo, ſexcenteſimo vigeſimo quarto deſtructæ fuerunt, aut in futurum concident, earum penſiones etiam in alienis territoriis Domino deſtructi Monaſterii ſeu loci, in quo id ſitum fuit, exſolvantur: Quæ itidem Fundationes die prima Januarii anni milleſimi, ſexcenteſimi, vigeſimi quarti in poſſeſſione vel quaſi juris decimandi e bonis Novalibus in alieno territorio fuerunt, ſint etiam in poſterum, nihil autem novi juris quæratur. Inter cæteros Status Imperii & ſubditos id juris eſto, quod jus commune, vel cujusq; loci conſuetudo & obſervantia de decimis ex bonis Novalibus conſtituunt, aut per pactiones voluntarias conventum eſt. (Ad art. 8. verb. Rent / Zins / Güld und Zehenden.)

§. 48. Haud minor olim controverſia fuit de libertate religionis Vaſallis & ſubditis Statuum concedenda. Univerſum cauſæ hujus argumentum in duas partes ſibi invicem oppoſitas

com-

commodè dividi poteſt. Prima quærit, quantum Statibus jure liceat in impedienda aut coercenda ſubditorum libertate circa religionem? Altera verò quantum ſubditis in ſumenda? vel jam ſumpta tenenda? Illam, quæ jure reformandi potiſſimum abſolvitur, cum ſupra attigimus, tum pleniore apparatu alibi excutiemus. Hæc hujus loci propriè eſt, de qua & pax religioſa agit. Itaque quod ſumendam libertatem mutandi religionem attinet, ea vix eſt, ut ex religioſa pace ſubditis conceſſa probari poſſit. Cùm enim hunc articulum Status Proteſtantes ita concepiſſent, ut utriusque partis ſubditis conſcientia & confeſſio fidei libera ſit, à Magiſtratu diverſæ religionis non impedienda, id nullo modo à Catholicis impetrari potuit, qui eam libertatem licentiam interpretati ſunt, ſeditionis, tumultuum & contumacis ſuperbiæ adverſus legitimos Magiſtratus fomitem. Tandem re ad Imperatoris Ferdinandi arbitrium remiſſa poſt varias difficultates excluſis omninò ſubditis mediatis & Civitatibus Hanſeaticis, quæ Status Imperii non ſunt, id modò impetratum, ut ſola immediata Nobilitas religioſa pace includeretur. Sed id ægerrime Proteſtantes habuit, indignantes, ſalutarem Evangelii curſum per conſcientiarum carnificinas & ſervitutem impediri: quare variis querelis ob id hinc inde ortis, & præcipue in tractatu Osnabrugenſi repetitis (*a*) inſtrumentum pacis moderationem quandam videtur adhibuiſſe, conſtituendo, ut *ſubditi, qui* POST PACEM PUBLICATAM DEINCEPS FUTURO TEMPORE

(*a*) Art. 5. §. 12. verb. Placuit porro.

pore *diverſam à Territorii Domino religionem profitebuntur, & amplectentur, patienter tolerentur, & conſcientia libera domi devotioni ſuæ ſine inquiſitione aut turbatione privatim vacare, in vicinia vero, ubi & quoties voluerint, publico religionis exercitio intereſſe, vel liberos ſuos exteris ſuæ religionis ſcholis, aut privatis domi Præceptoribus inſtituendos committere non prohibeantur, ſed in cæteris officium ſuum cum debito obſequio & ſubjectione impleant, nullisq; turbationibus anſam præbeant.* (Ad art. 11. verb. denen ſoll ſolcher Ab- und Zuzug.)

§. 49. Et hæc quidem de ſumenda libertate, qua de in religioſa pace nihil diſpoſitum: articulus enim, wo aber unſere/ꝛc. ad ſumptam pertinet, ut jam dicemus. Jus tuendi & conſervandi mutatam, ante religioſam pacem, religionem in illa pace diverſimode perhibetur à Catholicis & Proteſtantibus. Illi neceſſitatem emigrandi in alias terras, ubi exercitium Auguſtanæ Confeſſionis liberum viget: Hi voluntariam emigrationem, cum jure permanendi & privatim ſuæ pietati vacandi conjunctam, adempta Statibus reformandi ſubditos poteſtate. Utraque pars ſe pace religioſa & rationibus aliis fundabant. Auguſtanæ Confeſſionis Status quidem, quòd religioſa pax ſit res communis & conſtitutio publica, quæ, ſicut & pax publica non tantum Status Imperii, ſed & omnes eorum ſubditos concernat, quam & omnes ſervare oporteat, & qua omnes gaudere, nullo penitus ab ejus gratia & beneficiis excluſo. Quod nemo, qui-

 cunque

cunque ille ſit, in conſcientiâ ſua vim pati debeat, ſed quivis in poſſeſſione ſuæ religionis relinquendus ſit. Si ſecus fiat, diffidentiæ & diſſidiorum ſemina inter Status ſeri, cum Evangelici haud poſſint æquo animo ferre, ut eorum fidei conſortes ob puram & veram Evangelii confesſionem continuis premantur injuriis, aut ad defectionem nullo non violentiæ crudelitatisve genere ſollicitentur, qui conſcientiarum equuleus ſcaturigo ſit & cauſa primaria omnis mali in imperio ſenſim enati, ipſa ad id teſte experientia, quod (*a*) religioſa pax vocabulo voluntario, Wollen / vel manendi libertatem vel emigrandi ſubditis concedat. Quod cauſa finalis religioſæ pacis, ſcilicet ad Statuum & ſubditorum mentes in mutuam inter ſe concordiam & ſecuritatem uniendas idem velit. Denique quod Ferdinandea Declaratio ſeu Decretum ſuo ſenſu perſpicuum ſit, manu propriâ ſuæ Regiæ Majeſtatis, ut & ſigillo imperiali, tum neceſſariis clauſulis & derogationibus adeò magnificè confirmatum, ut omni modo pro parte aliqua religioſæ pacis haberi debeat, nec defuiſſe Imperatori facultatem dandi id Decretum, nõ obſtantibus Eccleſiaſticorum interceſſionibus: nec cauſas æquiſſimas & ingentes, cur illud faceret. Enim vero reſpondebant ad hæc Catholici, communicationem boni publici eſſe ordinatam, certis mediis modoque præſcripto inſtituendam, ita etiam juſtitiam rem communem eſſe, utilitate ſua omnibus civibus communicativa: cujus tamen adminiſtrationem non quivis ex populo ſibi

(*a*) Arg. Wo aber unſere.

ſibi poſſit vendicare, idem de monetaria re, imò de omnibus Imperii conſtitutionibus rectè dici, quamvis enim ſubditi exinde maxima commoda percipiant, jus ipſum tamen & facultatem moralem non promiſcue omnes participare, ſed illos tantum, quibus id more patrio licet, in omnes quidem & ſingulos utilitatem publicam ex re communi redundare, ſed modo percipiendi inæquali: alios enim agendi jure commodum ſentire, ut Imperatorem & Status Imperii, quibus ſolis licet leges condere, alios obſequii gloria, quo nomine ſubditi cenſeantur & mediati Status. Ad eundem planè modum rem ſe habere circa religioſam pacem, qua ſubditi quoad communem quietem & ſecuritatem publicam utique fruantur, verum id ipſum non aliter eis obtingere, quàm cuilibet mediante ſuo legitimo Magiſtratu, ſi illius juſſibus & mandatis ſe obſequioſos & faciles præbeant: quæ utilitatis publicæ communicatio neutiquam eò torqueri debeat, quaſi ſubditis pacem religioſam contra proprios territorii Dominos vertere, & pro lubitu religionem mutare jus ſit. Nec quicquam valere argumentum à pace publica ad religioſam ductum, quando ex illis ipſis conſtitutionibus luculenter appareat, iſtam quidem, ſcilicet pacem publicam, inter Status & ſubditos, cujuscunque conditionis ſint, factam: Hanc vero inter ſolos Imperii Status, excluſis penitus ſubditis, quod indubitatis rationibus poſſit doceri. Cùm enim in prima religioſæ pacis conſtituendæ actione hanc promiſcuam omnium incluſionem Proteſtantes præfractè urſerint, Regiam

majeſtatem & Status Catholicos generosè reſtitiſſe, certos, omnem potius compoſitionem abrumpere, quàm ut paterentur mediatos imperii ſubditos conſtitutione comprehendi: quin imò non exiguam de immediata imperii Nobilitate difficultatem ortam, in qua tamen Catholici tandem conceſſerint. Quare remittentibus aliquid & Proteſtantibus de priſtino rigore, cum nihilominus à Statibus articulus pacis, und damit ſolcher Fried / aliquo modo ambigue conceptus videretur, Ferdinandum Regem, ad omnem calumniandi occaſionem penitus præſcindendam decreviſſe, ut voci *Status*, in jam dicto articulo poſitæ, vocabulum *imperii* adderetur, ne aliquando ex latiore Status ſenſu, ad Provinciales applicando, mediati etiam Status, ut & Civitates Hanſeaticæ, pro quibus alias Proteſtantes tantopere laboraverant, religioſa pace comprehenſi credi poſſint, cui reſtrinctioni poſt multas ambages & ipſi Proteſtantes aſſenſerint. Atq; hanc actionem hinc inde in Tractatu religioſæ pacis præparatorio verſatam, ac deniq; non minùs Proteſtantium quàm Catholicorum Statuum conſenſu ad Ferdinandi interceſſionem finitam, revincere malitioſas & nimium ſubtiles omniũ aliorum interpretationes, qui & vocabulis quibusdam in pace religioſa vel narrative tantum, vel fortuito poſitis eandem pacem ad univerſos indiſtinctim ſubditos extendere volunt. Imò verò nec Proteſtantes id negaſſe, ſed ſtudioſe ſatis jactaſſe, cum ipſis commodum & è re eorum viſum eſt; Primò enim anno ſuperioris ſeculi quinquageſimo nono in gravaminibus ſuis

Auguſtæ

Auguſtæ durantibus Comitiis exhibitis non citra prævaricationis notam reformationem Monaſteriorum & Fundationum mediatarum * eo colore defendiſſe, quod Fundationes illæ & Monaſteria, quæ ſub Statibus ſunt, religioſæ paci nequaquam incluſæ ſint, nec capacia beneficiorum, quæ per pacem Statibus ratione religionis non turbandæ tribuuntur: cùm non ſint Status imperii, ſed ſubditi tantum & Status provinciales. Et anno ejusdem ſeculi ſeptuageſimo tertio in cauſa Civitatis Mülhuſii, qui patrocinium ejus Civitatis ſuſceperunt, Commiſſariis Cæſareis intrepide in os dixiſſe, * religioſam pacem inter ſolos imperii Status confectam, nec conſtitutionem illam id ſibi velle, quaſi Status teneantur ſubditis ſuis quamvis pro lubitu religionem concedere, ſed ſaltem ne quis alium à ſua religione ad alienam vi pertrahat, data eam in rem emigrãdi facultate, ſi quis religioni ſuperioris ſui noluerit accedere. Deniq; Proteſtantes ipſos facto & quotidianis reformationibus pacem religioſam aliter interpretari; dum ſubditos ſuos, cum qui Catholicam religionem ſequuntur, tum qui in aliquibus controverſiis ab eorum confeſſione diſſentiunt, ejiciunt, perſequuntur, & vel carcerum moleſtiis, vel proſcriptione emendare velint. Verba autem articuli, ſeẞen demnach / *cujuscunq; ſtatus aut conditionis*, nihil patrocinari Proteſtantibus: primo enim illa non ad religioſam, ſed publicam ſeu profanam pacem pertinere, in articulo verò ſequenti, quo religioſa pax incipit, omiſſa eſſe. Deinde in omnibus Cæſareis mandatis & conſtitutionibus ex uſu

ſtyli eadem occurrere, non illo fine, ut cuivis jus quæratur literis ejusmodi conceſſum, ſed ut omnes mandatis illis obſequioſe parendum noverint. Et tantum quidem de primo illo dubio an pax religioſa propterea, quod res communis ſit, etiam ſubditos comprehendat. Porro, ajunt Catholici, quod libertatem conſcientiarum concernit, cavendum eſſe, ne illa in confuſam quidvis credendi licentiam tranſeat, quæ utique ſubditis à nullo Magiſtratu ne in politicis quidem, quanto minus ſpiritualibus rebus, indulgenda ſit: atque ſic tam ſeculares quam Eccleſiaſticos Principes agere quod eorum officii eſt, quando inferiores, quibus vel ratione imperii vel curæ animarum mandare poſſunt, à pravis circa fidem opinionibus ad antiquam catholicam religionem reducunt: nec ſe ea in re diffidentiarum ſemina jactare, aut anſam tumultibus in Republica præbere: quin Proteſtantes potius unam eſſe iſtorum malorum cauſam, qui contra religioſæ pacis luculentam diſpoſitionem alienis ſubditis patrocinentur, eosque auctoritate ſua & promiſſis in præcepta contumacia confortent, ſive occultis cuniculis ad defectionem ſollicitent. Proteſtantes propriam allegare turpitudinem, cum multis religionis ſuæ poſſeſſionem laudant: antiquiorem enim ſine dubio Catholicorum eſſe, quam illi reliquerint. Vocabulum voluntarium, wollen/ quod in religioſæ pacis §. wo aber unſere ad ſolam emigrationem à Magiſtratu non impediendam, (quod alias jure ſuo & pro imperio facere poteſt,) ſe perſpicue refert, calumnioſa extenſione ad arbitrium quo-

que

que manendi trahi, cum tamen aliud haud ſibi velit, quam ſubditis, qui religionis cauſa locum mutare & Dominos ſuos legitimos relinquere cupiunt, abire liberum eſſe, nec eis quocunque prætextu negotium faceſſendum, quod emigrationis libertati impedimento ſit: & ſic religioſam pacem diſponere non de Magiſtratus poteſtate & imperio in ſubditis exigendis: ſed de ſubditorum jure in petenda abitione, à Magiſtratu non neganda: nec quæri de eo, quod ſubditis poſſit injungi, ſed quod poſſit & debeat indulgeri: non de facultate remanendi, ſed abeundi. Non valere argumentum à contrario ſenſu, ubi contrarius ſenſus non eſt, quando id, quod licet, pro eo quod poſſumus ſumitur: non enim continuo quod volo, id etiam poſſum effectui dare, nec quod in uno appoſito, id & mihi in altero licet: nam admodum abſurde dici, dominum meum conſenſiſſe, ut abire poſſim, ſi velim, ergò Dominum me non poſſe ſua ſponte dimittere: ergo mei arbitrii eſſe, etiamſi ab eo dimiſſus fuerim, aut manere, aut emigrare. Alia ratione pejorem longe fieri conditionem Principum & Statuum Imperii, qui tamen imperio & auctoritate jubendi polleant: quam ſubditorum, quorum gloria obſequium ſit: illos enim, utcunque imperent, non poſſe contumaces ſuos ſubditos dimittere, cum his liberum ſit vel contra præceptum manere, vel mandato motu proprio citra coactionem ſuperioris parere: qua ſumma in civili ordine inæqualitate & confuſione nihil poſſit eſſe ad ſeditiones & motus civiles accommodatius. Præterea hunc genuinum religioſæ pa-

cis ſenſum juvari cum eo, quod tam ex actis publicis quam ipſorum Proteſtantium ore conſtet, ſubditos pace religioſa non comprehendi: tum Ferdinandea Declaratione, à Proteſtantibus tanto ſtudio laudata, quæ dicat, Auguſtanæ Confeſſionis Status nihil aliud, idque extra ordinem petiiſſe, quam ut Eccleſiaſtici Principes, eas tantummodo Civitatis, quæ confeſſionis Auguſtanæ exercitium longo tempore jam habuerunt, in poſſeſſione ſua imperturbatas relinquant, aliis ſubditis ex contrario ſenſu ad Magiſtratus ſuperioris arbitrium atque ordinationem remiſſis: imò verò hunc articulum à Proteſtantibus eadem praxi obſervari, apud quos malum profecto habiturus ſit ſubditus, qui ſe religioſa pace excuſare voluerit, quo minus aut patriam vertere, aut religionem antiquam ejurare teneatur. Poſtremo rem nihilo magis cõficere Ferdinandi declarationem, ut vocant, vitioſam in materia & forma. Illa quidem, quod narrata habeat incerta, dubia, captioſa contraria & propter ſtudium in alteram partem ſuſpecta: quod rationibus nitatur levibus, abſurdis, aut omnino nauci: quod plus ſit conceſſum, quam petitum: quod paci religioſæ adverſetur, contra quam nulla declaratio locum habere poſſit: quod ſummam inæqualitatem inter Status conſtituat: quod denique nec ſibi ipſi ſatis conſtet, cum antiquior ſit ipſa pace religioſa, quam tamen declarare vult, contra indolem & naturam declarationis. Hac verò, quod articulus per declarationem corrigendus non fuerit denuo in pleno Senatu propoſitus, quod non in deliberationem Statuum venerit,

nerit, non referendo, non correferendo ventilatus ſit: non in Curiis & Senatibus Imperii, ſed Aula Imperatoria ſententia dicta: non ex Cancellaria Moguntina, ſed Regia conceptum primum prodierit: nec conceptum ante publicationem Statibus prælectum, & ſecuta approbatione communicatum: quod nulla Statuum ſubſcriptio aut ſigillatio acceſſerit: quæ omnia tamen neceſſaria & eſſentialia requiſita ſunt authenticæ declarationis & Receſſus ſubſidiarii, ut proinde hæc declaratio magis videatur privata quædam inter partes actio fuiſſe, qua univerſum imperium non potuerit obligari. Hucusq; utraque pars.

§. 50. Non poſſum autem mihi temperare, quin de Ferdinandea illa Declaratione pauca quædam pro uberiore notitia adjungam. Primùm quod nomen attinet, non uno ab omnibus venit. Evangelici vocant Declarationem ſeu Receſſum ſubſidiarium: Neben-Abſchied. Catholici Decretum, à Cæſarea Majeſtate Proteſtantibus altera parte inaudita nec conſulta datum. Author verò concepti ſeu primæ formulæ Aſſecurationem inſcripſit, urbibus, quæ ſub ditione Eccleſiaſticorum ſunt, & Auguſtanam confeſſionem ſequuntur, ad concluſam religionis pacem datam: ſeu ut verba noſtro idiomate ſonant: Aſſecuratio, auf den beſchloſſenen und verglichenen Religion-Frieden / von wegen der Geiſtlichen zugehörigen Stätt / ſo in der Augſpurgiſchen Confesſion herkommen. Quæ fuerit ejus origo, ſuperiori ſeculo vehementer diſputatum. Pontificii enim initio, cum produceretur, omnino mul-

tum dubitare viſi ſunt, an Ferdinandus Imperator ſumme pius, candidus, verax, & Catholicæ religioni deditus Princeps, contra propriam & ſæpius repetitam conteſtationem, quod ſua Majeſtas religioſam pacem ita clarè & perſpicuè, ut deinceps nulla ad multiplices & pernicioſas diſputationes cauſa poſſit eſſe, conſtitui, quod exactam æqualitatem utrinque citra alterius injuriam aut ſuppreſſionem obſervari, quod religioſam pacem inter ſolos Status confici, ſubditos verò illa omnino excludi velit, eo tandem imprudenter & temere delapſus ſit, ut nulla nec promiſſionum, nec religioſæ pacis, nec æqualitatis ab ipſomet toties laudatæ ratione habita maximò Proteſtantium bono in ſummum Catholicorum præjudicium ejuscemodi Decretum ſeu Declarationem ediderit, præſertim cum nemo ex Catholicis Statibus, ſive Eccleſiaſticus ſit, ſive ſecularis, meminiſſe potuerit, quod poſt confectã religioſam pacem cum ipſis eorumve conſiliariis verbo ea de re quicquam fuerit actum, nec in Receſſu imperii Anno 1555. publicato, nec aliis imperii actis, quæ eum proximis viginti annis ſecuta ſunt, ullum veſtigium deprehendi poſſit ſeu petiti ſeu conceſſi Decreti. Hæc, utcunque à Catholicis ad eliquandam Declarationis Ferdinandeæ vim & auctoritatem ſtudioſe in eo tempore jactata, cum tamen in Comitiis Ratisbonenſibus anno ſeptuageſimo quinto celebratis authographum ipſum inſigni Regio, manuque propria Vice-Cancellarii atque Secretarii Eccleſiaſticis Electoribus ad recognoſcendum fuerit productum, deſierunt quodammodo in re ſenſi-

bus

bus ſubjecta dubitare, quæſitis in materiæ & formæ defectibus aliis diverticulis, ut ſupra vidimus. Objectum declarationis eſt Nobilitas mediata & ſubditi Eccleſiaſticorum Statuum, qui exercitium Auguſtanæ confeſſionis jam actu habuerunt: unde excludebantur illi, qui poſt pacem demum religioſam ad illud relicta ſua religione volebant tranſire. Certè ſcrupulum hic aliquem & ſuſpicionem cauſæ ab Aulâ imperatoria proditæ (*a*) Pontificiis movit, quod cum Proteſtantes de quorundam ſaltem Eccleſiaſticorum ſubditis in ſupplicatione mentionem feciſſent: Imperator inoſficioſa liberalitate omnes indiſtinctè incluſerit, plus erogando, quàm quod petitum eſt. Sed prope cavillationem hæc ſubtilitas eſt. Cum enim illo tempore non omnium Eccleſiaſticorum ſubditi in poſſeſſione Auguſtanæ confeſſionis eſſent, bona ratione Proteſtantes petitionem ſuam quibusdam Eccleſiaſticis potuerunt terminare: cui nihil contrarium Imperator decrevit, dum indefinite de Eccleſiaſticis locutus eſt, quorum ſubditi jam longo tempore Auguſtanam confeſſionem tenuere: nam hæc adjectio reſcriptum petitioni ex omni parte congruens facit. Nimirum quidam Eccleſiaſtici ſunt, reſpectu omnium in toto imperio: dantur enim & nonnulli quorum ſubditi nunquam ab antiqua religione defecerunt. Omnes verò illi, qui ſubditis Auguſtanæ confeſſioni diu addictos habent. Eſt enim hic incerta & fallax (*b*) Pontificiorum quorundam divinatio, quaſi ratione

(*a*) Burchard. Auton. Part, 3. c. 36.
(*b*) Burchard. d. Part. 3. c. 35.

ne Epiſcopatum Merſeburgenſis & Naumburgenſis tantum à Saxonicis Principibus declaratio illa petita fuiſſet. Nominantur enim ibi quidam Archiepiſcopi, Epiſcopi, aliive Eccleſiaſtici ſubjuncta ulteriore explicatione, qui illi ſint, quorum ſcilicet ſubditi in diutina Auguſtanæ confeſſionis poſſeſſione ſunt: non itaque quidam tantum ex illis, quos adjecta reſtrictio exprimit: ſed quos totum imperium habet. Quis vitio mihi vertet, ſi dixerim, quædam in imperio Nobilitas eſt immediata? ſana profecto hæc propoſitio, & vel in gancis nota. Sed graviter vapules, quod ſi inde collegeris, ergo Franconica Nobilitas tantum eſt immediata. Haud melius ſapit, qui quosdam Eccleſiaſticos Status, qui ſubditis reformatis præſunt, Merſenburgenſi & Naumburgenſi Epiſcopis ſolis circumſcripſerit, cum & alii ſint Eccleſiaſtici in imperio, quorum ſubditi non minus, quam horum, Auguſtanæ confeſſionis longo uſu gloriantur. Cauſa προκαταρκτικὴ ſeu impellens Buchardo loco proxime ad marginem notato Saxonici Principes ſunt: ſed Ferdinandus Status & legatos Statuum Auguſtanę confeſſionis nominat, cui potius ſi fidem habeamus, quàm privato homini, & virulento in Proteſtantes odio amenti, nemo forte indignabitur. Cauſa efficiens eſt ipſe Rex Ferdinandus, qui auditis Eccleſiaſticis, quorum interfuit, præ plenitudine poteſtatis ſibi à Carolo Fratre mandatæ declarationem edidit: cui non obſtat, quod in fine dicitur, Status antiquæ religionis tandem conſenſiſſe: cum enim inter utrasque partes productis hinc inde apud Ferdinandum Regem ra-

tionibus non conveniret, in eo conſenſerunt Catholici Eccleſiaſtici Status, ut litem ex officio Rex poſſet dirimere, & ſi contra ſe pronuntiaſſet, ne derogatio generalis religioſæ pacis huic ſpeciali declarationi fraudi ſit: quandoquidem verò hîc non niſi Eccleſiaſticorum mentio fit, ideoque nolim reſcripto illo Seculares comprehendi. Cæterum quod plenitudine poteſtatis Cæſareæ objiciunt adverſarii, in eo vereor, ne ſe ipſos offendant, quum notiſſimum ſit, Eccleſiaſticum reſervatum, de quo Status inter ſe longe acrius diſſentiebant, eadem plenitudine, pro Catholicis deciſum eſſe, quam ſi caſu ipſis commodo & utili in immenſum probare poſſunt, caveant ne in re ſimili ſibi parum conſtare videâtur. Quod ſi enim Imperatori jus fasque eſt rem inter Status Imperii controverſam in gratiam Catholicorum dirimere: nefas haud erit aliquando & Proteſtantibus aliquid dare, quod illis diſpliceat: quando hi non minus illis ſunt Status imperii, nec minore libertate juribusque gaudeant. Nihil vero moror abſurdam, quam faciunt differentiæ rationem, quod nimirum reſervatum Eccleſiaſticum in omnibus imperii Curiis propoſitum re- & correlatum, & demum ad Imperatoris arbitrium remiſſum ſit, nam eo circuitu in Declaratione Ferdinandea non fuit opus, quæ non inter omnes Status, ſed quosdam ſaltem Eccleſiaſticos, eos nimirum, quorum ſubditi & Nobilitas Auguſtanam confeſſionem longo tempore profeſſa ſit, & Auguſtanæ confeſſioni addictos, invicem diſſentientes agitata & tandem fidei ac deciſioni Ferdinandi commiſſa eſt, ubi utique

que eorum præſentia ſuffecerit, quorum interfuit actioni ad eſſe. Enim vero, inquiunt, per conſequentiam quoque Seculares Status negotium attinuit, quia id paulo poſt & ad eos extendi cepit, adeoque de eo in pleno Senatu & omnibus Curiis agi debuit: quaſi verò abuſiva & temeraria Decreti ampliatio vel jus dare poſſit, qui non habet: vel ejus, qui habuit, impedire: quaſi non exceptione ſatis tuti ſint, qui reſcripto non comprehenſi illo involvuntur. Equidem Eccleſiaſtici quoque aliquot annis poſt, ipſis omnino inſciis & invitis illud emiſſum teſtati ſunt, quando noluerunt amplius meminiſſe, vel cum eis, vel eorum conſiliaris actum eſſe: Verum enim vero majorem ſine dubio fidem Ferdinandus meretur, qui id publico diplomate aſſeruit. Ex quo concidunt una omnia (*a*) Buchardi argumenta, quæ vitium in forma & ſolemnitatum in publicis legibus neceſſariarum defectus arguunt, qui huic actioni fruſtra fuiſſent adhibiti, quando non omnibus, ſed quibusdam tantum Statibus cum Cæſare negotium erat: quare ſi quis eo intuitu Declarationem eam transactionem privatam dixiſſet, quatenus non obligavit omnes omnino Status, is meo judicio non multum errasſet, modo ne ex privata actione invalidam aut nullam fecerit. Porro quod de derogatione affertur, quæ omnis contra religioſam pacem prohibetur, id de ea intelligendum, quæ poſt publicatam pacem invitis Statibus timeri potuit: non quæ confeſtim poſt confectam, nondum tamen publicatam data eſt ad Statuum; quorum interfuit, concluſionem & remiſſionem ad arbitrium

Cæſa-

Cæſareum. Declaratio vero anterior re, quam declarare cupit, ita demum abſurda, ſi res adhuc plane nondum ſit: pax religioſa vero jam concluſa erat & plene confecta, publicatione, ſaltem nondum ſecuta. Quamvis nec incongruens videatur, alicui de negotio quodam caveri, & ſpem moderationis certò caſu fieri, quod quidem nondum eſt in natura rerum: certo tamen futurum. Cæteras inconvenientias in materia occurrentes, quas Buchardus longa ſerie recenſet, tanti non facimus, ut ſingulas reſponſione dignemur, quas tyro Juriſpublici facile rejecerit: Plerunque enim in ambiguo vocabulo ludit aut ſenſu: verba nefarie calumniatur, ſententiam mentemque Cæſaream invertit, extendit, & inſanè explicat, ut cuivis mediocriter attendenti ad oculum patet. Dubium itaque nullum eſt, quin olim Declaratione Ferdinandea obligati fuerint, quos ea comprehendit, & quin ſubditi contra Eccleſiaſticos ſuos reformatores in illa ipſa refugium habuerint. Hodie quid in Inſtrumento pacis, diſpoſitum, mox dicetur: eo enim nunc ſtandum, non Declaratione ſæpius memorata, quæ per Inſtrumentum pacis aut plenius informata eſt, aut omnino evanuit, ſtante ſolo Inſtrumento. Ne tamen lectoris deſiderio deſimus, reſcriptum iſtud in forma, quod ajunt, plena volenti inſpicere, non pœnitet laboris, quem in eo hic loci adſcribendo impendimus.

§. 51. Wir Ferdinand/ ꝛc. bekennen offentlich und thun kund allermänniglich mit dieſem Brieff/ daß auf dieſen währen-

den

den Reichstag bey Abred und Vergleich=ung deß Religion=Frieden Uns die Ständ und Bottſchafften der Augſpurgiſchen Confeſſion anhängig/unterthäniglich für=bracht/das etlicher Ertz=Biſchoffen/ Bi=ſchoffen und andern Geiſtlichen und Stiff=ten zugehörigen Ritterſchafften / Städt und Communen nunmehr lange Zeit und Jahr der Augſpurgiſchen Confeſſion Reli=gion anhängig geweſen/ und noch wären/ und wo dieſelbige von ſolcher ihrer ange=nommenen und ſo viel Zeit und Jahr her=brachten Religion von gedachten ihren Herrn und Obrigkeiten gedrungen werden wolten/ vor und ehemal die ſtrittige Reli=gion durch Chriſtliche / freundliche und friedliche Wege zum Chriſtlichen Verſtand und Vergleichung gebracht wurde / daß daraus nichts gewiſſers zu beſorgen/ dann Weiterung und ſchädliche Kriegs=Empö=rung / zwiſchen den Herrſchafften und O=brigkeiten/ und den Unterthanen; Solchen ab=und vor=zu kommen wäre ihr unterthä=nig Bitt / die Geiſtlichen dahin zu weiſen und zu vermögen / daß ſie dieſelbige ihre Unterthanen um Erhaltung willen deß ge=meinen und hochnohtwendigen Friedens im H. Reich Teutſcher Nation / hievor ſo wol als jetz eine lange Zeit hero beſchehen/ der Augſpurgiſchen Confeſſion Religion halben unvergewaltigt und unbedrängt bleiben / und obberührter endlicher Ver=gleichung in der ſtrittigen Religion alſo

erwar=

erwarten laſſen / und derohalben bewilligten / das ſolche Unterthanen in jetziger Conſtitution deß Religion-Friedens der Nohtdurfft nach verſehen wurden; Dagegen aber die Stånd und Bottſchafften unſer alten Religion verwand allerley Urſachen und Begehr fürgewendt / alſo daß ſich beyder Religion Stånde deßhalben miteinander nicht vergleichen kônnen / daß demnach Wir in Crafft der Rômiſchen Kåiſerlichen Majeſtåt / Unſers lieben Bruders und Herrn uns gegebener Vollmacht und Haimſtellung erklårt / geſetzt und entſchieden haben: Thun auch ſolches hiemit wiſſentlich in Crafft diß Briefs / daß der Geiſtlichen Aigen-Ritterſchafft / Ståd und Communen / welche lange Zeit und Jahr hero der Augſpurgiſchen Confeſſion Religion anhångig geweſen / und derſelben Religion / Glauben / Kirchen-Gebrauch / Ordnung und Ceremonien offentlich gehalten / und gebraucht / und bis auf dato noch halten und gebrauchen / vor derſelben ihrer Religion / Glauben / Kirchen-Gebråuchen / und Ceremonien hiervor durch die Geiſtliche oder jemand anders nicht gedrungen / ſondern dabey bis zu obberührter Chriſtlicher und endlicher Vergleichung der Religion unvergewåltigt gelaſſen werden ſollen. Und auf daß ſolche Unſere Declaration um ſo viel deſtoweniger angefochten werden môge / haben gemeine Geiſtliche Stånd / und dero anweſende Råht und Bottſchaff-

ten Uns zu unterthänigen Ehren und Gefallen gewilligt/ daß die Derogation in gemeinem Religion-Frieden diß Reichstages/ inhaltend / das wider denſelben Frieden kein Declaration / oder etwas anders/ ſo denſelben verhindern oder verändern möchte/ nicht geben/erlangt und angenommen werden / ſondern uncräfftig ſeyn ſoll/ mit mehrern Worten begriffen / obberührter Unſern Erklärung und Entſchied unabbrüchig / aber ſonſten bey ihren Würden und Cräfften beſtehen und gelaſſen werden ſoll. Deß alles zu veſten wahren Urkund und mehrer Sicherheit haben Wir dieſen Brieff mit aigner Hand unterſchrieben/ und Unſern anhangenden Königlichen Sigel becräfftigt. Geben in Unſer Stadt Augſpurg den 24. Sept. Anno 1555.

Ferdinand

V. Jonas D. Vice-Cantzler.
Kirchſchlager.

§. 52. Tantum de Ferdinandea Declaratione: manſit verò lis illa ſub Judice usque ad noviſſimam pacificationem : Nam Ferdinandi II. edictum in gratiam Catholicorum publicatum, quo hæc Declaratio præcisè damnata eſt, Proteſtantes nunquam receperunt. Itaque in tractatu Osnabrugenſi , in quo & hoc gravamen inter alia prodiit, ab his petitum, ut Evangelicis Comitibus, Baronibus, Nobilitati, Urbibus & ſubditis, in di-

in ditione Catholicorum Statuum ſitis pleniſſima fiat reſtitutio templorum, Scholarum, Xenodochiorum, & redituum illis dicatorum, quorum poſſeſſionem Anno 1618. habuerunt: Ut Provinciis, Urbibus & ſubditis, qui publicum Evangelicæ doctrinæ exercitium vi Ferdinandeæ Declarationis, aut aliarum conceſſionum, privilegiorum, pactorum, ſive etiam ex recepto more obtinuerunt, ſuæ religionis libertas fiat, licet anno decimo octavo cultus divinus fuiſſet intermiſſus aut abrogatus. Ut Catholici aliis ſuis ſubditis quoque, ſi non publicum, ſaltem privatum religionis reformatæ exercitium indulgeant, nec eos ab officiis, tribubus, hæreditatibus, legatis, beneficiis aliisve juribus excludant, aut aliis modis, nimirum ſepulturæ cæmiteriorumque negatione injurioſè habeant. Ne Evangelicus, qui in Catholicorum terras migrare cupit, inveſtiturâ, jure civitatis aut receptione prohibeatur, multò minùs juramentis & reverſalibus Confeſſioni Auguſtanæ præjudicioſis prægravetur. Ne quis propter religionem poſſit cogi patriam vertere, nec ſpontaneè emigrare volentibus ſub prætextu juris mancipii vel decimationis moleſtia creetur. Cùm Catholici replicaſſent, ſe non poſſe conſentire, ut priventur poteſtate jubendi ſubditos emigrare, à religione diſſentientes, neque id religioſæ paci conſentaneum eſſe: Cæterum in præfigendo termino, quod bonum & æquum eſt, obſervaturos, ne anguſtia temporis beneficio legis fraus fiat. Municipia vero & Civitates provinciales, ut & Nobilitatem mediatam, quæ à pace religioſa ad

hęc tempora Auguſtanę confeſſionis exercitium habuerunt, Status ſuperiores tanta moderatione tractaturos, ut nullam ſint habituri cauſam querendi de vi & injuriis, nec ex utraque parte plene poſſent convenire, (a) Inſtrumentum pacis controverſiæ finem ita impoſuit, ut definiverit, primò, quid juris ſit, in illis ſubditis, qui anno vigeſimo quarto hujus ſeculi in uſu Auguſtanæ confeſſionis fuerunt. Secundo quid in illis, qui eo anno nullum nec publicum nec privatum exercitium habuerunt: Tertio loco de honore & capacitate ſubditorum indiſtincta ad publica munera cavet: quarto de emigrandi jure.

§. 53. De primo ita (b) ſtatuit. *Statuum Catholicorum Landſaſſii, Vaſalli & ſubditi cujuscunq; generis, qui ſive publicum ſive privatum Auguſtanæ Confeſſionis exercitium anno milleſimo, ſexcenteſimo vigeſimo quarto, quacunque anni parte ſive certo pacto aut privilegio, ſive longo uſu, ſive ſola denique obſervantia dicti anni habuerunt, retineant id etiam in poſterum unà cum annexu, quatenus illa dicto anno exercuerunt, aut exercita fuiſſe probare poterunt. Cujusmodi annexa habentur inſtitutio Conſiliorum, Miniſteriorum tam Scholaſticorum quam Eccleſiaſticorum, jus Patronatus aliaq; ſimilia jura, nec minus maneant in poſſeſſione omnium dicto tempore in poteſtate eorundem conſtitutorum templorum, fundationum, monaſteriorum, hoſpitalium, cum omnibus pertinentiis, reditibus & acceſſionibus; & hæc omnia ſemper & ubiq; obſerventur eousq;, donec de re-*

(a) Art. 5. §. 12. (b) verſ. Hoc tamen non obſtante.

de religione Chriſtiana vel univerſaliter vel inter Status immediatos eorumq; ſubditos mutuo conſenſu aliter erit conventum, nec quisquam à quocunq; ulla ratione aut via turbetur: Turbati aut quocunq; modo deſtituti vero ſine ulla exceptione in eum, quo anno milleſimo, ſexcenteſimo vigeſimo quarto fuerunt, ſtatum plenariè reſtituantur: idemq; obſervetur ratione ſubditorum Catholicorum Auguſtanæ Confeſſionis Statuum, ubi dicto anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo quarto uſum & exercitium Catholicæ religionis publicum aut privatum habuerunt. Pacta autem, transactiones, conventiones aut conceſſiones, quæ inter tales immediatos Imperii Status, eorumq; Status provinciales & ſubditos ſupra dictos de publico vel etiam privato exercitio religionis introducendo, permittendo & conſervando antehac interceſſerunt, inita & facta ſunt, eatenus rata & firma manento, quatenus obſervantiæ dicti anni milleſimi ſexcenteſimi vigeſimi quarti non adverſantur, nec ab iisdem niſi mutuo conſenſu recedere liceat, non attentis, ſed annihilatis omnibus anni milleſimi ſexcenteſimi vigeſimi quarti obſervantiæ, utpote quæ inſtar regulæ obtineat, contrariis latis ſententiis, reverſalibus, pactis, quibuscunq; transactionibus: & inter illa, quæ Epiſcopus Hildeſienſis & Duces Brunſvico-Luneburgenſes de religione ejusq; exercitio Statuum & ſubditorum Epiſcopatus Hildeſienſis nonnullis pactis anno milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo tertio transegerunt. Excipiantur vero à dicto termino & Catholicis reſerventur

novem Monaſteria in Epiſcopatu Hildeſienſi ſita, quibus Duces Brunſvicenſes certis conditionibus, eodem anno ceſſerunt.

§. 54. De ſecundo (*a*) ita. *Placuit porrò, ut illi Catholicorum ſubditi Auguſtanæ Confeſſioni addicti, ut & Catholici Auguſtanæ Confeſſionis Statuum ſubditi, qui anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo quarto publicum vel etiam privatum religionis ſuæ exercitium nulla anni parte habuerunt, patienter tolerentur, & conſcientia libera domi devotioni ſuæ ſine inquiſitione aut turbatione privatim vacare, in vicinia vero, ubi & quoties voluerint, publico religionis exercitio intereſſe, vel liberos ſuos exteris ſuæ religionis ſcholis aut privatis domi Præceptoribus inſtituendos committere non prohibeantur, ſed ejuſmodi, Landſaſſii, Vaſalli, & ſubditi in cæteris officium ſuum cum debito obſequio & ſubjectione adimpleant, nullisq; turbationibus anſam præbeant.*

§. 55. De tertio (*b*) ita. *Sive autem Catholici, ſive Auguſtanæ Confeſſionis fuerint ſubditi, nullibi ob religionem deſpicatui habeantur, nec à mercatorum, opificum, aut tribuum communione, hæreditatibus, legatis, hoſpitaliis, leproſoriis, eleemoſynis, aliisve juribus aut commerciis, multò minùs publicis cœmiteriis, honoreve ſepulchri arceantur, aut quicquam pro exhibitione funeris à ſuperſtitibus exigatur, præter cujusq; parochialis Eccleſiæ jura, pro demortuis pendi ſolita, ſed in his & ſimilibus pari cum concivi-*

(*a*) verſ. placuit porrò. (*b*) verſ. ſive autem.

civibus jure habeantur, æquali juſtitia protectioneve tuti.

§. 56. De quarto (*a*) ita. *Quod ſi vero ſubditus, qui nec publicum nec privatum ſuæ religionis exercitium anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo quarto habuit, vel etiam qui poſt publicatam pacem religionem mutabit, ſua ſponte emigrare voluerit, aut à territorii Domino juſſus fuerit, liberum ei ſit aut retentis bonis aut alienatis diſcedere, retenta per miniſtros adminiſtratione, & quoties ratio id poſtulat, ad res ſuas inſpiciendas vel perſequendas lites, aut debita exigenda, libere & ſine literis commeatus adire. Conventum autem eſt, ut à territoriorum Dominis illis ſubditis, qui neq; privatum exercitium religionis ſuæ dicto anno habuerunt & tamen tempore publicatæ præſentis pacificationis in unius vel alterius religionis Statuum immediatorum ditionibus habitare deprehenduntur, quibus illi etiam annumerandi erunt, qui ob calamitates bellicas evitandas, non tamen animo transferendi domicilium aliò emigrarunt, & facta pace in patriam redire volunt, terminus non minor quinquennio, illis vero, qui poſt pacem publicatam religionem mutant, non minor triennio, niſi tempus magis laxum & ſpatioſum impetrare potuerint, ad emigrandum præfigatur: neque ſive voluntariè ſive coactè emigrantibus Nativitatis, ingenuitatis, manumiſſionis, noti opificii, honeſtæ vitæ teſtimonia denegentur, aut iidem reverſalibus inuſitátis vel decimationibus ſubſtantiæ ſecum expor-*

(*a*) verſ. quod ſi vero.

exportata plus æquo extenſis prægraventur: multo minus ſpontaneam ſuſcipientibus emigrationem ſervitutis aut ullo alio prætextu impedimentum inferatur.

§. 57. Quod de immediata Nobilitate hic articulus religioſæ pacis diſponit, id à Catholicis ita acceptum, quaſi non una ipſis Nobilibus jus reformandi ſubditos datum ſit. Evangelici vero eos per omne in hoc puncto Statibus exæquandos cenſuerunt, quod & in (*a*) Inſtrumento pacis probatum, ubi hæc verba reperiuntur. *Libera & immediata Imperii Nobilitas omniaq́ & ſingula ejus membra una cum ſubditis & bonis ſuis feudalibus & allodialibus, niſi forte in quibusdam locis ratione bonorum & reſpectu territorii vel domicilii aliis Statibus reperiantur ſubjecti, vigore pacis religioſæ & præſentis conventionis in juribus religionem concernentibus & beneficiis inde promanantibus idem jus habeant, quod ſupradictis Electoribus, Principibus & Statibus competit, nec in iis ſub quocunq́ prætextu impediantur aut turbentur: Turbati vero omnes omnino in integrum reſtituantur.* (Ad art. 13. verb. die freyen Ritterſchafft.)

§. 58. In eodem Osnabrugenſi conventu Civitatum Imperialium occaſione multiplices utrinque querelæ productæ. Evangelici conqueſti, Civitates indignè habitas & præcipitatis proceſſibus contra religioſam pacem in exercitio ſuæ religionis turbatas eſſe, quam in rem triſte argumentum ſint Aquisgranum, Auguſta Vindelico-

(*a*) Art. 5. §. 10.

delicorum & Dinkelſpülum. Verum Catholici contraria accuſandi ratione uſi, Proteſtantes non tantum in Civitatibus imperii liberis, ubi utriusque religionis exercitium tempore factæ religioſæ pacis viguit, & juxta eam in ſtatu ſuo debuit exactè conſervari, Catholica religione penitus everſa ſuam confeſſionem omnibus amplectendam obtruſiſſe; ſed & aſtu cuniculisque occultis illuc etiam irrepentes, ubi nulli alii quam Catholicæ fidei olim locus fuit, ſenſim omni poteſtate ad ſe tracta Eccleſias, Monaſteria, eorumque bona & reditus absque ullo legitimo titulo occupaſſe, in uſus profanos impendiſſe, Catholicæ religionis exercitium cum in urbibus tum agris abrogaſſe, Catholicos Senatu & publicis muneribus, nec non jure Civitatis excluſiſſe, colore injuriis ſuis quæſito ex jure territorialis ſuperioritatis, quod Civitatibus liberis non minus quam aliis Statibus competere cenſent, quarum tamen longe diſpar ſit conditio & ſtatus, utpote cum non tantum Senatus Civitatis, ſed totum corpus publicum immediate Cæſareæ Majeſtati ſubjaceat, nec Conſules & Curia dominium jurisdictionis in Cives habeant, ſed tantum ſint Gubernatores & adminiſtri Civitatis ad id munus à Civibus ipſismet electi, qui cætera de privilegiis & juribus Civitatis ſuæ æque cum Senatu participent. Hæc lis (*a*) Inſtrumento pacis in hunc modum terminata eſt. *Liberæ Imperii Civitates, prout omnes atq; ſingulæ ſub appellatione Statuum Imperii non tantum in pace religionis, & præ-*

T 5 *ſenti*

(*a*) Art. 5. §. 11.

ſenti ejusdem declaratione, ſed & aliàs ubiq; indubitate continentur, ita & ex illarum numero ea, in quibus unica tantum religio anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo quarto in uſu fuit, tam ratione juris reformandi quam aliorum caſuum religionem concernentium in territoriis ſuis & reſpectu ſubditorum non minus ac intra muros & ſuburbia idem cum reliquis Statibus Imperii ſuperioribus jus habeant, adeoq; de iſtis generaliter diſpoſita & conventa de his quoq; dicta & intellecta ſunto, non attento, quod in iis Civitatibus, in quibus præter Auguſtanæ Confeſſionis exercitium nullum aliud à Magiſtratu & Civibus juxta morem & ſtatuta cujusq; loci anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo quarto introductum fuit, aliqui Catholicæ religioni addicti Cives commorentur, vel etiam in aliquibus Capitulis, Eccleſiis Collegiatis, Monaſteriis & Cænobiis ibidem ſitis, immediatè vel mediatè imperio ſubjectis, inque eo ſtatu, qui fuit die prima Januarii anno milleſimo, ſexcenteſimo vigeſimo quarto, deinceps quoque cum Clero intra prædictum terminum non introducto, & Civibus Catholicis pro tempore ibi exiſtentibus, tam active quam paſſive omninò relinquendis Catholicæ religionis exercitium vigeat. Ante omnia verò illæ Civitates Imperiales, quæ ſive uni ſive utriq; religioni addictæ, (& inter has poſteriores cumprimis Auguſta Vindelicorum, item Dinkelſpüla, Biberacum, Ravenſpurgum & Kauffbaira) ab anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo quarto propter religionem vel bona Eccleſiaſtica ante vel poſt

trans-

transactionem Paſſavienſem & inſecutam Pacem religioſam occupata & reformata, vel alias intuitu religionis in politicis quocunque modo, ſive extra, ſive judicialiter aggravata ſunt, in eum ſtatum, in quo Kalendis Januarii prædicti anni milleſimi ſexcenteſimi vigeſimi quarti tam in ſacris quam profanis fuerunt, non minus ac reliqui Status Imperii ſuperiores pleniſſime reponantur, in eoq; absq; ulteriore turbatione perinde atq; illa, quæ tum temporis adhuc poſſederunt, aut interea poſſeſſionem recuperarunt, usq; ad amicabilem religionum compoſitionem conſerventur: Neutriq; partium alteram de religionis ſuæ exercitio, Eccleſiæ ritibus & ceremoniis deturbare fas ſit, ſed cives pacifice & comiter invicem cohabitent, liberumq; religionis ſuæ & bonorum uſum ultro citroq; habeant, caſſatis rerum judicatarum & tranſactarum, litis pendentiarum aliisq; §. §. 2. & 9. enumeratis exceptionibus: ſalvis tamen iis, quæ politicorum ratione de Auguſta Vindelicorum, Dinkelſpüla, Biberaco & Ravenſpurgo dicto §. 2. diſpoſita ſunt. (Ad art. 14. verb. in vielen Frey-und Reichs-Städten.)

§. 59. Obſignabo hoc de pace religioſa argumentum neceſſaria admonitione, ne quis vel contra religioſam pacem vel ejus declarationem in inſtrumento pacis omnium aſſenſu, quorum intereſt, authenticè factam, ore aut manu quicquam velit proferre, quod ad eludendam infringendamque Conſtitutionem illam poſſit aliquod momentum habere. Cùm enim ſuperiore & hoc ſeculo plurima virulenta ſcripta hac de

re

re prodiiſſent, quibus Ordinum animi primo ſollicitati, mox inter ſe commiſſi ſunt, ut præludium ſcholaſticum, ſicut fieri ſolet, arma ſequerentur & civiles tumultus, qui Germaniam triginta annis & quod excurrit, acerbè exercuerunt: facile Status inter pacis actionem in id aſſenſi ſunt, ut tenebrionibus illis & Furiarum pernicioſis follibus publica lege obviam eatur, ne peſtilentiſſimo reflatu priſtinis vixque vitatis turbinibus imperium obvolvant. Paritum eſt edicto, quantum mihi conſtat, ad hunc usque diem ab omnibus, ſi unum Burcholdenſem excipias, qui diſcurſibus ſuis in Inſtrumentum pacis temerarium videtur antiqui moris contra Catholicos claſſicum canere. Liber profecto ſpongia plus quam manuali dignus, & Auctor cenſoria imperii indignatione, niſi ineptitudine ſua & frigiditate Scythicam ſupra plus miſerationis & riſus, quam iræ concitaret: plus faſtidii, quam invidiæ; non mundities non candor in ſtylo: non ratio, non ingenium in oratione, infantia paſſim aut abſurda conſilia: Quæ forte ſapiunt, aliena ſunt & mutuatitia. Summum in Catholicos odium: Auguſtanæ Confeſſionis infelix patrocinium: Verbo, ingens moles ſine calce, ſine arena, & tamen quod mirere, opus barbarie, plagiis, virulentia, ineptiis, nugis refertiſſimum, atque omninò, quod vulgo dici ſolet, ὐδὲν σφὲς ἴσος, in pretio à quibusdam haberi ſolet, quaſi ſingulari parrheſia ab omni fuco alienum: ita enim vulgus judicat, qui criminari & totis plauſtris conviciari ſolent, eos maximè prope verum ambulare. Sed tolerari adhuc po-

S 1 teſt

teſt erudita ac feſtiva impetuoſitas: quæ vero non aculeo pungit, non argutiis titillat, non virili & ſapidâ inſultatione illudit, ſed tota, quanta eſt, ruſtica eſt & inſubida, ſine ſale, ſine ingenio, Midæ auribus placere videtur, non Apollinis fidibus. Cæterum, ut in ordinem redeam, de prohibitis contra religioſam pacem diſputationibus ad hunc modum in (*a*) Inſtrumento pacis cautum eſt. *Utriusq; religionis Magiſtratus ſeverè & rigorosè prohibeant, ne quisquam publice privatimq; concionando, docendo, diſputando, ſcribendo, conſulendo, Transactionem Paſſavienſem, pacem religioſam vel hanc imprimis, ſive Declarationem ſive transactionem, uspiam impugnet, dubiam faciat, aut aſſertiones contrarias inde deducere conetur. Quicquid etiam contra id hactenus vel editum vel promulgatum publicatumve fuerit, irritum eſto. Sed ſi dubii quid hinc aut aliunde incidat, aut ex cauſis pacem religioſam aut hanc transactionem tangentibus reſultet, de eo in Comitiis vel aliis imperii conventibus inter utriusq; religionis Proceres non niſi amicabili ratione tranſigatur.*

§. 60. Tantum de legibus, quæ definiunt, quæ religiones in Imperio publico Imperatoris & Statuum præſidio doceri poſſint: Quicquid igitur Catholicæ religioni non accedit, nec Auguſtanam Confeſſionem aut Reformatorum doctrinam ſequitur; (*b*) id omne damnat Imperium, prohibet, punit. Unde Photinianorum,

(*a*) Art. 5 §. 17 (*b*) R. I. 1555. §. Doch ſollen alle andere. R. I. Auf daß aber in mittler Zeit.

rum, Socinianorum, Anabaptiſtarum, Quercianorum, Mahumetiſtarum & Paganorum deliria nec profiteri licet, nec profeſſos recipere & tueri: in utroſq; enim publicarum legum ſeveritas, Cognitori Imperatorio ſeu Fiſcali poteſtate agendi ad id conceſſa, condigne animadvertit. Qua in re iterum eximium eſt ſummi imperii jus circa ſacra, dum proſcribit & amolitur religiones, quas falſas judicat, ſicuti veram civitate donat. Hoc ut ex ipſa imperii vi & virtute omnibus omninò Imperantibus fas eſt, etiam illis, qui verum Deum non plene agnoverunt, quemadmodum Nabuchdonoſor ſub graviſſimis ſuppliciis vetuit Deo Israëlis maledicere: ita ſpeciali ſupremi Numinis (*a*) mandato ſummo Israëlitici populi Magiſtratui Regibusve injunctum, cui pio ſtudio paruere Aſa, Ezechias, Joſias, Joſaphat, aliique Reges pietate ac divini Numinis recto cultu eximii, qui idola confregerunt, exciderunt lucos & excelſa, verbo amoverunt omnia, quæ rudem populum in ſuperſtitiones, idololatriam ac pravas opiniones præcipitare viſa ſunt. In imperio Romano ſub Chriſtianis Imperatoribus occluſa Paganorum templa, vetitæ immolationes, hæretici & ſchismatici cœtus prohibiti, Baſilicæ Sectariis ademptæ, ſpes eis ad honores & publicas dignitates præciſa, jus teſtandi aut quicquam ex teſtamento capiendi ablatum; Nec omninò jus Canonicum ſua laude caret, quam in coercenda ſectariorm luxurie meretur, ſi nimium rigorem eximas: antiquitati enim non ſemper placuere illa pœnarum genera, quæ

(*a*) Deutr. 7. 5.

quæ pœnitendi ſpatio excludunt, quos emendant. Quid Receſſus imperii & aliæ Conſtitutiones contra (*a*) Anabaptiſtas alioſque hæreticæ doctrinæ diſſeminatores ſtatuant, in vulgus etiam notum.

§. 61. Hanc ſalutarem legum providentiam qui crudelitatis aut injuſtitiæ arguunt, ii ſpecioſa libertatis larva decepti & ſibi privatim graviter errant, & in ſummas poteſtates publicè injurioſi ſunt: nam neque in civilibus rebus, ut rectè animadvertit (*b*) Auguſtinus, quemque, quod vult, facere patimur: Puniuntur fures, parricidæ, falſarii, ſcortatores, ſeditioſi, & cujuscunque criminis rei; quid ni itaque & illi, qui de Deo malè ſentiunt, fures ſcilicet & ſacrilegi divini verbi: parricidæ animarum, falſarii ſcripturæ ſacræ, in ſpiritualibus ſcortatores, adverſus majeſtatem divinam perduelles: denique compendia omnis nequitiæ: qui jura divina & humana confundunt, civitatem factionibus diſtrahunt, ſimpliciorum animos nova eoque gratiore pietate imbutos à debito ſuperioribus obſequio ad faſcinatam contumaciam deflectunt: in ſumma qui Dei & Reipublicæ profeſſi hoſtes ſunt. An minori cura pro Eccleſia excubandum, quam civitate? aut tolerabilius erratur in religione, quam fortunæ rebus? in eum, qui fidem hominibus fallit, de dolo eſt actio, cur impunè ferat, qui Deo? Jus Principis in dubium vo-

(*a*) R. I. 1529. § Nachdem auch kürtzlich Conſt. Carol. V. Contr. Anabap. R. I. 1544. §. Nachdem auch die ſchädlichen. R. I. 1551. §. Nachdem auch Churfürſten.

(*b*) De Correct. Donat. c. 13. & Contr. Creſc. l. 9. c. 51.

um vocare, de ejus poteſtate diſputare, à legibus acerbe vetitum: nec damnatur ſtudioſa ſui ſeveritas, quæ ſacroſancta Regum capita in tuto locat. Sed in ſacris rebus quidvis credere, dicere fas erit nullo publicæ vindictæ metu? nulla legum cenſura? Quaſi verò mitius delictum ſit male de Deo loqui, quam Principe; aut leges deceat negligentius pro divino honore excubare, quam ſalute & dignitate Imperantis, utcunque in Civitate ſummi, tamen hominis? Obſtrictus eſt Princeps ad opprimendum ſectarium virus, qua Vicarius Dei eſt, qua Reipublicæ ſupremus curator & Judex; qua Vir bonus. Vicarium oportet honorem ejus, à quo conſtitutus eſt, tueri, emolumenta procurare: cavere damna: breviter ex antiqua Romanorum formula videre, ne res publica Domini ſui detrimentum capiat. Libera autem hæreſium propagine intervertitur honor Dei, ſuppoſitis cultus divini erroneis vetitiſque formulis. Meſſis & vindemia ſpiritualis qua uredine, qua pruina frigoribuſque nocivis aduritur: imò tota Eccleſia miſere corripitur, affligitur, divellitur. Impromiſcua enim religionum & conſcientiarum libertas tollit primò certitudinem fidei & religionis veritatem. Unum eſt, quod verum & certum: una igitur religio, una fides, quemadmodum unus Deus, quem religione colimus; fide agnoſcimus: quicquid variat, mutat, id negat veritatem, neſcitur enim, quid potius ſequendũ ſit. Hilarius maſcule ad Imperatorem Conſtantium Arianæ ſectæ amicum: *& cum ſecundum unum Deum, & unum Dominum & unum baptiſma*

ptiſma etiam fides una ſit, excidimus ab ea fide, quæ ſola eſt, & dum plures fiunt, ad id cœperunt eſſe ut nulla ſit. Itemque alio loco. *Haud verum, quod varium.* Deinde ſublata fidei certitudine una opera Eccleſiæ Chriſtianæ indubitabilis character periit, quando ea demum ſit vera Dei Eccleſia, ubi quid creditu, factu, ſperatu neceſſarium ſit, ſincerè docetur. Amplius Eccleſiâ in dubium vocatâ de vi & efficacia ſacramentorum, de auctoritate Sacerdotum, de ſpirituali poteſtate miniſterii actum eſt: Hæc omnia enim genuini ſunt Eccleſiæ Dei theſauri, quos extra eam toto orbe invenire non licet: unde neceſſe eſt Eccleſiaſticam diſciplinam collabi, obſequium & reverentiam Miniſtris debitam omitti, imò omnem Eccleſiæ unitatem diſſolvi. Miſera enim & rudis plebecula, cui *non juditium, non veritas*, quæque *ex opinione multa, ex veritate pauca judicat*, ut Cicero ait, inter tot varias & ſibi adverſantes Antiſtitum religionis rixas derelicta, cùm dubia animi pendet, quibus potiſſimum Doctoribus credere debeat, affectu potiùs quam ratione ducitur, etiam ſibi religionem adſumit, quæ commodior, non quæ verior, utraque enim ei ſuſpecta eſt: & licet aliquando rectam invenerit, * non conſilii id, ſed fortunæ tribuendum, quo fit, ut ubique pietas apud plebem frigeat, perpetuis dubiis excruciatam, an ipſa in vera Eccleſia, extra quam non eſt ſalus, & ita Deo placiturum ſit, ſi quid benefecerit: qua re vileſcit divinum verbum, ſacramenta ſpernuntur, non auctoritas & reverentia Epiſcopis Paſtoribusvè conſtat, non Eccleſiæ pote-

U ſtas.

ſtas ſua & judicium, quod à Chriſto habet: uno verbo apertis januis feneſtriſque Atheiſmus in ſinum Reipublicæ recipitur. Sanè enim ejusmodi ſunt ſæpe variantium Doctorum ſententiæ, ita omnes & ſacrorum Oraculorum majeſtatem, & antiquæ Eccleſiæ Patrumque placita, & rationum probatiſſimarum vim ſibi adſumunt, ut eum etiam, qui plus vulgo ſibi ſapere videtur, fugere poſſit exactum veritatis diſcrimen à fucis & tenebris. Exempli cauſa ſit ea quæſtio, an Imperatorem deceat judicium in divinis rebus: an præſidium in Synodis. Nos utrumque volumus, nec malè quidem, quibus affatim & Eccleſiæ mos & antiquiſſimorum Patrum teſtimonia patrocinantur. Sed nemo ſit tam credulus, qui ſibi perſuaderi patiatur, adverſarios noſtros hic plane jejunare: adducunt enim Irenæum, *eis in Eccleſia obedire oportere* (*a*) ajentem, *qui ſucceſſionem habent ab Apoſtolis: reliquos verò, qui abſiſtunt à principali ſucceſſione, quocunq; loco colligantur, ſuſpectos vel quaſi ſcindentes habere:* addunt Athanaſium, *quando à condito mundo auditum eſt*, (*b*) quærentem, *judicium Eccleſiæ ab Imperatore auctoritatem ſuam accepiſſe? aut quando unquam hoc pro judicio agnitum eſt?* eundemque ibidem præcipientem, *ne te miſceas Imperator rebus Eccleſiaſticis, neq; nobis in hoc genere præcipe, ſed potius à nobis diſce. Tibi Deus imperium commiſit: nobis quæ ſunt Eccleſiæ concredidit:* adjungunt Ambroſium Valentiniano Cæſari in

(*a*) lib. 4. cap. 43.
(*b*) in Epiſtol. ad ſolitariam vitam agentes.

in os dicentem, *ad Imperatorem palatia pertinere, ad Sacerdotem Eccleſiam.* Primatus Papæ nunc nobis res eſt mònſtri ſimilis & in prima Eccleſia omnino ignorata: neque tamen hîc penitus inermes ſunt Pontificii. Nam præter aliqua ſacræ ſcripturæ loca, quæ ambigua ſunt, Cyprianus Martyr non alienus ab hac ſententia deprehenditur: *Ut nimirum exordium,* (*a*) inquit, *ab unitate proficiſcatur & ut una Cathedra monſtretur, primatus Petro datur.* Et (*b*) Hieronymus ideo inter duodecim Apoſtolos unum electum eſſe perhibet, ut *capite conſtituto Schiſmatis tollatur occaſio.* Alia omittam, quæ in utramque paginam æquè confidenter & ſpecioſe volvuntur. Verùm enim verò ipſa hæc opinionum tam viriliter defenſarum diverſitas Eccleſiæ & religioni noxæ eſt, minùs utique nocitura, ſi ſua abſurditate aut falſimonio ſe ipſam proderet. Quare ad averruncandum hoc malum, hoc contagium, hanc peſtem, quæ unitate fidei & Eccleſiæ, verbi divini & ſacramentorum efficaciæ, diſciplinæ Eccleſiaſticæ, auctoritati Sacerdotum, imò toti rei Chriſtianæ tantopere nocet & officit, quis auſus ſit culpare legum curam, quæ non niſi unius, ejuſdemque veræ & Chriſtianæ religionis copiam faciunt, quæ animos ſubditorum à ſpuria doctrina & erroribus, quos neſciunt, præceptâ providentiâ vindicatos legitimo Dei cultui addicunt? quæ integra adhuc re intemeratam pietatem conſervant, non remedium quærunt poſt vulnus? In hoc Reges & Principes ſunt nutrices Eccleſiæ, ut eam nutriant & lactent lacte ac cibo integro, ſalutari, defæ-

(*a*) Unitate Eccl. & l. 1. Epiſt. (*b*) Contra Jovin. lib. 1.

defæcato ab omni immunditie, ſordibus & corruptelis. Sunt ſcuta, ut protegant Eccleſiam & defendant ab hoſtibus cum externis, tum internis: ut defendant, qua bonis legibus adverſus vim, quæ metuitur, qua armis adverſus ingruentem; ſunt brachium divinum, miniſteriale illud & viſibile, executioni καθ' ἕκαςα accommodatum. Nondum hîc agimus de pœnis & corporali coërcitione, de quâ in ſequenti capite ſuo loco. Sed interdicendi jure, ne hæreſes & ſchiſmata fiant, ne populus ab Eccleſiâ ducatur ad lupanar: à Deo ad diabolum. Jam attende quæſo, quod ſi Imperanti jus eſt legibus prohibere omnia ea, quæ mala ſunt, cur non etiam ſectarium virus, quod in malorum genere chorum ducit? quæ hic iniquitas aut injuria? cuique ex privatis errantem monere licet: quid ni Principi ſubditis præcipere ne errent, aut ut reſipiſcant, ſi erraverint? tale enim monitum lex eſt: nam quicquid, quod honeſtum, Principi placet, legis habet vigorem: ſed vereor, ne in re plana præter meritum diutius immorari videar.

§. 62. Porro Vicarii officium eſt, quæ Domino placent, denuò edictali lege ſubditis injungere: unde duplex obligatio naſcitur, fortior ex multiplici vinculo. Nam & juſſum Domini, & Vicarii mandatum, illi correſpondens, obſequium exigit. Hoc in juris naturæ & divini univerſaliſſimi ſcitis quotidie videmus. Vetat ſupremus hujus orbis Dominus, ne parentes contumelia afficiamus, ne occidamus, ne ſcortemur, ne furemur, ne falſum demus teſtimonium: ne cupidine habendi aliena correpti in proxi-

proximum injurioſi ſimus: Vetat idem & terreſtris quilibet in ſuæ Civitatis partiali orbe Vicarius: Scilicet lex Pompeja de parricidiis: lex Cornelia de Sicariis: lex Julia de Adulteriis: Edictum Prætoris de Furto. Lex Cornelia de Falſis. Interdicta, quod vi aut clam & ſimilia: imò tota Juriſprudentia Romana, cui Conſtitutionem criminalem Caroli V. & alias imperii noſtri rectè ſuccenturiamus; Hæc in ſecunda tabula æqua cenſentur & juſta, ſed nulla ratio cur non eadem in prima? (*a*) Mandat inibi Deus, ut ipſum ex præſcripto ſui verbi colamus, (*b*) ut vitemus falſos Doctores & Prophetas, *qui clamant hic eſt Chriſtus*; (*c*) ut ſimus κατηρτισμένοι *in eodem ſenſu & ſcientia*: ut (*d*) *doctrinis variis & peregrinis nolimus abduci*. Ut (*e*) *obſervemus eos, qui diſſenſiones & offendicula præter doctrinam, quam didicimus, faciunt*. Fungitur & Vicarius ſuo munere, qui repetit illa legibus & ſpeciali præcepto ſubditos ſuos de obſequio monet, quod Deus univerſis in hoc mundo hominibus indixerat.

§. 63. Adhæc ſi hæreticos punire licet, ut (*f*) Pſeudo-prophetas, (*g*) idololatricos, integras civitates à Deo deficientes; utique nefas haud erit videre, ne omninò oriantur, quod legibus tempeſtivè adhibitis propitio Deo fieri poterit, ſi non ex omni parte, ſaltem eo fine, ut coercita Novantium licentia confuſioni & exorituris ſubinde diſſidiis modus aliquis ſit, à quibus Chriſtianæ rei periculum eſt naufragii & ſubmerſio-

(*a*) Deut. 10, 12. & ſeq. (*b*) Matth. 24, Luc. 17.
(*c*) 1. Corinth. 1. (*d*) Ad Hebr. 13. (*e*) Ad Rom. 16.
(*f*) Deuter. 13, 2. & 4. (*g*) Deut. 17, 10.

merſionis, niſi validis aggeribus & catarrhactis inundationi prævertatur.

§. 64. Exemplorum Myriades in hac materia quid congerere juvat? paucis iisque antiquiſſimis erimus contenti. Primis trecentis annis, quibus Chriſtiana Eccleſia præſidio & favore publico Imperatorum caruit, nihil in hæreticos decretum haud mirum eſt. Nam Pagani Principes aut ſumma crudelitate affligebant Chriſtianos, aut ſi verò aliquod reſpirandi à continua laniena momentum fuit, inter Orthodoxos & hæreticos nullum diſcrimen factum, quos omnes æquè impensè amaverunt. Imò, qui rem Chriſtianam pejùs oderunt, ut Julianus, cum animadverterent, nullis ſuppliciis Catholicos poſſe opprimi, ipſo Martyrum ſanguine nova ſubinde germina affatim emittente, id data opera egerunt, ut inteſtinis malis everteretur diſciplina, quam non potuit externa vis quantacunque concutere: ita enim malitioſe cenſuerunt, Chriſtianorum Philoſophiam, in varias ſectas laceratam & minore auctoritate ſuo diſſenſu apud populum fore, & ſenſim peſtifera invidiæ ac æmulationis tabe ſe ipſam confecturam: inde omnes Chriſtianos nullo veritatis diſcrimine ad ſe vocatos ad mutuam concordiam inſidioſis blanditiis cohortati ſunt. Poſtquam verò Conſtantinus M. adſumpta Chriſtiana religione & compoſita paulatim Republica rerum potitus eſt, confeſtim publicarum legum tutelam Eccleſia Dei incredibili ſuo gaudio perſentiſcere cepit. Ante omnia (*a*) edicto publico templa paganorum occluſa pro-

(*a*) Id extat in Vita Conſtant. M. l. 2. c. 43. 44. Conf. l. 1. C. de Pagan. & Sacr. & templ.

prohibita ſacrificia, idolis & ſimulacris honor abrogatus, profani & ſuperſtitioſi ritus ſublati. Nec pientiſſimi Principis indignatio intra paganiſmum ſtetit, ſed (*a*) hæreticos etiam complexa, ſcilicet Novatianos, Valentinianos, Marcioniſtas, Sabellianos, Cataphryges, & hujus farinæ alios ſomniatores, non Eccleſias illis, non conventus, non ſcholas, non exercitia ſeu publica ſeu privata religionis infectæ conceſſit: Arrianiſmum in Concilio Nicæno damnatum laudabili odio inſectatus eſt: imò omnes turbatores Eccleſiæ Chriſtianæ auctoritate imperiali & jugi vigilantia coercuit. (*b*) Jovianus ab exercitu poſt mortem Juliani Apoſtatæ in caſtris Imperator proclamatus non priùs imperium accipere voluit, quàm totus exercitus omni alia confeſſione abjecta Catholicam fidem ſequeretur, extra quam nemini, quamdiu imperavit, alterius religionis libertatem fecit: cui ut in imperium, ita idem inſtitutum & cuſtodiam veræ fidei ſucceſſit (*c*) Valentinianus. Extat ejus edictum in (*d*) Codice Romani juris, cujus (*e*) Nicephorus meminit, in hæreticos ſumme invectivum, quod repudiata omni ſequiore doctrina *unius & ſummi Dei nomen ubiq; celebrandum Nicænæ fidei, dudum à majoribus tradita & divina religionis teſtimonio atq; aſſertione firmata obſervantiam ſemper manſuram tenendam, præcepit. Qui verò iisdem non inſerviunt*, porro habet edictum

(*a*) Vita Conſtant. M. ap. Euſeb. l. 4. c. 23. 25.
(*b*) Niceph. Call. l. 10. c. 30. 39. 40. 42.
(*c*) Niceph. l. 11. c. 70. (*d*) l. nullus. C. de Summ. Trin.
(*e*) l. 11. c. 50.

dictum, *deſinant affectatis dolis alienum veræ religionis nomen aſſumere, & ſuis apertis criminibus denotentur, atq; ab omni Eccleſiarum limine ſummoti penitus arceantur, cum omnes hæreticos illicitas agere intra oppida congregationes vetemus. At ſi quid eruptio factioſa tentaverit, ab ipſis etiam urbium mœnibus exterminato furore propelli jubemus, ut cunctis Orthodoxis Epiſcopis, qui Nicænam fidem tenent, Catholicæ Eccleſiæ toto orbe reddantur.* Quid deinde Gratianus cum Patre ſuo Valentiniano & Theodoſio, quem ad Imperii conſortium adoptavit, cùm adverſus (*a*) paganorum ſacrificia tum hæreſes & ſchiſmata, conſtituerit, notiſſima res eſt. Meretur legi edictum ex multis unum, quod ab his Imperatoribus publicatum apprimè noſtro inſtituto quadrare videtur. *Omnes vetitæ*, (*b*) ajunt, *legibus divinis & Imperialibus Conſtitutionibus hæreſes perpetuo quieſcant. Nemo ulterius conetur, quæ repererit, profana præcepta vel docere vel diſcere: nec Antiſtites eorundem audeant fidem inſinuare, quam non habent, nec miniſtros creare, qui non ſunt: nec per conniventiam judicantium omniumq;, quibus per conſtitutiones paternas ſuper hoc cura mandata eſt, ejusmodi audacia negligatur & creſcat.* Arcadius & Honorius, filii Theodoſii & Succeſſores, quas non in (*c*) tollendis ſacrificiis, ritibus ſuperſtitioſis: (*d*) de locis hæreticis adimendis leges tulerunt? Idemque cum

(*a*) L. 2. C. de Pagan. & ſacrific. l. 3. §. 3. C. de SS. Trin. (*b*) l. 2. C. de Hæret. & Manichæ. (*c*) l. 3. & 4 C. de Pagan. & Sacrif. &c. (*d*) l. 3. C. de Hæret. & Manich. Conſ. 5. C. de Pagan. & Sacr

cum Theodoſio Juniore contra Manichæos: *Manichæos ſeu Manichæas vel Donatiſtas meritiſſima ſeveritate perſequimur: huic itaque hominum generi nihil ex moribus, nihil ex legibus commune ſit cum cæteris.* Nec diverſi abierunt Imperatores (*a*) Marcianus, Valentinianus III. (*b*) Leo I. (*c*) Anaſtaſius, (*d*) Juſtinianus, alii, quorum infinita pene edicta contra hæreticos bonam partem Codicis & Novellarum implent, quæ omnia hîc loci repetere ſupervacaneum ducimus, cum omnium oculis in Romanâ jurisprudentiâ expoſita ſint. Carolus M. & qui eum ſecuti in eodem atrio decurrerunt, ut nemini amplius tot rationibus edocto, tot locis ex ſacra ſcriptura inſtructo, tot exemplis præparato de jure & poteſtate ſummarum poteſtatum in legibus contra ſectarios ferendis legitima dubitare amplius liceat, quas Auguſtinus adverſus Manichæorum impetus magnificè admodum & conſtanter defendit. Et hæc quidem de officio Principis ſufficiant, quà Vicarius Dei eſt.

§. 65. Qua Reipublicæ ſupremus curator & Judex: adverte quæſo: Civitatis tibi non adminiſtratio tantum, ſed & ſalus commiſſa: Hanc tuere pace & juſtitia: utraque opus, ſi te tuosque incolumes cupis: quî verò conſequare, niſi prævertas turbis & injuriis, quod celeri & commoda legum manu fit? Turbarum auctores non certiores ſunt, non periculoſiores, quàm qui novæ

U 5 religio-

(*a*) l. 4. C. de S. Trinit. l. Trinit. l. 8. C. de Manich. et. Hæret. l. 7. C. de Pag. & Sacrif. (*b*) l. 8. C. de Pagan.
(*c*) l. 10. C. de Hæret. & Manich.
(*d*) Nov. 137. & paſſim.

religionis: ex tripode dixit Mæcenas, quod οἱ τοιοῦτοι ἀντεισφέροντες πολλοὺς ἀναπείθουσι ἀλλοτρονομεῖν κἀκ τούτου καὶ συνωμοσίας καὶ συστάσεις, ἑταιρίαι δὲ γίγνονται ἅπερ ἥκιστα μοναρχίᾳ συμφέρει: impoſſibile eſt, ut non turbent Rempublicam, qui hominum animos: verè olim à Majoribus: *cum præceſſerint ſectarum nomin, mox & ſeditioſorum ſigna ſequuntur*: exempla funeſta ſunt patria & externa, quæ lugenda potius, quàm numeranda. Rationes multæ & infallibiles. Primò religio eſt fundamentum cujusque politiæ. Unam igitur eſſe convenit & ſibi ſimilem. Nulla moles imparibus fulcris bene ſuſtinetur. Nutat & ſtragem minatur, quicquid longo & brevi pede inſiſtit. Subſidet palatium, quod firmo ſolo & arenoſo ſuperſtructum: nam ipſa terræ inæqualitas, quæ una parte obnititur, altera imminenti vi concedit, ruinam edit: ita Reſpublica vix poteſt eſſe ſoſpes & recta, quam diverſæ religiones perflant. Deinde concordiæ vinculum ſolvit, quod bifidum eſt: hoc ſoluto ſuccedunt æmulationes, diffidia, factiones & virulenta partium ſtudia: non unitas in conſiliis, non candor in curia, non juſtitia in tribunali: ſed omnia diffidentiæ, ſuſpicionum, invidiæ, odii, denique tumultus plena. Divus (*a*) Hieronymus hic Vates eſt nobis, *quod nunquam poſſit eſſe fidus affectus inter illos, inter quos non eſt una fides: nec idem animus, ubi diverſa fides.* Tertio labaſcit obſequiũ apud eos, qui à Principe ſuo alienos Deos colunt: quicquid enim jubentur, ſi vel modicum privatæ rei obeſſe vide-

(*a*) Sup. 10. Cap Matth.

videbitur, conſciētia obtegitur contumaciæ & affectibus: huic vim deprecatur, libertatem petunt, negatā ſumunt, excuſatos enim ſe Deo credunt, quodcunque eo nomine fecerint: nec ceſſant ſacri illi conſiliarii, qui ſupra modum ſuſpicioſi, ſingularem in hoc prudentiæ & judicii penetrantis laudem affectant, nulli credere: ita vix ſe ſuperior commovere poteſt, quin iſti non in contraria ſtatione. Religio petitur, inquiunt, ſi militem conſcribit: tunc metu, trepidationibus, ploratu, præſagiis & oraculis omnia pulpita & diverſoria perſtrepunt, Dominorum aures fatigantur, incenduntur ſubditorum animi: Ex hoc quid denique niſi civile bellum: pandora malorum, ſequi poteſt? Huic averruncandæ juſtæ ſunt leges & neceſſariæ, quæ ſcindi religionē in Republica vetant: ita enim illam curare Princeps debet, ut ante omnia conſervata pace occaſio præcidatur civili bello, in quo etſi (*b*) *omnia ſint miſera, nihil tamen miſerius quàm ipſa victoria: quæ etiamſi ad meliores venit, tamen eos ipſos ferociores impotentioresq́; reddit, ut etſi natura tales non ſint, neceſſitate eſſe cogantur.* Alterum ſalutis Reipublicæ manubrium juſtitia eſt, ſine cujus aliqua ſpecie, ut prudenter obſervavit Ariſtoteles, ne quidem prædonum ſocietas conſiſtere poteſt. Sed duplex eſt juſtitiæ munus, præmia bonis civibus rependere: & malis pœnas. Hæc duo firmiſſima ſunt ordinatæ Civitatis munimenta: adeoq́ue quàm bonus & mitis pater obſequentibus ſubditis Princeps eſſe debet, tam ſeverus tremendusq́ue judex

(*a*) Cicer. 4 Epiſt. ad Fam. Epiſt. 9.

dex improbis & flagitioſis: hos legibus admonet, ne peccent: judicat, ſi deliquiſſe dicantur, punit condemnatos. Peccatur verò circa religionem non minus quam in civilibus rebus, imò hoc gravius, quo ſemper periculoſius: oportet itaque & leges in cauſis religionem concernentibus latas eſſe, ſecundum quas Imperanti in delinquentes inquirere liceat.

§. 66. Tertiò, quà vir bonus. Ejus enim eſt fratrem æterno ſuo malo errantem conſilio & ope juvare, ut reſipiſcat: Quod Cicero de bono Cive dixit, *qui non defendit patriam, cum poſſit, tam eſt in cauſa, quam qui eam prodit*, id quivis ſibi dictum opinetur, ut perdiderit hominem, qui eum ore manuque deſtituit, cum potuerit pereuntem erigere & ſervare.

§. 67. Quamvis verò unus Auguſtinus omnium tela, quæ contra hanc ſententiam jaciuntur, adverſus Donatiſtas fortiter exceperit, imprimis ea, quæ Chriſtianam libertatem ut velum & operculum ſuis cupiditatibus & flagitiis inducebant; tamen cum à quibusdam, quos haud abſurde *libertinos* appellare liceat, illa cantilena iisdem fidibus recinatur, pauciſſimis eorum argumenta excutienda ſunt, ut ratio ordinis ſibi conſtet. *Libera*, inquiunt, *Chriſtianorum ſunt conſcientiæ, ab omnibus mandatis & legibus humanis exemptæ, per libertatem Chriſtianam baptiſmo acquiſitam. Fides Dei donum eſt inſitum cordibus hominum divina manu, quæ nec jubetur, nec cogitur. Zizania inter triticum ſinenda eſt, ut creſcat: Imbecillibus enim Eccleſia indulget aliquod pœnitendi ſpacium. Chri-*

ſtus

ſtus non venit, ut pacem, ſed gladium & diſſidia patrem cum filio commiſſura, terris immittat. Gamalielis conſilium laudandum, quod nec Deus videtur damnaſſe, qui in Veteri Teſtamento plurima populo ſuo condonavit propter ejus imbecillitatem & duritiem cordis. Ab orbe condito in nulla Republica unam fidem & religionem fuiſſe, ne apud Romanos quidem: nec verum eſſe quod vulgo fertur, religionum ſciſſuram civili obſequio & paci officere: nam contrarium exemplis imperii Turcici Ægyptiaci & aliorum evinci, apud quos ſumma credendi libertas nullo tranquillitatis publicæ diſpendio; ex adverſo teſte experientia conſtare, hæreſes ab afflictione & odio augmentum ſumere, nullo impellente per ſe ruituras: imò earum permiſſionem inſigne remedium eſſe cavendo errori & offendiculo: ita enim innoteſcere, quæ cum inſidioſè latitent, occulto veneno tanto magis noceant. Enim verò hæc impudens poſtulatum maligne tegunt. Quod enim, imprimis Anabaptiſtæ & Photiniani, de Chriſtiana libertate venditant, ei (*a*) Auguſtini verbis reſpondere volumus. *Fruſtra dicis, relinquar libero arbitrio: Cur enim non in homicidiis & ſtupris & quibuscunq; aliis facinoribus & flagitiis libero te arbitrio dimittendum eſſe proclamas, quæ tamen omnia juſtis legibus comprimi utiliſſimum eſt? Dedit quidem Deus homini liberam voluntatem, ſed nec bonam infructuoſam, nec malam eſſe voluit impunitam.* Libertas Chriſtianorum non eſt illa *naturalis facultas ejus, quod cuiq; facere libet,*

(*a*) l. 9. Contr. Creſcent c. 51.

bet, niſi quid vi aut jure prohibetur, (*a*) ut Florẽtinus definivit, multo minus, ut (*b*) Cicero, licentia & *poteſtas vivendi ut velis*, ſed redemptio & liberatio gratuita à Diaboli ſervitio & vinculis; & reconciliatio cum Deo per meritum Jeſu Chriſti nobis acquiſita, & omnibus Chriſtianis cooperante Spiritu S. in Baptiſmo ad renovationem hominis interim gratioſè communicata. A poteſtate igitur Sathanæ, ab Inferno, à maledictione liberati ſumus, non ut deinceps libidinibus noſtris, corpori, abdomini ſerviamus, ſed Deo in ſanctitate & Juſtitia. * Ἐλευθερωθέντες δὲ ἀπὸ τῆς ἁμαρτίας inquit Paulus, ἐδουλώθητε τῇ δικαιοσύνῃ (*c*) ὥσπερ γὰρ παρεστήσατε τὰ μέλη ὑμῶν δοῦλα τῇ ἀκαθαρσίᾳ καὶ τῇ ἀνομίᾳ εἰς τὴν ἀνομίαν, οὕτω καὶ νῦν παραστήσατε τὰ μέλη ὑμῶν δοῦλα τῇ δικαιοσύνῃ εἰς ἁγιασμόν: ὅτε γὰρ δοῦλοι ἦτε τῆς ἁμαρτίας, ἐλεύθεροι ἦτε τῇ δικαιοσύνῃ, νυνὶ δὲ ἐλευθερωθέντες ἀπὸ τῆς ἁμαρτίας, δουλωθέντες δὲ τῷ Θεῷ ἔχετε τὸν καρπὸν ὑμῶν εἰς ἁγιασμόν, quamobrem non αὐτεξούσιος, non autonomos eſt homo Chriſtianus liber, nec eo fine compedibus ſolutus, ut ſui ipſius ſit, ſed ut Dei, cui ſervire debet; unde idem Apoſtolus nos non noſtrûm eſſe dixit, ſed grandi pretio redemptos, quaſi de ſervitute in ſervitutem, ſed longe meliorem, nobiliorem, beatiorem datos: unde ſedulo omnes fideles (*d*) monet, ne libertatem ſuam in occaſionem carnis dent, ſed per caritatem ſpiritus ſerviant invicem. Conſequitur exinde, ſi Chriſtianorum libertas in pietate & juſtitia, in cultu divino & obſequio conſiſtit, tanto liberio-

ros

(*a*) l. 4. pr. ff. de Stat. hom. (*b*) Paradox. 5.
(*c*) Rom. 6. (*d*) Ad Gal. 5.

res nos eſſe, quanto magis nos divinæ voluntati totos mancipamus: probe enim (*a*) Auguſtinus hoc ſenſu: *quod prima ſit libertas carere criminibus*: ex adverſo, qui ſervitia juſtitiæ, obedientiam & opera ſpiritus contemnunt: qui nec Deo credunt nec verbo ſuo: qui relicta vitæ ſanctimonia ſuis cupiditatibus & carni ſerviunt, non liberos eſſe, ſed deterrima diaboli mancipia. Jam verò inter divina præcepta, quibus nos obſequi oportet, non minimum illud etiam eſt, ut obediamus Magiſtratui ſeu ἐξουσίαις ὑπερεχούσαις; qua fronte itaque libertatem contumaciæ præteximus, quæ pars obſequi, ſuperioribus ex divino mandato debiti eſt? Ipſe (*b*) Petrus hunc ſcrupulum conceptis verbis & data, quod ajunt opera, hominum animis eximere vult. Cum enim Chriſtianos cuivis humanæ creaturæ, ſeu Regi, ὡς ὑπερέχοντι, ſeu Magiſtratibus, ab eo ordinatis ſubjectos eſſe jubet, idque propter dominum, cujus voluntas eſt, ut benefaciendo obturemus os hominibus ſtultis & ignorantibus, de libertate propediem ſubjicit, quam quis potuiſſet ſubjectioni opponere: quare explicat, quomodo libertate Chriſtiana uti conveniat, μὴ ὡς ἐπικάλυμμα ἔχοντες τῆς κακίας τὴν ἐλευθερίαν, ἀλλ' ὡς δοῦλοι θεοῦ *ut non libertatem operculum malitiæ habeamus obſequii negandi*: ſed ut ſervos Dei decet, qui Domini mandatis in omnibus liberè obſequuntur, citra motus internos, metum aut coactionem: cauſa cum ipſa voluntas Dei eſt, quæ expreſſè Chriſtianis commendat reverentiam & ſubjectionem Imperantibus exhibendam, tum ut

(*a*) Super Joh. Tract. 41. (*b*) 1. Epiſt. 2.

ut benefaciendo os hominum malevolorum obſtruatur: benefaciendo, inquam, qua voce obſequium denotat. Cæterum ſi aliquid Imperans juſſerit, quod nefas ſit agere, in eo etiam liberi ſunt Chriſtiani, ne teneantur hominem audire, quando oportet Deum: in aliis Chriſtiana libertas non minuit civilium legum auctoritatem & vim, ſed confirmat potius & juvat. Quocirca niſi caſtè admodum nonnullæ * Lutheri formulæ intelligantur, quibus Chriſtianos ab omni in Magiſtratus obſequio, & legibus humanis immoderatè eximit, ſententia eſſet carnifice & culeo digna. Sed haud ignoramus, multa à Pontificiis in ejus invidiam malitioſè torqueri, quæ ipſi ne quidem eo ſenſu per ſomnium in mentem venerunt, quo adverſarii capiunt: in ſermone de indulgentiis longe diverſum docet: *quanto*, inquit, *longius eſt à permiſſu & propius præcepto, tanto tutior vita: nam obedientia eſt tuta, libertas verò periculoſa.* Cujuslibet enim boni viri fama & pudor facile ſuggillari poteſt, ſi ex ſcriptis abrupta promantur, veteratoriè omiſſis quæ præcedunt aut ſequuntur; nam eadem arte Diabolus Chriſto negotium ex pſalmo faceſſere voluit. Tantum de Chriſtianorum libertate. De conſcientia piget eſſe verboſum: libertas enim ejus non effrenis, inſtitutionis & præceptorum impatiens, ſibique ſoli relicta: ſed Chriſtiana, ad certam ſcientiam & intellectum divinæ voluntatis ordinata, Eccleſiæ Catholicæ auctoritati & conſenſui ſubdita, civilibus legibus obſequens, quà impiæ non ſunt aut injuſtæ. Obedire enim oportet ſuperioribus, inquit Apoſtolus,

non

non tantum propter iram, ſed & *conſcientiam*, tantum abeſt, ut ea nos ab obligatione legum liberet. Leges hæreticis graves non cogunt fidem, ſed errores coercent; ne capacitati ſubjecti obſit, maximum illud Dei donum recipientis: confuſi enim indigeſta religionum farragine homines, quid potiſſimum credant, neſciunt. Zizania inter triticum jam jam enata prohibetur evelli: quæ naſcitura eſt, aliam curam poſtulat: neque enim tunc periculum, ut probo germini noceatur. Hieronymus ad illum Matthæi locum notat, non eam fuiſſe Chriſti mentem, quaſi malum omnino non ſit coercendum: ſed tantum ne ſeveritas intempeſtiva ſit; plus incommodi allatura quam emendationis: eam enim habet lolium cum tritico in primo flore ſimilitudinem, ut difficulter invicem diſcernantur. Si vera eſt hæc explicatio, parabolæ vis non alia erit, quàm ambiguas hæreſes & ſpecie veræ fidei imponentes in Eccleſia tolerari debere, ne inquiſitio rigidior fidelibus etiam fraudi ſit: non item craſſas pridemque damnatas, & ut ſic dicam palpabiles, quas absque læſione ſementis boni evellere licet. Imbecilles ſunt, qui lacte indigent, & doceri emendarive cupiunt, non contumaces & indurati, qui errorum admoniti nec credunt nec reſipiſcunt: illis, non his, ignoſcit Eccleſia, nec Deus, qui contritos corde, non ſuperbos fovet & ducit: hos verò diſpergit, confundit, tollit (a) *virgeâ terreâ: confringit ut vas figuli.* Sane Evanvangelium Chriſti turbas ciere ſolet & diſſidia inter homines, verùm id per accidens, non ſuo-

X met

(a) Pſalm. 2.

met ingenio & virtute: eſt enim pacificum, mite, tranquillum: at hæreſes per ſe ſunt ſeditionum & tumultuum fomites: quanta igitur inter hæc diverſitas? Præco, qui concitatos cives ad pacem hortatur, culpa caret & impune ferre debet, etiamſi homines factioſi: ſalutari conſilio, tanquam rapidum flumen lapidum obice, ad majorem inſaniam correpti fuerint: quid igitur: ergo ne quidem puniendus, qui voce ſtentorea per omnia compita & plateas concordé civitatem ad arma & mutuam lanienam vocat? Conſilium Gamalielis primo non excludit legitimam Magiſtratus animadverſionem in hæreticos, ſed condemnationis præcipitationem deprecatur: evincunt id exempla Theodæ & Judæ Galilæi Palæſtinam religionis nomine ad defectionem ſollicitantium, qui non terra dehiſcente abſorpti, aut ſidere ambuſti ſunt, ſed à Magiſtratu condigne puniti. (*a*) Ille quidem à Prætore Fado, qui diſſipata multitudine ipſum ducem Theodam prælio cepit & ſecuri percuſſit: Hujus verò filii, Jacobus & Simon, paternæ inſaniæ hæredes ſub Cirenio crucifixi. Deinde ambigebatur in Senatu Hieroſolymitano, an Apoſtolorum doctrina ex Deo eſſet, an hominibus: cauſa dubii Judæis erat Meſſias dudum expectatus, quem Petrus & Johannes annunciabant. Conſuluit itaque Gamaliel, quando adhuc incerta ſit Apoſtolorum miſſio, ut ſuſpenſa ſententia negotium Deo committant & eventui: doctrinam enim per ſe ruituram, ſi præſidio divino deſtituatur: Hoc verò nixam & defenſam contra totius mundi odium

(*a*) Joſeph. l. 1. Antiq. Jud. c. 4. & 5.

dium & injurias prævalituram. Hoc rerum ſtatu conſilium utique non rejiciendum, quandoquidem omnis actio ex dubitante conſcientia profecta vitioſa eſt: quid autem illud ad hæreticos, de quorum doctrina non amplius dubitatur, cujus auctoritate & præceptis doceant. Venit jam Salvator mundi, fruſtra à Judæis expectandus: quare non novum Evangelium prædicari poteſt: anathema enim ſit, quicunque aliud annunciaverit, quam Apoſtoli: quis ergo hic porro ſcrupulus, quæ dubitandi cauſa? Tertio ferunt Gamalielem unum ex illis Chriſti ſectatoribus fuiſſe, qui, ſicut & Nicodemus, ad eum noctu venerunt metu Judæorum: cum itaque hic videret, ſperatu impoſſibile eſſe, ut Senatum omnem, ſi ex toto animo ſententiam diceret, in partes ſuas traheret, quem potius libertate ſua irritaturus eſſet, obliquato paulatim latere navigare cepit, ut comperendinata cauſa carcere & ſupplicio extremo Apoſtolos eximeret, quos non ignoravit de Chriſto crucifixo vera dicere, & propitio Deo tenuit propoſitum. Sed quis non videt, quantum referat extemporaneo conſilio Eccleſiæ Dei prodeſſe, quam potentiores perditum eunt: & idem mox in exemplum ab aliis trahi ad confundendam Eccleſiam? licet omnibus Chriſtianis ita conſulere & quaſi hoc laudabili dolo uti, ad avertendos Eccleſiæ hoſtes, ſed non ad eoſdem fovendos tuendoſque. Denique quicquid etiam hujus ſit, narrative magis quam diſpoſitivè per Lucam hiſtoria traditur; abſolutè verò non probatur, nec promiſcuè ad exemplum & imitationem proponitur.

Quid enim periculoſius, quid improbius, quid minus Chriſtianum, quàm veram & Catholicam fidem, quæ ex Scriptura Sacra Veteris & Novi Teſtamenti, ex miraculis à Chriſto editis, ex teſtimonio Apoſtolorum & S. Martyrum, ex Conciliorum Oecumenicorum auctoritate, ex Patrum conſenſu probanda eſt, tempore & eventu metiri, quaſi verò nulla hæreſis ſenium viderit? Quid enim ſi Conſtantinus M. Gamalielem aliquem audiviſſet, ut Arrianorum veritatem duratione judicaret? Hæc ſecta trecentis amplius annis pacem Eccleſiæ & Romani Imperii turbavit: ſæpe etiam ſupra Catholicam fidem dominata eſt: ut nihil de Mahumetiſmo dicam, qui jam octingentos annos cum ſumma fidelium in Oriente calamitate durat, cujusque finem ne quidem adhuc ex altiſſima ſpecula cernimus. Deo is curæ erit: nobis ignoratur: plurimi tamen Theologorum ſunt, qui eum mundi univerſi conflagratione terminant. Quod aliquando (*a*) Livius de audaci & præpeti Neronis Romani Conſulis conſilio dixit, *ex eventu famam habiturum, quo nihil iniquius*, id ſi ulla in re, tum præcipue religionis cauſa veriſſimum. Sæpe enim Deus pro imperſcrutabili ſuâ ſapientia ac lenitate ſceleribus quoque diutiſſime indulget, & probos expectatione vindictæ deſtituit, ſeu eorum patientiam ac conſtantiam in fide per afflictiones probaturus: ſeu caſtigaturus credulam ac infelicem temeritatem, eventui & incertæ fortunæ ipſiſſimam veritatem committentium: Atque hæc ad Gamalielis conſilium, quod ita nun-

(*a*) L. 27. c. 45.

nunquam probavit Deus, ut plures in populo ſuo religiones admitteret. Ejus imbecillitati & contumaciæ interdum aliquid indulſit: religionum diverſarum tolerantiam ſemper deteſtatus eſt & acerbe (a) punivit, in tantum, ut ne quidem (b) permiſerit, agros & vineas diverſis ſeminum ſpeciebus conſeri, aut veſtem ex lana linoque contexi, populum myſtico interdicto admonens, ne agrum Domini diverſarum religionum ſementis impleant, juſtitiæque veſtem ex diſpari pietate conſuant. * Errant, qui plures apud Romanos religiones fuiſſe aſſerunt: aliter duodecim tabularum leges. (c) *Separatim nemo habeſſit Deos, neq; novos ſive advenas niſi publice aſcitos privatim colunto, conſtructa à patribus delubra habento*: aliter Patres conſcripti, dato Ædilibus negotio, (d) *ut animadverterent, ne qui niſi Romani Dii, neu quo alio more quam patrio colerentur.* Vacillat profecto civilis concordia, ubi religionis unitas: *& ratio hoc ipſa vult*, inquit ſubtiliſſimus (e) Lipſius, *ut in externis iſtis rebus facile prompteq; diffideant, qui in ſenſu interno & in ſalutis ipſâ ſumma. Odium imò vulgo à religionis diſſidio, quaſi in impios aut profanos: nec lædere eos verentur, quos læſiſſe Deum ipſum arbitrantur:* ac longe ante eum Vincentius Lyrinenſis contra prophanas hæreſes. *Novelli dogmatis inductione non ſolum parva res, ſed etiam maxima labefactata ſunt: nec enim tantum affinitates, cognationes, amicitiæ, domus, verùm etiam* urbes,

X 3

(a) Deut. 13. (b) Lev. 19, 19. Deut. 22, 9.
(c) Cicer. de Leg. 2. (d) Liv. l. 4. c. 30. (e) Contr. Dialog.

urbes, populi, provinciæ, nationes, univerſum poſtremo Romanum imperium funditus concuſſum & emotum eſt. Quod exempla Turcici & Ægyptiaci imperii, religionibus variis impleti, & tamen ſummè tranquilli attinet, idem (*a*) Lipſius pro nobis reſpondeat: quis enim melius illo ipſo. *Primum quoad Ægyptiacos, improbum illud diſſidium eſſe, nondum tamen turbidum ob tres has cauſas, primo, quia mutuo non ſe damnant. Diſcrimina ſunt & electio, ſed nullum adhuc præjudicium eſt probitatis: non Pontifex, non Princeps, aut ulla major poteſtas hanc illamve partem alteri voluit præferre. Secundam, quia ſub potenti domino, cujus metu & ſimul mulctis illis, ſi quid peccare incipiunt, rigide coërcentur. Tertiam & præcipuam, quia nullæ illic publicæ conciones, nec flabra atq; incitamenta turbarum: ita dum conventicula non ſunt, privatis parietibus diſſidia illa clauduntur. Jam de Turcis plane diſconveniens eſt: Nam quod ad ipſos attinet, una inter eos religio, & væ illius capiti, qui verbo aut facto turbet. Alienas tantum, nec corruptas ex ea, ſed plane adverſas permittunt: atq; ita communicandi aut differendi vix cupiditas eſt aut cauſa. Contemnunt enim magis inter ſe, quam contendunt. Pone in media Europa Judæos, Turcas, Sinenſes, (modo ne immani numero) nihil turbabis religionis aut Eccleſiæ pacem. Adde quod una religio dominans apud Turcas, reliquæ muſſant, & falſæ illi ac barbaræ vel invitæ ſubmittunt faſces dignitatis. Sed nec ad honores*

(*a*) Ibid.

res aut militiam cuiquam aditus niſi per illam unam: quid mirum ergò, ſi oppreſſa illa ſileant. porro quæ de incremento hæreſium afferunt Magiſtratus poteſtatem & vigilantiam non evertunt. Multæ hæreſes cita Imperantium curatione & providentia evanuerunt, quæ adultæ potuiſſent Reipublicæ detrimento eſſe: ſi quæ humanas vires aliquamdiu ſuperaſſe videntur, extra culpam Magiſtratum ponunt, qui officio ſuo functus eſt: non enim ingraveſcenti malo ignoſcendum, ſed ut regula Jureconſultorum habet, creſcentibus delictis exaſperandæ ſunt pœnæ. Denique præceps eſt, & temerarium conſilium eo fine hæreticos inter nos ſinere verſari, ut facilius agniti fugiantur. Cur enim non furibus & homicidis, & latronibus & ſacrilegis eodem promittimus impunitatem? Nimium corrupta eſt humana natura, quàm ut pudore & verecundia duci poſſit: plures ſecuram aliorum audaciam in exemplum trahunt, & longe magis libertate ſcelerum ſibi placent, quàm ut eos turpitudinis facti pudeat. * Vicinia, quæcunque infecta, periculoſa eſt, quia plus efficaciæ malitia habet ad vitiandam partem adhuc integram, quàm reſidua ſalubritatis virtus ad corruptam ſanandam. Quantulum cadaver eſt aut infectum, quod latiſſimum aërem veneno implet?? quàm tenuis ſpiritus peſte laborantis, qui validiſſima adſtantium corpora momento penetrat? imò, quod magis eſt, infectarum ædium latibulis ſollicite clauſus per rimas & clauſtra integras aliorum ædes pervadit. Scabies contagione ſerpit, & ut Naſo cecinit:

Dum ſpectant oculi læſos, læduntur & ipſi,
Multaq; corporibus tranſitione nocent.

Quid illud vero, ut oſcitans faciat oſciturientem, & micturientem mejens, niſi occultus quidam naturæ conſenſus: quid, quod Ariſtotelis amici balbutiem ejus imitati ſint, Platonis gibbum familiares, & Alexandri Macedonum Regis inflexum cervicis, vocisque in dicendo aſperitatem Palatini? quid aliud, quam aſſidua converſationis & ſodalitii vis, eaque quo pejor, hoc magis prævalida. Nimis verum eſt Græcorum adagium, * χωλῷ παροικεῖς, κἂν ἐνὶ, σκάζειν μάθοις. Si hæc in naturalibus rebus uſu veniunt, quid de moribus dicemus, ubi ad naturæ impetum electio & judicium acceſſerit, niſi cohibueris, ſemper in declive ferens? ubi colloquia improborum ſimplicem aut ancipitem adhuc mentem inflammaverint? Cum enim omnis contubernii ratio plurimum valeat ad corrigenda aut vitianda mortalium ingenia, tum præcipue oratio, quæ ex arcanis animi noſtri penetralibus prodiens actuoſa quadam ex occulto vi ſeu venenata, ſeu ſalutari intimis auditorum præcordiis illabitur. Quod græcè vulgo fertur,

* Κακοῖς ὁμιλῶν κἀυτὸς ἐκβήσῃ κακός:

id juxta Menandrum, ab Apoſtolo Paulo etiam in prima ad Corinthios epiſtola laudatum, ad colloquia imprimis pertinet: nam ut ait

* Φθείρουσιν ἤθη χρῆσθ' ὁμιλίαι κακαί:

Majus itaque ab Hæreticis periculum, ſi toleramus, ne orthodoxis virus ſuum inſtillent: quàm ſpes, ut aliis exemplo ad conſtantiam ſint, aut ſibi ipſis emendationi. Quàm probè, & parum

abeſt

abeſt Chriſtianè hîc (*a*) Seneca. *Sumuntur à converſationibus mores: & ut quædam in contactis corpore vitia tranſiliunt, ita animus mala ſua proximis tradit. Ebrioſus convictores in amorem vini traxit; impudicorum cætus fortemq́; et ſi liceat virum emollit. Avaritia in proximos virus ſuum tranſtulit.*

§. 68. Sed Reipublicæ ratio & neceſſitas interdum poſtulat, plures in ea religiones pati quaſi, quod ajunt, ἀναγκαῖον κακὸν. Inter eos primi ſunt, qui extra Eccleſiam, ut Pagani, Mahumetiſtæ, Judæi, de quibus non judicat Eccleſia: τί γάρ μοι, inquit (*b*) Apoſtolus, τοὺς ἔξω κρίνειν. Alteri hæretici, qui quidem in Eccleſia viſibili, cui perpetuo Baptiſmi fœdere adſcripti ſunt, ſed erroribus variis, qui fundamenta Chriſtianæ religionis ac veritatem fidei evertunt, obnoxii. Illi facilius tolerantur, quia ut dixi, extra jurisdictionem ſunt Eccleſiæ. Hi paulo moleſtius, quod ſint ejusdem membra à morbo ſontico purganda potius quam negligenda: utrique tamen aliquando pro temporis & Reipublicæ conditione. (*c*) Conſtantinus Imperator initio ſuæ converſionis ne quidem pagana ſacra prohibuit, turbulento ſcilicet adhuc Romanæ rei ſtatu, & prævalida Paganiſmi factione: pagani etiam ab eo conſules facti, ut notat Prudentius in carmine contra Symmachum. Honorii & Theodoſii reſcriptum de paganis non lædendis adhuc in (*d*) Codice juris viſitur. Judæi in toto Imperio Romano non tantum ab injuriis tuti redditi: ſed & eorum

(*a*) De ira l. 3. (*b*) 1. Corinth. 5. (*c*) Euſebius de Vit. Conſt. M. l. 2. (*d*) l. 6. C. de Pagan. & Sacr. & temp.

cœtus legibus ac privilegiis ordinati. Honorius & Arcadius Judæorum Archi-Synagogis eadem jura tribuunt, quæ Chriſtianorum Epiſcopis: (*a*) permittunt, litigari coram arbitris Judæis. Theodoſius vetat in ipſorum Sectam recipi aliquos primatibus eorum reclamantibus: (*b*) alibi vetantur die Sabbati propter publicam privatamque cauſam in jus vocari: ipſive Chriſtianis diem dicere. (*c*) Synagogis eorum milites exiguntur, qui eas hoſpitii merito occuparunt: (*d*) in ſumma verbis factisque ne quis eos lædat ſevere edictum. Quantum ad hæreſes, Conſtantinus M. publica conſtitutione, quæ apud (*e*) Euſebium extat, religionis libertatem conceſſit, inter alia verò ita ait. *Jam olim quidem conſiderantes, non eſſe religionis libertatem prohibendam, ſed uniuscujusq; animo ac voluntati facultatem tribuendam, res ſuas pro voto ſuo quemlibet curare, & Chriſtianis hæreſeos ac religionis ſuæ fidem cuſtodire juſſimus:* & poſtea: *& nunc igitur libere ac firmiter quisquis hanc voluntatem habet, ut Chriſtianorum voluntatem ſervet, hoc ipſum ſine omni moleſtia faciat, quia id tranquillitati noſtrorum temporũ conducere manifeſtum eſt.* Jovianus & Valentinianus, haud quaquam mali Principes, Chriſtianæ legis unitatem aut veritatem violantes nullis minacibus edictis terruere: De Valentiniano præcipuè (*f*) Ammianus memorat, *eum hoc moderamine Principatus inclaruiſſe: quod inter diverſitatem religionum medius ſteterit, nec quem-*

(*a*) L. 3. C. de Judæis. &c. (*b*) l. 2. & 13. ibid. (*c*) l. 4. C. de Judæ. (*d*) l. 14. C. eod. (*e*) l. 10. c. 5. (*f*) l. 20.

quemquam inquietaverit, nec interdictis minacibus ſubditorum cervices ad id, quod ipſe colebat, inclinarit, ſed has partes intemeratas reliquerit. Sub Gratiano Imperatore varianribus etiam inter ſe circa Chriſtianam fidem religionibus unicuique libertas facta, (*a*) *ut quam quisq; religionem ſequi vellet, ſine periculo vitæ eligeret.* (*b*) Conſtantinus ad interceſſionem Hilarii Athanaſium Epiſcopum Alexandrinæ Eccleſiæ ea conditione reſtituit, ut Arriani ibidem quoque Eccleſiam tenerent, facultate contra Chriſtianis Catholicis facta, ut in urbe Antiochena liberum haberent ſuæ religionis exercitium. (*c*) Imperatorem Juſtinum ipſe Pontifex Johannes ad genua ejus ſupplex provolutus precibus ac lachrymis movit, ut revocato contra Arrianos edicto, ſeveritatis pleno, imminentem Italiæ à Theodorico, Gothorum Rege, Arrianis ſumme addicto, tempeſtatem opportune averteret. De Sigismundo, qui Bohemis à Romana ſede paulum diſſidentibus ſuo more & arbitrio vivendi poteſtatem fecit, apud (*d*) Æneam Sylvium & (*e*) Cuſpinianum notiſſima res eſt. Imo quid multis verbis opus? Sume ab ipſo Pontifice exemplum, qui Romæ in meditullio Romanæ ſedis Chriſtianos peregrinos, maxime Abyſſinos, à Pontificia fide plurimum alienos non tantum ad liberum ſuæ religionis exercitium præſidio publico allicit, ſed & ſuis ſumptibus ſuſtentat. Teſtis in id eſt (*f*) Paulus Jovius, cujus de incredibili

(*a*) Socrat. l. 5. Hiſtor. c. 4. Niceph. l. 12. Hiſt. c. 1.
(*b*) Theod. l. 2. Eccleſ. Hiſt. c. 12. Sozom l. 3. Hiſt. c. 3.
(*c*) Niceph. l. 17. c. 9. (*d*) Hiſtor. Boh. c. 52. 53. (*e*) in Sigism. (*f*) Hiſtor. l. 18.

bili pene & inſolita Pontificis manſuetudine hæc verba ſunt. *Romæ ſiquidem Orientales Peregrini Chriſtianæ profeſſionis, Abyſſiniq́, præſertim poſt maximi templi teſtudinem proprium cum domo delubrum habent, ubi ſuo more ſacra conficiunt, alunturq́ Pontificis ſumptu, & pia benignitate aulæ Sacerdotum.*

§. 69. Exemplis itaque & auctoritate Chriſtianorum Principum inclarêt, hæreſes aliquando in Republica neceſſitate ſeu pro alia ratione temporis toleratas eſſe: Quam recte & ex conſcientia, id verò proxime quærendum? nam ex Pontificiis haud pauci ſunt, qui illam Imperatorum benignitatem variis cavillis aut eludere conantur, aut accuſare. Summa diſceptationis in id reſolvitur, quantum ſcilicet malitiæ erroribusve hominum permitti & indulgeri poſſit? in nudis enim permiſſivæ legis terminis ſubſiſtendum, non ut imperans etiam probet aut ſequatur malum: nulla enim neceſſitas tanta eſt, ut aliquem ab actionis turpitudine excuſare poſſit: nec (*a*) Ariſtotelem audio, utiliorem Principi quam honeſtum conſultorem, * διακεῖσθαι κατὰ τὸ ἦθος, ἤτοι καλῶς πρὸς ἀρετὴν, ἢ ἡμίχρυσον ὄντα, καὶ μὴ πονηρὸν, ἀλλ' ἡμιπονηρόν: nequidem ſi eventus reſpondeat. Apage illa ex (*b*) Seneca;

Honeſta quædam ſcelera ſucceſſus facit.
& — — *proſperum ac felix ſcelus*
Virtus vocatur.

Abſit; vulgi hoc judicium, & mos: (*c*) * ἐν γὰρ τοῖς τοιούτοις τὸ, τι ἀπολωλὸς πάντες ἀεὶ καταтрέχουσι

καὶ

(*a*) 5. Polit. 11. (*b*) Hippol. & Herc. fur. (*c*) Dio Caſſ. Hiſt. l. 46.

καὶ τὸ κρατῆσον τιμῶσι. Aliter (*a*) vir ſapiens: *regnum à gente in gentem transfertur propter injuſtitiam & injurias & contumelias & diverſos dolos.* Aliter illud σκεῦος ἐκλογῆς divini nominis: (*b*) *non eſſe facienda mala, ut inde eveniant bona.* Aliter denique magnum Numen & Dominus ille: (*c*) *qui averſatur omnem injuſtitiam*, parvam etiam majoris boni cauſa. Non probatur illi, quod Jaſoni Theſſalo: (*d*)* δεῖ ἀναγκαῖον ἀδικεῖν τὰ μικρὰ, τοὺς βουλομένους τὰ μεγάλα δικαιοπραγεῖν: non quod (*e*) C. Caſſio: *habere aliquid ex iniquo omne magnũ exemplum, quod adverſus ſingulos utilitate publica rependitur*, non ſanè. (*f*) *Maledictus* enim, *quicunq; cõtriſtaverit proximũ ſecum.* Quamobrẽ ne claudicet Princeps in religione, ne verã & falſam nullo diſcrimine, nulla electione ſectetur, ut pacẽ civilem habeat. Moriendũ hic potiùs veſtigio, quàm quod in proverbio eſt, *duos parietes de eadem dealbare fidelia.* Sed de permiſſione citra aſſenſum aut laudationem aliter ſentimus. Permiſſio vel eſt nudi facti, vel legis. Illa, (*g*) aliis ſimplex dicta, impedimenti remotionem ſignificat, & impropriè permiſſio dicitur, cum nihil aliud ſit, quàm id non impedire, quod poſſis, licet non debeas, quomodo exempli cauſa Deus peccata permittit, & Magiſtratus actus ſubditorum indifferentes: Præceptor lectionem authoris, non ſatis ad diſcipuli captum idonei. Hæc quæ lege fit aut plena eſt, quæ jus dat ad aliquid omnino licite agendum, cum permittitur, quod intrin- ſice

(*a*) Eccl. c. 10. (*b*) Rom. 3. (*c*) Deut. 25, 16. (*d*) Plutarch. in polit. (*e*) Tac. Annal. 14. (*f*) Deut 27, 24. (*g*) Gerard. de Senis. Joh. Andr. in reg. peccatum de Reg. jur. in 6.

ſice malum non eſt: aut minor plena, quæ tantum impunitatem dat apud homines, & jus, ne quis alius impedire licite poſſit: quod fit, cum res permiſſa habet aliquid moralis mali, externa ſaltem impunitate tuta, conſcientiæ tamen gravis, nec divino judicio innocens: quemadmodum permittuntur lupanaria, concubinatus, alia, majoris nimirum boni cauſa. De permiſſione facti, ut & plena ex lege, res ſatis expedita. Illa enim nulla ratione concurrit ad actum: hæc ad actum licitum & bonum. Supereſt itaque tertia, eaque minor plena, quam iterum duplicem faciunt: alia enim dat impunitatem externam cum jure, ut non impediri poſſit citra ullam aliam cooperationem permittentis: Alia verò præter hæc & concurſum ejus ſentit in aſſenſu, promotione, auxilio: id quod iterum fit vel directè, cum quis non tantum, quod poteſt & debet vetare, non vetat, ſed adjuvat, laudat, aſſentitur: veluti ſi Pater indulgentior filii ſui leno ſit & ichnobates. Si Dominus ſervum, ad bellum aperte injuſtum ire volentem ultra dimittit & incitat. Vel indirectè: idque rurſus dupliciter: aut primario: quod fit, non vetando ea, quæ debeas & poſſis vetare: dempto tamen in aſſenſu auxiliove concurſu: aut ſecundario: qui non diſſuadet cum debeat, aut factum reticet, quod notum facere debebat. Secundum hæc capita diſtinctè procedendum: Permiſſio hæreſis manifeſtæ & damnatæ, quæ concurrentem permittentis actionem habet, ſive id fiat aſſentiendo, laudandove, ſive juvando, participando in opere: ut & ea, quæ citra actionis concurrentiam nec

nec vetat & impedit malum, quod poteſt & debet vetare impedireve: denique iſta, quæ non diſſuadet, cum debeat, quæ reticet, cum teneatur notum facere, omni tempore eſt illicita, nec boni publici, quantumcunq; maximi colore aut velo tegenda. Primo enim participat in ipſo delicto, qui hæreſes laudat & promovet: quod quid aliud eſt, quam bellum Deo indicere? Alter & tertius negligunt, quæ ſunt ipſorum officii & muneris: ſed Spiritus S. in eum lugubre carmen cecinit, qui negligenter & ignave officio ſuo fungitur. Signate tamen poſui, qui debet & poteſt: nam alterutro horum deficiente impoſſibilitate excuſatur aut facti, aut juris: facti, ſi non poſſit: juris; ſi non debet. Ita qui cum debeat, non poſſit, impedire malum late ſerpens, is nihil ab eo diſtat, qui impunitatem externam concedit cum jure non impediri citra aliam cooperationem: qui verò cum poſſit, non debet, ipſo defectu facultatis agendi removetur: nec enim cuique Deus dedit hæreſes per leges coercitionem corporalem & ſupplicia expugnare: ſed ſicuti in aliis criminibus vindicandis ſolæ partes Imperantis ſunt, ut ſupremi Judicis: alii verò cives arcentur: ita etiam in hæreſium punitione: id tamen ſubditis etiam incumbit, ut diſſuadeant, quod primario Paſtorum eſt: deinde omnium: & indicent: primò ii, qui inquiſitorum munere funguntur: mox his neſciis aut negligentibus cæteri: nam (a) hæreſes graviores publicum crimen ſunt, cujus accuſatio omnibus patet. Denique de ea permiſſione videndum, quæ externa impu-

(a) L. 3. C. de Manich. & Hæret.

impunitate ſaltem gaudet, & jure, ut non impediatur, citra approbationem ejus, qui permittit. Hic ante omnia Reipublicæ conditio & tempora diligenter inſpicienda. Aut enim tranquillus eſt Civitatis Status; & intemeratus adhuc ordo publicus, omnesque cives in poteſtate & obſequio Principis: Aut jam in eo diſſidia ſunt propter religionem, turbæ, ſeditiones, ſubditi mandatis & juſſibus Imperantis difficiles, membra cùm inter ſe, tum cum capite ſuo male cohærentia, ut aut periculum ſit civilis belli aut defectionis quarundam partium ad externos cum ruina & pernicie imperii conjunctæ. Si prius: non facilis eſſem ſuaſor Principi, ut apertas hæreſes in Republica patiatur, quas ἄσπαρτα, ut ajunt, καὶ ἀνήροτα tollere poteſt: nec enim hoc ipſi decorum eſt, nec utile: non illud, quod non ſatisfaciat conſcientiæ & officio, qui malo connivet, quod citra pulverem evellere valet: ne latius evagetur non hoc: quoniam hæreſes, etiamſi in infantia adſumpta modeſtia quieſcant, factiones & turbas ciere ſolent, quamprimum in virum evaſerint: Sin verò poſterius, neceſſitate & temporum injuria Princeps excuſatus eſt Deo & hominibus: imo laudari potius meretur prudentia ejus & bonitas, quæ averſatur intempeſtiva & inutili pietate Camarinam movere, mox in Reipublicæ nervum & ipſius Imperantis ſacrum caput erupturam. Sane enim præſtat habere Rempublicam, utcunque ingeniorum quadam differentia hiantem, modò in civili adminiſtratione ſolidam; quàm aut perpetuis ſeditionum turbinibus agitatam, aut mox omninò nullam.

Veris-

Veriſſimum hic quod (a) Seneca: *Neceſſitas magnum humanæ imbecillitatis patrocinium omnem legem frangit*, & quod (b) Poeta, neſcio an idem, certe ejusdem nominis:

Haud eſt nocens, quicunq; non ſponte eſt nocens.

Illa temporum calamitate Medicos oportet imitari, (c) qui in gravioribus morbis aliquando plus proficiunt quieſcendo, quam movendo agendove. Oportet Naucleros, qui ſubito exorta tempeſtate adverſisque ventis in Oceano deprehenſi obliquè navigant, ſi rectum curſum tenere nequeunt, ne naufragium facere cogantur. Oportet Muſicos, qui ſi in fidibus aliquid diſcrepet, non abrumpunt ſtatim, ſed paulatim reducunt ad concordiam. Quare hic conniventia opus & patientia: Quid enim ſi extrema tentaveris? nihilomagis ſanè proficies: cætera omnia Principi in prono ſunt, ſola religio non cogi vult, ſed ſuaderi: in animo illa & mente reſidet, cujus dominium non hominum eſt, ſed Dei. *Quis enim mihi*, inquit (d) Lactantius, *imponat neceſſitatem vel credendi quod nolim, vel quod velim non credendi:* ſi multum impetres, (e) *purpuræ tuæ cultores aliquot efficies, non Dei.* Nulla itaque emendatio animorum ſperanda, ſi vim adhibeas: certi verò & inevitabiles tumultus, factiones, &, ſi pergas, bellum civile: Quis adeò autem perditè inſanus eſt, ut periculo, quod ante fores eſt, ſe objicere velit nulla fructus aut emo-

(a) Decl. l. 9. (b) Sen Hercul. Oet.
(c) Hippocr. 2. Aph. 29. (d) Inſt. l. 5. c. 14.
(e) Themiſtius ap. Socrat. Hiſtor. Eccl. l. 3. c. 21.

lumenti ſpe? Quanto melius (*a*) Carolus V. *ut parentum deliria ferenda ſunt, ita in civitatibus ac religionibus vitia quædam eſſe diſſimulanda: fundamentum in Eccleſia retineri oportere*, nec abnuit (*b*) Molinus ipſe Pontificius: *Cogitur aliquando Catholicus Princeps ſive Magiſtratus in quibusdam locis libertatem religionis ſub certis conditionibus concedere, ne, ſi minus malum tolerare nolit, majora in Republica ſua perpeti cogatur*: & profectò idem ſalus & ratio ipſius localis Eccleſiæ poſtulat, cujus externa felicitas in pace Reipublicæ conſiſtit: Hac enim turbata aut everſa quomodo illa ſalva eſſe poterit? Quid non in civili bello & regimini politico & Eccleſiaſtico patiendum eſt? imprimis verò huic, quando exacerbatis animis de religione certatur? Utra pars vicerit, lethali odio alteram perimit: tunc exſcinduntur templa & baſilicæ: franguntur ſtatuæ imaginesque ſanctorum: expilantur bona Eccleſiis dicata: nec clerus ab hoſtium ferocia & injuriis tutus, quin ſæpe irriſione, cruciatibus, morte pereat: ſed juſto & imperſcrutabili Dei judicio orthodoxi etiam aliquando ſuccumbunt, quos ab irato victore eadem mala manent, non enim Eccleſia quælibet particularis divinâ certæ victoriæ contra hoſtes promiſſionem habet: Univerſalis & Catholica quidem invicta eſt; contra quam etiam portæ infernorum nihil prævalebunt, locali non idem privilegium: eventus id docuit, tantum non omni Chriſtiana religione ex Oriente diluvio

(*a*) Goldaſt. Tom. 3. Conſt. p. 506.
(*b*) L. 1. de Fid. hæret. ſerv. c. 2.

diluvio Mahumetiſmi in Occidentem rejecta: certe ubique in ſervitutem & triumphum ducta. Ubi hodie ſplendor Alexandrinæ, Antiochenæ & Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ? Umbra eſt & imago antiquæ majeſtatis, quicquid reſiduum: cætera Turcorum ſuperſtitio abſumpſit. Quæ cauſa vero alia tantæ ruinæ & cladis, niſi Principum diſſidia & contentiones frivolæ in cauſa religionis? Hæc exemplo nobis ſint, ut alieno damnó ſapere diſcamus. Fruſtra hic & imperitè objiciunt, bona fortunæ & temporales dignitates Principibus ad defendendam Eccleſiam conceſſas, pro cujus incolumitate omnium facultatum jactura ſit facienda. Nam noſtro caſu non de eo agitur, utrum Eccleſiam ſervare debeamus periculo noſtro & bonorum noſtrorum, ſi ſpes aliqua ſit ſucceſſus boni? Quis Chriſtianus enim hoc negaverit? Sed illud potiùs in conſilium venit, an præſtet partem adhuc integram certa pace cum hæreticis facienda ab impendente pernicie aſſerere: aut intempeſtivo Zelo eandem in ſummum diſcrimen vocare, ſi non luculentam peſtem? tot caſibus nos admonentibus, veras etiam Eccleſias eadem animi impotentiâ olim peſſum datas? Multo minùs movemur ſcrupulo, quem ex Paulo ſibi imprimunt, non eſſe facienda mala, ut ex eo bona eveniant. Quæ enim applicatio aut connexitas cauſæ? facimus ne malum, ſi hæreſes toleramus, quas absque ingenti Reipublicæ & Eccleſiæ Catholicæ diſcrimine non poſſumus amovere? Abſit hoc: permittimus, quod corrigi nequit: innocentia vitæ, lachrymis, precibus

 contra

contra pugnamus, ſi armis non licet: Deo judicium committimus: quæ unquam vero actio in patientia, eaque invita & neceſſaria? Ut in naturalibus impoſſibile dicitur, quod vires agentis excedit, veluti cœlum manibus tangere: ita etiam in ordine civili, quod aut contra honeſtatem aut Reipublicæ ſummè detrimentoſum. Hinc qui de re aliqua deliberant, non tantum fines ſibi debent proponere, qui ſemper aut bonum ſunt aliquod, aut declinatio mali. Sed & eorum, quæ ad finem ducunt, facultates effectivas ad producendum finem, ita in deliberatione exterminandarum hæreſium non tantum finis, qui profectò ingens bonum eſt, ſcilicet veri cultus reſtitutio: verùm etiam efficiendi id potentia propè perpédéda: *cùm tuas ſcilicet vires*, ex illius apud (*a*) Livium conſilio, *tum vim fortunæ, Martemq́; belli communem, utrinq́; ferrum & corpora humana fore, nusquam minus quam in bello eventus reſpondere.* Hanc conſiderationem tribus regulis abſolvit (*b*) Grotius, quæ omnes huc applicitæ pacem videntur ſuadere, poſito nimirum caſu, quod reformatio morali æſtimatione aut impoſſibilis ſit, aut ſummè periculoſa. Videamus breviter ſingulas ordine. Prima eſt, *ſi res de qua agitur, æqualem morali æſtimatione efficaciam habere videtur ad bonum & malum, ita demum eligenda eſt, ſi bonum aliquando plus habeat boni quam malum mali.* At vero hic in hæreſium correctione malum plus mali habet, quam bonum boni. Malum enim eſt, ut & vera religio, re minus ex opinione cedente, à falſa & improba

(*a*) L. 30. c. 30. (*b*) De I. Th. & P. l. 2. c. 24. §. 5.

improba trahatur: Bonum autem in partibus corruptis ſanatio ejus, quod noxium eſt. Sine dubio autem malum, ſcilicet abolitio Orthodoxæ fidei totalis in Republica, majus eſt bono, reſtitutione quorundam membrorum ad partem adhuc integram; non agitur de religionis per univerſum ſimul imperium introductione: quædam enim partes jam eam habent: agitur verò de totius jactura; quid hic pejus aut melius? amittere ex Republica omnem religionem, aut tota in parte Reipublicæ retenta alteram partem, quæ nec poteſt nec vult ſanari, ſuo arbitrio relinquere? illud opinor pejus; hoc melius: aut ratio me fugit; quare intermittenda cenſura, cujus malum plus mali habet, quam bonum boni, etiamſi ſi efficacia ad bonum & malum par eſſet, quod tamen ſecus, ut mox dicam. Secunda. *Si videatur eſſe æquale bonum & malum, quod à re, de qua quæritur, poſſit procedere, ita demum ea res eligenda eſt, ſi efficacia ad bonum quam ad malum major ſit.* Sed noſtro caſu efficacia ad malum major eſt, quia immedicabilis, quia ſupra vires Civitatis, quia denique tanta, ut ſi rea peragi debeat, acie vincenda ſit: ex adverſa efficacia ad bonum debilis, dubia, periculoſa: nec efficacia ad malum ſaltem major efficaciâ ad bonum: ſed & ipſum malum majus bono: quanto magis igitur à curatione abſtinendum? Tertia. *Si videatur & bonum & malum eſſe inæquale, nec minus inæqualis rerum efficacia, res ea ita demum eligenda eſt, ſi efficacia ad bonum major ſit collata efficacia ad malum, quam eſt ipſum malum collatum bono:*
 aut

aut ſi bonum ſit majus comparatione mali, quàm efficacia ad malum comparata ad bonum. Enim verò in violenta reformatione, quam altera pars oppoſita vi poteſt facile ſufflaminare, major eſt efficacia ad malum collata efficaciæ ad bonum, quàm eſt bonum ipſum collatum malo: efficacia enim ad malum eſt facultas & potentia morali æſtimatione habilis ad ſupprimendam veram religionem, quæ comparata cum efficacia ad bonum, poteſtate ſcilicet eadem menſuratione difficili & dubia ad reducendam in vitioſis partibus, major utique eſt quam bonum, ipſa reductio, malo, ſcilicet ſuppreſſione Eccleſiæ Chriſtianæ. Itemque malum, ſuppreſſio illa totalis, majus eſt collatum bono, reformationi partiali, quam eſt efficacia ad bonum comparata efficaciæ ad malum, ſicut ex ſuperioribus patet. Quid laboramus itaque in re ancipiti & ardua, quæ plane, quod dici ſolet, velut * ἀετὸς ἐν νεφέλαις: ex qua plus damni metuendum: quam boni ſperandum, ſi, quod facile eſt, expectationem noſtram fallat. Quin illud potius cogites, * μὴ εἰκῆ τὴν Ἄβυδον, prudenter (*a*) Ariſtoteles * ὅτε μείτων ὁ φόβος τῆς ἐλπίδος, πῶς οὐκ ἄξιον φυλάττεσθαι & (*b*) Dion Pruſæenſis, * ἔστω δεινὸν καὶ ἄδικον: ἀλλ' οὐκ εἴ τι μὴ δίκαιον πέφυκε γίνεσθαι, δεῖ πρὸς τοῦτο φιλονεικοῦντας αὐτοὺς περιβάλλειν ἀτόπῳ τινι; Propius verò ad rem (*c*) Cicero. *Ubi* ἐπίτευγμα *magnum nullum fieri poſsit*, ἀπότευγμα *vel non magnum nociturum ſit, quid opus eſt* παρακινδυνεύειν? Sed hæc quidem nunc ſatis videntur expedita: quod enim impedire non potes citra maximum Reipublicæ & ipſius religionis diſcrimẽ, cur non ſtare per-

(*a*) Sicula ſecunda. (*b*) Tarſenſi altera.
(*c*) Epiſt. ad Att. lib. 13. Epiſt. 27.

permittes, ſtare inquam: non ulterius ſerpere, ire redire pro lubitu, multo minus laudare probare, adjuvare. Unde reſtat disquiſitio paulo ſuperiore gravior, quousque indulgere poſſit Princeps, ut in nudis permiſſionis terminis ſubſiſtat, nec ipſo facto participet; quando hoc, ut paulo ante diximus, nulla ratio jubet: nulla neceſſitas excuſat? Per exempla & caſus quosdam eamus ad lucem difficultati incendendam. Primo de legibus quæritur: An quod licet nude permittere, id etiam liceat tueri legibus, nec tantum eo fine, ut de conceſſo conſtet, ſed etiam ut jus aliquod quæratur illis, quibus indulget legislator, ne alii eos in exercitio & uſu rei permisſæ impedire poſſint? Sunt, qui id negant, quaſi videatur rem probare, quam lege defendit. Sed aliud nobis placet, idque Judæorum exemplo, quos imperium ab omni Chriſtianorum injuria publica tutela ſecuros facit: liberum eis ſuæ religionis exercitium, ædibus etiam ad id datis, in quibus cultui divino vacent. Nobis verò ſub gravi pœna prohibitum, ne feriatis diebus quocunque modo illis moleſtiam creemus, impediamus ritus & preces, Synagogas invadamus occiſis hominibus. Hæc ſi Judæis lex permittere poteſt, quid ni & hæreticis? quod enim per ſe malum eſt & fugiendum, ex objecto & perſonarum diſcrimine non fit bonum licitumque: nec civilis tantum Jurisprudentia erga Judæos munis eſt & benefica: ſed etiam (a) Canonicum jus, Pontificiis norma & compendium perfectæ bonitatis. Enimverò ne Judæos videamur patronos

 habere

(a) c. Sicut de Judæis. & c. Qui Sinceras. Diſtinct. 45.

habere noſtræ cauſæ, quos, per nos eſſet, ad Garamantas & Indos relegatos volumus, alio modo luculenter probabimus, in legibus illis permiſſivis, ut poſſumus vocare, nihil quod voluntatem, aſſenſum & mali approbationem ſapiat, reperiri. Ac initio ſciendum, ejuscemodi permiſſiones in legum nomem & familiam tranſire non qua aliquid permittunt, id enim repugnat naturæ & genio legis, quæ neceſſariaa determinatione ad faciendum vel non faciendum obligat, omnem electionem & liberum arbitrium excludit: in Republica vero patimur hæreſes, ut eſſe poſſint nullo pœnarum metu: non ut neceſſario ſint: adeoque injuria leges accuſamus de caſu, quo poſito leges eſſe deſinunt; ſed vel qua alios arcent, ne permiſſioni impedimentum ponant: vel qua ipſam permiſſionem limitant, definiunt, circumſcribunt quaſi finium regundorum judicio: neutro reſpectu legiſlator pro conſciente aut approbante haberi debet: non priori, quoniam rationis eſt, ut quod à ſummo Reipublicæ rectore ex certis cauſis & neceſſaria ſalutis publicæ cura permitti poteſt, idem & præſidio legum publico cuſtodiri poſſit, ne ab aliis, quibus nec alias fas eſt clavo Reipublicæ ſine auctoritate & mandato Imperantis manum admovere, petulanti aut præpoſtera temeritate impediatur: nulla hic approbatio mali: nullum auxilium, ſed tantum impedimenti externi, quod metui poteſt, remotio, eaque ad finem bonum ac honeſtum, videlicet civitatem pacandam & à civilibus bellis liberandam ordinata. Veluti qui catarrhactis & aggeribus perfoſſis reſtagnantem

aquam

aquam in planitiem & agros immittit, quæ oppido diluvium minabatur, non delectatur meſſis corruptione fundorumque naufragio: ita nec Princeps hæreſium inundatione, quibus ab aliis non ſinit obſtaculum poni, quo minus libertate publicè permiſſa fruantur: nec poſteriori: quoniam quod permitto, ſed certis conditionibus, certo modo graduque, quantum actuale exercitium attinet, idque ægro animo & invitus ex ratione & neceſſitate Reipublicæ ad majus malum præcavendum, illud profectò non approbo, ſed condemno potius:non adjuvo: ſed reprimo, quãtum integra publica trãquillitate poſſum. Voluntatis objectũ hic aliud eſt ab objecto permiſſionis. Hæc enim immediatè ipſum malũ intendit, quod permittit,ſed undè,citra cooperationam. Sed voluntas non vult malum approbãdo, ſed permittit illud non impediendo,quod negare eſt actionem non ponere:at cõſentire & juvare eſt ponere non negare. Duo actus ſunt legis permittentis. Unus nuda mali permiſſio nec actio eſt, ut dixi, nec lex permiſſiva eo cõceptu lex: Alter circumſcriptio, limitatio & modificatio iſti' mali, ne debitos cancellos proterve tranſiliendo ulterius progrediatur, aut exerceatur alio modo, quam certo illo & definito. Neuter actus hæreſin probat, neuter juvat: neuter conſcientiæ ſtimulum injicit licitum faciendo, quod per ſe illicitum eſt: impunitas externa & ſecura à metu legis actio conceditur, nec ea amplius, quam intra conditionem modumque publice determinatum perſtiterit. Hæc de legibus permiſſivis in genere ſufficiant, quæ non aliter à quibusdam probantur, quod ſecundo loco notamus, quam ſi lex malo certum

tempus præfixerit , quo elapſo permiſſio & indulgentior gratia expirare debeat: quando enim, inquiunt, æterna ſecuritas conceditur, ſublatis excuſationum cauſis , quæ conniventiam aliquam ſuadent, non tam cenſeri Principem ex certo conſilio ferre malum , quàm aut ignavum negligere, aut probare corruptum: quippe deſinere aliquando illam neceſſitatem , & reſtitui Rempublicam in eum florem, qui ſine ullo periculo aut metu majoris mali ad pravas in religione opiniones proſcribendas ſibi ſufficiat : per ſe itaque illicitum aliquid eſſe, perpetuam cum hæreticis pacem facere. Verùm quod probationem & aſſenſum actualem aut directum concernit, idem reſpondemus, quod ante: nam ſi ad certum tempus poſſibilis eſt aliqua permiſſio absque conſenſu: ratio nulla, quod non etiam ſine temporis expreſſi definitione : niſi enim aliquid novi vitii acceſſerit, tempus ipſum, ſeu breve ſeu longum , permiſſionem nec meliorem reddit, nec deteriorem : itaque omnis hic difficultas in negligentiam reſolvitur. Scilicet Princeps qui malo obſiſtere poteſt, nec facit, neglecti muneris & poteſtatis proditæ reus eſt, nec enim fruſtra gladium cœlitus acceptum gerit, ſed in vindictam ſcelerum & malitiæ. Vera hæc eſſe haud inficior, ſi fides non obſtricta de crimine non puniendo. Quod ſi autem verba data, ſi impunitas promiſſa , jam juri naturali nihil tam congruens eſt, quàm pacta ſervare. Sed, inquis, non oportuit promittere : non valet de illicita re promiſſio : reſpondemus, utique non oportuit, niſi debuit, his autem

* (a) καὶ ταῦτ' ἀνάγκη μοῦσι, δυσμήδεά γε.

Nam ingens telum neceſſitas, adverſus quam ne Dii quidem pugnare poſſe dicuntur. Euripides in Helena:

* Λόγος γάρ ἐστιν σοφῶν ἔπος.
Δεινῆς ἀνάγκης οὐδὲν ἰσχύειν πλέον.

Promiſſio de illicita re non valet, ſi res actio ſit turpis, juri naturæ aut gentium adverſa: non etiam ſi negatio actionis debitæ, ſed neceſſitate aut alia ratione civili omiſſæ. Quid enim ſi hæretici, qui Reipublicæ potentiam & vires in manu habent, nolint pacem niſi fidam & perpetuam: an æternum bellum cum Reipublicæ & ipſius Orthodoxæ religionis peſte præfracta contumacia ſuſcipiendum? Quid quod minori longe neceſſitate, imo pene nulla Judæos toleramus non expreſſo migrationis tempore? Quid quod Turcis vaſtiſſimas Chriſtiani Orbis terras confecta pace vel habere ſinimus, vel ultra cedimus, mox ſpiſſis & infelicibus Mahumetiſmi tenebris obnubilandas? Hæc talia στερρὴ ἀναγκαῖα excuſat, non etiam hæreſium tolerantiam, quæ corrigi & emendari nequeunt? Aliena hic diſtinctio inter hæreticos, qui in Eccleſia, & ſectas alias, quæ extra eam ſunt: nam in ratione puniendi & ſeveritatis modo aliquam applicationem & uſum iſta habent, non in permittendi jure: quoniam ſi ſimpliciter vetitum de malo tolerando paciſci, non in ſolos hæreticos regula illa ſæviet, ſed quantoſcunque alios errores. Itaque cum de puniendis coercendiſque pravis religionibus quæſtio eſt, acriorem paulo adverſus hæreticos proceſ-

(a) Ariſtoph. in Concionatric.

proceſſum Eccleſia jurisdictione ſua defendit: in permiſſione nihil quod prætendat, habet: Nam & extraneis, non illis tantum, qui in noſtra ſunt poteſtate & gremio aliquid poſſumus permittere; permiſſio enim nullam jurisdictionem arguit, ut puniendi reos facultas. Adhæc ſi hæreticis permittimus libertatem religioni ſuæ nullo certi temporis decurſu finiendam, non promittimus æternitatem malo, ſed impunitatem ſolum, quam diu rebus ſic ſtantibus illud duraverit. Quam multa vero interim accidere poſſunt in ſalutare remedium? princeps inter hæc eſt divina providentia, quæ Eccleſiæ ſuæ jugi auxilio proſpicit: convertentur aliquando homines nullo labore, & ſuopte ingenio ad ſaniorem mentem redibunt, quos paulo antè non ferrum, non ignis, non equuleus fregit. Quod ſi verò reſumpta audacia fortè improbiores fiant, ſi nec fidei religio aliqua eis ſit, nec promiſſorum ſanctitas, ſi pacis conditiones, quibus in gratiam recepti, violent, poſitos limites præcipiti ſaltu profanent, ſi turbas dant nec vivere in Republica quietè volunt: jam nec ipſemet amplius vinculo teneris, quod alii prius ruperunt. Quare circumſpice, an tibi expediat fortiora remedia inſanabili furori adhibere Forte enim numero, potentia, viribus, auctoritate decreverunt, juſto Dei judicio ad inſaniam acti, ut puniantur: Forte plebs rudis & ſubita priori ſanctitatis ac modeſtiæ imagine decepta, ſi ambitionem eorum & immoderatas ſpes apertius deprehendet, tuis partibus ultrò accedet relicta diſciplina, in qua tumultuari & perfidum eſſe bonum opus eſt: Forte ſcelus nunc

nunc duce & patrono deſtituitur apertum invaſioni & expugnatu facile: ita tibi nonnunquam *ſine ſacris hæreditas* obveniet, ante immenſis ſumptibus nec ſine periculo fruſtra quæſita. Tertia de infamia quæſtio, hæreticis demenda. Nimirum tam civilia jura quam Canones meritiſſimam pœnam hæreticis jam ab antiquo irrogarunt, infamiam: dubitatur itaque, an ſalva pietate Princeps eam aliquando minuere poſſit aut tollere? Nihil videmus cauſæ cur non affirmemus. Mutationem patiuntur hæc jura, & ad faciem Reipublicæ tractabilia ſunt: in jure divino autem & naturali nulla lex de neceſſaria hæreticorum infamia, adeoque tota res arbitrii & voluntatis ejus, qui præeſt Reipublicæ. Iſte ſi premendos hæreticos decreverit, inter alias pœnas & infamia præſto eſt illis inurenda, ſi viderit tolerandos: eandem quoque abrogare poterit: quæ enim hæc tolerantia cum infamia cōjuncta? quæ religionis indemnis permiſſio tanta labe adflicta? Quomodo quies in Republica ſperanda perpetuo iſto calcari animi ad pacem compoſitis ſubdito? Quarta diſputatio de bonis Eccleſiaſticis hæreticis poſſeſſoribus qui, ea inter turbas publicas occuparunt, relinquendis minus difficultatis habet, quoniam ſi ipſos homines cum falſa religione inter nos rectè poſſumus pati, iiſdem profecto & bona relinquere, non niſi novo tumultu, & cum exercitu eripienda: ad quaſcunque pias cauſas fuerint dicata, in Republica & jurè Imperantis manent, qui de illis diſponit, ut è re publica viſum eſt, ſecundum ea à nobis paulo infra amplius tradenda: Fac tamen

men relinquere poſſe: an & cedere pacis cauſa nondum occupata? Difficilius id quidem, opinor tamen, quod omnino, ſi neceſſe fuerit, imprimis ſi libera hominibus abeundi facultas excepta, hos enim vix eſt, ut rectè ad aliena ſacra quæ falſa eſſe haud ignoramus, quaſi ad laniенam tradi fas ſit. Bona verò, quæ propter Rempublicam, ejus ſalutis & incolumitatis cauſa cuivis dare licet: præſtat enim quorundam jacturam facere, ut pacem certam & fidam habeamus, quam dubios belli eventus porro experiri: Si poſſeſſor conceſſis abutitur, non noſtra ea culpa, ſed male utentis, in cujus caput recidet malum, quod Deus ex ea cauſa immittit. Ex his quinto loco ſua ſponte liquet, defenſionem & patrocinium poſſe Principem hæreticis licitè promittere, ſi forte religionis ſuæ cauſa, quæ certis legibus permiſſa, injurias patiantur. Nam quorſum pertinet iis impunitatem ſpondere, niſi implorantibus auxilium adſit contra eos, qui inſuper habitis conſtitutionibus & edictis ea de re conditis malum bene reconditum movere cupiunt? ex multiplici ratione tales pœnam merentur: primo quod eos temere impetant, qui in publica & ſpeciali legum ac Principis ſummi tutela ſunt: Deinde turbas & ſeditiones videantur ciere velle: tertio, quod contemnant legum majeſtatem: quarto quod ſint alieni juris uſurpatores: quintò Reipublicæ vindictam privata auctoritate præripiant: quod peſſimi exempli: denique plus ſapere velint Rectore civitatis, cui ſumma rerum à Deo conceſſa: Tantum pro inſtituto de hæreticis tolerandis. Nunc ad alia.

§. 70.

§. 70. Hactenus de jure & officio Imperatoris prolixe egimus, qua circa totum religionis corpus verſatur. Præterea dignantur aliquando leges ſingulis etiam partibus ſpeciali cura auxiliove ſubvenire: & rationis eſt, ut cujus in totum corpus: eidem & in ſingulas ejus partes ſit. Fit verò illud vel in iis, quæ ad ſubſtantiam fidei & ſalutis ipſam ſummam pertinent: vel quæ ad ſtatum & diſciplinam Eccleſiaſticam ordinandam. In fidei ſubſtantia: veluti (*a*) de Deo uno, eſſentia, perſonis trino: de ſecunda perſona in tempore incarnata, paſſa, mortua, tertio die reviviſcente, & viſibili motu in cœlum ſublata, &c. (*b*) de credenda præſentia Chriſti in Sacra cœna tam ſub una quam utraque ſpecie perfecta & ſolida: (*c*) de ratione celebrandarum Miſſarum: (*d*) de mortuis ungendis confirmandisque Chriſtianorum liberis. (*e*) De imaginibus Chriſti & Sanctorum in Eccleſia tolerandis: (*f*) De credendo libero arbitrio: (*g*) De fide cum bonis operibus ad juſtificationem conjungenda: (*h*) De credendis ſeptem Sacramentis: imprimis vero vide declarationem Caroli V. Imperatoris in Receſſu imperii Auguſtæ Vindelicorum Anno 1548. publicatam, atque, ut rubrica habet, à Statibus acceptam, in qua de homine ante & poſt lapſum, de redemptione per Chriſtum facta, de juſtificatione, ejusque utilitate & fructu; de caritate

(*a*) L. 5. & 6. C. de SS Trin. (*b*) R. I. de Ann. 1530 §. Demnach gebieten und wollen wir. (*c*) Ibid. §. Und gleicher weiß ſollen. (*d*) Ibid. §. Wir gebieten und wollen auch. (*e*) Ibid §. Dieweil auch die Bildniß. (*f*) Ibid. §. Ferner als etliche halten. (*g*) Ibid. §. Und nachdem. (*h*) §. Und ſonderlich ſoll.

ritate & bonis operibus, de remiſſione peccatorum, de Eccleſia, ejusque ſignis, poteſtate atque auctoritate: de Miniſtris Eccleſiæ: de ſummo Epiſcopo aliisve. De Sacramentis in genere: de Baptiſmo: de Confirmatione: de Pœnitentia: de Euchariſtia, de extrema unctione, de Ordinatione, de Matrimonio, de Miſſa: de memoria Sanctorum in Sacramento Miſſæ, de interceſſione & adoratione Sanctorum: de communione in Sacramento Miſſæ celebranda: denique de ceremoniis Sacramentorum, prolixa inſtitutione & quaſi catechetico compendio agitur. In Statu & Eccleſiaſtica Diſciplina conſtituenda major liberiorque legum auctoritas: primo de clericorum moribus & vita. Miſſam facio nunc veterem Judæorum Rempublicam, in qua David cœcos & claudos à miniſterio removit: Ezechias & Joſias mundari Sacerdotes præceperunt: non indigemus alienis exemplis: Chriſtiana Reſpublica abunde ſatis ipſa habet. (*a*) Juſtinianus vetat evagari Epiſcopos, alea ludere, adſiſtere ſpectaculis: *maximam ſe habere ſolicitudinem*, ait, *circa vera Dei dogmata & circa Sacerdotum honeſtatem*: longe ante eum (*b*) Conſtantinus prohibuit Clericos ad ſordidū munus ſubeundū compelli. De electionibus quoq; Clericorū & Epiſcopi multa & varia conſtituta: (*c*) cum quis eligi poſſit & quomodo debeat: quanto item numero & inde; tum quis eligi nequeat: (*d*) non officialis aut Rationalis interverſa ratione fiſcali: (*e*) non curialis:

(*a*) non

(*a*) Nov. 6. c. 11. Nov. 123. c. 10. (*b*) L. 2. C de Epiſc. & Cler. (*c*) L. 11. l. 31. l. 42. l. 48. C. de Epiſc. & Cler. (*d*) l. 4. C. Eod. (*e*) Nov. 123. c. 15.

(*a*) non cenſibus adſcriptus, (*b*) non ſervus, niſi domino volente aut ſciente: (*c*) De ætate Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi. Diaconiſſæ. Tum verò ratione muneris Epiſcopalis: (*d*) ut Epiſcopus quisque in ſua Eccleſia reſideat: (*e*) ne ab illa ultra annum abſit: (*f*) ne ad comitatum Principis ſine literis commendatitiis accedat, à Metropolitano, vel Patriarcha vel Archiepiſcopo impetrandis. Ne Eccleſiam litium cauſa relinquat? (*g*) ut Synodum quotannis agat ſolemné, (*h*) ne tutelas ſuſcipiat. (*i*) Ne pro aliis fidejubeat, ne ſit colonus, publicanus, procurator, ſusceptor fiſcalium functionum. De celibatu variatum. (*l*) Conſtantinus Clericorum conjugio eximio immunitatis privilegio proſpexit. (*m*) Juſtinianus verò Epiſcopis, Presbyteris, Diaconis Subdiaconisve: denique omni Clero uxoris ducendæ facultatem ſub pœna privationis muneris Eccleſiaſtici interdixit. Sed (*n*) Leo Imperator ratione impulſiva Juſtiniani erudite refutata ejus Conſtitutioni perpetuum indixit ſilentium, & nemini voluit liberos legitimos impedimento eſſe debere, quo minus ad Sacerdotium & Epiſcopatum promoveatur, dummodo aliàs

(*a*) lib. 16 l. 37. pr. C. de Epiſc. & Cler. Nov. 123. c. 17. (*b*) d. lib. 37. §. 1. d. Nov. 123. cap. 17. lib. 38. C. eod. Conf. cap. 4. d. Nov. 123. (*c*) Nov. 123. cap. 13. lib. 9. C. de Epiſc. & Cler. (*d*) Nov. 67. cap. 3. (*e*) Nov. 6. cap. 3. (*f*) d. Nov. 6. cap. 3. Nov. 123. cap. 9. (*g*) d. Nov. 123. cap. 10. (*h*) d. Nov. cap. 5. (*i*) d. Nov. cap. 6. (*l*) lib. 2. §. 4. C. de Epiſc. & Cl. (*m*) lib. 45. C. Cod. Nov. 6. cap. 5. Nov. 22. cap. 45. x.ov. 123. cap. 15. (*n*) Nov. 2. & 3. Conf. cap. 6. cum olim. N de Cler. Conj. cap. 12. Nicæa Synodus: Diſt. 31. 3. cap. 4. p. 12. Diſt. 30. & cap. 8. Diſt. 31.

eo dignus ſit. (*a*) Porro arcentur à Clericis extraneæ mulieres, ne eorum pudicitiam & caſtitatem tentent, aut pravis ſuſpicionibus occaſionem præbeant: unde Monachos Monaſteriasve ſeparandas (*b*) Juſtinianus cenſuit. De pœna Presbyterorum, qui falſum teſtimonium dixerunt, (*c*) ſpeciali lege Theodoſius cavit: (*d*) de peculio etiam Clericorum & ſucceſſionibus ab inteſtato alia extant jura: Pene verò ambitus ſacri oblitus eſſem, de quo graviſſima (*e*) Conſtitutio Leonis & Anthemii & (*f*) duæ Juſtiniani Novellę: & quis tandem omnes leges recenſuerit, quæ de moribus & vita Eccleſiaſticorum aliquid diſponunt: nec enim capituli aut paragraphi hoc eſt argumentum, ſed integri voluminis, extra tamen noſtrum inſtitutum: nobis enim exempla ſufficiunt: Deinde ut in Eccleſia omnia ordinate & εὐσχημόνως fiant, plurima in hanc rem conſtituta leguntur: (*g*) de Pſalmodia, de reliquiis, de xenodochiis, orphanotrophiis, ſimilibusque locis pauperum ſuſtentationi dicatis: de foro competente & modo litigandi, de legato ad pias cauſas, de privilegiis Eccleſiæ & locorum piorum: (*h*) de litaniis aliisque infinitis: Tertio poteſtatis Eccleſiaſticæ abuſus coercitus, & Epiſcopis (*i*) interdictum, ne quem ante legitimam & plenariam cauſæ cognitionem excommunicent, quod utinam olim curia Romana religioſius ſervaſſet

(*a*) L. 19. C. de Epiſc. & Cler. Conſ. 123. cap. 29. (*b*) in lib. 44. C. ead. (*c*) l. 8. C. eod. junct. Nov. 123. cap. 20. (*d*) l. 20. l. 34. l. 50. C. de Epiſcopis. & Cleric. (*e*) in l. 31. C. eod. (*f*) Nov. 6. & 123. (*g*) l. 3. l. 25. l. 26. l. 28. l. 32. l. 33. l. 35. l. 42. §. 10. l. 46. & t. t. C. de Epiſc. & Cler. (*h*) Nov. 113. (*i*) l. 30. C. de Epiſc. & Cler. Nov. 123. c. 11.

vaſſet, ubi temerario plane & præcipitato proceſſu plerunque ex nubibus fulminatum. Denique, ne nimius hic ſim, cavendis ſchiſmatis & hæreſibus multiplex legum cura: in duobus tamen præcipue; (*a*) legitimo conciliorum uſu & executione: ac (*b*) diſputationum ocioſarum inutiliumque prohibitione: qua in re profecto multum ad concordiam Eccleſiæ conſervandam ſitum eſt. Veriſſimum enim, quod Siſinius ad Theodoſium Imperatorem, *diſputando de Sacris accendi tantum contentiones*, cujus mali ſi ullum aliud, ſuperius ſane & noſtrum hoc ſeculum triſte argumentum eſt, in quo omnes malunt diſputare, quàm vivere. At longe aliter Andronicus, rerum divinarum peritiſſimus Imperator, qui minatus eſt ſe Epiſcopos in amnem abjecturum, ſubtilius de iſto, quam par eſt, diſputantes: *pater major eſt me*. Aliter Leo & Anthemius, vetuere monaſterio egreſſos de rebus ſacris diſſerere: quoniam verò hoc argumentum alium ſibi locum dari poſtulat, eousque ſuſtinemus calamum.

§. 71. Præclara hæc veterum Imperatorum in legibus de rebus ſacris ferendis, veſtigia Carolus M. & ejus ſucceſſores pia imitatione & ſequela pro jure ſuo calcaverunt, quorum Capitularium Francorum tantum non dimidiam partem iſtud inſtitutum abſumit. (*c*) Ibi enim de vita Clericorum, morum integritate & ſanctimonia,

 erudi-

(*a*) L. 7. § 4. C. de SS Trin. Nov. 115. cap. 3. § 14 Nov. 131. cap. 1. (*b*) lib. 4. C. de SS. Trinit. l. 29. §. 1. C. de Epiſc. & Cler. (*c*) Vid Cap. l. 1. cap. 72. 75. 90. l. 5. cap. 25. 78. 95. 102. 103. 115. 178. l. 6. cap. 126. l. 7. cap. 93. 163. Lehman. Chron. Spiſenſ. lib. 2. 33. & 34.

eruditione, officio, actionibus, convictu, exercitio pietatis: de ſcholis & liberorum inſtitutione, Xenodochiis: de electione Clericorum & Ordinatione Paſtorum, de conjugio permiſſo: de Viſitationibus, Synodis, de Monaſteriis, Monachis, de jurisdictione Epiſcoporum & innumeris aliis nobiliſſimæ leges ſunt. Imperio ad Germanos translato eadem jura Imperatores uſurparunt, nullo Pontificum impedimento, usque ad Heinricum IV. cui primum à Gregorio VII. ea de re lis mota eſt: inde per vices, prout imperium Principes habuit, vel vindicata antiquæ poteſtatis momenta, vel ignavè derelicta; manſere tamen ad hunc usq; diem reliquiæ aliquæ, & ſiquæ periere, niſi nobis ignavis eſſe placeat, facili opera recuperari poſſunt: Volumen Receſſuum imperii haud pauca habet, ad diſciplinam Eccleſiaſticam ordinandam ab Imperatore ex conſilio & aſſenſu Statuum conſtituta: (a) Scilicet ne Concionatores palam aut occulte in contemptum aut invidiam Magiſtratus loquantur: ne prius ad miniſterium & conciones publicas admittantur, quam per Epiſcopos probe examinati, luculentum vitæ honeſtæ, eruditionis, & fidei documentum dederint: ne pro ſuggeſtu quicquam ad populum declament, quod ad tumultus, ſeditiones, aut hæreſes concitandas facere videatur: ne Evangelium alio quàm ſacræ ſcripturæ & probatorum Doctorum ſenſu doceant: ne populum ab officio Miſſæ, precibus ſolitis ac operibus bonis abducant, ne Clerici Paſtoresve conjugati in beneficiis & miniſterio tolerentur; ſed ab illis pro-

(a) Vid. Rec. Imp. de Anno 1530. §. deßgleichen & ſeq.

propediem remoti aut ad dimittédas uxores adigantur, aut contumaces imperio ejiciantur: ne Clericis inhoneſtæ vitæ, veſtium ſcandaloſarum & ſcortorum poteſtas fiat, ne Beneficia & Fundationes in conſtitutionibus ſuis, regulis, ceremoniis, vivendique modo præſcripto turbentur; ne vacua beneficia perſonis inidoneis conferantur contra defunctorum voluntates & diſpoſitiones, nec Ordinariis in viſitandi & puniendi jure ulla vis fiat aut mora: quæque alia ſunt ad Eccleſiaſtici Status emendationem pertinentia.

§. 72. Porro notatu dignum & illud eſt, legislatoriam Principum circa ſacra poteſtatem non tantum ea comprehendiſſe, quæ vel divinis literis congrua ſunt, vel ſua natura adhuc indifferentia, & in neutram partem nec bonam nec malam determinata: ſed quæ Apoſtolorum canonibus & divina lege jam definita erant, interdum paulo aliter mutata eſſe. Ita eſt (*a*) canon Apoſtoli Pauli ad Timotheum, ne νεόφυτος Epiſcopus fiat, Laodicena quoq; Synodo renovatus, quem tamen nec Theodoſius in electione Nectarii, nec Valentinianus in electione Ambroſii ſervare dignati ſunt: Ita amplius eſt (*b*) canon, ne in Diaconiſſam eligatur vidua minor annis ſexaginta, quem (*c*) Theodoſius lege lata confirmavit: Verum Juſtinianus contracto ætatis tempore quadragenariam eligi permiſit: Imò, quod magis eſt, Ezechias Judæorum Rex abſolutæ pietatis encomio dotatus aliquoties ceremonialem Dei legem, alias ſtrictiſſime obſervandam contrario

 juſſu

(*a*) 1. Ad Tim. 3, 6. (*b*) 1. ad Tim. 5, 9. (*c*) l. Nulla C. Theod. de Epiſc. & Cler. Nov. 123. cap. 12, 13.

juſſu non tam abrogavit, quam κατ' ἐπιείκειαν explicavit. Scilicet (*a*) lex erat divina, *ne quis impuratus Paſcha manducaret*: Hic tamen (*b*) Rex fuſis primum ad Deum precibus poteſtatem fecit, ut immundi etiam de ſacro veſcerentur: Nota eſt & illa (*c*) ritualis lex, ut pecudes non niſi per Sacerdotes jugularētur; (*d*) ſed bis ab eodem Rege penuria Sacerdotum preſſo Levitæ ad illud muneris adhibiti ſunt: non ut Dei mandatis contumaci imperio obſtreperet, ſed ex officio boni legum divinarum interpretis, quas tali rerum conſtitutione & neceſſitatis caſu non obligare cenſebat: Nam ejusmodi declaratio quemadmodum à privatis hominibus contra juris civilis literalem ſenſum in rebus moram non ferentibus quandoque fieri ſolet: ita quoque à ſummis Poteſtatibus in ſacris negotiis, collectione idonea ex ſuppoſito caſu ſumpta, ne quidem Deum voluiſſe tunc lege homines obligari: quem in locum Decretum etiam illud Machabaicis temporibus factum referri debet, die Sabbati nulla in tertium Decalogi præceptum injuria adverſus hoſtes urgentes pro vita & patria pugnare licere.

§ 73. Cæterum ad rectè & feliciter utendi juris modum pertinet Sacrorum Canonum auctoritatem in conſilio & pretio habere, ubi leges de rebus ſacris ferendæ ſunt: nam & antiqua ſanctimonia ſua facilius obſequium à ſubditis in religione alioqui ſcrupuloſis, impetrant, & probo exemplo ſunt Eccleſiaſticum Statum ordinaturis; ex

(*a*) Lev. 7. 10. & 21. (*b*) 2. Chron. 30, 18. (*c*) Lev. 1, 5. (*d*) 2. Chron. 29, 34. & cap. 30, 17.

ex quo laudabilis illa legum modeſtia, *non dedignantium ſacros canones ſequi:* imo Imperatorum etiam, *ſe ſacris canonibus devinctos* profitentium, addita libertate edictis ſuis non parendi, ſi quæ illis adverſa mandaverint. Cavendum tamen ſedulò eſt, ne iſta Principum pietas imperatoriæ majeſtati fraudi ſit, ac pro Eccleſiæ auctoritate & jure condendarum legum, quibus etiam oporteat ipſosmet ſummos Civitatum Rectores ſubeſſe, adulatoria cavillatione accipiatur: Cùm enim leges civiles non dedignari dicuntur ſacros canones ſequi, id voluntatem legislatoris explicat, non jus demit: ita enim Principes nec Medicos nec Conſiliarios, nec Architectos, nec peritos militaris rei dedignantur ſequi: cur igitur Patres & Theologos, in divinis oraculis doctiores? quod illi ſuggerunt, conſilio, rationibus, uſu, haud quaquam ex ſe ipſo in legem valiturum, id, ut ratum ſit, ſancit Princeps ac confirmat, non neceſſario obſequio accipit: Sicut alienæ Reipublicæ jura & mores cuivis Imperanti citra jacturam ſuæ poteſtatis in civitatem ſuam transferre licet, ac ut pro legibus habeantur, mandare nullo eorum, quibus origo debetur, alio quam gloriæ aut prudentiæ commodo. Sicut Athenienſium leges Civitate Romana donatæ in ea non ideo valuerunt, quod Athenienſium fuerint, ſed quod à Decemviros Romanis, in quos populus omnem ferendarum legum poteſtatem eo tempore contulerat, ſint conſtitutæ; ita Eccleſiæ canones, ſeu antiqui, ſeu recentiores, obligant cives in Republica qualibet, non tam qua Eccleſiæ ſunt, quam quà probati ab Imperatore

tore, & ſubditis in vim legum præſcripti. Devincti ſunt Principes canonibus, eo modo obligationis, quo legibus ſuis: non imperio ſuperioris, non coactione: ita enim ſemper legibus ſoluti; ſed libera voluntate & in teſtimonium clementiæ ac manſueti regiminis; Profitentur ſe ipſos obſervaturos jura illa, quæ ſubditis ſuis dant, ut æquiſſimam conditionem & parentium felicitatem intelligas. Præeunt aliis bono exemplo ad obſequium, ipſi extra illud, non eminentiorem in ſe poteſtatem adorant: nec tam damno eſt, quam munimento, libero agendi juri clauſula appoſita legibus, ne reſcripta contra eas impetrata valeant, quia per eam fraudibus & venali ſubreptitiorum improbitati occurritur, ſummo imperio nulla vis infertur: nam id ipſum ex voluntate & mandatis Principis, quod reſcriptis non paremus. Ne regio animo, negotiorum mole hinc inde diſtracto, per falſas preces malitioſe obrepatur; ne præceps iracundia inconſiderato impetu noceat: denique ne mutatio quævis intempeſtiva Reipublicæ & Principi male informato aut affectibus repentinis indulgenti fraudi ſit, extemporaneorum reſcriptorum cruditatem legum prudentia & majeſtas corrigit: ac per omnia id rationis eſt, ut recte & ſapienter proviſa ſubitis impetuque ſolo valentibus præſtent; ne pœniteat aliquando præcipitantiæ, ne imprudentiæ pudeat, non ne omnino non poſſit aliud mandari, in id ſubtrahitur vis & parendi neceſſitas reſcriptis illis, quo quid ſalutarius & ad imperium Principis firmandum melius eſſe poteſt? Lapideo profectò ingenio fueris, neceſſe

eſt,

eſt, niſi hæc capias: cape tamen exemplum, ſi iſta minus. Teſtator, qui primo teſtamento omnibus aliis, quæ poſtea facturus ſit, derogat, non ſe privat teſtandi facultate, quod vel eo facile intelligitur, quia teſtamentum poſterius nihilominus valet, ſi clauſulæ deroganti alia ſpeciali derogetur: cauſa itaque, quòd aliquando teſtamentum ſecundum repudietur, eſt ipſa teſtatoris voluntas, qui illud valere noluit, & ex ea præſumptio, non legitime plenoque ac libero jure ſecundo teſtatum. Eadem plane ratione reſcripta contra jus commune impetrata errantis animi aut coacti indicium ſunt, de quibus ipſe Princeps plenius informari cupiat. Duo hic ſunt Principis adverſa præcepta, unum ne pareamus reſcriptis; & alterum ut eis pareatur: Neceſſum itaque ut unum altero elidatur: Potius autem ſemper id nobis eſſe debet, quod maturius, quod utilius, quod denique ipſemet mandans cupiat in communi prævalere: id verò ſemper eſt illud, ne juri publico clancularijs & inconſideratis juſſibus injuria fiat: ſic enim & Reipublicæ & exiſtimationi famæque Imperantis magis conſultum: credendum itaque, ita velle Principem, & veluti literis occultis ipſi reſcripto derogare, cui proinde ex ejus voluntate potiore non paretur, non jure aliquo ejus, cui mandatum eſt: Turpiter falluntur, qui poſterius juſſum opponunt: Quid enim ſi Princeps jam ante præceperit, ne pareatur: Fieri id aliquoties ſolet, ut importunos hominum quorundam pro aſſignatione aliqua ad Quæſtorem dirigenda aſſidue ſupplicantium occurſus evitent: nam ante

monetur quæſtor, ne ſolvat, quamvis literis illis juſſus. Quid cenſes nunc, aut quid feceris Rationalis? Solves eo, quod poſtremo id mandetur? haud opinor: hoc enim ſimulate dixiſſe Principem explices, illud ſerio prohibuiſſe: eodem Præſes conſilio utitur, qui reſcriptum illud rejicit: Perſuadet enim ſibi aut neſcium Dominum mandaſſe, aut male conſultum, aut errantem; aut ebrium, aut præcipitem & iracundum, aut amore faſcinatum aut odio: aut tandem pravis animi affectibus aliis: ſed ne pareat, mandaſſe præſenti animo, ſcientem, plene edocto, ſobrio, præparato & expenſo; non amore, non odio, non iracundia, non impetu, non ullis deſideriorum nubibus impedito: quæ imprudentia igitur, ut ne dicam inſania, relicta voluntate honeſta & recta priore, poſteriorem ſequi præmaturam, erroneam, injuſtam, idque vetante ipſo Principe? Atque rem ſe eo modo, quo diximus habere vel una Juſtiniani (*a*) Novella, ut plurimas leges taceam, evincit, quæ diſertè ſtatuit, qui Eccleſiaſtici canones, à quatuor ſcilicet Synodis Nicæna, Conſtantinopolitana prima, Epheſina prima & Chalcedonenſi, expoſiti aut confirmati, vim legis obtinere debeant: ab Imperatore itaque canones vim & obligationem legis accipiunt quam non habuerunt: Si verò non habuerunt, quomodo, antequam acciperent, aut ſubditos obligare potuerunt, aut, quod magis eſt, ipſum Principem? cujus ut eſt vim illam virtutemque conferre, ita & auferre: Proinde quod ſubditos obligent canones, id non ex intrinſeca & do-

meſtica

(*a*) Nov. 131.

meſtica eorũ virtute, ſed ſupervenienti legislatoris præcepto: quod verò & Principẽ, non ex Eccleſiæ auctoritate, ſed ſubjectione ſpontanea, eaque tali, quæ cum voluntate ſubjicientis ambulatoria, adeoque nec poſt promiſſum neceſſaria, ſummo imperio vel agendi libertati adverſa: Nimirum etiamſi fateantur Principes, ſe ſacris canonibus devinctos, non jus ex eo Eccleſiæ quæritur: planè quomodo nec civibus, ſi legibus ſuis ſe velle vivere dicant: ubique legum canonumque æquitatem commendant, quam nec ipſi fugiant aut vereantur, de poteſtate mutandi abrogandiq; nihil tranſigunt. Non promiſſum id proprie eſt aut pactum mutuæ perpetuæq; obligationis, ſed ſpes de regimine leni & juſto, quæ ſubditos aut alienos non adſumit in conſortium imperii: quanto minus in dominos?

§. 74. Facile nunc eſt judicium de quæſtione, an Eccleſia poteſtatem habeat leges ferendi? Ex ſe enim & quà Eccleſia eſt non habet, ita enim eſt cœtus fidelium, non ad imperandum à Deo ordinatus, ſed ſerviendum & precandum: Paſtores in ea non Domini, Principes, Archontes, ſed legati, nuncii, præcones, qui non ſuo imperio obligant, ſed alienum notum faciunt, cujus caput & ſummus RectorChriſtus eſt, qui regnum ſuum non eſſe de hoc mundo dixit, qui diligenter ſibi ab omni imperandi jubendique ratione politica cavit: qui ſeriò Apoſtolos ſuos increpuit ad regnum aliquod terreſtre adſpirantes: qui eisdem certam mandati formulam præſcripſit, loqui quæ audierunt, tradere quæ acceperunt: unde Paulus non auſus eſt Corinthiis

aliquid

aliquid propria authoritate præſcribere, quid de voto perpetuæ caſtitatis habendum; conſilium tantum dat, quod tamen non neceſſe ſit ſequi. Idem precibus apud Corinthios egit, ut Hieroſolymitis ſtipendio pio ſubveniant, non mandat aut jubet velut tributum: Unde Chryſoſtomus, *ad docendum paſtores conſtituti ſunt*, ait, ἐκ εἰς ἀρχὴν, ὐδὲ εἰς αὐθεντίαν nec officii eorum, νομῳ κρατεῖν: unde Græci Patres: τὸ νομοθετεῖν ἀνεῖται τοῖς βασιλεῦσι. Et ſupra etiam illud ex Chryſoſtomo citavimus, *non eſt nobis data poteſtas, ut auctoritate ſententia cohibeamus homines à delictis.* Si quid itaque aliquando Eccleſia ante Chriſtianos Imperatores conſtituit, non in vim legis valuit ipſo præcepto obligantem: ſed vel per modum conſilii directivi, quod probare & non ſequi nefas eſſet; vel pacti & conventionis mutuæ, quo cœtus ſe ad ſervandum libero conſenſu adſtrinxit. Interea veriſſimum eſt, particulares Eccleſias aliquando ab Imperatoribus Regibusque poteſtatem vicariam accepiſſe legibus & juriſdictione Ordini Eccleſiaſtico proſpicere. Verum jus illud eo ipſo, quo vicarium, non eſt proprium Eccleſiæ, ſed dependet à ſummo civili imperio, cujus arbitrio & virtute ſtat caditque. Nec enim Princeps à ſe abdicat omne jus, ſed plene illud retinet, delegata ſaltem aliis minore poteſtate, ſuo nomine & auſpicio exercenda. Unde & revocare momento poterit, quicquid commiſit, & reſcindere aut corrigere, quæ minus ex ipſius ſeu voluntate ſeu mandato à delegatis acta ſunt, imo quamvis omnia rite & ex voto imperantis perfecta, ac publica auctoritate confir-

mata, eadem majore Principis jure licet revocare, ſi mutato poſt conſilio parum è Republica videantur. Atque hujus ſuperioris imperii plenæque Synodi tantum non ſingulis conſtitutionibus ſuis expreſſione aſſenſus ſummæ poteſtatis mentionem faciunt, unde frequens illa formula in recognitionem delegatæ poteſtatis concepta. *Præcipiente Rege : Decreto glorioſiſſimi Principis : conſultu piiſsimi & religioſiſſimi Domini, annuente religioſiſſimo Principe : conſtituit aut decrevit Concilium.*

§. 75. Verum autem eſſe, quod diximus, Decreta & conſtitutiones Eccleſiæ ac Synodorum ab illis, qui Reipublicæ præſunt, mutari poſſe, jam à Balſamo etiam exemplis confirmatum, qui canonem Concilii Chalcedonenſis refert, (quo ſtatuitur, *ut ſi qua civitas per imperiales literas metropolis nomen acceperit, ſolo titulo fruatur, & vera metropoli jus priſtinum integrū maneat*) ab Imperatoribus ſæpiſſime neglectum, qui plurimas Metropoles pleniſſimo jure erexerunt, quemadmodum (*a*) Juſtinianus quoque illam in Illyrico, donatam Archiepiſcopali jure, ita ut Theſſalonicenſi Archiepiſcopo nullum in eam Eccleſiam jus ſervaretur. Præterea quoties (*b*) Imperatorum edictis Veteres canones de Epiſcoporum electionibus aut mutati aut reſciſſi? Quoties alii item emendati, à Synodis confecti? Antiquiſſimus canon erat, ut ſingulæ Civitates ſingulos habeant Epiſcopos, à quo tamen & Iſauropolitanus & Tomenſis imperiali gratia excepti fuerunt: Tomenſi enim tota Scythia

(*a*) Nov. 9. (*b*) vid. lib. 36. C. de Epiſc. & Cler.

Scythia ſubjecta fuit. Denique quid aliud quàm civilium legum vim & auctoritatem ſupra canones arguit illud in Concilio Chalcedonenſi poſitum & jugiter obſervatum, ut nimirum Eccleſiaſticum regimen Reipublicæ civilium ordinem, velut exemplar, ſequatur? Canon, qui vigeſimus ſeptimus, ita habet: τοῖς πολιτικοῖς καὶ δημοσίοις τύποις καὶ τῶν ἐκκλησιαστικῶν ἡ τάξις ἀκολουθείτω.

ANNOTATA
Ad
CAPUT V.

§. I.

TAm apud gentiles.] Ita Romani imperii primi auſpices Romulus & Numa Reges de ſacris tulere leges: ipſimet etiam ſacrorum quorundam auctores, nec id *ſine miraculi commento*, ut Livius nihil diſſimulat. Præcipue verò alter hic quot inſtitutis ſacrariis clarus: Pontificis, Flaminum, Saliorum, Veſtalium Virginum: aliorumque Sacerdotiorum. Apud Græcas Civitates qui jurium conditores, iidem & ſacrorum, quibus Rempublicam niti credebant. Unde Lycurgi leges, Draconis, & qui præterea inter ſapientes claruere, primam religionis curam habent, qua recte ad indolem populi conſtituta cætera omnia ipſis in proclivi.

[§. 2. Ex adverſo cum à metu externo vacat religio.] Jam ſua ætate Hieronymus *in Vita Malchi* luctuoſam Eccleſiæ felicitatem cognovit. *Poſtquam Eccleſia cepit habere Chriſtianos Magiſtratus*, inquit, *facta eſt quidem opibus major, ſed virtutibus minor.*

[§. 3. ἀεὶ τινα στάσιν.] *Ut ſemper inter ſe diſſiderent ſervi: ſuſpicans concordiam & veritus.*

[§. 8. De honore & proëdria] Ea lis inter Romanam & Conſtantinoplitanam Eccleſiam diu agitata tempore Bonifacii III. finem accepit, Phocæ Imperatoris judicio pro Romano Præſule dicentis ſententiam. Honoris tamen magis quam poteſtatis victoria fuit, nec unius Pontificis jugo ſubjecit Catholicam Eccleſiam, ſed ipſi ſaltem in ea primum locum dedit ad inſtar Senatus Principis.

[Sed

[Sed vix ullus repertus eſt.] Tentatam quidem ab aliis quoque rem non ignoramus. Sed pleruműque infelici exitu. Gregorii II. & III. jam capiebant illa conſilia, dum alienata Italiâ ignibus ſuis micarent. Sed brevis ævi ſaltus fuit, immaturo impetu exuberans. Francorum enim Principum potentia & auctoritate ſubito repreſſus ſubduxit intra corticem verberibus timidum caput, tempus opperiens, quo opportunius luxuriaret, quod Gregorius VII. ſub Henrici IV. turbido imperio invenit.

[Imò vero Gregorius M.] Epiſtolarum ſuarum lib. 4. Epiſt. 34. 36. 38. 39. 40. Item lib. 6. Epiſt. 24. 28. 30. 31. Et lib. 7. Epiſt. 30. & 69. Res ipſi cum Johanne Jejunatore ac Cyriaco Byzantinis Patriarchis fuit, Epiſcopi Oecumenici nomen affectantibus. Eorum ambitionem acerbe perſtringit multis locis, quos omnes recitare inſtituto noſtro prohibemur. Summa tamen ſingulorum eſt, & injuriam fieri Eccleſiæ Chriſtianæ illo tumore, & jam Antichriſti ſuperbam tubam canere. Ecce pauca ſelecta ex magno cumulo. *Ego autem fidenter dico* inquit, *quia quiſquis ſe univerſalem Epiſcopum vocat, vel vocari deſiderat in elatione, Antichriſtum præcurrit, quia ſuperbiendo ſe cæteris præponit. Nec diſpari ſuperbia ad errorem ducitur: quia ſicut perverſus ille Deus videri vult ſuper omnes homines, ita quiſquis iſte eſt, qui ſolus Sacerdos appellari appetit, & ſuper cæteros Sacerdotes ſe extollit.* Idem alibi. *Triſte tamen valde eſt, ut patienter feratur, quatenus deſpectis omnibus prædictus frater & Coepiſcopus meus ſolus conetur appellari Epiſcopus. Sed in hac ejus ſuperbia quid aliud niſi propinqua jam eſſe Antichriſti tempora deſignatur? Quia illum videlicet imitatur, qui ſpretis in ſociali gaudio Angelorum legionibus ad culmen conatus eſt ſingularitatis erumpere, &c. unde per omnipotentem Dominum rogo, ne pietatis veſtræ tempora prætermittatis unius hominis elatione maculari: neq; tam perverſo vocabulo illum quoquo modo præbeatis aſſenſum.* Et rurſus alio loco *Certè Petrus Apoſtolus primum membrum ſanctæ & univerſalis Eccleſiæ eſt. Paulus, Andreas, Johannes, quid aliud quam ſingularium ſunt plebium capita? Et tamen ſub uno capite omnes ſunt membra Eccleſiæ. Atque ut cuncta brevi cingulo locutionis adſtringam, ſancti ante legem, ſancti ſub lege, ſancti ſub gratia, omnes hi perficientes Corpus Domini, in membris ſunt Eccleſiæ conſtituti, & nemo ſe unquam univerſalem vocare voluit. Veſtra autem ſanctitas agnoſcat,*

gnoſcat, quantum apud ſe tumeat, qua illo nomine vocari appetit, quo vocari nullus præſumpſit, qui veraciter ſanctus fuit. Itemque. *Nullus unquam deceſſorum meorum hoc tam prophano vocabulo uti conſentit, quia videlicet ſi unus Patriarcha univerſalis dicitur, Patriarcharum nomen cæteris derogatur. Sed abſit hoc, abſit à Chriſtiana mente id ſibi velle quempiam arripere, unde fratrum ſuorum honorem imminuere ex quantulacunq; parte videatur.*

[Huic monſtro occaſionem dederunt.] Certè quidem etſi fateri libeat, ſententiâ Phocæ Bonifacio Pontifici ultra primi honoris gradum & poteſtatis aliquid ſupremæ in Eccleſiam univerſalem adjectum eſſe, indubium tamen eſt illam, quantacunque fuerit, intra cauſas ſpirituales & fidei res compulſam, quarum titulo in civilibus etiam dominari non licuit. Recte igitur hoc monſtrum pridem in myſterio latitans, ac trepidè interdum per intervalla ſpiracula quædam edens demum Hildebrandi auſpiciis erupit, ſibique auſum eſt publicis decretis auctoritatem atque venerationem comparare.

[Illa doctrina caruiſſet.] Scilicet de ſuprema Pontificis poteſtate in omnes Reges & Principes Chriſtianos. De primatu enim & univerſali œconomia jam multo ante diſputatum eſt. Sed diſputatum ſemper: unanimi conſenſu pro Romano Præſule concluſum nihil. Græca enim Eccleſia & omnes in Oriente acerrimè ſemper reſtitere, ut notum eſt.

[Immenſis librorum centonibus.] Id præcipuè ſedulò à Jeſuitis præſtitum, qui nec dum in tanta luce deſinunt nobis fumos vendere: adeo ſibi poteſtate pontificis in omnia cœleſtia & terreſtria validâ, (qua Vicariatus illius fundamenta conſtant,) placent. Alii tamen leniendæ invidiæ cauſa indirectam ſaltem poteſtatem cudunt, in ſubſidium regiæ & civilis, quam à recto tramite errantem poſſit vi ſua & mulctis reducere. Ita Bellarminus, *Pontificem habere poteſtatem in temporalibus* aſſerit, *non autem habere poteſtatem temporalem, qua Pontifex eſt. c. 12. Contr. Barcl.* id explicat exemplo *carnis & ſpiritus. Caro ſubeſt: Spiritus præeſt. Et licet Spiritus non ſe miſceat actionibus carnis, ſed ſinat eam exercere ſuas operationes: tamen quando eæ officiunt fini ipſius ſpiritus, tunc ſpiritus carni imperat, eamq; caſtigat. Sic poteſtas ſpiritualis ſe habet ad ſecularem. de Rom. Pont. l. 5. c. 6.* Quantum per eam Pontifici liceat ad Principes in ordinem cogendos, alibi clarius exponit. *Si nolit Imperator ad nutum Sacerdotis gla-*

dium

dium ſtringere, vel ſi contra nutum ejus ſtrinxerit, & ſi res ſit ad bonum ſpirituale neceſſaria, coget illum Pontifex gladio ſpirituali, hoc eſt, cenſuris Eccleſiaſticis materialem gladium ſtringere, aut in vaginam recondere. Et ſi cenſuris non movebitur, & Eccleſiæ neceſſitas id requirat, liberabit ſubditos ejus ab obedientia, eiq́; imperium abrogabit. Contr. Barcl. cap. 19. Ad nutum igitur, ad ſervitium Pontificis Romani facti Principes, ut arietes ad pedum opilionis circumagendi. Tali enim comparatione Bellarmino Reſpublica legitur, ut non plus liceat imperantibus in ſubditos, quàm arieti in gregem, cui paſtoris juſſu ductuque præit. Videte hominis temeritatem & arrogantiam, ad quàm vile ac ſordidum munus Reges condemnet? quam in ergaſtula & compedes rapiat? Quem dictatorem illis præponat & rectorem, ex altâ ſpeculâ elata voce clamantem. *Ego paſtor ſum; vos populi ovicula eſtis; Reges veſtri ſunt arietes. Itaq́; dum Reges veſtri arietes eſſe perſeverant, ſino ut vos regant & ducant. Sed ſi vertantur in lupos, æquum ne erit, ut patiar duci oves Domini mei à lupis? Adverſ. Barcl. cap. 31.* imò non patitur, abigit, jugulat. Quid deinde ſubditos jubeat attendite. *Principi ab Eccleſia publica auctoritate excommunicato & depoſito, qui proinde legitimus Princeps eſſe deſinit, nulla deinceps obedientia debetur. Expende utrum majorem fidem habere debeas patri tuo Chriſti Vicario, & matri tuæ Eccleſiæ, quam uni falſo fratri, qui te ſeducit. Bellarm. eod. c. 31. adverſ. Barcl.* quaſi neceſſe ſit excidere imperio, qui gratia Præſulis illius excidit: aut ſeditione & motibus civilibus auſpicari cenſuras. Recte *M. Antonius de Dom.* ad hæc Bellarmini verba notat, *ea ratione privati ex Ethnicismo converſi multo eſſe meliorem conditionem quam Regis. In illum enim, ſi ſuis divitiis abutatur, papa nullam ne indirectam poteſtatem exercet. Hunc majeſtate & omni ſorte temporali ſpoliat, ſi abutatur. l. 6. de Rep. Eccleſ. c. 10.* Tanta amplitudo & licentia indirectæ etiam poteſtatis, profecto virtute ſua directæ, imo hâc ſequioris, & ejus magiſtræ. Quantum enim non per illam licebit Pontifici? quid non audeat hoc armorum genere? Quis illi inviſus ſecurus eſſe poterit, ut non obliquo fulmine feriatur? Certè illudunt nobis hoc commento publici hoſtes, & incruſtant atrociſſimum virus, quod in caudâ habent, neſcio qua ſpecie coloratæ amœnitatis. *Quamvis* enim, verba ſunt ejusdem *Marc. Antonii de Dom. d. l. ſpiritualis hæc poteſtas indirectè operans, nihil minor ſit minusq́; poteſ-*

 ſit,

ſit, quam ſuprema temporalis directè operans; nihilominus tamen, quia hi ipſi Theologi, qui hanc adhibuerunt moderationem ſatis frivolam, ad Papam pleniſſimè ſpectare docent definitiones & declarationes catholicæ doctrinæ, quis impediret Papam aliquem, ſi is ad occupandos terrenos Principatus etiam directè inhiet, minus ipſemet declaret, palponum ſuorum Canoniſtarum doctrinam de directâ poteſtate eſſe veram & catholicam, Theologorum vero eſſe reprobandam? Nemò me hercule impediet, nec Pontifex ſe ipſum, quin, quo ſuopte ingenio fertur, ad uſurpationem directæ quoque poteſtatis transeat. Magis enim placent illi Curiæ, qui vicariam majeſtatem nullis cauſis, nullis finibus includunt, ſed gnaviter blandiente adulatione civilia æque atque ſacra munia ſubmittunt. Ob id Bellarminus indignationem incurrit, quod indirecta ſua poteſtate mediocriter videretur Pontifici os ſublinire. Parum enim abfuit, *Barclajo* teſte *de Poteſtate Papæ. c. 13.* quin iratus pater *omnia Doctoris illius opera, quæ hæreſin ſummo hodie ſucceſſu oppugnant, pontificia cenſura magno cum Eccleſiæ detrimento aboleret, ut illius ordinis patres, cujus tunc erat Bellarminus, ſeriò mihi narrarunt.* Hinc alii prolixiori palpatione auram captantes laxant aggeres, & tota vi in respublicas immittunt periculoſos æſtus, capita Regum pro arbitrio ferentes. Diſertè *Alexander Carerius de Poteſtat. Rom. P. l. 2. c. 3. n. 18.* inquit *Ex quibus concluditur vere & juridice nullum in orbe Principem eſſe, qui delinquendo Romanum Pontificem in ſuperiorem non habeat, temporaliter eum, ſi expedit, punientem & deponentem, vel alios pro modo delictorũ corrigentem. Et cõtrarium aſſerere eſt hæreſis omnis hujus temporis hæreticorum.* Cap. 14. ejusdem Libri. n. 17. proponit obſervandum, *quod poteſtas triplex ſit: immediata ſcil. derivata, & in miniſterium data. Prima eſt in ſolo Papa. Secunda in omnibus Epiſcopis & Prælatis. Tertia in Imperatore, Regibus & Principibus ſecularibus, qui juriſdictionẽ ſuper talia à Deo mediante Papa accipiunt, in cujus ſignum ei fidelitatis juramentum præſtant.* Satis hæc clara & aperta diſtinctius exponit *Suarezius*, cum profligato pudore non veretur ſcribere, *Reges Chriſtianos non ſolum quoad perſonas, ſed etiam quoad regiam poteſtatem, hoc eſt, non ſolum ut homines, ſed etiam ut Reges Chriſtianos poteſtati pontificis ſubjici defenſ. adv. Angl Sect. l. 3. 32.* Sed tædet ſerio nugarum & inverecundiſſimæ ambitionis. Quid enim non auſuros homines credis, quibus tanto apparatu fa-

bulam

bulam ir.ſtruere, & pietatis ſpecie poſteris relinquere in diſciplinæ illorum parte eſt? Argumenta requirimus, rationes & cœleſtem auctoritatem. Velim mihi æternùm fidem abeſſe, ſi præterquam quod ſe mutuo fideliter exſcribunt, uno illorum utantur tantæ rei conficiendæ idoneo. Excreſceret in longum ſermo, ſi veſtigia preſſius ſequi & inania præludia oſtentationis tantopere intumeſcentis velimus explodere. Cordatus lector ipſe judicabit, quam dignum ſit patella operculum; nec pauca toto libro inveniet, quæ larvam ſpectro detrahunt & aſino indumenta.

[Quarum condendarum jus & poteſtatem ſibi Pontifices ſumunt.] Si non directò, quod quibusdam videtur, ſaltem per ambages & mediante Eccleſia, cujus, præſentis etiam, definitionibus metiuntur traditiones quasdam. Et rurſus auctoritatem Eccleſiæ ſubjiciunt Pontificis judicio. Gretſerus traditionum multiplicator *id eſſe traditionem Apoſtolicam*, inquit, *quod univerſa Eccleſia amplectitur & credit, in præſenti ſcilicet. Nam fieri poteſt, ut anteactis ſeculis res non fuerit plene patefacta, & perfectè diſcuſſa: & per conſequens contingere potuit, ut aliqui fideles de numero Canonicorum librorum dubitarent: vel etiam disertè hujus vel illius libri canonicam auctoritatem negarent, absque ulloCatholicæ fidei præjudicio: re nondum ſatis explorata, neque ad liquidum per Eccleſiæ Doctores diſcuſſa. Aut ſi olim ad liquidum explorata fuerat, poſtea temporis progreſſione iterum obſcurata, & dubitationum tenebris obvoluta. Hodie tamen re manifeſtè de numero canonicorum librorum compertâ & ſtatutâ diſſentire nequaquam licet.* Hæc Eccleſiæ tribuunt, ſed plus Pontifici in illam. Ejusdem Gretſeri verba ſunt in colloquio Ratisbonenſi. *Judex generalis, legitimus, ordinarius omnium controverſiarum, quæcunque poſſunt oriri in negotio religionis eſt Pontifex Romanus, ſive ſolus definiat aliquid, ſive definiat cum concilio generali. Iſte judex ſemper eſt infallibilis, quando ex cathedra definit, ut Pontifex, nulli errori obnoxius.* Eodem ſenſu, imò apertius Bellarminus. *Habent quidem Concilia tam generalia quam particularia judicium in controverſiis religionis, ſed illud judicium tum demum eſt firmum & ratum, cum acceſſerit ſummi Pontificis confirmatio, proinde ultimum judicium eſt ſummi Pontificis. l. 4. de R. P. c. 1.*

[§. 11. De interpretatione.] Vide quas pro jure interpretationis ſibi debito allegat rationes Ferdinandus Impera-

tor in edicti proœmio. Et quid regeſſerint Imperii Status Auguſtanæ Confeſſionis in diverſis proteſtationibus, quorum argumenta in compedium redacta habes apud Limn. *Tom. 1. Add. ad Lib. 1. J. P. c. 13. p. 161.*

[*§. 13.* Non deſperamus verò penitus.] Salutare fuit Procerum noſtrorum in conventu Osnabrugenſi conſilium de componendis religionis diſſidiis. Wenn man nun in dieſen Puncten allen und jeden mit GOttes Hülff zu einträchtiger freundlicher Vergleichung gelanget iſt / ſo halt man Evangeliſchen Theils davor / daß darum alsdann die Gedancken nicht hintan zu ſetzen / wie beyde Theil auch in denen ſtreitigen Glaubens-Articuln zur Chriſtlichen Einigkeit gedeyen konten / ſondern es möchten die Evangeliſchen von Hertzen wünſchen / daß die Römiſch Käiſerliche Majeſtät ein frey unparteiſch National Concilium an einem bequemen Ort Teutſcher Nation ausſchreiben / dabey die Requiſita ſolches Concilii in Acht genommen / und von Käyſerlicher Majeſtät ſolches nach dem Exempel Conſtantini Magni und anderer löblicher Chriſtlicher Käyſer dirigirt werden. Wolten ſeine Käyſerliche Majeſtät andere Chriſtliche Könige auch erſuchen / gelehrte / gottsfürchtige Leut dazu zu ſchicken / würde ſolches die lang erwünſchte Einigkeit in Glauben durch Göttliche Hülff trefflich befördern. Similia habet Thuan. l. 28. p. 564. e. 2. & 265. c. 1.

[Oecumenicum enim per ambitionem Romanæ Eccleſiæ non licet ſperare.] Imò nec poteſt hodie Imperator, ut olim, indicere œcumenicum, anguſtia imperii excluſus à cogendis ex omnibus Orbis partibus Epiſcopis. Vicini Reges nec accedent vocati, invidia gloriæ: nec, ſi acceſſerint, unius Imperatoris erit Synodus. Sed ſtabit autoritate omnium Principum, à quibus miſſi patres. Ac etiam utcunque omnes Reges Chriſtianos congregaveris, intra Europam neceſſe erit conſiſtere. Ex Aſia & Africa nemo advolabit. Vix vero mereri illud nomen concilii œcumenici poteſt, quod ex ſola Europa nec tota confluxit, tot in aliis mundi plagis reſiduis Chriſtianis, quibus nulla ſeſſio & nulla vota dantur in illo cœtu. Sive quod vocati non ſint, ſive quod invitatis non liceat venire interdicto Principum, quorum imperiis ſubſunt, ex frequenti coitione in ſe aliquid mali decerni metuentium. Et hæc cauſa fuit, quod diſcerpto Romano imperio confeſtim deſierint œcumenicæ Synodi celebrari, ut Chriſtiana res vix quatuor, aut ſi liberaliter calculus ineatur, ſeptem numerare

poſſit eo nomine ſine controverſia dignas, veluti à nobis infra dictum eſt. c. 8. § 4

[§. 15. *Qua de re plura alibi dicturi ſumus.*] Cum volente Deo in cauſis civilibus jurisdictionem imperatoriam alio loco trademus. Illuc enim ſpectat concurrentia aulici Conſilii cum Camerâ imperii, olim magnopere impugnata; invidia tamen magis partiumque ſtudio, quam rei veritate. Conſ. nonnulla in §. 4. cap. 6. notata de hac re.

[§. 20. *Periculo in ſe recepto.*] In confeſſione & reſcripto in Comitiis Auguſtanis edito anno ſeculi decimi ſexti quinquageſimo nono. Ubi circa finem ſcripta ſequentia leguntur verba. Weil dann auch dieſes ein ſolche Sach / die ihrer der Augſpurgiſchen Confeſſion verwandte Stånd eignen Bekandtniß nach / ſie nicht betrifft / auch auf ihrer Verantwortung nicht ſtehet / ſondern ihrer Majeſtåt und der andern Stånd allein eigen iſt / darinn auch ſie der Augſpurgiſchen Confeſſion verwandte Stånd ſich vormals ihrer Majeſtåt nicht einzugreiffen / noch Form oder Mas zugeben / ausdrůcklich erbotten / ſo iſt ihrer Majeſtåt gantz gnådig Begehren / ſie wollen es nochmals bey demſelben gutwillig beruhen / auch in einer ſolchen ſchweren und darzu ihrer Majeſtåt eignen Sach die Verantwortung / wie dann ſolches alle menſchliche Vernunfft erfordert / ihrer Majeſtåt ſelbſt laſſen / die nimt auf ſich / GOtt und der Welt Red und Rechenſchafft davon zugeben: und iſt ihr Majeſtåt es gegen ihnen ſamt und ſonders mit allen Gnaden zu erkennen geneigt.

[§. 24 *Ut aculeatè ſatis Ferdinandus argumentatus eſt.*] Secundus ſcilicet Ferdinandus in edicto ſuo. Weil keines Theils Religion mit ſich bringet / oder ihr Religion darauf fundiret iſt / daß ein jeder derſelben zugethan můſte ein Ertzſtifft oder præbenda haben.

[§. 27. *Ita apud Eccleſiam Romanam.*] Ibidem qui inito matrimonio ſacrum ordinem deſerit, omnibus eccleſiaſticis excidit bonis, quorum non amplius capax eſt, ſed nulla famæ aut honoris labe. Auch die Catholiſche Geiſtliche / ait Ferdinandus in edicto ſuo. §. 2. So aber noch nicht in hoher Weihe / wann ſie ſich in den Eheſtand begeben / ſolche Stifft und præbenden ohne einigen Nachtheil ihrer Ehren / weil ſie zu geiſtlichen hőhern Aemtern nicht mehr qualificirt ſeyn / ſelbſt verlaſſen můſſen.

[Non alio ſe colore à neceſſitate conſenſus in reſervatum adhibendi, &c.] In Proteſtantium Triplicis anno 1557. die 12. Martii exhibitis circa finem. Es haben aber ihre Chur- und Fürſtl. Gn. Gn. und Gn. ſolche nothwendige Proteſtation/Declaration und Erklårung diſſeits in dem Punct der Geiſtlichen Vorbehalt ihres Gewiſſens halben nicht umgeben können/ bitten darauf E. Röm. Kön. Maj. wollen derſelben allergnådigſt ingedenck ſeyn / und die Ding nicht anderſt/ dann als dieſelbe allein zu Befreiung der Gewiſſen gemeinet / våtterlich verſtehen und aufnehmen.

[§. 28. Ubi non decet eos.] Wiewol aber unſre gnådigſte und gnådige Herren in der Conſtitution berührtes Articuls E. Kön. Maj. Form und Mas nicht geben konten / und derhalben berührter Punct / ſo ohne ihr Chur und Fürſtl. Gn. Gn. und Gn. Bewilligung geſetzt / auf ihr Verantwortung nicht ſtehet/auch ihr Chur und Fürſtl. Gn. und Gn. E. Röm. Kön. Maj. und den andern Churfürſten / Fürſten und Stånden in derſelben allein Sachen nicht eingreiffen ſollen/ ꝛc. Supplicatio Statuum Aug. Conf. add. anno 1556. in Comitiis Ratisbon. die 22. Decembr. exhibita. Ac rurſus in Triplicis ſuis Comitiis iisdem editis hæc verba ſunt. Ferner der Geiſtlichen eignen Sachen nicht eingreiffen wollen.

[Ubi negotium illud proteſtantes plane non attinet.] Replicæ Proteſtantium 17. Febr. die anno 1557. in dictis Comitiis exhibitæ. Haben wir uns ſolcher Satzungen / ſo unſere gnådigſte und gnådige Herren nicht belanget / derer Gewiſſen auch derhalben befreyet/ferner nicht angenommen/ und E. Kön Maj. darinn kein Mas geben können.

[Nec de illo purgatis conſcientiis.] In paulo ante dicta ſupplicatione. Und derhalben berührter Punct auf ihr Verantwortung nicht ſtehet. Et in Replicis illis. Derer Gewiſſen auch derhalben befreyet.

[Cujus periculum ſuum eſſe, &c.] Vide ejus verba in his annotatis ad §. 20. tradita.

[§. 47. E bonis novalibus.] Novale eſt ager de novo ad culturam redactus, de quo non extat memoria, quod aliquando cultus fuerit. Ejus decimas alii domino territorii vindicant, alii Eccleſiæ ejus loci. Hic conſuetudo optima eſt arbitra rerum. Extra eam vincet eminens dominium. Nam quod ſacrificuli pro ſua cauſa ex divino jure mandatum adferunt, aut dudum eſt cum expiraverit, aut ridicula applicatione languet.

guet. Cæterum de bonis novalibus plura legi poſſunt apud Wehnerum Pract. obſ. lit. N. verb. Noval Zehend.

[§. 49. Eo colore defendiſſe.] Daß die Stifft und Clöſter / ſo den geiſtlichen Chur- und Fürſten zuſtändig / aber in ihren Fürſtenthumen gelegen / im Religion-Frieden nicht begriffen / noch deſſelben beneficien / daß man ſie nemlich bey ihrer Religion bleiben und unreformirt laſſen müſte / theilhafftig: weil ſie nicht ſelbſt Reichs-Stånd / ſondern Unterthanen und allein Land-Stand wåren Aut. Auton. part. 3. c. 17.

[Religioſam pacem inter ſolos imperii ſtatus confectam.] Verba eorum hæc ſunt. Es wiſſen ſich aber die Herren ſubdelegirten Commiſſarien auch zuberichten / daß der Religion-Fried zwiſchen den Stånden deß Reichs aufgericht/und hat dieſelbe Conſtitution den Verſtand nicht / daß die Stånd den Unterthanen ihren Müeten und Gefallen nach ein Religion zu laſſen / ſondern wider ſein Gewiſſen keinen zu eigner Religion zwingen ſolten / wie dann ein Erbarer Rath dieſer Burger bey ihrer Religion und Gewerb bleiben laſſen. Mögen auch nach ihren Hertzen glauben was ſie wollen / allein daß ſie als Burger ihrer Obrigkeit und deren Religion ſich nicht wiederſetzen/ da es aber ihnen nicht gelegen ſeyn ſolte/ ſich ſolch r jetzigen gemeiner Stadt Religion anhångig zu machen/ ſich nachmals mit der Burgerſchafft nicht konten vergleichen/ ſtehet es ihnen frey/an andere Ort ihres Gefallens zuziehen.

[§. 50. Buchardo.] Certe non latet me, dubitari de authore libri tam virulenti, nec leves eſſe conjecturas, Jureconſultum in locum ſacrificuli alicujus polypragmonos ſubſtitutum, ut ſcripto major auctoritas accederet inſignis viri & publicis actionibus exercitatiſſimi nomine; Quia tamen nec inter eos, qui rejiciunt Buchardum, ſatis de certa manu convenit, libuit mihi ſe publice profeſſum autorem nominare, quam ſuſpicionibus agere dubiis & plerisque ignotis.

[§. 61. Non conſilii id, &c.] Perquam ſapienter & vere Barclajus *Part. 2. Satyr. Sed poſtquam altiori mente*, inquit, *omnia pariter revolvi, acerbiſſimo dolore perfuſus ſum, quod viderem contentiones mortalium non aliter divinis ceremoniis, quam humana lite abuti. Omnia agi ſupervacaneo impetu & crudelibus maledictis, quæ tamen invicem reprehendunt. Eruditos ambitu trahi, & factionibus potentes. Imbecillos vero authoritatem doctrinæ aut virium ſequi. Quotusquisque, cogitabam, aut Acignianus eſt, aut in Catharini familia*

milia vivit, quem non impreſſa inſtitutio parentum, aut ſua gentis converſatio, aut impetus nullo rationis argumento firmatus in partes ſeduxerit? quam pauci matura mentis conſilio ducuntur? Et tamen illis odiis pugnamus, ut facilè videas, omnes ſibi ſapientiam imputare. O ſuperba mortalitas! O immiſericors ſuperſtitionis ingenium! Quaſi qui vere ſentiunt, non plus felicitati debeant, quam conſilio: aut quos feſellit occupata tot ſentibus via, magis iracundia quam ſuſpiriis digna committant.

[§. 67. Ελευθερωθέντες δὲ.] *Liberi autem facti à peccato ſervi eſtis juſtitiæ. Ut enim conſtituiſtis membra veſtra ſerva impuritati & peccato in peccatum. Ita nunc efficite membra veſtra ſerva juſtitiæ ad ſanctificationem. Cùm enim ſervi eratis peccati, eratis liberi à juſtitia. Nunc vero à peccato liberati, ſervi autem Dei facti, fructum veſtrum habetis ſanctificationis.*

[Nonnullæ Lutheri formulæ.] Torquet illas ad invidiam Viri de Eccleſia Chriſtiana meritiſſimi author ille Autonomiæ, ſed mancas profectò, & mala fide per ſeparationem abductas à ſenſu ſuo. Nam cum ſibi ſolæ relinquuntur extra contextus & argumenti ſeriem, nihil illis abominabilius aut ſeditioſius. Earum quædam ſunt hæc. Die Chriſten ſeynd warhafftig frey / und von allen Geboten oder Geſetzen der Menſchen eximirt / durch die Chriſtliche Freyheit / ſo uns in der Tauff geſchenckt iſt worden. *In Captiv. Babylon.* Item. Die Chriſtliche Gewiſſen laſſen ſich weder mit Geſatzen noch Geboten fangen oder zwingen. *In form. Miſſ.* Item. Ich ſchrey frey dapffer / daß den Chriſten in keinen Ding köndte ein Geſetz gegeben werden / weder von Menſchen / noch von Engeln / dann ſo fern ſie ſelbſt wollen / dann wir ſind von allen Geſatzen frey. *In Capt. Bab.* Item. Weder Pabſt noch Biſchoff / noch einiger Menſch hat Macht ein einige Silben zu ſetzen wider einen Chriſten-Menſchen / es geſchehe dann mit ſeinen ſelbſt Willen. *Ibid.* Item. Es iſt doch kein Hoffnung einiger Beſſerung mehr vorhanden / dann daß man die Freyheit deß Evangelii für die Hand nehme / nach demſelben alle Menſchen Geſatz zumal austilge / und alles ſelbſt urtheile und regiere. Amen. In 500. Articul art. 391.

[Errant qui plures apud Romanos religiones &c.] Nam ſtatim ex inſtituto Numæ recepta tantum publice ſacra ſequi Romanus populus debuit, peregrinis & novis juſſi omnium

animi

animi abſtinere. Quippe Rex creato Pontifice, non tantum *ei ſacra omnia ex ſcripta exſignataq; attribuit, quibus hoſtiis, quibus diebus, ad quæ templa ſacra fierent, atque unde in eos ſumptus pecunia erogaretur.* Sed *cætera quoque omnia publica privataq; ſacra Pontificis ſcitis ſubjecit, ut eſſet, quo conſultum plebs veniret: ne quid divini juris negligendo patrios ritus, peregrinosq; adſciſcendo turbaretur.* Liv. Hiſtor. l. 1. c. 10.

[Vicinia quæcunque infecta.] Sententia eſt Lyſimachi apud Plautum in Mercatore, ex vulgari ſermone ſumpta *Nunc ego verum eſſe illud verbum experior, aliquid mali eſſe propter vicinum malum.* Id paulò copioſius ab Heſiodo explicatum *in oper. & die.*

εἰ γάρ τοι καὶ χρῆμ' ἐγχώριον ἄλλο γένηται,
γείτονες ἄζωστοι ἔκιον, ζώσαντο δὲ πηοί.
πῆμα κακὸς γείτων, ὅσσον τ' ἀγαθὸς μέγ' ὄνειαρ.
ἔμμορέ τοι τιμῆς ὅς τ' ἔμμορε γείτονος ἐσθλοῦ,
οὐδ' ἂν βοῦς ἀπόλοιτ', εἰ μὴ γείτων κακὸς εἴη.

i. e. ex Eraſmi verſione.

Si qua domi inciderit tibi res, tunc illico omiſſis
Adſunt vicini zonis. Cinguntur at ipſi
Affines. Noxa eſt vicinus ut improbus ingens,
Contra ita maxima commoditas, ſi commodus adſit.
Deeſt honor huic, bona quem vicinia deficit, at nec
Intereat bos, ni vicinus ubi improbus adſit.

Ejuſdem Heſiodi Verſiculus eſt.

πολλάκι καὶ ξύμπασα πόλις κακοῦ ἀνδρὸς ἐπαυρεῖ.
Sæpe mali viri peccata tota civitas luit.

Unde Themiſtocles apud Plutarchum, cum prædium venderet, præconem id etiam juſſit addere commendationis, ὅτι καὶ ἀγαθοὺς ἔχει γείτονας. *quod bonos vicinos habeat.*

[Χωλῷ παροικεῖς.] *Claudo ſi cohabites, etiamſi uni, claudicare diſces.*

[Κακοῖς ὁμιλῶν.] *Qui cum malis converſatur, & ipſe fiet malus.*

[Φθείρουσιν.] *Corrumpunt bonos mores colloquia prava.*

[§. 69. Διακεῖσθαι.] *Moribus talem eſſe, ut aut plane bonus ſit, aut ſemibonus: nec malus omnino, ſed ſemimalus.*

[Ἐν γὰρ τοῖς τοιούτοις.] *In his enim talibus ſemper & victum premunt & dedecorant, & victorem honore omni afficiunt.*

[ὡς ἀναγκαῖον.] *neceſſarium eſſe in parvis à juſtitia abire, qui ſalvam eam velit in magnis.*

[Αἰετὸς ἐν νεφέλαις.] Aquila in nubibus. *Vid. Eraſm. ad illud proverb.*

[Μὴ εἰκῆ τὴν Ἄβυδον.] Ne temere Abydum. *Eraſm. ibid.*

[Ὅτε μείζων ὁ φόβος.] *Cum ſpe ipſa major eſt metus, quomodo non decet quieſcere?*

[Ἔστω δεινὸν καὶ ἄδικον.] *Sit grave & injuſtum. Sed non propterea ſi quod injuſtum eſt, oportet adverſus illud contendentes imprudenter periclitari.*

[Καὶ τοῦτ' ἀνάγκη.] *Sed hoc mihi neceſſitas eſt?* Diomedia *certe.*

[Λόγος γάρ ἐστιν.] *Sermo enim eſt, ſapientum verbum.*
Dura neceſſitate nihil eſſe fortius.

CAPUT VI.
DE JURISDICTIONE CIRCA SACRA.

SUMMARIA.

1. *Juriſdictio ſuprema in ſacris competit Imperatori.*
2. *Ejus duplex diviſio.*
3. *Et definitio.*
4. *Illius prima vis in defenſione ſacrorum receptorum.*
5. *Et ſecunda in coercitione vetitorum. Ubi de pœnis hæreticorum 1.) Eccleſiaſticorum munerum excluſione.*
6. *(2.) Et civilium munerum.*
7. *(3.) Civilis vitæ ἀκοινωνίᾳ.*
8. *(4.) Privatione eleemoſynarum.*
9. *(5.) Privatione juris patrii & dominii.*
10. *(6.) Exilio.*
11. *(7.) Infamia & morte.*
12. *Iſta tamen pœnæ non omnes omnibus irrogata.*
13. *Pœnæ aliæ fautoribus hæreticorum dictata.*
14. *Laudata genera ſuppliciorum aut excuſata.*
15. *Rationes pro jure pœnarum capitalium à poteſtate vindicativa ſummi imperii.*
16. *Quam etiam Paulus jure gladii deſignavit.*
17. *Et exercuit ex divino præcepto Judaica Reſpublica.*
18. *Etiam in illis qui ſibi ſolis credunt: non alios docent.*

19. *Argu-*

19. Argumenta adverſariorum refutata: à quibusdam vaticiniis.
20. A. Zizania non evellenda.
21. Ab aliis ſcripturæ locis.
22. A praxi Apoſtolorum & primitivæ Eccleſiæ.
23. A rationibus.
24. Jus conſilio & clementia temperatum in illis, qui pacifice vivunt.
25. Contra quos aliis armis pugnandum.
26. At ſeveritate & ſuppliciis in ſeditioſos opus.
27. Conſilium Barclai.
28. Apoſtatarum pœna.
29. Subditi extra Eccleſiam non violenter ad fidem cogendi.
30. Multo minus gentes extraneæ, ob eam cauſam perſequenda armis.
31. Jurisdictio imperatoris circa perſonas & mores ſacri Ordinis.
32. Itemq; altera circa actus officiales.
33. Deniq; tertia in mandatam Eccleſiaſticis jurisdictionem.
34. Quæ etiam interdum Judæis in ſuos conſuevit mandari.
35. De auctoritate eccleſiaſtica remiſſivè.

§. I.

LEgislationem proximè ſequitur jurisdictio, correctrix & vindicatrix eorum, quæ in leges peccata ſunt. Quid enim aliud ſunt leges quàm ex pelvi fulgur, ſi eas impune cuivis violare licet? In hac hominum improbiſſima fece & colluvie vitiorum quotusquisque mortalium eſt, qui virtutis & honeſti amore ſceleribus manum abſtinet? longe maxima pars metu & ſuppliciis regitur. Quis metus verò tabularum aut præconii ſine lictoribus, virgis & ſecuri? Qui Deum non verentur, abdita quæque & occultiſſima videntem, ſed pleraque ſine fulmine: cur literas æri inciſas, increpantes, non percutientes. Proinde

ne ri-

ne rideatur legum majeſtas, ne ſpernatur ſanctitas, cuſtodia opus & ſeveritate, quam jurisdictio præſtat, in maleficia hominum & ſacrilegos furores incorrupto judicio animadvertens. Quare quam late auctoritas legum regnat, tam longe etiam jurisdictionis vis protenditur: nam quicquid contra leges fit, hæc emendat & punit. Glaucoma eſt neſcio qua ſpecioſa pietatis larva fucatum, quod Principum oculis Pontificii hodie objiciunt, quos prohibent in ſacris rebus jus dicere, quaſi alieni fori ſint, & extra civilem jurisdictionem: Conſilium hoc quam utile & tempeſtivum Eccleſiaſtico ordini, tam peſtiferum Reipublicæ, quæ in ſuo meditullio aliud regimen moleſtè intuetur, non ſibi, ſed extraneo capiti obſequens. Sicut enim vicinis inter ſe Rebuspublicis ob confuſos & incertos terminos, tum ipſam propinquitatem aſſiduæ querelæ ſunt ac æmulationes, ita non poteſt perfectè Civitas quieta eſſe & concors, quæ in duas factiones dirimitur, quarum illa ſemper tantum publicæ rei detrahit, & privato ſui ordinis commodo impendit, quantum hæc confert: Ad hæc perpetuæ ſuſpiciones inter cives & in finibus regundis lites ſunt, dum alii immoderatè ſemper & perquam avarè manum civilibus rebus ſub quocunque colore injiciunt: alii de damno cavendo ſtudioſè certant. Imò quod peſſimum omnium eſt, ſi tibi aliquando cum Pontifice & Romana ſede controverſia ſit aut bellum: ſi forte brutum in te fulmen, quod fieri conſuevit, ſiniſtra aure vibratum: ſi ſubditi tui à fidelitate & juramentis abſoluti: Dii boni, quot tunc in Republica hoſtes,

trans-

transfugæ & proditores ? Jam pene totus Sacer Ordo partes tuas deſerit, & ſe ad nutum Pontificis componit : jam potentiam & opes ſuas, quas beneficio atque liberalitate majorum tuorum habent, in Reipublicæ tuamque injuriam impendunt: jam populum pro concione ad ſeditionem provocant, jam privatorum animos in ſecretis confeſſionibus pertentant, aut turbulento jurisjurandi vinculo conſtringunt : Breviter jam tibi plus laborandum de peſte intimis viſceribus Reipublicæ inhærente, quàm externo hoſte, qui perfidia & ſuperſtitione aliorum ſtat, non domeſticis viribus : Origo ejus mali non aliunde, quam à prodigioſa illa doctrina, quæ jurisdictionem in ſacris rebus imperio Principum eximit, & ad unum Romanum Præſulem defert: ſed, inquis, Deus ita voluit : Diſtincta eſt naturali & divino jure Eccleſiaſtica jurisdictio à civili: Illa Cleri, hæc Laicorum: Pontifici in ſacris rebus ſumma poteſtas divinitus data: Hic eſt Archipœmen ille & Caput totius Eccleſiæ Catholicæ: Imperatorem nefas manum arcæ admovere: Enim verò ne credas hæc, quisquis fueris : Novella eſt & adoleſcens admodum illa religio, quæ tempore Hildebrandi demum ætatem ſumpſit: interea nihil ea alienius à ſacra ſcriptura; nihil ab inſtitutis Judaicæ Reipublicæ; nihil ab Apoſtolorum vita & exemplis ; nihil ab Eccleſiæ primæ & Patrum diſciplina. Prolixe id ſupra à nobis traditum ; hic ſaltem exempla quædam adferre lubet, quibus & religionis ſummam, & alia negotia, quæ nunc ad Eccleſiaſticum forum pertrahunt, non tantùm apud Principes fideles & Eccleſiæ

Dei

Dei ſtudioſos, ſed &, quod magis mirandum, hæreticos, impios, imò plane paganos & incredulos diſceptari conſueſſe inevitabili certitudine conſtet. Crudelitatem Saulis non laudaverim, qua in Sacerdotes Domini uſus eſt, laudem potius ſua hoſpitalitate meritos, quàm ſupplicium: aut certe ſi quod eſt peccatum, id omne in imprudentiam abit, honeſto Davidis mendacio nimium credulam: quid enim officioſius à ſubdito præſtari poteſt, quàm generum Regis, eundemque præcipuum aulæ purpuratum negotiis publicis occupatum benigne excipere? Sed dignum tamen notatu eſt, injuſtum illud Saulis judicium damnari ex cauſa, non defectu jurisdictionis. Si ſceleribus pœnam promeriti fuiſſent, ſi blaſphemi in Deum, ſi alieni Numinis cultores, ſi in Rempublicam ſeditioſi, nihil eſſet, quod in ſententia culpari merito poſſet. Oportuit judicandos ad Pontificem Maximum mitti, inquis. Sed erras, mi homo, aut calumniaris. Cur enim non Pontifex de læſa jurisdictione conqueſtus eſt? cur non Regem cenſura & ſidere ſuo afflavit? Tyrannum ais? Eccleſiæ hoſtem? Diabolo obſeſſum? quæ illa ſtultitia, in caput noſtrum crabrones provocare? Verum ſit ita, concedimus tibi iſtud diverticulum, ne propediem pudeſias. Quid autem de Salomone, Rege Sapiente, juſto, æquo, probo? Abiatharum is Sacerdotem ſummario proceſſu in rus relegavit inconſulto etiam Pontifice. Nulla hic exceptio fori, nulla ad majus tribunal provocatio, paruit regiæ ſententiæ reus, ut debuit: agnovit forum, non interceſſit Pontifex; non à ſeculari judicio cau-

cauſam ad ſe vocavit, non brevia minis & fulminationibus implevit. De ſeditione agebatur, inquis, civili cauſa: opinor, ſed perſona Eccleſiaſtica erat, ſoli ut audio, Pontifici ſubjecta, ſed non minus à rege punienda ſi in ſacras leges impegiſſet. Controverſia de templo Hieroſolymitano & Garizitano coram Ptolemæo Ægypti Rege diſceptata eſt, qui ex lege Moſaica rectum judicium tulit, utrum templum, uter cultus, utrum Sacerdotium ei legi congrueret: Synedrium Judaicum Apoſtolorum tempore, quanta corruptiſſimorum hominum ſocietas? quam inimicum Eccleſiæ Dei? quàm merito ſuſpectum Chriſtianæ fidei. In illud tamen Petrus & Johannes Apoſtoli vocati num ſe exceptione fori tuentur? num ſibi Petrus judicium ſumit ſummo Vicario? num increpant Senatum, quod alienam cauſam ſuſpiciat? imo agnoſcunt Judices, *Judicamur*, inquiunt, *de beneficio in hominem infirmum collato.* Forte enim debuerunt vi abrepti? tempori ceſſerunt & imminenti periculo? Abſit: Is enim eſt Petrus, qui cum ab eo injuſta peterentur, ſatis animi habuit toti Synedrio in os dicere, magis Deo obediendum eſſe, quàm hominibus. Judices igitur patitur & coram iis cauſam dicit non civilem & ſecularem, non de bonis, quæ Chriſtiani in commune contulerant: ſed ipſa ſalutis noſtræ ſumma: an Jeſus Chriſtus qui inter Judæos tot miraculis inclaruerat: qui ab illis crucifixus tertio die reſurexerat, qui in cœlum ſublatus eſt, ſit unus Meſſias ille, à Deo in ſuo verbo promiſſus? an ſanare fas ſit valetudinarios in nomine ejus? an Evangelium & redemptio

emptio hominibus amplius prædicanda? de hoc Judex Senatus conſtitutus, quanta de re? digna profecto, propter quam, ut ajunt, vadimonium deſeratur. Si recte judicaſſet & ex officio, rata fuiſſet ſententia & firma, quæ contra Judæos jus feciſſet: Nunc cum prohibet Apoſtolos de nomine Jeſu Chriſti porro concionari, illi amplius inſtant, integrius poſtulant judicium, de Senatu male conſulto quaſi ad melius informandum provocant, non ſuperbè rejiciunt Judices, veluti de tanta cauſa ad judicandum inidoneos: *ipſi judicate*, inquiunt, *an Deo magis parendum, quàm hominibus.* Video hic aliquod effugium: Synedrium magna parte Sacerdotio conſtabat, præſide ipſo Pontifice ſummo; apud Eccleſiaſticos itaque Judices lis diſceptata. Arbitror, ſi & hodie apud Judæorum Doctores & Turcarum Muphtin Chriſtianorum religio & Eccleſiaſticæ cauſæ melius quam Chriſtiano Imperatore dijudicari poſſunt. Apoſtolus Paulus coram Felice & mox Feſto Prætoribus à Judæis accuſatus comparuit: Cauſa non ſecularis, ſed reſurrectio mortuorum caput præcipuum fidei: & tamen clara voce Feſti, vices Imperatoris gerentis, juriſdictionem agnoſcit; *hic*, ait, *me judicare oportet.* Quid audio, Paule, quæ hæc hæreſis eſt, quod Schiſma? Vicarius Chriſti, imò tota Eccleſia Catholica Hieroſolymis ſedet, & tu velut in ejus conſpectu paganum ſubis tribunal nulla exceptione fori oppoſita: Enimverò fruſtra oppoſuiſſet, regeris. Recte, ſed fruſtra etiam Feſto Evangelium prædicavit, & prædicavit tamen: non timuit itaque injuriam, ſed agnovit legiti-

mam

mam juriſdictionem. Cauſa apud Feſtum ventilata cum iniquum Judicem metueret, Cæſarem appellavit optimus Apoſtolus peſſimum Principem, nihil veritus Petri Vicariatum, nihil Eccleſiaſticam juriſdictionem. Neronis imperium adoravit: coram parricida cauſam ſuam prolixe egit, & parum abfuit abſolutus nſt, prima enim actione id à Nerone factum multi ſunt, qui credunt. Quid moleſtè nunc tineæ ferunt, quid invidia turgent, quid vociferationibus & diris omnia pulpita complent, ſi Chriſtianus Princeps imperium ſibi aliquod in Clerum ſumit? Si judex inter partes ſedet, non de fide ipſa & religionis ſubſtantia, ſed forte Epiſcopatu aliquo aut divite præbenda litigantes? quando Paulus hîc ad gentilem, & impuritatis omnis nequitiæque magiſtrum provocavit. Nec id ſolum ab Apoſtolis in prima Eccleſiæ infantia factum, quo tempore nec Eccleſiaſticus Status ſatis ordinatus eſt, nec Chriſtiana res vires habuit, quibus confideret: Plurimis annis pòſt idem ſæpius factitatum, jam Chriſtianis, Tertulliano teſte, omnia fora, Senatum, templa, legiones, exercitus, palatia & ædes numero ſuo implentibus. Cùm Aureliano Imperatore Antiochenæ Eccleſiæ Epiſcopus Paulus Samoſetanus diverſa à fide Catholica doceret, retento tamen Epiſcopatu contra omnium bonorum vota, ad imperatorium tribunal paganum atque infidele cauſa defertur: Actores & reus hîc Chriſtiani, res litigioſa Epiſcopatus Antiochenus, proculdubio judicio Pontificiorum aliena à civili dicaſterio etiam Chriſtiani Principis: quanto magis ethnici? Jam Romæ ſe-

debat Pontifex, dudum ex adverſariorum mente Vicarius Chriſti & Caput Eccleſiæ creditus: cui cœli claves & infinita in ſacris rebus poteſtas jurisdictioque à Deo conceſſa: & tamen nulla neceſſitate cogente, non vocati, non obtorto collo rapti, ſed liberè & velut ex compacto omiſſa Romana ſede, legitimo judice, Imperatorem adeunt, hunc ſupremum judicem agnoſcunt: hujus jurisdictionem & poteſtatem probant, præter hanc nullam. Cui enim credibile fit, Antiochenam Eccleſiam tantopere officii ſui & pietatis oblitam eſſe, ut malueric infidelem Judicem, & Catholicis ſummè infenſum pati, à quo injuriam metuere potuit, quàm ſupremum univerſæ Eccleſiæ caput, corruptelarum & erroris neſcium, ſi illa ætate aliud tribunal noviſſent præter imperatorium? Poſtquàm deinde Romani Principes Dei Filium ſummiſſis virgis exoſculati ſunt, religionis & hæreticorum cauſæ à multis ſeculis ab unis Imperatoribus, & quos delegarunt, judicatæ: ita Arii, Neſtorii, Manichæi, Acephali, aliique impoſtores latis legibus primo improbati, mox deprehenſi in crimine & in jus vocati, & debitis ſuppliciis puniti ſunt. Quid à Caroli M. tempore usque ad Heinrici IV. infelix regimen ea in re obſervatum, paulo infra dicemus: nunc ſuffecerit nobis per exempla oſtendiſſe, etiam in ſacris cauſis Imperatores cùm Paganos tum Chriſtianos pro officio ſuo rectè judicaſſe.

§. 2. Jurisdictionis circa ſacra duplex diviſio eſt, huic argumento apprime utilis. Primo enim alia civilis, alia criminalis. Utraque vel ab ob-

jecto

jecto dicitur, cauſisque civilibus aut criminalibus, vel ab intentione agentis ad privatum commodum aut publicam vindictam, vel genere pœnarum: ut quæcunque pœnam corporalem non habeat annexam, civilis ſit, & criminalis, quæ corpus affligit. Deinde jurisdictio circa ſacra Principis, alia perſonas afficit, alia res: Illa, quæ perſonas, imperio conſtat in Clerum valido: Hæc dominio in res ſacras.

§. 3. Apparet ex diviſionibus hiſce, jurisdictionem nobis non tam ſtricte ſumi, ut in juris prudentia Romana, qua notione in cauſis civilibus jure Magiſtratus competente conſtat, mero imperio & cognitioni cauſarum criminalium contradiſtincta, ſed eſſe ſummam in Republica poteſtatem ſuper religione, ſtatu & diſciplina Eccleſiaſtica, quæque his annexa ſunt, jus dicendi, ſive id ad implorationem partium fiat, ſive accuſationis publicæ inquiſitionisvé jure. Caveant itaque hic ſibi juris publici ſtudioſi, ne uſitatiore jurisdictionis voce decepti iſtud negotii Romani juris indigna decempeda metiri velint, illic enim jurisdictio, quæ jure Magiſtratus competit, mandata poteſtas eſt, ex imperio Principis, ceu fonte omnis jurisdictionis in Magiſtratus profluens. Hîc ſummum illud ipſum jus, quod Princeps à ſolo Deo habet, adeoque independens, & majeſtatis pars aliqua poteſtative, ex objecto, id eſt, dicendo jure ita nominata, licet, ut ſupra diximus, ea poteſtas eſſentialiter conſiderata nihil aliud ſit, quàm ipſa majeſtas, quæ pro diverſitate objectorum alia & alia nomina ſortitur.

§. 4. Cæterum ut leges vel totum religionis corpus ſtringunt, vel ſingulas ejus partes dirigunt, ita jurisdictio etiam, prout in illas peccatum, præſto eſt. Prima ejus indignatio in illis vertitur, qui religiones civitate & publico jure donatas ſequentibus moleſti ſunt, unde actio de religioſa pace, apud tribunalia Imperatoris inſtituenda. De Aula Imperatoris ante religioſam pacem valde controverſum, in qua Proteſtantes propter religionem judicari toto animo cohorruerant: hinc varia rationum ludibria parum ex imperii dignitate conquiſita, quibus illa in calumniam magis vocaretur, quam crimẽ: Verum præpoſterã illam ſapientiam damnavit atro calculo Inſtrumentum pacis, quod Aulicum judiciũ cum Spirenſi Camera in omnibus cauſis concurrere patitur. Actor ſeu mediate ſit imperio ſubjectus, ſive immediate, nihil refert. Licet enim, ut videtur, religioſa pax inter ſolos Status imperii confecta ſit, ſubditis eorum non comprehenſis, tamen cùm inſtrumentum pacis vetet cuiquam in religione vim fieri, qui Calendis Januarii Anni milleſimi ſexcenteſimi vigeſimi quarti publicum ejus exercitium habuit, ne effectu ſuo indulgentia illa & benignitas careat, ſi ſubditis adverſus iniquos Dominos proceſſus denegarentur, conſtitutio pacis religioſæ cum pacis publicæ lege per omnia in hoc articulo exæquata eſt. Subditis verò ab alio, quam Domino ſuo turbatis, tam ipſi Domino, quam ſubditis actio competit, & his quidem, quamvis Dominum pro defenſione prius non requiſiverint. Porro agitur contra omnes, qui nobis in religionis probatæ exer-

exercitio impedimento ſunt, nullo diſcrimine mediatorum aut immediatorum: ſola enim cauſæ qualitas hic forum fundat, ut proinde liceat actori omiſſo judice intermedio uno ſtatim ſaltu ad ſupremum ire, nec admittuntur exceptiones rei fori declinatoriæ, ſed propediem rejectis illis ſtare judicio cogitur, quoniam hæc pax omnes imperii ſubditos obligat. & cauſis profanæ pacis quantum ad fundandam jurisdictionem exacte congruit. Erit tamen in actoris arbitrio, ſummum ſtatim tribunal aut mediatum Judicem pro facienda juſtitia compellare, niſi forte exceperis Ducis Brabantini ſubditos, qui (*a*) ex ſpeciali privilegio coram alio Judice quam ſuo Principe, niſi in contributionum cauſis conveniri non poſſunt. Denique duplici fine inſtituitur actio, ad pœnam & reparationem rei, quod item duplice remedio fit, citatione & mandatis. Pœna eſt imperiale Bannum, mulcta pecuniaria 100. vel 2000. Marcarum auri puri, & tandem coercitiones juris communis de vi publica. Ad has pœnas qui agere cupit, citatione opus habet, ad videndum ſe incidiſſe vel declarari in pœnam fractæ pacis, qua impetrata & poſt inſinuationem reproducta comparente reo vel ex contumacia abſente, ubi de turbatione idoneis probationibus liquet, ſequitur condemnatio. Reparatio rei mandatis fit, de reſtituendo, (ſub quibus illa de refundendo ſeu reſarciendo damno complector) & relaxando, quæ omnia cum clauſula emanant. Si quis verò nolit mandatis

(*a*) Extat. ap. Gold. Reichs⸗Satz. pag. 278. & Gilmann. Tom. 6. c. 2. §. 2.

uti, & petitioni pro citatione ad videndum ſe declarari clauſulam adjungat cum refuſione expenſarum damnorum & intereſſe, illius virtute reſtitutionem quoque bonorum & damni dati conſequitur, imo ſi omiſſa in ſupplicatione clauſula demum in replicis eadem reſtitutio per implorationem officii Judicis petatur, ſupplicantis voluntati quamvis ſeræ adhuc (*a*) ſatis fit.

§. 5. Sicut verò Imperator jurisdictione ſua religiones publicis legibus admiſſas ab aliorum injuriis defendit: ita prohibitas eadem refrenat atque punit, quod argumentum eſt de hæreticis puniendis accuratiore ingenio à nobis explicandum, in quo petitâ veniâ invidiam deprecamur, ſi nobis non licet ex omni parte noſtratium Theologorum judicio ſtare. De teſtabilem profectò & pernicioſum errorem hæreſin oportet eſſe, qui omnem legum indignationem & iras pene unus excipit: non verborum acerbitates odii modum ſciunt, nec jura ſuppliciorum: quicquid in judiciis facinoroſos terret, quicquid laudabili ſævitia delicta expugnat, id facto quaſi impetu in hæreſes vertitur: aliis ſceleribus certæ ſunt pœnæ: Hæc una inſania ſæpe magis quam dolus totas jurisdictionis vires exarmat. Quod Cicero de piratis dixit & prædonibus, eos communes eſſe omniũ hoſtes, cum quibus nec fides eſſe debeat, nec jusjurandum commune, id parum abeſt, quin leges in hæreticos ſanciant, adeo ſibi odio ſuo & ſeveritate placent. Primo (*b*) publicum crimen conſtituitur hæreſis, ad cujus accuſatio-

(*a*) Magenh. ad O. C. p. 2, *tit.* 9. *verſ. ſciendum tamen.*
(*b*) l. 4. §. 1. C. de Hæret. & Manich.

ſationem quivis è populo admittitur, idque citra inſcriptionem & periculum ſui, ſi orthodoxus ſit. Jure communi enim, ut calumniis modus aliquis ſit nec bonorum civium fama falſis criminationibus temere pulſetur ab accuſatoribus (*a*) inſcriptio requiritur, (*b*) ad idem ſupplicii obligatoria, ubi calumniari deprehenſi fuerint. Hujus exceptio in hæreſeos crimine aliqua eſt, (*c*) quod Orthodoxis, quicunque voluerint, absque metu & damno propalare licet & accuſare. Deinde generalis quædam ἀκοινωνία & excluſio à communicatione juris ſocialis, quod reciprocè inter cives eſt, hæreticos ferè ab humanitate ſummovet, certe humanitatis officiis & civitate; (*d*) *Huic* enim *hominum generi nihil ex moribus, nihil ex legibus commune ſit cum cæteris.* Conſiſtit vero, ut diſtinctius explicemus, ἀκοινωνία illa, & ſi ita loqui fas eſt, incommunicabilitas, cùm in privatione ἀξιότητος & aptitudinis illius ad rem aliquam habendam, quam juſtitia attributrix, ſeu ut vulgus Ethicorum loquitur, diſtributiva reſpicit: tum juris ſtricte ſic dicti, quod expletrici juſtitiæ congruit. Aptitudo & ad publica negotia refertur, & ad privata: ab utrisque excludit hæreſis ſuos patronos: Ita via, quæ cæteris civibus ad munera & honores publicos, qua Eccleſiaſticos, qua civiles, patet, illis occluſa eſt & ſacra. In Eccleſiaſticis (*e*) *nullus* ſit *hæreticis miniſteriorum locus* (*f*) *Epiſcopi & Clerici*

(*a*) L. fin. C. de Accuſat. (*b*) l. fin. C. de Calumniat.

(*c*) l. 3. §. 2. C. de S. S. Trinit. (*d*) l. 4. pr. C. de hæret. & Man. (*e*) l. 2. pr. C. de Summ. Trin. (*f*) l. 3. §. 1. C. de Summ. Trin.

ab Eccleſiis ejiciantur, (*a*) *Schemate atque nomine Sacerdotum exuti:* (*b*) *qui dicuntur ex ipſis Epiſcopi atq; Clerici, expellantur*: tum prohibentur facere ea, quæ muneris ſunt & officii Eccleſiaſtici: (*c*) *non poſſunt Epiſcopos* & *Presbyteros aliosve clericos creare, & habere, non ſynacteria ſeu collectas facere, aut paraſynaxes, aut ſynodos, aut ordinationes, aut baptismata, aut exarchos habere, aut paternitates ſeu Abbatias, aut defenſiones inſtituere, aut curare ſeu adminiſtrare villas per ſe ipſos, aut per interpoſitas perſonas*; non poſſunt convenire precum aut ſacrorum cauſa (*d*) *nulla ad exercendam animi obſtinatioris dementiam pateat occaſio*: (*e*) *nunquam in Romanum locum conveniendi morandiq; habeant facultatem*: (*f*) *omnes cœtus celebrandi licentia priventur*: (*g*) *conventicula tam diurna quam nocturna non contrahant: nulli publicè vel privatim convocandi cœtus vel circulos contrahendi tribuatur facultas.* quam in rem ipſis (*h*) *omnia loca adimuntur, ſive ſub Eccleſiarum nomine teneantur, ſive Diaconica appellentur vel etiam Decanica, ſive in privatis ædibus vel locis hujusmodi cœtibus copiam præbere videantur: his ædibus vel locis privatis Eccleſiæ Catholicæ vindicatis: ad hoc interdicatur his omnibus ad litanias faciendas nocte vel die profanis coire conventibus.* Nec eis tantum Eccleſiæ, quas habent, auferuntur, ſed vetantur inſuper novas ſibi (*i*) *quaſi*

Eccle-

(*a*) d. l. 3. §. 4. C. eod. (*b*) l. 20. §. 2. C. de Hæret. & Man. (*c*) l. 8. §. 2. C. eod. (*d*) l. 2. pr. C. de Summ. Trin. (*e*) l. 5. C. de Hæret. & Manich. (*f*) l. 6. §. 1. C. Eod. (*g*) l. 8. §. 3. & 5. C. Eod. (*h*) l. 3. C. Eod. (*i*) l. 5. C. de Hæret.

Eccleſias conſtruere, ne vel ulla ratione conventiculis illicitis indulgeatur. Porro cum officii ſit Sacerdotalis ore & libris Catholicam fidem defendere, hæreticis hic etiam ſilentium imperatum, non illis (*a*) *de errore hæretico diſputandi ac perverſitatem facinoroſi dogmatis adſerendi, non contra venerabilem Chalcedonenſem Synodum aliquid dictandi vel ſcribendi, edendi aut aliorum dicta & ſcripta ſuper eadem re proferendi* jus eſt: (*b*) Libri hæreticorum diligenter conquiri debent & flammis exuri. Breviter penitus ut conſtet, Catholicæ Eccleſiæ cum hæreticis nihil rei commune eſſe, Catholici nominis honore & præjudicio privantur, velut abdicati filii, quos propter morum & vitæ turpitudinem mœſtiſſimus parens familiæ ſuæ juribus & dignitate expellit: igitur (*c*) *deſinant affectatis dolis alienum veræ religionis nomen aſſumere, ſed ſuis apertis criminibus denotentur, atque ab omnium ſubmoti Eccleſiarum limine penitus arceantur.*

§. 6. Poſt Eccleſiaſticas dignitates etiam à civilibus muneribus arceantur hæretici: (*d*) *prohibentur* enim *Magiſtratum gerere, & dignitatem habere, aut jus dicere, aut defenſores aut patres Civitatum fieri, ne habeant licentiam vexare aut judicare Chriſtianos aut Epiſcopos.* Solvuntur ignominioſè cingulo militiæ, & (*e*) *nullus ad aliquam adſpirare militiam* debet:

(*a*) L. 8. §. 5. C. de Hæret. (*b*) l. 3. §. 1. & 3. C. de Summ. Trin. l. 6. §. 1. C. de Hæret. l. 8. § 5. C. Eod. (*c*) l. 2. § 2. C. de Summ. Trin. l. 6. pr. C. de Hæret. & Man. (*d*) l. 12. pr. C. de Hæret. & Manich. (*e*) l. 8. §. 4. C. Eod. l. 12. Eod.

non (*a*) officiorum aulæ, non cujuscunque publici honoris digni ſunt, prætarquam ſi munera illa oneribus magis cohæreant quam dignitati & emolumentis: illa enim perferre leges quascunque ſectas volunt, (*b*) *ne videantur hominibus execrandis contumelioſo ambitu immunitatis beneficium præſtitiſſe*; itaque (*c*) *curiales*, etiam hæretici, *omnium civitatum oneroſis, quin etiam militiæ ſeu diverſis officiis facultatum & perſonalium munerum obligati ſunt*: in militiam coguntur, qui *ex genere* (*d*) *Cohortalinorum ſunt*: *hi enim manent opera quidem ſuſtinentes, non offendentes autem neque in orthodoxos quid exequentes, in publicis vel privatis cauſis.* Ad officia pietatis inviti compelluntur, ut (*e*) *filiis orthodoxis* ſectarii patres etiam *ultra modum facultatum ſuarum alimenta erogent & reliqua neceſſaria, & conjungant in matrimonium orthodoxis, & dent dotes & antenuptiales donationes.* (*f*) Porro ſi quæ privilegia commodo & bono civium ab Imperantibus data, eorum virtus hebeſcit in hæreticis & emoritur, præſertim ſi *contemplatione religionis indulta ſint*, quæ *Catholicæ tantum legis obſervatoribus prodeſſe oportet*: (*g*) Denique reſcripta in eorum gratiam emiſſa nulla dicuntur & invalida. Hæc eſt illa ἀκοινωνία in publicis rebus.

§. 7. In

(*a*) L. 8. §. 4. C. Eod. (*b*) l. 1. & 7. C. Eod. (*c*) d. l. 7. (*d*) l. 12. pr. C. Eod. (*e*) l. 13 pr. C. Eod. Nov. 115. c. 2. l. 19. §. 1. C. Eod. de Hæret. & Man. (*f*) l. 1. C. de Hæret. & Man. Nov. 119. c. 1. (*g*) l. 2. pr. C. de Summ. Trinit.

§. 7. In privatis negotiis & communi hominum vita ante omnia (*a*) honeſto bonorum civium conſortio indigni habentur: mox omne commercium cum illis interdicitur, non tantum quæ inter vivos geruntur, cum nec ipſis aut hæreticorum cœtui (*b*) donare aliquid liceat aut (*c*) vendere: ſed & ſi quid (*d*) ex ultima voluntate venit, ſive per teſtamentum, ſive ab inteſtato. *Amoventur ab omni ſucceſſione, quolibet titulo veniente: nec filii hæredes eis exiſtere, aut adire permittuntur, niſi à paterna pravitate diſceſſerint:* nullo etiam diſcrimine inter militare & paganum teſtamentum facto.

§. 8. Si quid egeni pauperesque beneficio Chriſtianorum & ex Reipublicæ commiſeratione accipiunt, id in ſolos orthodoxos erogandum (*e*) ſectariis omnino ab omni libertate & eleemoſynis excluſis, ne quos leges cum ſumma miſeria & ſordibus conflictari volunt, eos intempeſtiva humanitate alii ſublevent.

§. 9. Jus ſtricte ſic dictum præcipue imperio conſtat in perſonas, & dominio in res (de debito enim hic nihil dico) utrumque in pœnam hæreticis aufertur: Imperium primo paternum, quod jure Romano civibus in liberos utriusque ſexus competit: (*f*) vetantur enim illos ex conjuge orthodoxa ſuſceptos ſuæ diſciplinæ conſecrare, quos *omnes orthodoxos fieri oportet.* Deinde herile ſeu dominicum: (*g*) nam ſervi

extra

(*a*) L. 8. §. 4. C. de Hæret. & Manich. (*b*) l. 5. C. Eod. (*c*) l. 10. l. 20. §. 3. C. Eod. (*d*) l. 4. §. 2. & 6. l. 5. l. 10. l. 19. pr. l. 23. C. Eod. (*e*) l. 20. §. 3. C. Eod. (*f*) l. 18. §. 1. C. de Hæret. & Manich. (*g*) l. 4. §. 8. C. Eod.

extra noxam ſunt, ſi dominum ſacrilegum evitantes ad Eccleſiam Catholicam ſervitio fideliore tranſierint. Dominio rerum vel indirectò exuuntur, prohibita ſcilicet alienatione (*a*) cùm inter vivos, tum ultima voluntate ne quidem in liberos hæreticos: his enim ſummotis agnati cognativè proximiores ſuccedunt vel directò & ipſorum bonorum ablatione, quæ fit (*b*) publicatione & (*c*) confiſcatione.

§. 10. Sic omnibus bonis & ad cujusque injuriam nudati ſectarii inutile ſunt terræ pondus, & vivum civitatis cadaver: quare ne oneri ſint civibus aut offenſioni, (*d*) pelluntur civitatibus, (*e*) perpetuaque deportatione & (*f*) exilio plectuntur.

§. 11. Quid miſeris nunc reſtat, niſi fama & vita? ſed tamen nec ipſa iſta auſtera legum pietas intemerata relinquit, (*g*) irrogatâ perpetuâ infamiâ, (propter quam (*h*) teſtimonia eorum judicialia aut in totum reprobata, aut ſaltem contra orthodoxos) & (*i*) capitis pœnâ, quæ Manichæis dictatur, nec non illis, qui priora interdicta (*l*) transgredi, aut (*m*) illicita docere tentaverint.

§. 12. Non arbitramur verò quemquam judicaturum, quas hucusq; pœnas recenſuimus, omnes in omnis generis hæreticos cócurrere: Mitius

(*a*) L. 4. §. 1. l. 15. l. 17. l. 18. l. 19. C. Eod. (*b*) l. 4. §. 1. l. 8: §. 2. C. Eod. (*c*) l. 19. §. Gazaros. C. Eod. (*d*) l. 8. §. 4. C. Eod. (*e*) d. l. 8. §. 5. (*f*) d l. 8. §. 2. & l. 19 §. Gazaros. C. Eod (*g*) l. 1. §. 1. C. de Summ. Trin. (*h*) l. 21. C. de Hæret. & Man. (*i*) l. 11. 12. C. Eod. (*l*) l. 14. C. Eod. (*m*) l. 8. §. 5. C. Eod.

tius enim ſemper alii puniuntur aliis, prout modeſtius innocentiusve delirant: imò verò inter ipſas pœnas gradus quidam ſunt, ut qui levioribus non emendantur, in graviores ſuccedant: Ita (a) Apollinariſtæ primò Epiſcopos & Presbyteros aliosve Clericos creare vetantur: non parentibus exilium ſurrogatur cum facultatum amisſione. Manichæorum tamen criminoſa religio confeſtim ſuos clientes ſecuri & gladio donat, quemadmodum & hodie Anabaptiſtarum furor ex Caroli V. (b) conſtitutione ſanguine profano inſanientium eluitur.

§. 13. Hæc ſupplicia, quæ longa ſerie enumeravimus, ipſos manent hæreticos: In fautores earum, receptatores, libros ſcandaloſos aut legentes aut non deferentes, denique in eos, qui cum ex officii ratione debeant, frigidè hæreticis iraſcuntur, æquè animadvertitur: (c) ita ſentiunt *auctoritatis* imperatoriæ *aculeos, qui eos domibus ſuis damnata proviſione defendunt*: (d) ita *privata ædificia, in quæ Domino permittente vel connivente conveniunt, veneranda Catholicæ Eccleſiæ vindicantur*, ita *procurator, qui hoc neſciente domino fecerit, decem librarum auri multam, vel exilium ſi ſit ingenuus, metallum verò poſt verbera, ſi ſervilis conditionis ſit, ſubit*: Ita, (e) *qui habet libros Manichæos, & non manifeſtat eos, ut comburantur, punitur*. Ita, (f) *qui in dignitatibus & militiis ſunt, ſollicitè eos, qui in ſuo ſunt conſortio, inqui-*

(a) L. 8. §. 2. C. Eod. (b) Annexa Receſſui Imperii de Anno 1529. (c) l. 4. §. 7. C. Eod. (d) l. 5. C. Eod. l. 8. §. 3. C. Eod. (e) l. 16. §. 2. C. de Hæret. & Manich. (f) d. l. 16. §. 1.

inquirant & prodant, quia ſi comprehenſus Manichæus dixerit, ſciri ſe & noſci talem à quibusdam, congrue illi puniuntur, ut qui eadem deliquerint, tametſi non ſint tales: eadem enim delinquere videntur ſcientes quidem delinquentem, non facientes autem illum manifeſtum. Ita ſtatuitur (*a*) *condemnatio centum librarum auri contra officium Præfecti Urbi, vel præſidiale quinquaginta, ſi quid hujusmodi fieri vel in publico vel privatis ædibus conceditur.* Ita, (*b*) *qui diſcendi ſtudio adierint de infauſta hæreſi diſputantes, decem librarum auri*, fiſco Imperiali *inferendarum jubentur ſubire diſpendium.* Ita ex nova Friderici Imperatoris conſtitutione, (*c*) *ſi Dominus temporalis requiſitus & admonitus ab Eccleſia terram ſuam purgare neglexerit ab hæretica pravitate, poſt annum à tempore monitionis elapſum terra ipſius exponitur Catholicis occupanda, qui eam exterminatis hæreticis abſque ulla contradictione poſſideant & in fidei puritate conſervent, ſalvo jure Domini principalis, dummodo ſuper hoc nullum præſtet obſtaculum.* Ita idem Fridericus (*d*) *Credentes præterea, receptatores & defenſores & fautores hæreticorum damnat, firmiter ſtatuens, ut ſi poſtquam quilibet talium fuerit excommunicatione notatus ſatisfacere contempſerit intra annum, ex tunc ipſo jure ſit infamis, nec ad publica officia ſeu conſilia vel ad eligendum aliquos adhibeatur, neq; ad teſtimonium*

(*a*) L. 3. §. 1. C. Eod (*b*) l. 8. §. 5. C. Eod. (*c*) Auth. Si vero Dominus. C. Eod. de Hæret. & Man. (*d*) Aut. Credentes præterea. C. Eod.

nium admittatur: ſit etiam inteſtabilis, ut nec teſtandi liberam habeat facultatem, nec ad hæreditatis ſucceſſionem accedat. Nullus præterea ei ſuper quocunque negotio, ſed ipſe aliis reſpondere cogatur: quod ſi forte judex extiterit, ejus ſententia nullam obtineat firmitatem, nec cauſæ aliquæ ad ejus audientiam perferantur: Si vero fuerit advocatus, ejus patrocinium nullatenus admittatur: Si tabellio, inſtrumenta per ipſum confecta nullius penitus momenti cenſeantur.

§. 14. Habes genera pœnarum, quibus Principis jurisdictio in hæreticos armatur. Inter illas verò quædam ſua æquitate propediem aſſenſum impetrant, ut quæ remotione ab Eccleſia & muneribus Eccleſiaſticis expediuntur: quæ enim injuria eſt lupos ab ovili exigere, præſertim ovina pelle contectos, ut ſecurius noceant? Excludunt ſeipſos fidelium cœtu & juribus Eccleſiæ excidunt, qui ſpiritum veritatis relicto in adverſis caſtris merent: Quid enim negotii eſt luci cum tenebris? quid virtuti cum flagitiis? Aliæ etſi iniquiores viſæ, qua ob animi crimen de fortunæ bonis periclitamur, tamen vix hodie à ſapientioribus in jus vocantur: Fere enim conſentiunt, hæreticos à Magiſtratu coerceri poſſe multis & contumeliis. Fortaſſe fama aliquos movet, exilium, bonorum confiſcatio & cum honeſtis civibus omne ſublatum commercium? ſed id nulla de cauſa, ſi cogitent, non omnem hæreſim tam graviter nocere, ſed illam tantum, quæ impietate & cruda pertinacia inter alias emicat: quæ facile apud æquos judices ſacrorum

oracu-

oraculorum auctoritate & Veterum conſenſu revinci poteſt, non quæ involucris ſuis & ſubtili patrocinio tegitur, ut imperitiores facile fallat: denique quæ partem ſui erroris jura etiam Principum in dubium revocata facit, ſicut olim Manichæi, & hodie Photiniani atque Anabaptiſtæ, qui capitalia Magiſtratus judicia ſtrenue improbant: non quæ ſimplici ſuperſtitione ſoli Eccleſiæ & fidei ſinceritati vim infert: nec eo mihi tales facile excuſabuntur, quod (a) *hac, quanta ſit, culpa pendeat ex modo illuminationis & aliis animi diſpoſitionibus, quas hominibus pernoſcere non eſt datum*: etſi enim ſpeciales pravitatis cauſæ non ſemper pateant, illud tamen undiquaque verum, non Deum in mora eſſe illuminationis, ſed ipſos homines, qui ſe minus digne & ſeriò ad tantum donum recipiendum parant, quæ ignavia aut exitialis contemptus, cum inexcuſabilis ſit, cur non etiam Magiſtratus indignationem mereatur, quid impedit? adeoque neſcio annon impietatem quandam ſapiat & prædeſtinationis abſolutum decretum, quod apud eundem Grotium eſt, ſi cui auxilia Dei ad illuminationem neceſſaria negantur, id ex cauſis fieri nobis incognitis, adeoque humano judicio non punibilibus. Certe enim prima cauſa nota nobis eſt & certa, hominum propria pertinacia, quæ oblata illa auxilia contemnit, & rejicit: quæ quoniam ex affectu apparet, quid nî & puniatur. Dices, meo periculo id ſit: quid de aliena ſalute laboras, ſatis habes, quod de tuo cures: enim verò tuo etiam periculo eſt autocheiria & muta illa mollis-

(a) Grot. de Jur. Bell, & Pac. l. 2. c. 20. §. 50.

molliſque Venus, quæ ſcelera tamen etiam leges vindicant: crimen eſt, malè de Deo ſentire, & quo pejus, hoc etiam majus digniusve publica coercitione. Adhæc ſi propter negatum illuminationis divinæ donum impunitatem hæreticis promittimus, cur non & furibus & adulteris & homicidis? ſcilicet enim in cauſa Deus eſt, qui ex cauſis nobis ignotis & proinde humano judicio non punibilibus his dona ſua negavit continentiæ, caſtitatis, manſuetudinis: omne enim bonum donum à Deo eſt: neſcimus profectò, ex quibus cauſis Deus homines interdum gratia ſua deſerat & in reprobum ſenſum det: id verò ſemper ſcimus, hominem ſe primò deſeruiſſe, quem Deus deſeruit, & hoc ad jus puniendi ſufficit.

§. 15. Sola itaque remanent capitalia judicia, à quibus hæreticis noſtrates Doctores immunitatem largiuntur, Pontificiis contra & verbis & uſu immodice ea extollentibus. Nobis ante omnia diſcrimen faciendum conſtat inter jus & conſilium. De illo nunc quæritur, de hoc poſtea. In juris examine iterum ſeductores dividendi à ſeductis ſunt; Doctores à diſcipulis: lupati paſtores ab ovibus: Qui ſibi ſolis inſaniunt, non partem & contagionem in alios transferunt, ſæpe miſeratione magis digni ſunt, quam gladio aut igne. Severius autem cum illis agere licet, quibus in pietatis & officii parte eſt perdidiſſe alios; Hos enim pro modo periculi & gravitate criminis ultimo ſupplicio poſſe ad exitium rapi, qui contra Magiſtratus interdicta illud miſeræ plebeculæ propinant, nec civiles rationes nos dubitare patiuntur, nec ſacra oracula: Fruſtra

obſtrepunt, qui in *fidei & religionis negotiis non attendẽdam eſſe humanam rationem clamant, ſed divinam revelationem* : non de fidei articulo & ſumma ſalutis hîc agitur, ſed puniendis hæreticis, quod argumentum problematicum eſt, citra æternæ felicitatis diſpendium ignorandum, imo politicum magis, quam ſacrum, in officium Magiſtratus deſinens: niſi enim ita eſſet, nos lubenter manum de tabula, quibus nulla voluptas eſt, in divinis myſteriis plus noſtra Eccleſia ſapere: quod ſi verò quicquid aliquo modo religionem tangit, humanum judicium faſtidioſe rejicit, jam omnes Eccleſiaſticæ conſtitutiones, quæ ſacri ordinis diſciplinam pro commodo Eccleſiæ & temporis ratione ſanciunt, arbitrio & conſilio imperantium eximuntur, & ad ſolas ſacras literas provocant, ubi tamen ſæpius nulla eorum negotiorum mentio: quare omnino recte faciunt, qui in hac criminali hæreſeos cauſa politicam etiam prudentiam in conſilium vocant, & juſtitiam poteſtate Imperantium metiuntur. Scilicet tam potens & efficax eſt virtus ſummi imperii, ut nullum non delictum periculo capitis proſcribendi jus habeat, quamvis illud prima facie ſatis leve videatur & tantum non ridiculum. Quid innocentius eſt Remi ſaltu, quo humile Romanæ civitatis vallum ex petulantia magis quam hoſtili animo irriſit? Quid deſerta militari ſtatione cum certiſſima pernicie defendenda excuſabilius? tamen utrunque in legibus noſtris & ex inſtituto Romanæ Reipublicæ mortem invenit. Quantula porro jactura quinque aureorum, propter quam pauper aliquando homo in furcam agitur?

agitur? quàm longè gravior voluntaria contumacia, edictis regiis nequaquam à docendi munere revocata, quo perfidè utitur? Utique enim vel publicæ tranquillitatis cauſa intereſt Principis videre, quid doceantur in ſacris rebus cives, quid credant: unio religionis concordiam civilem ligat: diſſenſus primo dirimit, mox turbat: utcunque primis initiis quieta ſit & modeſta doctrina novior, repente tamen, ubi confidere incipit ſuis viribus, ſtomachatur, ringit, verberat: & profecto neceſſarium hoc eſt, aut religio non eſt religio, quæ ſic torpet & friget. Cape tibi nunc Photinianos aut Anabaptiſtas in imperio noſtro nefanda doctrinæ ſuæ ſomnia diſſeminantes cum populi applauſu: cape imperialia mandata, quæ infelices homines excedere finibus jubent, nec in illos reverti ea mente, ut virus ſuum amplius ſpargant: Cape denique non parentes edictis, non minis aut periculo motos, ſed ſpreta auctoritate imperii præferre rabiem rationi, pertinaciam obſequio: clam & occulte perniciosis erroribus irrepere, quando palam non licet, nec minus tamen ex inſidiis nocere quam aperta virtute. Quid ſtatues in deprehenſos: non fas eſt Principi inexorabilem clementia inſaniam acerbiore indignatione plectere? non igne emollire induratam nequiter conſtantiam? ergò illi pauci & ſæpe externi in tuo quidvis impune facient, tibi manus ligatæ, poteſtas imbellis, gladius, quem à Deo habes, ablatus, modo ne impoſtores ſeditiones excitent, aut civili crimine obligentur? Quàm iniqua hic conditio tua? quàm triumphatrix impietas, & ſcelus & fu-
 ror?

ror? quantum inobedientiæ præmium, ſecuritas vitæ? Non conſcientiæ nunc diſcrimen, quæ libera relinquitur: docendi noxia libertas tollitur, in actus externos influens, adeoque punibilis humano judicio: nec puniuntur tales, quod ſibi male ſentiant, ſed quod contra leges ſocios ſacrilegii ſui quærant: duplex hic crimen alienos ſubditos impia in Deum docere, in Rempublicam pernicioſa: & docere interdicente Principe ſub vitæ diſcrimine, quod facere poteſt etiam in longe minoribus delictis, quam hæreſium propagatio eſt: cum ipſo enim crimine ſemper ſe contempta legum auctoritas vindicat, & ſua culpa punitur reus, qui, cum noverit periculum, id ex contumacia ſumma maluerit ſubire, quam obſequio laudabili effugere. Nec illi prodeſſe quicquam debet, quod credat, quæ docet, conſentanea eſſe veræ fidei & divinæ voluntati, adeoque magis Deo parendum quam hominibus: nam Principis jus & poteſtas erronea aliorum opinione non patitur vim aut injuriam. Verſamur hic in hæreſeos terminis, crimine Deo & hominibus inviſo, quod prohibere Principi fas eſt, & ſubditos oportet fugere ob iſtud interdictum: ad omnia enim leges obligant, quæ nullam in ſe moralem turpitudinem continent, nec anteriore obligatione ex objecto vel univerſali Dei juſſione profluente in diverſum eunt. Superiore & hoc etiamnum ſeculo in Gallia, Clemens, Caſtellus, Ravailliacus, cucullata monſtra & nefandi Regicidæ id conſtanter, & ut creditur ex animo tenuerunt, ita ſcilicet parricidali quorundam Sophiſtarum doctrina faſcinati,

jus

jus eſſe ſubditis, imò cuique Catholicæ Eccleſiæ fideli, Regibus à Romano Pontifice qualitercunque excommunicatis violentas manus injicere, quin obligari ad iſtud officii pietatis omnes, nec periculi magnitudine ignaviam excuſari. Parum abſfuit, ut non in fidei articulum & religionis præcipuum caput illa cynica Philophia degeneraverit; tanta aſſiduitate & neceſſitatis ſtudio commendabatur. Sed non propterea, quod in crimine læſæ occiſæve majeſtatis deprehenſis ita perſuaſum eſt, judicum religio ſibi à debitis ſuppliciis temperavit, aut meliorum gentium judicio feralis culeus crudelitatis nomen induit.

§. 16. Iſtam imperii ſummi virtutem porro jure gladii Apoſtolus Paulus declarat, quem Magiſtratus, Θεοῦ διάκονος, ἔκδικος εἰς ὀργὴν τῷ τὸ κακὸν πράσσοντι, gerit. Equidem haud invitus aſſentior, gladium non tantum capitalia ſupplicia notare, ſed totam pœnalem jurisdictionem, quæ multiplicibus coercitionum modis conſtat: verum nec illa excluduntur. Hæc itaque Apoſtoli mens, habere Magiſtratum poteſtatem in illos, qui malè faciunt, condignè animadvertendi etiam ad mortem usque, ſi id neceſſarium ſit, & ex uſu Reipublicæ. At qui male faciunt, hæretici etiam ſunt, imprimis illi, qui contra edicta publica ſibi falſa docendi provinciam ſumunt: ergò & illi pro re nata & mali atrocitate ferociaque poſſunt ad mortem condemnari: non omnes, inquam, indiſtinčte, nec ſemper: ſed quidam & aliquando, quamvis nondum adhuc tumultuaverint, aut alio delicto teneantur. Quam iniqua

hic aliorum commentatio, dici Magiſtratum vindicem in iram τῷ κακὸν πράσσοντι, non autem τὸ ψεῦδος διδάσκοντι? quid frigidius hoc acumine? quaſi verò malum non faciat, quicunque falſum docet: quaſi non in eodem crimine hæreat, qui ad illud alios laudando & aſſentiendo inſtigat: qui auctor eſt Regis occidendi, obſequii negandi, ſeditionis excitandæ, modo in ipſo actu non concurrat, quaſi malum non ſit falſa religio & adulterina fides: aut non facere ſit docere. Nec melius eſt illud ſimpliciter intellectum, *Magiſtratum non eſſe conſcientiarum dominum, ideoque etiam mandatis & pœnis ſuis conſcientias cogere nec poſſe nec debere*: Habet profectò & Magiſtratus in conſcientias imperium, quas juſſis ſuis, ſi æqua & juſta ſunt, obligat: obediendum enim, inquit Paulus, non modo propter iram, ſed & *conſcientiam*: pone Principem mandare, ut ſubditi abjectis idolis verum Deum ſequantur; annon conſcientia ad obſequium vincitur? ergo imperium illud ſaltem ſibi vult, ut in externis actionibus Chriſtiani ſint, falſos autem Deos ſalva imperii venia in corde retinere poſſint? ſed non eodem generis gradu & efficacia, qua Deus: ille enim ducere etiam & flectere conſcientias poteſt, ut verè credant, quod jubet: Hic vero Magiſtratus cogere ſaltem, ut credere debeant, ut & apud Deum, & ſe ipſas contempti imperii rei ſint, ſi maligne obſequantur, denique ut in foro civili etiam, ſi externis actionibus internos motus prodant, quin quod nec Deus ſemper ita cogat conſcientias, ut manus libertati earum injicere videatur. Quare

cogit

cogit conſcientias Magiſtratus obligatione ad obſequium: non obtorto collo rapit in ſervitutem, ut carnifex homicidam in carcerem: cum verò minus promte imperia juſta & bona exaudiunt, pœna quidem corporalis propter ignorantiam contumaciæ abſconditæ ſuſpenditur, manet tamen flagellator ille internus, qui occultis iiſque graviſſimis morſibus delicto occultato reſpondet, & ſerenitatem animi ardentibus furiarum facibus interpellat: hæc non exigua vis eſt imperii humani in conſcientias, cui deinde externa ſupplicia ſuccenturiantur, ſi aliquando in actiones ſenſibiles erumpant, ut hoc noſtro caſu pertinax docendi ſtudium, mandatis civilibus prohibitum. Deſinant itaque conſcientiarum libertatem jactare, ubi Princeps conſcientiis jam corruptis non vim facit ad ſanitatem, ſed luxuriantem impetum caſtigat, ne contagium ad alios ſerpat: Cur enim, per Deum immortalem, majus jus ſit hæreticis, hominibus privatis & ſæpe è terra natis ad conſcientias aliorum ſuis iniquitatibus polluendas: quàm Principi, legitimo imperio armato ad easdem ſubditorum ſuorum contra omnem injuriam muniendas legibus & ſuppliciis, ſupremis quoque, ſi extrema malitia mitioribus remediis nequit expugnari?

§. 17. In Judaicâ Republicâ hæc medicina ipſum auctorem Deum habet, mandantem *(a)* falſos prophetas, qui ſuadent colere Deos alienos, ſine ulla miſericordia occidi. Fruſtra hic ſunt, qui abrogatas contendunt Judæorum forenſes leges: ita enim abrogatæ ſunt, non ut ce-

(*a*) Deut. 13. & 18.

remoniales, quæ typi quondam & umbræ nunc ſine negatione adventus Meſſiæ in carnem amplius non poſſunt obſervari: ſed ratione Chriſtianæ libertatis, ut neceſſarium illis non debeamus obſequium. Solum enim Judaicum populum reſpiciebant, adeo ut ratione noſtri nullâ omnino probanda ſit legis abrogatio, quos nunquam obſtrinxit. Interea (*a*) duplicem ex illâ lege uſum habemus; noſtro huic ſcopo imprimis commodum; primo enim lex illa Hebræa nos ſincerè docet, non eſſe contra naturæ jus, quicquid ibi præcipitur. Deus enim cum ſit immutabilis & ſemper juſtus, nihil quod juri naturæ, id eſt, ſanctitatis ſuæ typo & divinæ imaginis ruderibus conſervatis repugnat, alia lege jubere poteſt aut vult, cum ſibi ipſi nunquam contrarietur. Deinde licere illis, qui imperium inter Chriſtianos obtinent, leges ferre ejusdem ſenſus cum Moſaica lege forenſi, niſi Chriſtus in Novo Teſtamento aliud dixerit: cum enim externam politiam & ordinationem Reipublicæ, nec non juſtitiæ inter cives adminiſtrationem tantum concernant, quid vetat illas ab aliis in exemplum & imitationem trahi, præcipuè ab authore ſuo & antiquitate tantoperè celebres? Hinc capitalia judicia jure Hebræo in hæreticos exercita de duobus nos inſtruunt: nimirum ea juri naturæ non repugnare, & in alia Republica eadem rectè citra iniquitatem ex uſu & commodo publico repeti: pugnant verò Andabatarum more, qui judiciale ac forenſe iſtius legis Chriſtianos non obligare ajunt. Lubenter hîc aſſentimur,

(*a*) Vid. Grot. de Jur. Bell. & Pac. l. 1. c. 1. §. 17.

timur, nos Moſaicæ legi non adſtringi: adſtringemur autem alii, quam is, qui in Civitate ſummum imperium habet, pro poteſtate & officio legislatorio ejusdem cum Moſaicâ ſenſus tulit: Adhæc diſſentientes nullo profectu probant, hodierno noſtro jure non omnia delicta æquales pœnas cum Judæorum foro experiri; non parentum contemptum, non pauperiem monito & non cavente Domino à cornupetâ datam, non Sabbati profanationem, non coitum cum uxore menſtrui tempore, non ſcortationem filiæ Sacerdotis, non incorrigibiles filiiſ-mores, capitalia eſſe: Nec enim iſtud valde adverſarios juvat, quos, ſi propoſitum tenere malint, id potius demonſtrare oportet, nefas eſſe legislatori Chriſtiano eadem delicta iisdem ſuppliciis compeſcere, quod quibus argumentis afferi poſſit, non video, niſi præcipuam imperii & majeſtatis virtutem inficiatum eamus: Nec magis ad rem faciunt rationes aggravatarum olim à Deo pœnarum pro triplici circumſtantia perſonarum, temporis ac locorum deſumptæ: Ne quicquam illæ de jure ipſo demunt, ſed conſilii inſtar ſunt, quando leges priores imitari liceat. Falluntur enim, profecto falluntur, qui easdem circumſtantias veluti nunc datu impoſſibiles arguunt. Eduxit Deus populum ſuum ex ſervitute Ægyptiaca magnis & illuſtribus miraculis: ſed ubi adhuc ipſi integrum fuit divino cultui & precibus vacare: At Chriſtianos plerosque à tenebricoſis Ethnicismi voraginibus, infelici animarum ſervitute, longe deteriore illa, quæ corpora Judæorum in Ægypto afflixit, in Eccleſiam ſuam

& fidem vocavit, miraculis infinitis cum ab ipſo Chriſto tum Apoſtolis editis ſancita fidei veritate: Quæ major ingratitudo, quæ dignior pœna? Tempus illius beneficii nec in Vetere Teſtamento ſemper recens manſit, nec in Novo à prima ſtatim origine ſua vetuſtum eſt & antiquum: falſum etiam, judaicas leges forenſes cum diuturnitate temporis vim ſuam amiſiſſe, quamdiu Reſpublica illa ſtetit, aut Machabæorum ætate illam de falſo Propheta criminalem legem eo non amplius valuiſſe, quod jam diu fuerit, cum populus ex Ægypto eductus ſit, adeoque meliore jure potuerit memoriam beneficiorum divinorum depoſuiſſe: Hæc ſcilicet abſurditas ex illa temporis circumſtantia ſequitur, qua ſibi placent. Porro ſi exacerbari pœnæ in hæreticos poſſunt, ſi religio recentior eſt, cur negant eum morem primæ Eccleſiæ fuiſſe, cur ex eodem jus & ſibi patrocinium ſumunt: Locus terra Cananitica erat, ſingulare Dei peculium: Eſto, quid tunc? Nunc totus orbis Canaan eſt, & omnis gens Dei populus, modo ſibi ipſi non deſit in recipienda divina gratia: an antiquum illud Canaan tenerius à Deo dilectum, quam novum noſtrum Chriſtiana Eccleſia? an major Dei cura & ſtudium, ne damnum accipiat, in illud, quàm hoc? An pretioſior Manna, Chriſti corpore, aut mellita lacteave flumina illius ſanguine, quo noſtra Palæſtina fœcundè irrigatur? Supereſt adhuc effugium illis, qui ultima hæreticorum ſupplicia damnant: leges, inquiunt, Moſaicæ agunt proprie de idololatricis, qui Diis alienis ſacrificia offerunt, aut Pſeudoprophetis, qui viſiones

& ſo-

& ſomnia jactitant, populumque ad idololatriam invitant. Sed vix eſt, internam idololatriam excludi. Quam operosè Lutherus in præfatione communi ad omnes Prophetas docet, ſcripturam ſacram, quando de idololatria loquitur, non tam craſſam & externam illam quam alienum & proprio ſtudio præter mandatum divinum excogitatum cultum; quamvis vero Deo oblatum, ſignificare? Hoc in pontificiorum ritus tam paratum nobis telum eſt, ut tota volumina impleat: cur igitur, cum è re noſtra minus eſſe videtur, tam cito deſerimus ſtationem noſtram, & ad alia delabimur: malam cauſam olet verſatile illud ingenium, quod unam rem, prout ſibi utile duxerit, hinc illinc diverſo ſenſu agit? Non eſt, quod timeamus, ne in eandem nos cenſuram noſtra facilitas præcipitet: Nos de hæreticis loquimur, quales non ſunt illi, qui ad omnes Romanæ Eccleſiæ humanas traditiones faſces non ſubmittunt, ſed ad Chriſtianam libertatem provocant: Pontificiis de nobis liceat loqui, quicquid eis in buccam venerit, nos innocentia noſtra, & conſcientiæ puritate defendimur: Vereor enim ſerio, ne in hac cauſa prævaricemur, ſi videamur ſuppliciorum metu, quæ hæreticis debentur, veritatis ſtudium & meliores partes deſeruiſſe.

§. 18. Jus itaque Principis hæreticos capite plectendi tam rationibus quam auctoritate ſacrarum literarum,(quib⁹, ſi lubitum eſſet evagari, exempla Regum probiſſimorum, Heliæ, Joſiæ, Jehu, Aſæ, divinis oraculis ea occaſione commendata: nec non Chriſtianorum Imperatorum

torum & teſtimonia Patrum poſſemus attexere) præclare nititur. Sed nos hactenus tantum de illis egimus, qui non modo privatim ſibi male ſentiunt, ſed alios quoque in militiam improbitatis qua voce qua ſcriptis nullo legum metu & reverentia alliciunt. Quid habendum vero, ſi abſtineant docendi munere, & ſibi ſolis inſaniant? de jure adhuc quærimus, non damus conſilium. Ego primo differre extraneos à civibus arbitror. Illi, qui pœnalibus edictis prohibentur in noſtram Rempublicam pedem inferre, ſi ſpreto periculo intraverint & deprehenſi ſint, propriam pertinaciam merito luunt: cur non abſtinent meo, cur non in ſuo manent? Exploratori in hoſtium caſtris agnito parata eſt furca. Judæis plurimæ Reſpublicæ capite conſtant: & Jeſuitas quondam Gallia læſæ majeſtatis reos cenſuit, qui in regno illo capti ſunt: hæc ad pericula vitanda: alibi commodi tantum alicujus cauſa negotiari peregrinis in Civitate vetitum, ſicut ingens malum habebit, quicunque ſalis commercium in Gallia præter unum Regem exercuerit: quare nulla idonea ratio, cur ſolis hæreticis terrarum orbis inviolabile aſylum eſſe debeat, cum ſæpe honeſtis viris in quibusdam locis ex civili ratione aditus occluſus ſit; ſed periculum etiam ab hæreticis, utcunque initio quietis, ne aliquando indulgentia tua animum majorem ſumant, & acceſſione aliorum vires, qui metus ſatis idoneus eſt ad ſummovendum è mea civitate advenam, velut peſtifera lue correptas merces. De civibus autem & indigenis quid juris eſt? Ego facilis eſſem, imò pronus, in mitiores partes, niſi me

paulis-

paulisper legum auctoritas retraheret: nempe Manichæi olim à Romanis Imperatoribus capite plexi ſunt; & Carolina conſtitutio eodem ſupplicio Anabaptiſtas dignatur: qui ſeditioſos ſolos juribus illis notatos perhibent, ſine dubio decipiuntur: lex enim nulla differentia ſectam religionis notat, non factiones; (*a*) *Ubicunq; Manichæi inveniuntur, capite damnandi ſunt*: inventi autem aliquando ſunt Manichæi non ſeditioſi, conſimili cum illis pœna afficiendi, nam quicunque in loco Romano degere deprehenſus eſt, *ei caput amputator*. Male hæc (*b*) Weſenbecius de deportatione intelligit, quod ipſa etiam ultimum & capitale ſupplicium dicatur in *l. Sancimus, C. de Execut. & Exact.* nam cui caput amputandum eſt, quomodo is deportandus dici poteſt? lex *ſancimus* à Weſenbecio citata non capitale ſupplicium deportationem vocat, ſed *ſupplicium perpetui exilii*, quæ immenſum inter ſe diſtant. Expreſſe JCtus (*c*) alibi, *ultimum ſupplicium ſolam mortem interpretamur*, quare non deportationem aut exilium, nec proſunt multum Weſenbecio, quæ de Manichæis de civitatibus pellendis cum eisdem ultimo ſupplicio afficiendis conjunguntur, cum utraque pœna arbitrio judicis relinquatur, quam cuique ex perſonarum temporis & loci ratione aptiorem judicaverit. Apertior eſt Carolina cōſtitutio, quæ ipſa inter Anabaptiſtas ſeditioſos & coryphæos, qui ſcandaloſam doctrinam docendo promovent, & ſimplices illius ſectæ ſocios notabile diſcri-

(*a*) L. 11. C. de Hæret. & Manich. (*b*) Parat. ad Codic. tit. 5. (*c*) l. 21. ff. de Pœn.

diſcrimen facit, utrisque quidem capitis pœnam irrogando, ſi perſeveraverint in ſcelere, ſeu viri ſint, ſeu fœminæ: Deceptoribus verò & anteſignanis ut & relapſis, nulla gratiæ ſpe: Deceptis propoſita venia ſi reſipuerint. Quamobrem fortè aliquis haud absre diſtinguendum eſſe dixerit inter atroces hæreſes & leviores. Illæ, quæ *ad imam usq; ſcelerum nequitiam perveniunt*, & per quas *ipſis etiam elementis fit injuria*, ſicut de Manichæis Imperatores Theodoſius & Valentinianus (*a*) locuti ſunt, pœna capitali forte finiri poſſunt, imprimis, ſi, quod fere ſemper uſu venit, laceſſita etiam & procaciter tractata Magiſtratus legitimi poteſtas in aliquam ſuperſtitionis peſſimæ regulam trahatur: quod hodieque Anabaptiſtæ faciunt, qui tantum non de omni jurisdictione civili dubitare videntur, certè illam ex malignè detortis ſacri Codicis oraculis immenſum caſtrant & quaſi in ordinem redigunt. Hæ, quæ innoxiis Reipublicæ erroribus, nec tam immanibus blaſphemiis in Deum injurioſis conſtant, mitioribus fomentis opus habent; ne in ſævitiam intempeſtivam medicina abeat: nunquam enim toto Chriſtianæ Eccleſiæ tempore omnis generis hæreticos ſine ullo crimine & ſectarum delectu carnifici objectos legimus: Et quamvis Princeps jus habeat quævis delicta puniendi morte, illud ipſum tamen non ejus libidini aut affectib⁹ ancillatur, ſed neceſſitatibus Reipublicæ & communi bono ſervit, extra quem reſpectum jus actu primo competens in exercitium actuale deduci nequit. Omni tempore dominium

(*a*) L. 5. C. de Hæret. & Manich.

minium eminens in ſubditorum bona imperanti adeſt: nunquam jus belli gerendi non majeſtate includitur: Legum ferendarum poteſtas ſemper eſt ejus, cujus ſummum imperium : Legatos mittendi facultas ubique Civitatis Rectorem comitatur : Et tamen Principi non ſemper licet pro lubitu & ad proprium ludibrium ſubditos bonis ſuis & dominio privato ſpoliare : non ex qualibet occaſione bellum gerere : non ſingulis diebus novas leges Reipublicæ obtrudere : non aſſidua legatorum miſſione extraneis oneri eſſe & moleſtiæ, ſed cùm publicum bonum & utilitas totius imperii id ſibi poſtulat : Scilicet cum adverſus hoſtilem vim civitas munienda, privatis agri & ædificia auferantur: cum annona comburenda, ne hoſti ad victum cedat, miſeros agricolas totius anni ſpes ſua fallit : cum juſtæ ſunt & graves ſuſcipiendi belli cauſæ, tunc arma idoneè induuntur: cùm jure novo Civitas indiget, legislatoria poteſtate opus: cum fœdera commerciorum belli paciſque facienda, legatos oportet mittere : Ita etiam non leviſſimis quibusvis de cauſis ſecures & virgæ expediantur, verùm tum demum, quando minora illa peccata ingenti præjudicio Reipublicæ ſunt, morali æſtimatione, aliquando in ejus nervum eruptura. Hinc in mites hæreſes & ſimplices & quietas civiles aliæ pœnæ ſuffecerint, quibus innocens malitia refrenetur, & emendetur, ut ſuperſint ſuppliciis, qui pœnitere poſſint. Levem aliquam coactionem minantem tamen magis quam verberantem & trahentem ego non verebor

bor admittere: (*a*) Tertulliano vetuſtiſſimo Patrum & ſapientiſſimo ita viſum: *ad officium hæreticos compelli, non illici dignum eſt: duritia vincenda eſt, non ſuadenda hæreſis*: & poſt eum (*b*) Auguſtino etiam longe omnium eruditiſſimo Theoſopho. *Melius quidem eſſe, quis dubitaverit, ad Deum colendum homines doctrina duci, quam timore pœna vel dolore compelli: ſed non quia iſti meliores ſunt, ideo illi, qui tales non ſunt, negligendi ſunt. Multis enim profuit priùs timere vel dolore cogi, ut poſſint poſtea doceri, aut quodjam verbis didicerunt, opere ſectari.*

§ 19. Proximum eſt videre illos, qui in adverſa acie ſtant, quantum contra noſtram ſententiam valeant. Multiplici quidem apparatu inſtructi ſunt, ſed ſi recte inſpiciatur nobis innoxio, illis inutili. (*c*) Vaticinia ex vetere teſtamento deſumpta de converſione gladiorum in vomeres, & lancearum in falces, de pace perpetua & univerſali: de cohabitatione lupi cum agno, pardi cum hædo, de ſocietate vituli leonis & ovis, quos puer confidenter ducturus ſit, ſi utiq; etiam modum propagandi Eccleſiam includunt, in quo non difficiles ſumus, de modo defenſionis tamen Eccleſiæ à ſummis poteſtatibus ut nutriciis ſuis & tutoribus fideliter præſtandæ nihil definiunt; nam ſuppliciis hæreticorum non tam propagatur Eccleſia, quam defenditur, & munitur, ne feroces apri vineam Domini penitus ſubruant. Adhæc videntur vaticinia illa tem-

(*a*) Adverſ. Gnoſt. c. 2. (*b*) Epiſt. 50. ad Bonif. (*c*) Eſai. 2. 4. & 11. 7. & 65. 25. Zach 9 10.

tempora potiſſimum iſta reſpicere, quibus Eccleſia adhuc ſeculari brachio & tutela caruit, & deſcribere tantùm miraculoſam Evangelii virtutem, quod penetrantiſſima efficacia barbaras etiam & ferociſſimas gentes Chriſto conciliaturum ſit, ſine ſanguine, ſine vi & coactione, quibus mediis plerumque paganorum ſuperſtitiones & noſtrâ ætate deliria Mahumetana defenduntur: Scilicet convincet ſua luce hominum incredulorum mentes, & ab animis impetrabit genuinum aſſenſum; non violenter raptabit potentiorum corpora ad obſequium: ac ad id officii utetur miniſtris ovibus, hœdis, vitulis, pueris, hominibus ſcilicet mundo contemptis viliſſimæque ſortis, piſcatoribus, publicanis, textoribus, non Imperatorum & Regum armis opibusve, ſociis magis & arroganti beneficiorum exprobratione timendis, quam inſtrumentalibus, ut divini favoris auxiliique præſentiam in Chriſtianæ doctrinæ propagatione, quæ furente & obnitente univerſo mundo propoſitũ tenuit, ex divinorum præconum ad omnes injurias nudatorum imbelli, ac miſera conditione facilius agnoſcamus. Sed quid hoc ad Chriſtianos Principes & Magiſtratus, quibus propter ſummum imperium etiam in ſacris rebus multa facere licet, quæ nec ſibi Chriſtus licuiſſe voluit, nec licuit Apoſtolis?

§. 20. Omiſſis igitur vaticiniis, quæ præterea fere ſemper ſuis involucris occulti aliquid & dignum Delio natatore tegunt, ad propiora novi fœderis teſtimonia veniamus, ubi primo man-

ſueta (*a*) Patrisfamilias indulgentia vetantis zizania inter triticum enata evelli, adverſus ſiſtitur: ſervis enim ad eradicationem & iram properantibus, *ſinite*, inquit, *creſcere zizania usque ad tempus meſſis.* Sed vix vitabitur abſurdus ſenſus, ex mandato tam crudè & ad literam intellecto, primò tolli omnia capitalia ſupplicia: zizania enim ibi non ſolas hæreſes ſignificant, verùm, ut in ſequentibus declaratur, πάντα τὰ σκάνδαλα καὶ τοὺς ποιοῦντας τὴν ἀνομίαν: hoc eſt, υἱοὺς τοῦ πονηροῦ. Meſſores enim ſola colligunt zizania: Angeli verò ſunt Meſſores illi, qui ſegregant ſcandala & iniquitates: adeoque zizaniorum nomen ſe non poteſt tantum ad hæreſes referre: nec probo explicationem, quaſi de officio Angelorum per excurſionem hic ſermo ſit, omiſſo eo, quid per zizania in agro domini intelligatur: quia quale eſt officium meſſorum: tale & Angelorum: nam Angeli ſunt meſſores; at officium meſſorum eſt zizania colligere: ergo & angelorum idem munus: porro angeli colligunt omnia ſcandala & iniquitatem facientes, filios illos nequam ſive Diaboli: ergò & meſſores: ſed meſſores colligunt zizania, adeoque zizania hic notant omnia ſcandala & iniquitates. Hæc adeo catenatim inter ſe cohærent, ut niſi omnem contextum velis diſſolvere, non poſſint ab invicem ſecerni. Adhæc ager, cui ſemen injicitur, mundus eſt: Bonum verò ſemen υἱοὶ τῆς βασιλείας: id eſt Eccleſia Dei: quicquid itaque Diabolus in mundo ſerit, quod inter bonum ſemen enaſcitur, id eſt zizania: ſed non ſolæ hæreſes auctorem habent Diabolum, verùm

(*a*) Matth. 13.

verum & omnia alia peccata, quæ proinde oportet nomine zizaniorum intelligi. Objiciunt quidem oppoſitum ſeminis per zizania intelligendum: illud autem ſemper hæreſes eſſe: ſed non amplius hic eſt locus conjecturis, ubi ſatis clare explicatur, quæ zizania Meſſores Angeli debeant colligere: nimirum omnia ſcandala & facientes mala ſeu iniqua: præterea non ubique, quod inter ſemen bonum ſpirituale enaſcitur, hæreſes eſſe, alia Chriſti parabola nos abunde docet, quæ curas humanas & plus æquo mancipatum divitiis animum cum bono ſemine unà creſcere, & illud ſuffocare dicit. Quamobrem omnes in genere facinoroſos per zizania parabolá ſibi velle omnino probabilius eſt: quo dato ſequeretur nullum etiam in manifeſto & maximo crimine deprehenſum poſſe capite plecti, quo nihil & à ſacra ſcriptura & omni Chriſtiana politia alienius eſt. Deinde poſito tamen ex abundanti ſolas hæreſes eſſe zizania, quæ paterfamilias extirpari prohibet, id interdictum de omnibus in genere pœnis, quibus hæretici coercentur, non ſolum de ſummo ſupplicio debet exponi; nam ſervi jubentur ut creſcere ſinant, nec quocunque modo noceant zizaniis: quare quæcunque pœna fœcunditati hæreſium obeſt, illa improbatur Patrifamilias: Verum quàm impia hæc ſententia, quam injurioſa in officium Magiſtratus, cui à Deo gladius eſt datus ad omnis mali punitionem? Oportet igitur profecto alium eſſe parabolæ ſenſum: Hic enim meritò rejiciendus eſt, qui maximo ſecuritatis præmio improbitati patrocinatur, ſceleribus planiſſimam viam ipſo

Dd 2 metu

metu dempto ſternit, & criminalem Reipublicæ Jurisdictionem ſufflaminat. Parum abeſt, quin ſuffrager Hieronymo, ajenti, Chriſtum non ſupplicia hæreticorum fabella ſua improbaſſe, ſed intempeſtivum uſum, unde plus damni quam emolumenti poſſit ſperari, & quo, ut habet proverbium, ſpem pretio emimus: ſuadet id prohibitionis ratio, ne tritico noceatur: itaque ſi ſine periculo ejus evelli poſſunt zizania, ceſſat edictum, cùm prohibitiva ratio ceſſet. Quicquid tamen ejus ſit, nolo enim hic aliquid certi determinare, id pro comperto habeo, parabolæ mentem nec ſolis hæreticis, nec ſolis eorum capitalibus pœnis commode explicari.

§. 21. Minus negotii Chriſti increpatio nobis faceſſit, qua diſcipulos ſuos perculit, ignem de cœlo in ultionem provocaturos ad Samaritanorum impietatẽ plectendam, hoſpitii jura negantium (*a*) *Neſcitis*, inquit Chriſtus, *cujus ſpiritus filii ſitis.* Recte id quidem; Chriſtus enim regnum ſuum noluit eſſe de hoc mundo, ſed alia Magiſtratus Chriſtiani ratio, qui gladium divinitus in id accepit, ut condignis ſuppliciis facinora expiet: Intutum eſt in civilibus cauſis ab actionibus Chriſti argumentum: Hic enim nec adulteram in ipſo crimine deprehenſam judicavit: quàm verò ridicule fecerit, qui idem judicium Reipublicæ negaverit? Huc & dimiſſio gratuita (*b*) Salvatoris pertinet, relinquentis diſcipulorum arbitrio, manere velint, an abire. Scilicet Eccleſiam decet illa manſuetudo: Magiſtra-

ſtratum

(*a*) Luc. 9. 54. (*b*) Joh. 6. 67.

ſtratum verò & puniendi jus, ſi ex uſu Reipublicæ & ipſius Eccleſiæ id ſit.

§. 22. Quæ porro de Apoſtolorum praxi & primitivæ Eccleſiæ moribus afferuntur, nullo negotio refelli poſſunt: Trecentis primis à Chriſto nato annis nec Catholica Eccleſia defenſores ſuos habuit ac nutricios; nec Reſpublica Chriſtiani Principis imperium: quid nunc mirum eſt ſi hæretici non puniti? A quo enim fuerint puniendi? non ab Apoſtolis & ipſa Eccleſia, quæ legitima juriſdictione caruit: nec à Romanis Imperatoribus, quibus lucrum & ludus fuit illam maximis inteſtinæ diſcordiæ turbinibus exagitari? Quamprimum verò in Conſtantino Magno Chriſtiana fides ſupra hoſtes ſuos triumphavit, hæreticis continuò peſſimum ſidus ortum eſt, in quos Imperatoriæ leges graviſſimis ſuppliciis, & ad mortem usque animadvertére. Sane aliquando illis etiam quoddam velut reſpirandi ſpacium datum; ſed nec illud ſine civili ratione & ex neceſſitate Reipublicæ: non quaſi fracta ſit juriſdictio aut torpeat, ſed quod certo conſilio conniveat. Conſtantinus M. edicto ſuo, quo conſcientiæ libertatem ad tempus concedit, rationem adjicit, non illam, quod non poſſit jure hæreticos perſequi: ſed (*a*) *quia id tranquillitati noſtrorum temporum conducere manifeſtum eſt*: ergo ſi non expedit paci publicæ, ſi nocet & officit, hæreticos pati, (*b*) diverſa ſententia locuti ſunt Imperatores. Adverte verò, quàm multa inſubida ſecutura ſint, cùm Apoſto-

(*a*) Euſeb. l. 10. cap. 5.
(*b*) l. 11. l. 12. C. de Hæ. & Manich.

rum vita & Eccleſiæ adhuc preſſæ temporibus poteſtatem Chriſtiani Magiſtratus metimur? quando Apoſtoli jus Chriſtianis dixerunt, quando homicidia, furta, latrocinia, ſcortationes, adulteria, aliaque crimina corporalibus pœnis aut mulcta pecuniaria ulti ſunt? Paulus ſatis habuit in Corinthium illum, qui novercam in uxorem duxerat, ſpiritualia cenſuræ Eccleſiaſticæ arma expediviſſe. Petrus Chriſtianos in civilibus cauſis non ſibi ſed poteſtatibus ſupereminentibus obſequium deferendum docet: nullus eo tempore toto orbe Chriſtianus Princeps, aut Præſul aut Prætor: quicquid imperium, quicquid Magiſtratum tenuit, profanos gentium Deos ſectabatur: ſed ridiculus plane fuerit & pepone inſulſior, qui captato inde exemplo in juriſdictionem noſtrorum imperantium, & merum, quod ajunt, imperium, cupiat infelix præjudicium torquere: Patrum teſtimonia non jus oppugnant, ſed conſilii ſunt, de quo poſtea dicemus: certe enim magis aliquando proficimus clementia & obliqua velificatione, quam ſanguine & ferro, (a) *Nam ſæpe quo majora ſupplicia irrogabis, eo minus proficies, cum ea ſit hominibus inſita vis ac natura, ut ad aliquid aſſentiendum ſponte duci velit, cogi nolit.*

§. 23. Tandem rationes videamus, quibus aſſertum ſuum fulciunt: Primò, *converſioni & ſaluti errantium via præcluditur*: Hoc argumentum ſi aliquid valet, quis ob facinus mortem poterit juſte pati, imprimis ſi contumaciter nolit reſipiſcere? Supereſt damnato adhuc tempus,

(a) Bodin. de Rep. l. 4. cap. 7.

pus, quo de animæ ſalute cogitet, quod ſi negligenter effluere ſiverit, eſt quod ſibi imputet: morali enim æſtimatione non attenditur illud periculum, in quod quis ſe propria culpa ſciens præcipitat: Non deerunt Doctores orthodoxi, qui usque ad ferale pegma orationibus, precibus, conſolatione inſtent, ut animam lucrentur. Scio, quid opponi poſſit: diverſa ſcilicet eſſe alia civilia delicta à crimine ſpirituali hæreſi: in illis enim facilius poſſe culpam agnoſci, quam hac, ubi reus id ipſum, ob quod plectitur, ſummam pietatem putat, & proinde ſe innocentem. Sit ita: fatear diſcrimen: quid tamen ſi hæreticus læſæ majeſtatis reus ad culeum damnetur, qui etiamſi crimen fateatur, errorem ſuum nolit deponere? Moriatur, inquis, ſceleratiſſimus parricida, & hic infandi criminis pœnam ſuſtineat, illic inexcuſabilis pertinaciæ: ſubſcribo lubens ſententiæ; ſed vide, quàm parum ſis tui memor, qui momento improbaſti feſtinata judicia; quibus errantium converſioni non amplius via patet? inſtas autem Auguſtinum diu in Manichæorum ſordibus hæſiſſe, tantum mox lumen Eccleſiæ futurum, cujus oportuiſſet jacturam facere, ſi ad noſtrum tribunal ventum eſſet. Abſit hoc, abſit ſerio: non ſtatim ad ferrum & rogum clamamus, cum jus defendimus, quo Principem decet moderatè uti & caſte, ſicut propediem à nobis dicetur: tum providentiæ divinæ etiam hic aliquis locus, quæ illum non patietur inter hoſtes ſuos perire, quem honeſto transfugio adſalutarem Eccleſiæ ſuæ Symmachiam vocatura eſt. Secundo, ajunt, *fidem eſſe Dei donum, quæ hu-*

manis edictis nec imperatur nec cogitur: conſcientias non recipere dominatum: ſimulationem aliquando extorqueri, non ingenuam pietatem: velle Deum populum voluntarium, nec ipſi placere coacta ſervitia: ſed confunduntur hic, quæ probe à ſe invicem diſcerni debent: nam eum, qui contra publicas leges aliis errores ſuos communicat, nihil hæ rationes juvant: non ejus fidem cogimus, non conſcientiis dominamur; de damno cavendo ſolliciti ſumus, ne peſtiferum virus exerrando viciniam corrumpat: Quod ſi verò interdum homines propter ipſum hæreſeos crimen de capite periclitantur, non aliter id probamus, quam ſi error in extremas abominationes & illas impietates abeat, quæ à ſacris literis conceptò damnantur, & omnem fidei Chriſtianæ veritatem ac ſubſtantiam evertunt: quantum enim ſtudium illud & profeſſio tot ſcelerum à manifeſtis blaſphemiis diſtat, ultore gladio dignis? Tertiò capitalia ſupplicia illis delictis corporalibus terminant, *quæ humanæ ſocietatis tranquillitatem deſtruunt.* Frigide medius fidius: an enim quinque aureorum furto, quod laqueo expiatur, orbis terrarum in mutuam lanienam trahitur? quæ unquam Reſpublica ex eo turbavit; quod perditi homines cum beſtiis coierint? quando Romanum imperium civile bellum ex fellatione civium aut reciproco maſculorum amore habuit? criminum pœnæ non tantum humanæ ſocietatis quiete definiuntur, ſed etiam ipſius ſceleris & peccati gravitate, quam vel indice natura vel ex divinis legibus venamur. Adhæc delicta etiam, à quibus aliquan-
do me-

do metus eſſe poteſt turbarum, ſi nimium invaluerint, ſanguine eluuntur, licet è veſtigio publicæ concordiæ parum noceant: quæ unquam verò in mundo tam manſueta hæreſis viſa eſt, quæ non in factiones & tumultus exiit, receptis viribus? Arius ſub Conſtantini M. imperio quietus & torpens: in Synodo Nicæna humilis & ſupplex: quam ferox verò idem & ſanguinarius, cum primum ſibi fidere cepit: cum patronos ipſos Imperatores invenit? Jam amplius vide, quam abſurdum ſit illud, & inconſideratum, quod quarto loco afferunt, *Antichriſti notam & morem eſſe in hæreticos usque ad ſanguinem ſævire*: quid audio, cornicem cornici oculos eruentem, viperam veneno occidi ab aſpide, & ſcorpionem nocere ſcorpioni? Aliud eſt Antichriſti ingenium: ut enim veſpæ inter ſe non certant aculeis, ut lupi invicem ſe non devorant, ut piratarum fida & concors eſt ad gentium perniciem ſocietas, ita Antichriſti regnum hæreticorum velut ſacrum aſylum & mutua conſpiratio in Eccleſiæ Catholicæ exitium: non ex eo noſcitur illa Eccleſiæ peſtis, quod hæreticos occidat, ſed quod orthodoxos: ſed occidit, inquis, ut hæreticos: quaſi verò Tyrannus bonos & innocentes cives, quos ſuis conſiliis obſtare ſcit, aut propter opes ad prædam petit, non in crimen aliquod vocet, & ab eo ad mortem? hic Tyranni conſtans eſt & proprius caracter, quem in juſtum Principem ſiquis torqueat, homines veris ſceleribus oneratos poſcentem ad debita ſupplicia, eum profecto oportet Morycho Siculo eſſe ſtultiorem. Quinto manſuetudinem Eccleſiæ obji-

ciunt, quam nos quoq; magnopere commendamus. Enimverò tam pertinax eſt interdû malitia, ut verberari velit,non palpari, ſicubi ſit ſananda. Medici aliquando plus quiete proficiunt & conniventia ; eſt etiam cum uritur ſecaturve malum, ne ad integras adhuc partes perrepat, nec qui hoc faciunt, crudeliores ſunt illis, aut illi his mitiores : ægrotis etiam amara potio ſalutaris eſt,& vena aperitur, quæ ſanguine atro accenſove ebullit : ita ſemper temporis & morbi habenda ratio. Cûm ſpes eſt verbis & minis innocentibus confectum rem iri, O te beatum, quem tanta gloria expectat: quid Magiſtro virgis opus, diſcipulo ad nutum & imperia ejus parato? Verum ſi corruptus ſimul & corruptor, æger & flagrans animus perviċaciſſimis libidinibus ardeſcit, fortem medicinam induratum malum poſtulat, & durus nodus, quod ajunt, durum cuneum. Nihil impedit Eccleſiam divinam manſuetudinem imitari. Hæc diu patienter malignitates hominum fert, ad peccata dormit, errantibus viam monſtrat, & dilata ultione pœnitendi tempus : ſed quam languida primò eſt & indulgens, tam graviter iraſcitur & lethaliter ferit, quos fruſtra expectavit ad officium redituros : ita Eccleſia cum hæreticis agit monitis, rationibus,indulgentia, minis : his in irritum cadentibus, utitur porro jure ſuo, extrema arma expedit : Adde quod alia manſuetudo & *μακροθυμία* Eccleſiam deceat, alia judicem, qui de criminibus cognoſcit, in Eccleſiæ injuriam & damnum deſinentibus : Ut privato vindicta non convenit, cum Magiſtratus copia datur, ita nec

Eccle-

Eccleſiæ in hæreticos ultio, quam à tutore ſuo & nutritio, à Deo in id conſtituto, conſequitur: Denique incommodis terrent & periculis, quaſi aliqua res tam ſancta ſit & proba, qua non peſſime abuti liceat, aut quaſi abuſus uſum tollat, vel injuria jus. * *Sub prætextu in hæreticam pravitatem ſæpe innocentes è medio tolluntur corrupta judiciorum ſanctimonia:* Opinor, ſed nemo de homicidio, furto, latrociniis, innocens accuſatus eſt? nulla unquam honeſta matrona à ſagis & veneficis perfide delata? nunquam ſub equulei doloribus victa veritas, ut ſibi ipſi deeſſet, & in gratiam judicis mentiretur? in læſæ majeſtatis crimine quoties bonis viris judicium illud exitio fuit? quoties alieno furto inſontem victimam temeraria indicia ſubſtituerunt? ergò omnia publica judicia tollenda, & ipſa vindicatrix juſtitia denuo è terra proſcribenda eſt, quod ſanctiſſimæ Deæ pudicitiam hominum improbitas ſollicitet? *pereunt, qui ſucceſſu temporis ad veritatis agnitionem perduci poterant:* non iſti profecto, ſi me audis, ſed à quibus vehementer metuitur, ne alios in eosdem caſſes pertrahant & ſcelerum ſocietatem: ſed qui extrema pervicacia nullam emendationis ſpem reliquam faciunt; ſed qui ſubinde plus de veneni ſui propalatione ſolliciti ſunt, quam veritate quærenda. *Multi ex hæreticorum pertinacia ad hæreſin inflammantur:* ad latrocinia etiam aliqui, ad veneficia, conſtantia latronum & ſagarum, quos mox eadem ſupplicia manent. *Bella, ſeditiones & cædes excitantur*, imò etiam cum tributa cogimus, factiones excidimus, aut eos jure per-

ſequimur, qui majeſtatis rei & in gratia apud populum ſunt. Nulla unquam lætior Diis hoſtia cæſa eſt, quam Guiſius in Gallia, nunquam juſtiorcædes perpetrata, aut in meliore cauſa pugiones percuſſorum humano ſanguine rubuerunt: tota tamen Gallia manibus tam fœdis & impuris mutua laniena & parum abfuit, extremo regni excidio parentavit, *nec omnes Magiſtratus certamina Eccleſiæ intelligunt, nec ſatis diligenter ea expendunt.* Quid deinde? Judices etiam non omnes jus ſciunt, quantum noſſe debent; quorum ſententia nihilominùs in rem judicatam abit: *Armamus contra nos Antichriſtum, cujus proprium eſt bello & armis igne & gladio ſævire adverſus eos, qui ab ipſo ſeceſſionem fecerunt:* nulla id noſtra culpa fit, nam qui jure ſuo utitur, nemini injuriam facit: etiam Pontificem & Hiſpanum male olim habuit, quod maximum & infandum à Pontificiis adverſus Jacobum Angliæ Regem meditatum parricidium exitu caruerit & expectatione; complices tamen adeò immanis ſceleris in furcam acti, & Garnetus, quod mirum, parricidio martyrum coronam meruit. *Sævitur in eos, de quibus nondum conſtat, an verè & proprie loquendo ſint hæretici.* Puniuntur & illi ſæpius præcipitato judicio, qui nondum idoneis probationibus de crimine civili ſatis convicti ſunt, nec ſtatim irato plebis ſcito legitima juriſdicundi poteſtas ex abuſu illo in Republica abrogatur; Omnes res natura bonas produxit & homini ſalutares; vitio mortalitatis, non uſu ſuo exitium fiunt: ipſi ingenio noſtro debemus, quicquid noxam nocet, & illud ipſum ingenium

quam

quam divina res & omnibus Crœſi divitiis pretioſior; ſi ut oportet impenditur, tam peſſima & exitialis alieno manubrio. Aliter venenum miſcuit Æſculapius, aliter Medea: Ferrum in ſubſidium noſtrum natum eſt, & contra feras arma, quod mox neſcio quis malus genius in nos vertit & ad humanam peſtem. Divitiis, quibus incommoda vitæ ſolari convenit, ſicarii ſæpe emuntur; aut proditores: & vero ipſa juſtitia ſobrie ac pie diſpenſata quid humano generi utilius? quid propius ad ſocialem rationem. Hæc Dea civilis vitæ præſes & Domina: hæc innocentiæ ſolatium: hæc præmium bonis: hæc ſceleri & injuriæ ingens terror ac fuga: quam ſpecioſum ſæpe libidinibus & iniquitati operculum? quanta avaritiæ, crudelitatis & violentiæ larva? quis unquam; qui civium libertatem & jura opprimit, non colorem aliquem ambitioni ſuæ invenit? quando luſciniolæ ſua cantio defuit, ut avaritiæ adoleret ſubditorum expilatione: quando muneribus, affectibus, ira, amicitia corruptus judex injuriam non jus dixit? adeò nihil eſt ab improbitate tutum: ejiciamus ex orbe res omnes, quibus abuti poſſumus, non cibus nobis in alimentum relinquetur, non ipſa noſtra corporis membra: in triſte exilium ibunt virtutes & ipſa pietas, quarum nomine nobis frequenter illuditur: tanta neceſſitudine malum bono cohæret, ut ſi hoc carere poſſimus, illi tota terra exulandum ſit.

§. 24. Sic cenſemus de jure eorum, qui ſummum imperium habent, & criminali jurisdictione, hæreticorum ſanguine atratâ. Enimverò non

non ſemper, quod licet, expedit. Plus damni aliquando ſubita coërcitio in Rempublicam attulit quam commodi, & ipsâ immaturâ medicinâ exaſperatus eſt morbus. Cunctandum hic Principi, & omnia priùs expedienda, quam virgæ & ſecures in colla ac tergora ſontium: regia, imò imperatoria ſententia eſt, *feſtina lente*, cum toto vitæ curriculo neceſſaria, tum præcipuè quando de alieno capite agitur: nihil iræ dandum, nihil affectibus: tempori potius multa, quod iſta mitigat: Mulierum fervidis imperiis ne auſcultes: ſapientius (*a*) Poëta: *nulla unquam de morte hominis cunctatio longa eſt.* Sit itaq; tibi *viliſſimi etiam ſanguinis parſimonia*: (*b*) *prope eſt ut libenter damnet, qui cito*, * quanto opportunior clementia non ſolum tuæ gloriæ, ſed etiam eorum ſaluti, quibus medemur; quod medicis viſum in natura reſtituenda, cur non vitiis Reipublicæ curandis adhibeas? Oraculum profectò eſt, tu adora, (*c*) *melius ſanare vitioſas partes, quam exſecare*: O ſalutare decretum, & bis civica corona dignum! O clementiæ aram, ſupplicibus exorabilem! O miraculum ſupra Herculis labores æternitate donandum! O ſuave & commodum juſtitiæ refrigerium, quod Titanicum ejus vultum ad humanitatem componit & meliorem ſpem! O nomen Principibus nunquam obliviſcendum! Sed ei non niſi opportunè locus dandus, eſt enim tempus, *cum* (*d*) *adhibenda eſt Reipublicæ cauſa ſeveritas, ſine qua adminiſtrari civitas nulla poteſt*: iidem Medici

(*a*) Juv. Sat. 6. (*b*) Senec. de Clem. l. 1. (*c*) Cic. 2. Ad. Attic. Epiſt. 1. (*d*) Cicer. de Off. l. 2.

Medici ſciunt, (*a*) *digitum præcidi oportere, ſi ob eam rem gangræna non ſit ad brachium ventura.* Malitia hominum & ipſa impunitatis ſpe excitata peccandi illecebra crebro nos cogit armatam faciem ſumere: vulgi hæc natura (*b*) * οὐ γὰρ πεφύκασιν αἰδοῖ πειθαρχεῖν, ἀλλὰ φόβῳ οὐδ' ἀπέχεσθαι τῶν φαύλων διὰ τὸ, αἰσχρὸν, ἀλλὰ διὰ τὰς τιμωρίας. Itaque aliquid clementiæ dandum & miſerationi: interdum etiam neceſſitati: aliquid auctoritati & juſtitiæ: utrumque ita temperatè, ne ex una parte marcida ſegnitie patiaris hebeſcere aciem tuæ auctoritatis: & ne ex altera immiti & ſylveſtri rigore plus timoris & odii facias, quàm emendationis. Ut rem totam penitus intelligas, † diſcriminatim hæc habe, primò perſonas, quæ in religione peccant: deinde tempora: Homines qui de Deo & receptis ſacris male ſentiunt, rurſus duplici ordine collocandi, quibus ſingulis accommodanda tempora ſunt: Alios enim videas, qui tantum ſibi privatim errant: Alios, qui publicè etiam, propalata contra publicas leges prava religione, cui adhibita vi & datis turbis ſectatores quærunt. De primis quid faciendum? Ego ferendos ſuadeo, non tollendos, præcipue ſi magna & infinita peccantium multitudo. Quid arma, ſupplicia & mortes ingeminas? non iſta in emendationem nocentium ſufficiunt, non aliorum exemplum, quos fines in pœnis maximè oportet intueri. Si eum meliorem facere cupis, quem punis, cur occidis, cur ſimiarum amore ſuffocas, non foves? cur non relinquis pœnitentiæ ſpatium? cur non ea adhi-

bes

(*a*) Varr. in Fragm. (*b*) Ariſtot. l. 10. Eth. cap. ult.

bes tomenta, quæ ferre poteſt ægrotium intemperies? præcipue in religionis negotio, * *ubi fides ſuadenda eſt, non imperanda*, ubi animus docendus, qui nec ferro læditur, nec vinculis conſtringitur: ratione, innocentia vitæ, ſanctitate diſciplinæ, ante omnia divina manu vinciendus eſt; ferreis catenis ægrius illum traxeris, quam Hercules infernalem cuſtodem. Obnititur vi & imperiis, quoque ſeverius cum eo agis, hoc minus tibi fidit, nec ſibi videtur in præſidium duci, ſed rapi ad inſidias, qui ad lanienam petitur, vix enim ſine ſuſpicione bonum eſt, quod invito crudeliter obtruditur. Melior ergò & tutior docendi via, quæ animæ vitiis ſola medetur: qua humanitate erga peregrinos & devios utimur, illam eos etiam patiamur experiri, qui in religione aberrant: nam hîc quod jus illud humanitatis valeat, (*a*) *errantem per agros ignorantia via melius eſt ad rectum iter admovere, quam expellere.* Imò eadem firmior quoque, quæ convincit mentem, non terret: quæ flectit, non frangit: ut fera robore incluſa animo ſemper foras eſt, ita pietas, quam metus ſuppliciorum tenet, frendet, reluctatur, evolat, cum iſte ceſſat, qui malus eſt diuturnitatis Magiſter: id demum conſtans eſt, quod ſponte volumus, & (*b*) *multo firmior fides, quam reponit pænitentia*: Quod Polybius in actionibus hoſtium obſervandis præcipit, ne illis temere credamus, qui tempori potius & neceſſitati præſenti cedunt, quam animis concidunt: id in Eccleſiæ hoſtibus longe verius: ſimu-

(*a*) Senec. l. 1. de Ira. (*b*) Lactant. l. 5. c. 13.

ſimulabunt ſe amicos, ut mox ex occaſione ad vomitum redeant; & ex ipſa ſecuritatis arce gravius lædant: fac tamen ſemper quieſcere: quantum lucratus es? Moriones ſcilicet aliquos in ſacris, & animos, qui vultu, ore, corporis habitu religionem ferunt, partibus ſcilicet ad ſerviendum factis: animo & ſenſibus alieni: ſed Deus eſt, qui mentem inſpicit, qui liberum aſſenſum vult, non coacta ſervitia: ita tum tibi magis, quàm Deo homines obſequuntur; *purpuræ tuæ cultores aliquot efficies, non Dei.* Bene hic Baudius: *Vis & minæ, non efficiunt Chriſtianos, ſed hypocritas, purpuræ cultores: non veri Numinis: Nihil eſt tam voluntarium, tam ſuæ ſpontis, quàm religio; quæ ſi cogitur, non amplius eſt religio; ſed fucus & inane ſimulacrum.* At profecto ut tutius eſt apertos hoſtes habere, & ex adverſo nobis oppoſitos, quam occultos, & in viſceribus noſtris latentes: ut minore periculo lupum arcemus, qui aperto campo occurrit, quam ſi aliquo latere è latebris & dumetis ſubito exſiliat: ut ſcorpionis ictu incauti ac improvidi pereunt: ita præſtat in Republica & Eccleſia hæreticos pacificos eſſe, quàm improbos ſimulatores, qui ſolo metu à novandis rebus prohibentur: Quæ nunc emendatio illa, quod præmium ſeveritatis? Malim ego Leonis pellem ſuper Crocoton, quàm lupum ovino vellere contectum: malim profeſſum lupanar, quam inſidioſum, & ipſis latebris pudori juventutis conſulens. Deo etiam ita viſum eſt, qui, quod inter calidum & frigidum eſt medium, ſevere improbat & deteſtatur. Sed exemplis forte opus & terrore, ut

qui intacti adhuc ſunt ab iſta ſanie, alieno damno ſibi ſapere diſcant? * Vide autem ne in malum vertat conſilium, & quos aliis ad cavendum exemplum ſtatuis, illud ipſum in laudem ſint & ſequelam: Humanæ naturæ vitio fit, ut ſæpe committantur, quæ ſæpe vindicantur: id cum alias experimento conſtat, tum in ſuppliciis hæreticorum frequentiſſimum eſt: Dum incredibili animi præſentia ad mortem eunt, dum ignem, tormenta, cruciatus ludibrio habent & inter medias flammas velut de hoſtibus ſuis triumphant, in admirationem primo illud intrepidæ mentis robur venit, mox venerationem & aſſenſum. Tenuiores ſunt Vulcaniis retibus conſtantiæ & pervicaciæ limites, quos vulgus nec videt ſatis nec capit: præſentia fere ſequitur, & oculis magis quam rationi auſcultat: certe enim perquam ſpecioſum eſt, pro Deo & veritate cadere, qui ſumma alacritate ad mortem vadunt, quàm honeſtè vitare licet, ſi error eſt aut ſcelus, quod damnatur: nunc verò cùm quaſi quadam dulcedine aut nectare ebrii cuncta contemnant, quam facile æſtimari poſſunt propterea mori non timere, quod timeant etiam poſt mortem mori: Et profecto negari non poteſt, hæc altum deſcendere in hominum animos, & ſub diriſſima Paganorum carnificina primam Eccleſiam eadem patientiæ diſciplina immenſum creviſſe: vix itaque conſultum eſt, ut quod Chriſtianæ religioni olim hoſtium cœcitate adjumento fuit, idem nunc pejore errore nos in illius injuriam pro hæreſium incremento imitemur: Quid enim expedit hæreticum comburi, ſi ex improbis cineribus

neribus plures alii velut reciſæ arbores repullulent, & in illa hydra ſectum caput centum alia ſubſtituat? quod illud exemplum, ſi laudant & ſequuntur: quam ſapienter hic mihi (*a*) Gallus canit? *Experientia ſatis edocti ſumus ferrum flammas, exilia, proſcriptiones, irritaſſe protius quam ſanaſſe morbum menti inhærentem, ad quem proinde curandum non iis, quæ in corpus tantum penetrant, ſed doctrina & ſedula inſtitutione, quæ in animum leviter inſtillata deſcendit, opus eſſe. Alia omnia pro arbitrio civilis Magiſtratus atque adeo Principis ſanciuntur; ſola religio non imperatur, ſed ex præcepta veritatis opinione accedente divini Numinis gratia bene præparatis mentibus infunditur: ad eam cruciatus nihil valent, quin obfirmant potius animum quam frangunt aut perſuadent.* Prædixit hoc multis ante eum ſeculis Tertullianus, heu, quantus noſtri temporis Vates! *exquiſitior quæque crudelitas illecebra eſt magis ſectæ.* Adeoque Magnus Lipſius, cujus mite hic & pacatum ingenium, ſi utique ad mortem, quam averſatur, & eligit *ſuffundere malis hominibus ſanguinem quam effundere*, veniendum ſit mali pertinacia aut periculo, arcanam conſulit & occultam; quod hoc flagitium occuli & tegi expediat, non ut reliqua ſcelera cum caſtigantur, oſtendi. Præter fines pœnarum alia etiam non pauca ſunt, quæ Principem à ſummo jure ad miſerationem ducunt & clementiam. Primò hæreſium perpetua catena, & facilis in errores lapſus: quod apud Thucydidem Athenienſis

(*a*) Thuan. in præf. Hiſtor.

Civis ait, * πεφύκασι τὲ ἅπαντες καὶ ἰδίᾳ καὶ δημοσίᾳ ἁμαρτάνειν, καὶ ὐκ ἔστι νόμος, ὅστις ἀπείρξει τούτου; id in fide & ſacris unicè verum: quicquid ſævies, cædes, occides, non purgabis penitus hoc ſtabulum à ſordibus & fimo. Deus ipſe hæreſes fore prædixit: Vovere poteris ut pravi illi & ſectarii deſinant plane, efficere illud ſaltem, ne vincant. Neceſſaria igitur aliquandò diſſimulatio, imprimis cum errantium magna copia, & velut Lerii mali. Hos omnes tolles, de calvo ad calvum, quod dicitur: profectò id parum ex uſu tuo: nam tanta multitudo acie vincenda eſt, ut rei agi poſſint: ſed irritantur arma armis, & quid deterius civili bello, ob religionem ſuſcepto? Minus ex fama & exiſtimatione: Quid exteri de te cogitent, quid ſapientes, perpetuis ſuppliciis efferato? niſi illud ex (*a*) Seneca. *Principi non minus turpia multa ſupplicia quàm medico funera.* Deinde arduum veritatis & difficile ſcrutinium in hac parte veniam aliquam aut certe moderationem meretur: (*b*) Auguſtinus: *illi in vos ſæviant, qui neſciunt cum quo labore verum inveniatur, & quam difficile caveantur errores: Illi in vos ſæviant, qui neſciunt, quam rarum & arduum ſit, carnalia phantaſmata pia mentis ſerenitate ſuperare. Illi in vos ſæviant, qui neſciunt cum quanta difficultate ſanetur oculus hominis interioris, ut poſſit intueri ſolem ſuum: illi in vos ſæviant, qui neſciunt, quantis gemitibus & ſuſpiriis id fiat, ut ex quantulacunque parte poſſit intelligi Deus: poſtremò illi in vos ſæviant, qui nullo*

(*a*) 1. De Clem. (*b*) Contr. Epiſt. Fundam. cap. 2.

nullo tali errore decepti ſunt, quali vos deceptos vident. Tertio condonandum aliquid hominum pertinaciæ, quæ animis nomine & auctoramento pietatis inſidet. Alia crimina, quæ naturalis honeſtas aut gentium conſenſus damnat, agnoſci ab iis etiam poſſunt, quibus placent: Hoc unum ſcelus eſt, quod divino auſpicio ſe defendit, & infamiam ac ſupplicia ſibi honori ducit, & lucro. Priusquam non docueris Deo diſplicere, quod credunt, propterea eſt & immatura ſeveritas, quam ideò rident & contemnunt, ut fidem ei conſervent, qui mandatis ſuis humana imperia abſorbet & vincit: *Hæretici ſunt*, inquit Salvianus de Arianis, *ſed non ſcientes: denique apud nos ſunt hæretici, apud ſe non ſunt: nam in tantum ſe Catholicos eſſe judicant, ut nos ipſos titulo hæreticæ pravitatis infament. Quod ergo illi nobis ſunt, & hoc nos illis. Nos illos injuriam divinæ generationi facere certi ſumus, quod minorem Patre Filium dicant; Illi nos injurioſos Patri exiſtimant, quod æquales eſſe credamus. Veritas apud nos eſt, ſed illi apud ſe eſſe præſumunt. Honos Dei apud nos eſt, ſed illi hoc arbitrantur honorem divinitatis, quod credunt: inofficioſi ſunt, ſed illis hoc eſt ſummum religionis officium: impii ſunt, ſed hoc putant veram eſſe pietatem. Errant ergò, ſed bono animo errant, non odio, ſed affectu Dei, honorare ſe Dominum atque amare credentes: Quamvis non habeant rectam fidem, illi tamen hoc perfectam Dei æſtimant caritatem: & qualiter pro hoc ipſo falſæ opinionis errore in die judicii puniendi ſint, nemo poteſt ſcire niſi judex. Interim*

 eis

eis, ut reor, patientiam Deus commodat, quia videt eos etſi non recte credere, affectu tamen piæ opinionis errare. Hunc humanæ mentis callum non ferrum ſecat, non exurit ignis. Hæc improbitatis arx, non ariete oppugnatur aut ſcalis capitur: cœleſti medicina & illuminatione opus: quæ quod durum eſt & pervicaciter compactum ſolvit: illa eſt lenimen uberi: illa clavis ad arcem inacceſſibilem: quicquid viribus & terriculamentis agitur, id omne in irritum cadit: nam ut lutum ſol calore indurat: ita ſuppliciorum & cruciatuum æſtus ſordes illas & purgamēta Chriſtianæ Eccleſiæ. * *C' eſt prendre un mauvais chemin*, inquit Gallus quidam ſcriptor, *en matiere de religion, que de penſer faire tenir priſon aux Eſprits, ſ' il ny à, que Dieu, qui en garde la clef. que les priſons ſoient baſties de crainte ou d' eſperance, d' honneur ou d' ignominie de promeſſes ou de menaces, de recompenſes ou de ſupplices, ils eſchappent toujours à la ſervitude, retournent en leur premire liberte on peut forcer le corps: tirer une parole de la bouche: Mais le coeur humaine ſ' opiniaſtre contre la deſenſe, & empriſe ce, qui luy eſt permis.* Hinc videmus in Chriſtiana Eccleſia parce ſemper & modice ad mortem ventum eſſe, nec id quidem prius, quam vel ipſo Bellarmino teſte omnes aliæ rationes experiri ceptæ. Nam primo pecuniaria pœna: deinde infamia, tum exilium: poſtremo omnium loco nex: ſed illa ipſa raro, & in paucos hæreticos: interdum etiam terrendi magis cauſa, quam ſerio: certè id con-

ſilii

ſilii Theodoſio Imperatori fuiſſe, clare (*a*) So-
zomenus teſtatur. * χαλεπὰς τοῖς νόμοις ἐπέγραφε τι-
μωρίας, ἀλλ' οὐκ ἐπεξῄει: οὐ γὰρ τιμωρεῖσθαι ἀλλ' εἰς
δέος καθιστᾶν τοὺς ὑπηκόους ἐσπούδαζεν. ὅπως ὁμόφρονες
αὐτῷ γένοιντο περὶ τὸ θεῖον: ἐπεὶ καὶ τοὺς ἑκόντι μετατι-
θεμένους ἐπῄνει. Hinc Patres antiqui apud Chri-
ſtianum Magiſtratum extrema illa & fervida in-
genia conſiliis ſuis ac precibus temperant: non
jus ipſum puniendi in diſcrimen vocant. (*b*) Hi-
larius: *Miſereri licet noſtræ ætatis laborem, &
præſentium temporum ſtultas opiniones conge-
miſcere, quibus patrocinari Deo humana cre-
duntur, & ad tuendam Chriſti Eccleſiam am-
bitione ſeculari laboratur. Nunc proh dolor
divinam fidem ſuffragia terrena commendant;
terret exiliis & carceribus Eccleſia, credi ſibi co-
git, quæ exiliis & carceribus eſt credita, fugat
Sacerdotes, quæ fugatis Sacerdotibus eſt pro-
pagata.* (*c*) Chryſoſtomus: *Sermonis nobis do-
ctrina commendata eſt, non Principatus. Ordi-
nem tenemus conſulentium; qui conſulit, non
cogit: in hoc culpabilis, ſi non quæ decent & opor-
tet paſtor dixerit: eſt enim fides ex auditu, non
à violenta coactione.* Imò (*d*) Auguſtinus.
*Corrigi eos cupimus, non necari, nec diſciplinam
circa illos negligi volumus*, NEC SUPPLICIIS,
QUIBUS DIGNI SUNT, EXERCERI. *Sic igitur eo-
rum peccata compeſce, ut ſint, quos peccaſſe pæ-
niteat. Quæſumus igitur, ut cum Eccleſiæ cau-
ſas audias, quamlibet nefariis injuriis appeti-
tam vel afflictam eſſe cognoveris, poteſtatem*

Ee 4 *occi-*

(*a*) Hiſtor. Eccleſ. l. 7. c. 12. (*b*) in lib. ad Auxent. p. 294.
(*c*) Hom. 12. ad Epheſ. (*d*) Ad Donat. ProConſul. de Donatiſt.

occidendi te habere obliviſcaris, & petitionem noſtram non obliviſcaris. Non tibi vile ſit, neque contemptibile, quod vos rogamus, ne occidantur, pro quibus Dominum rogamus, ut corrigantur. Et idem (*a*) alibi. *Pœna ſane illorum, quamvis de tantis ſceleribus confeſſorum rogo te, ut præter ſupplicium mortis ſit & propter conſcientiam noſtram, & propter Catholicam manſuetudinem commendandam.* Ac proinde eo nomine (*b*) Athanaſio Ariani malè audiunt, quòd *invitos ad mutationem ſententiæ coegerunt, quod hominum minime eſt ſuæ cauſæ confidentium: non enim gladiis aut jaculis aut militari manu veritas prædicatur, ſed ſuadendo & conſulendo: quæ autem ibi ſuadendi libertas aut conſulendi ratio, ubi qui contradicit, pro mercede aut mortem reportat aut exilium? Nova autem iſta & execrabilis hæreſis, cum rationibus obruitur, cum ipſa veritate pudefacta concidit, quos non potuit verbis inducere, eos vi, plagis, carceribusq; ad ſe pertrahere nititur; atq; ita ſe ipſam, quam non ſit pia, & cultrix Dei, manifeſtat.* In Gallia Idacius & Ithacius Epiſcopi damnati ſunt Eccleſiæ judicio, non alia cauſa, quam quod in aliquos Priſcillianiſtas gladio animadverti curaverint: ut ex Sulpitio Severo (*c*) Thuanus porro explicat.

§. 25. Sed duo ſunt arma, quibus feliciter in hæreſin pugnare licet, ex uſu Reipublicæ & tua gloria: nec incerta victoria aut infida, ſed plena. Sedula inſtitutio & tempus. Cum animus patitur, remediis idoneis opus, quæ non tam cor-

(*a*) Epiſt. ad Marcell. 158. (*b*) Epiſtola ad Solitarios. (*c*) in Præfat. Hiſtor. Oper.

corpori ſubveniunt, quàm in ipſum deſcendunt pectus, & vel invitis ſanitatem conferunt. * Docendi meliora ſunt, & revocandi à vetuſtis erroribus veritatis ingenua luce: Hæc circumfuſas mentium noſtrarum nebulas diſpellit: hæc admittit ſolem intra præcordia, & judiciis recto veſtigio præit, ut tandem aſſentiantur: Hæc errantium pœna ſit ex Platonis præcepto, Docere. Sanguinem, ſanguinem, clamas: Ah quam imprudenter ſæpe. (a) *Non enim eſt prudentis errantes odiſſe, alioquin ipſe ſibi odio erit*: quod Cæſar militibus in Pharſalica pugna dixit, ut vultum ferirent: id ego tibi, ut animum: non cervicem. * Τὸν γὰρ ἀγνοοῦντα οὐ κακῶς πάσχειν, inquit (b) Chryſoſtomus, οὐδὲ ἐγκαλεῖσθαι, ἀλλὰ μανθάνειν δίκαιόν ἐστιν, ὅπερ ἀγνοεῖ. & (c) Marcus Antoninus. * Εἰ μὲν δύνασαι, μεταδίδασκε: εἰ δὲ μὴ, μέμνησο, ὅτι πρὸς τοῦτο ἡ εὐμένειά σοι δέδοται: καὶ οἱ Θεοὶ δὲ εὐμενεῖς τοῖς τοιούτοις εἰσιν. (d) Pelletierius. *Certe la conſcience ne veut eſtre regentée la dagne a la garge, ne dependant d' une commendement rude & violant: ains elle s' apprivoiſe, elle s' inſtruit & rend capable de ſon ſalut par la doulceur, par la perſuaſion, & par les preuves amiables de la vray doctrine.* Inſtitutionis autem lacinia & veritatis velut litteræ, quas hodie vocant, credentiales vitæ innocentia eſt, & morum ſanctitas. Quis enim ei facile credet, qui Deum, quem in ore habet, actionibus negat? qui, quam verbis docet fidem, re negligit, eludit, frangit? * Te primum in exemplum compone, ut alii habeant, quod ſequantur: Quod in poli-

(a) Senec. de Ira. l. 1. (b) Epheſ. 14. 17.
(c) l. 9. (d) de la Perſonne Sacrée de Rags. p. 22.

ticis rebus ſapienter Plato Principi ſuaſit,* ἐι μελλήσεις τὰ τῆς πόλεως πράξειν ὀρθῶς, καὶ καλῶς, ἀρίστης σοὶ μεταδοτέον τοῖς πολίταις, id ad emendationem hæreticorum confer: voca, admitte ipſos in pietatis communionem, non in poſſeſſionem vacuam immitte: neſcio enim quid doli aut inſidiarum in illa religione ſuſpicabuntur, cujus te & ſectatorem ſciunt & riſorem. Jam tempus alterum telum, (*a*) *quod omnia revelat.* Sapienter Sophocles.

* πρὸς ταῦτα κρύπτε μηδὲν, ὡς ἅπανθ' ὁρῶν,
καὶ πάντ' ἀκούων πάντ' ἀναπτύσσει χρόνος.

Ut obortas nocte pluvia nebulas oriens ſummo mane ſol non primis ſtatim radiis diſſipat, ſed ipſe potius à circumfuſa caligine occultatur & perit, donec in altum provexus radiorum calida virtute picea illa nubium volumina penetrat, & hominibus læte oſtendat aurum ſuum: ita veritatem mentium lucem & Phœbum à fuſcis errorum involucris aliquamdiu preſſam & abſconditam, tempus ut meridies aperiet iterum, & remoto velo in publicum theatrum exponet ſpectantibus. Vulgare Græcorum proverbium eſt.

* ἄγει δὲ πρὸς φῶς τὴν ἀλήθειαν χρόνος.

& aliud huic geminum

* Πάντα ἀνακαλύπτων ὁ χρόνος πρὸς φῶς φέρει.

Aulus Gellius veteris cujuſdam Poëtæ meminit, qui veritatem temporis filiam dixerit, quod utcunque aliquando lateat, tempore tamen parturiatur. Thales tempori ſapientiam tribuit, addita cauſa, * ἀνευρίσκειν γὰρ τὰ πάντα, & Pindarus in Olympiacis teſtimonium probatiſſimum.

* Αμί-

(*a*) Tertull. in Apolog. contr. Ethnicos.

* Ἁμέραι δὲ ἐπίλοιποι μάρτυρες σοφώτατοι.

Nec revelatur tantum tempore veritas : ſed ſanitatem etiam tenax illa & viſcoſa animorum ſcabies recipit, quæ cita & dura manu irritatur magis quam ſiccatur. Menedemus apud Terentium, *dies adimit ægritudinem hominibus*, & Sophocles * χρόνος γὰρ εὐμαρὴς θεός. Ægrotanti menti apud Euripidem hoc ſolatium eſt. * χρόνος μαλάξει σε, quemadmodum muſto tempus dandum ut deſpumet, ita corruptis mentibus, quo deferveſcant paulatim, & putridas opinionũ feces ejiciant, veritate & ratione impetum & affectus animi vincente : in melancholico morbo medici omnem curam abſtinent, quod ea ſit mali pertinacia, ut à medicina ipſa alimentum & iram capiat : idem in hac animi intemperie faciendum, quæ quiete & patientiâ remittit : aſſiduo tactu efferatur : Itaque potius Tiberii conſilium, *omittere adulta & prævalida vitia, quam illud aſſequi, ut palam fiat, quibus flagitiis impares ſimus* : At ſi aliquantiſper conniveas, *iſtos ab atra bile dies plerumq; ſanat & quies* : quamvis ſubinde lanies, cædas, mactes, indtiratur ſuperſtitio, & auctoritate Dei ab obſequio ſe excuſat : niſi enim prius animum à vulnere curaveris, quam vulneres corpus, ſemper id tibi reſpondebunt, quod Achæorum Prætor Romanis. (a) *Veremur vos, Romani, & ſi ita vultis, etiam timemus : ſed magis veremur & timemus Deos immortales.* Cæterum hîc duo rurſus tempori in ſubſidium mittenda, ut eo celerius pravum pus & noxiumematureſcat :

Præmia

(a) Liv. l. 39.

Præmia & contemptus : Præmia, qui ſe reſpicere volunt & relictis nugis ad ſacra patria redire: His Princeps honores, munera, Magiſtratus dividet, aliis eſcam & illecebras tam ſalutari perfugio demerendi Reipublicæ gratiam, & litandi privatæ ambitioni : Verum ſi pacta quædã inter Principẽ & Sectarios de Civitatibus, Provinciis, muneribus & officiis publicis inita : ea ſervare convenit, nec emendationis ſpecie ad perjurium usque deſcendere. Secundo contemptus ab illis ſentiendus, quos peſſimo ingenio pudet valedicere ſectæ ſuæ & veritatem amplecti. Ille autem non ex lege aliqua ſit, qui pudorem publice adferat, & ignominioſam maculam famæ, ſed prudentia & manſuetudine Principis ita temperatus, ut nec iſte ipſis, quos acerbe pungit, ad querelas & conjurationem proſit.

§. 26. Jam ad eos venio, qui rixis, jurgiis, factionibus, turbis, deniq; publicis latrociniis religionem miſcent : ventoſa ingenia & Saturnii homines, quibus nihil in Republica placet, quod bonis : * *δυσχεραίνοντες*, ſicut eos (*a*) Philo pingit, *τῇ πατρίῳ πολίτειᾳ, ψόγον καὶ κατηγορίαν ἀεὶ τῶν νόμων μελετῶντες.* Hi totius Reipublicæ viribus debellandi ſunt & perdendi, ſi non religionis cauſa, quamvis & illud, (*b*) *quod in religionem committitur, in omnium fertur injuriam* : ſaltem ex perduellionis capite : nulla hic clementiæ occaſio : de auctoritate tua & regno, non aliorum ſalute fabula agitur, ubi ſemper (*c*) *ſalutaris ſeveritas vincit inanem ſpeciem clementiæ.* Multæ vir-

(*a*) De confuſ. ling. (*b*) l. 4. C. de Hæret. & Man.
(*c*) Cic. ad Brut. Epiſt. 2.

virtutes in vitia degenerant,& niſi temporis, perſonarum criminumque rationem habeas, nimia Regum lenitas apud ſuos ignaviæ nomine in contemptum abit : Aliud ingenium ambitionis eſt, aliud deceptæ pietatis : Hæc gratiam iis habet, quorum beneficio ſuomet ſibi arbitrio relinquitur, & plerunque quieſcit, niſi injuriis ſollicitetur ad furorem, aut fiducia virium ad novas res : Illa, quæ propediem ſibi ſatis fidit, nec unquam ſuis fortunis contenta eſt, ſed ad novas ſpes ſubinde animum acuit, aures arrigit, protendit manus, nec ſibi unquam per occaſionem deeſt, ipſa clementia in audaciam imbecillitatis ſuſpicione contemptuque firmatam, accingitur, & auctoritate Principis apud populum variis rumoribus criminata, ſenſim ſibi nidum facit, ubi ſpes ſuas parturiat. Itaque adverſus hoc monſtrum ſeveritate opus & clava Herculis, ut contundas: quicquid exſpectas, connives: tibi perit, aliis accremento fit : Alii ſævitiam objiciant & crudelitatem, pro te Cotys Rex Thracum reſpondeat : Cùm enim ipſi nonnemo ejus ſeveritatem exprobraret, & diceret, * *μανία τοῦτ' ἐστὶ, καὶ οὐ βασιλεία*: commodè retulit: * *ἀλλ' ἡ ἐμὴ μανία τοὺς ἀρχομένους σώφρονας ποιεῖ* : & ſanè ita eſt. Nullum enim ſupplicii genus illis indignum eſt, qui Reipublicæ pacem turbant: ſed non eſt conſilium hæc latius perſequi: ſatis enim, ut opinor, omnes in eo conveniunt, ſeditioſos & perduelles, qui tot funera civium faciunt, mereri, ut & ipſi funus ſint.

§. 27. Lubet hîc loci divinum Barclaii de tolerandis hæreticis conſilium, velut argumenti cata-

cataſtrophen adſcribere. Hujus enim Viri maximi incomparabilis & ignea ſapientia civili & eloquenti humanitate familiaris, non torvo Catonis ſupercilio horrida, quem non in admirationem primo rapuerit, & mox amorem? Ita verò hæc noſtri ſeculi gemma in perſona Ibburanis ad Archombrotum toto animo in hæreticos armatum, (*a*) *Laudo impetum tuum, egregio fervore ſuccenſum. Sed ſunt tamen qui non ſine argumento contraria ſentiant, quia rerum ſucceſſu compertum eſt, ut quædam animalia aluntur veneno, ita hanc ſectam invaleſcere publicis malis, interq́ bella & clades ſaginari. Alias igitur artes, eaſq́ mitiores quæſivére, quibus maculam Siciliæ eluat: credideruntq́ Regum prudentia abſq́ ferro & ſanguine morbi ſævitiem ponere poſſe. Si quid verò ipſe ſentiam, quæris, neque cum illis pacem neque bellum ſimpliciter volo: nam ſi quietem poſſunt pati, non hos puto ullis motibus ſollicitandos: ſin in Regem, Remq́ publicam ſeditioſis conſiliis ſponte inſurgent, ferendos non arbitror, ſed vi armiſq́ premendam veſaniam ſuperbè furentium. Pia tunc arma, tunc omni laude digna in eos ſeveritas. Totis regni viribus enitendum, ne impune auferant abominandi in Reges exempli audaciam: Et eo quidem celerius vindicandum eſt facinus, quo ipſis ferocius ſolent graſſari in cunctantes, noſtramq́ patientiam pro imbecillitate contemptim accipere. Neque enim hæc ſecta ferendo parendove, ut ſolent meliores diſciplinæ, quærit ſibi incrementa, ſed jurgio, rixa, tumultu, ſua faci-*

(*a*) Argen. l. 2.

facinora aſſuevit aſſerere. Ferro igitur & pluſquam æmula ferocitate cenſeo in eos eſſe agendum, quoties ſuis injuriis Regem ac patriam laceſſent. At ſi ſeditionibus, ſi rebellio abſtinebunt, patienturq́ mitius ſe haberi, tum ego cum illis pacem malim. Jam enim in plures ſerpſit labes, quam ut ſinguli inter reos ſcribi poſſint, & citari à lictore. Ac præterea juventute abundat Sicilia, quam nunc levitas, nunc egeſtas, nunc ipſa armorum cupido ſic verſat, ut non jure aut pudore æſtimato factioſis det nomina, & in militiam coeat quantumvis ſuperis mortalibusve averſam. Ita multi, dum armis certatur, accedunt ſpe prædæ ad iſtos Hyperephanios, qui eos in pace devoverent: & Reges bello illato plures de novo reos faciunt, quam de veteribus extingunt. Præterea veluti fila per ſe tenuia ac ſoluta facile rumpas: at ſi ea inter ſe violento implicas nexu, quo fortius premis, eo validius ſtipantur, coeuntq́ deniq́ in funem, cui frangendo nunquam ſuffeceris: Sic iſti per ſe forte negligentiores ſuarum partium ubi intentatos jugulis vident enſes, qui coactam, id eſt, ut exiſtimant, pudendam pœnitentiam extorqueant, interdum furioſo & quem ægre exſolveris nexu conjurant: itaque pace, otio, regni facilitate, (ſi ipſi importunis tumultibus ad arma Regem non cogent) debellandi ſunt, quo tempore nihil ex publicis latrociniis habent, quod incertis & ſeditioſis auxiliatoribus largiantur, neque incitati adverſantium fervore plurimum quoque de ſuo remittunt. Ex ipſius deinde præcipuis multi ad Regem reſpiciunt, ex cujus amicitia in

illo ſereno omnia pendent. Is autem ſi non tam odio quam contemptu proſequetur eorum diſciplinam, efficacius omni bello nobilium animos ad pœnitentiam coget: qui ſi malo pudore prohibebuntur ſuam ſectam ejurare, ſaltem liberis ſuis conſulent, magiſtrisq́ eos tradent, per quos erudiantur ex veteri more, vivantq́ in regia gratioſi. Nam qui cælo, argumentis, veterumq́ præceptis unam pertinaciam anteponunt, adhærentq́ Uſinulcæ, vincentur, mihi crede, hoc bonorum aditu, & ſpe regiorum munerum caute præcluſâ: præſertim ſi non hæ pœnæ legibus publicè latis in eos conſtituantur; (nam id ipſum ſatis iratis eſſet ad queſtus conjurationemq́ & contumacia arma) ſed lento quodam uſu Principisq́ ingenio nequaquam in eos dividentis Reipublicæ munera, quæ conferri aliis poſſunt, neque ferentis, ut extra licentiam, quam leges faciunt, exerrent. Cætera ſit in eos manſuetus, & interdam familiaribus verbis dignus ipſis videatur, cui placeant. Multi enim inter illos non ſuo, ſed ſectæ & inſtitutionis vitio peccant: absq́ hac eſſet, recta indole paresq́ majoribus futuri. Hos cum licet, corrigi, me hercule, præſtat, quàm everti, aut ad inſaniora adigi neceſſitate. Iſta vero utcunque lenta remedia paulatim Hyperephaniis nervos exſcindent, & qui ſpecie altioris ſapientiæ coaluerunt, tandem ſegni nec irritatâ vetuſtate, philoſophia quoque excuſſa atque contempta, quæ exoriens tanti ſupercilii fuit, non ægre ſolventur. Hæc Barclajus: Cujus ſummi Vatis veluti Sibyllina folia eventus probavit; Quid enim nunc Hyperephanii

ephanii iſti in Sicilia ſua amplius auctoritatis habent aut antiqui roboris? Quod bella, & cædes & repetitæ toties lanienæ, fractaque pietatis nomine fides & pacta non præſtare regno potuerunt, id in pace factum præmiis, honoribus, pecuniola, imò aliquando etiam leviſſima ſpei amplioris aurâ. Nunc ſecta urbibus & imperiis Provinciarum exuta, amiſſis Optimatibus & Purpuratis, quos melior Regiæ fulgor in aulam & ad ſacra majorum compulit, Regum gratia & arbitrio potius ſtat, quàm ſuis viribus.

§. 28. Poſt hæreticos aliquid de Apoſtatis dicendum, *qui ſanctam fidem prodiderunt*, ut deſcribuntur (*a*) ab Imperatoribus Theodoſio, Valentiniano & Arcadio, *& ſanctum baptisma hæretica ſuperſtitione profanarunt.* In hos, ſi clerici ſint, (*b*) eædem pœnæ conſtituuntur, quæ in hæreticos: (*c*) ſin laici, bonorum confiſcatione, & omnimoda inteſtabilitate tam paſſivâ quàm activa, etiam teſtimonii dandi inhabilitate, & ſegregatione ab omnium conſortio coercentur: exilii etiam & aliis pœnis digni, (*d*) *niſi pœna viſum fuiſſet eſſe majoris verſari inter homines & hominum carere ſuffragiis.*

§. 29. Subditos plane extra Eccleſiam conſtitutos jam ſupra attigimus: nam violentam eorum compulſionem vix eſt ut probare poſſim, quamvis de jure Principis nec hic quidem difficilis ſim futurus: Longè verò alia eorum ab hæreticis eſt ratio: Maximè enim hi in id puniuntur, ne inſidiosè Eccleſiæ noceant: iſti verò, ut

 eam

(*a*) L. 3. C. de Apoſt. (*b*) l. 6. C. de Apoſt.
(*c*) l. 1. & 3. C. Eod. (*d*) d. l. 3.

eam intrent: ſed quemadmodum potiore jure in eum animadverto, qui intra tectum meum moleſtus mihi eſt & periculoſe tumultuatur, quam ſi ad epulas ædes meas ingredi recuſet; ita etiam digniores ſuppliciis ſectatores ſunt, qui pacem Eccleſiæ turbant, quam qui complexum ejus fugiunt: (*a*) Concilium Toletanum præcipit, *nemini deinceps ad credendum vim inferre, cui enim vult Deus miſeretur, & quem vult indurat:* & huc reſpicit canonicum jus, grave alias hæreticis. (*b*) *Nova atque inaudita prædicatio eſt, quæ verberibus fidem exigit.* (*c*) Item: *qui ſincera intentione extraneos à Chriſtiana religione ad fidem cupiunt rectam perducere, blandimentis debent, non aſperitatibus ſtudere, ne quorum mentem reddita ratio ad planum poterat revocare, pellat procul adverſitas. Nam quicunque aliter agunt, & eos ſub hoc velamine à conſueta ritus ſui voluerint cultura removere, ſuas illic magis quam Dei cauſas probentur attendere.* Ac in ſpecie, quantum ad Judæos. (*d*) *De judæis præcepit S. Synodus, nemini deinceps ad credendum vim inferri, &c. non enim tales inviti ſalvandi ſunt, ſed volentes, ut integra ſit forma juſtitiæ.*

§. 30. De externis nunc ultimò quærimus, an ſufficiens ſit ad arma & bellum cauſa religio Chriſtiana, quam illi recipere nolunt: Equidem haud ignoro, melioris loci eſſe hanc quæſtionem, ubi de jure belli agitur: jurisdictionem enim noſtram exteri non ſuſpiciunt: ſed impoſuit

(*a*) Quartum ſcilicet. c. 56. (*b*) c. Quid autem. diſt. 45. (*c*) Qui ſincera. diſt 45. (*d*) c. de Judæis. Diſt. ead.

ſuit mihi argumenti contiguitas, ut ordinem deſererem, ne divellatur materia : imò ſi quis rem totam accuratè velit expendere, eſt hoc argumentum plane à publico jure alienum, (niſi forte juſtificis belli cauſis, nec id ipſum citra circuitum, miſceatur,) & ad jus gentium pertinet: adeoque breves hic erimus, quaſi per excurſum aut deflexum compendio curioſi. Jure gentium non quævis religionum diverſitas bellum parit, ſed illa demum, quæ juſtitiæ & fidei vim infert, & neceſſarios Rerumpublicarum nexus iniqua ſuperſtitione prophanat: Cum enim magna illa gentium ſocietas publico jure conſtet, quod maximâ ſui parte à metu Numinis pendet; is utique communis omnium gentium hoſtis cenſendus eſt, qui juſtitiam & jura ſocialia tollit: quoniam verò falſæ etiam religiones ſociali fini ſufficere poſſunt, idcirco non alia, quam in gentium unionem & ſanctimoniam Civitatum injurioſa publicam indignationem experitur. Hinc primò *ἀθεότης*, & omnis de Deo ac religione ſecuritas gentium arma in ſe provocat: quod ſi enim in quavis Republica multum refert & ad civilem concordiam & faciliorem juris executionem religio rectè & prudenter ordinata, quam, ut ſupra diximus, Plutarchus vocat coagulum omnis ſocietatis & , fundamentum legislationis: & Philo, * *αἴτιον τῆς ὁμονοίας τὸ ἀνώτατον καὶ μέγιστον ἀφ᾽ ἧς, οἷα πηγῆς, ἑνωτικῇ καὶ ἀδιαλύτῳ φιλίᾳ κέχρηνται πρὸς ἀλλήλους*: quanto magis in gentium ſocietate, ubi & pauciora jura ſunt, eademque in ſola religione fundata, & longe difficilior executio? Nam illic certe negata religione

 per-

pereunt omnia ſocialia jura & inviolabilis illa ſanctimonia vinculorum, quibus Reipublicæ invicem connectuntur, quæque ſarta tectaq; conſervaſſe publicæ tranquillitati tantum intereſt. Bene (*a*) Cicero, *ſublata pietate, fides etiam & ſocietas humani generis & una excellentiſſima virtus juſtitia tollitur*, & (*b*) alibi. *Juſtitiam adfert, cum cognitum habeas, quod ſit ſummi rectoris & Domini Numen, quod conſilium, quæ voluntas.* Nec ad aliud Homerus reſpexit, qui paſſim hominibus ὑβρισταῖς καὶ ἀγρίοις opponit illos, quibus νόος ἐστι θεουδής: quaſi quos Numinum metus tenet, eos oporteat juſtitiam ſequi & humanitatem: cæteris fera ſit & improba mens, ad aliorum injurias non prona modo ſed & præceps: (*c*) Lactantius. *Si ergo pietas eſt cognoſcere Deum, hujus cognitionis hæc ſumma eſt, ut eum colas; ignorat utique juſtitiam, qui religionem Dei non tenet: quomodo enim poteſt eam noſſe, qui, unde oriatur, ignorat*: Ac (*d*) Philo: * τῆς αὐτῆς φύσεώς ἐστιν εὐσεβῆ τε εἶναι καὶ φιλάνθρωπον: καὶ περὶ τὸν αὐτὸν ἑκάτερον ὁσιότης μὲν πρὸς θεὸν, δικαιοσύνη δὲ πρὸς ἄνθρωπον θεωρεῖται: quo nomine Juſtinus ex Trogo laudat Judæorum veterum juſtitiam religione permixtam: Hinc illa notitia eſſe Deum adeo omnibus gentibus communis eſt, ut (*e*) Æliano teſte nemo etiam ex Barbaris ad ἀθεότητα usque delapſus ſit. (*f*) Seneca quoque eundem populorum omnium conſenſum appellat: *Tanquam Deos eſſe inter alia ſic colligimus, quod omnibus de*

Deo

(*a*) lib. 1. de Nat. Deor. (*b*) l. 4. de Fin. (*c*) Inſt. l. 5. (*d*) in vita. Abrah. (*e*) l. 2. c. 31. (*f*) Epiſt. 117.

Deo opinio inſita eſt, nec ulla gens uſquam eſt adeo contra leges moresq́, ut non aliquos Deos credat : adde & quæ Jamblichus habet poſt principium de myſteriis Ægyptiorum, ubi homini proprium ait, *Deum noſſe*, ſicut hinnitus eſt equo: quare nihil omnino habent, quod eos cum ratione ſublevet, qui contra commune hoc & univerſaliſſimum omnium gentium placitum de Deorum exiſtentia aut ignorantiam ſuam turpiter fatentur aut pertinaciam inanem: Nam & hominum craſſiorum, quam ut fallere alios poſſent, & ſapientiorum, quam ut fallerentur circa eandem opinionem æterna conſpiratio, tum quod adverſæ ſententiæ argumenta non citius audita, quam communibus ſuffragiis rejecta ſunt, nullam admittunt ἀθεότητος excuſationem, ſed eam recto præjudicio oppido proſcribunt: Atque hoc nomine Moxus Lydus Crambi urbis incolas captos omnes aquis merſit, οἷον ἀθέους, qui nec Deum ſcirent nec colerent: Nulla hîc Philoſophiæ libertas: Commode enim Himerius Sophiſta, *actione in Epicurum*, quærenti, * δόγματος οὖν ἀπαιτεῖς δίκας; reſpondet, οὐκ ἀλλ' ἀσεβείας: δογματίζειν μὲν γὰρ ἔξον, ἀσεβεῖν δὲ οὐκ ἐπιτέτρεπται. Secundò, quicunque divinam providentiam negant, iiſdem jurisgentium ſuppliciis ſuccumbunt: certè enim morali effectu negare, Deum eſſe, aut negare ab eo humanas actiones curari, idem ſunt: Nam ſi Numen illud nullam hujus univerſi & ſingularum rerum curam gerit, quid pietas eſt inter homines, quid juſtitia, quid fides? quæ illa gentium ſtultitia placare Deum, ad vota noſtra incurium & immobilem? quis fu-

ror juſtitiam colere, fidem ſervare, cum jus, injuria, perfidia, fides æquali apud Deum pretio ſint? Verum quam impia hæc doctrina in Deum? quam communi gentium juſtitiæ hoſtilis, & merito collatis viribus profliganda? Igitur qui in Republica & inter gentes vivere volunt, imò ſaltem qui humanitatem participare, eos neceſſe eſt credere iſta duo, & eſſe Deum & humanis rebus affici. Nam hæc ſumma ſunt cujuscunque religionis principia, ſine quibus nec religio ulla eſt nec eſſe poteſt: Intendit eam in rem digitum (*a*) Scriptor epiſtolæ ad Hebræos, cum ait, * τὸν προσερχόμενον τῷ θεῷ πιστεῦσαι δεῖ ὅτι ἐστὶ καὶ τοῖς ἐκζητοῦσιν αὐτὸν μισθαποδότης γίνεται: à quo non longe (*b*) Cicero abit. *Sunt Philoſophi & fuerunt, qui nullam habere cenſerent humanarum rerum procurationem Deos, quorum ſi vera ſententia eſt, quæ poteſt eſſe pietas, quæ ſanctitas, quæ religio: Hæc enim omnia pure ac caſte tribuenda Deorum ita Numini ſunt, ſi animadvertuntur ab his, & ſi eſt aliquid à Diis immortalibus humano generi tributum.* Epictetus etiam: * τῆς περὶ τοὺς θεοὺς εὐσεβείας ἴσθι ὅτι τὸ κυριώτατον ἐκεῖνο ἐστὶν ὀρθὰς ὑπολήψεις περὶ αὐτὸν ἔχειν, ὡς ὄντων καὶ διοικούντων τὰ ὅλα. Et (*c*) Seneca. *Primus eſt Deorum cultus Deos credere: deinde reddere illis majeſtatem ſuam, reddere bonitatem, ſine qua nulla majeſtas eſt:* nec aliter Lactantius: *neque honor ullus deberi poteſt Deo, ſi nihil præſtat colenti: nec ullus metus, ſi non iraſcitur non colenti*: Atque hæc duo ita inter ſe connexa & devincta, ut uno ſoluto & alterum ſubito

(*a*) C. 9. 6. (*b*) De natura Deor. l. 1. (*c*) Epiſt. 95.

bito diſpereat: & recte Plutarchus cenſuit tolli de Deo notitiam providentia ſublata, quæ Deitatis præcipuum eſt attributum: * οὐ γὰρ ἀθάνατον καὶ μακάριον, ἀλλὰ καὶ φιλάνθρωπον, καὶ κηδεμονικὸν, καὶ ὠφέλιμον προλαμβάνεσθαι θεὸν: quare nec parcius iſta de providentia divina religio aut naturæ communicata aut in gentes diffuſa eſt, ſed qua-qua late creditur, ubi modo vel umbram divini cultus & pietatis licet deprehendere: Quod procul dubio ſibi Pomponius voluit, qui religionem juri gentium tribuit; & Socrates apud Xenophontem *Deos colere* legem facit omnibus hominibus communem: ac Dion Pruſæenſis perſuaſionem: * δόξαν καὶ ἐπίνοιαν κοινὴ τοῦ ξύμπαντος ἀνθρωπίνου γένους, ὁμοίως μὲν ἑλλήνων, ὁμοίως δὲ βαρβάρων ἀναγκαίαν καὶ ἔμφυτον, ἐν παντὶ τῷ λογικῷ γινομένην κατὰ φύσιν: item, πάνυ ἰσχυρὰν καὶ ἀέναον ἐκ τοῦ παντὸς χρόνου, καὶ παρὰ πᾶσι τοῖς ἔθνεσι ἀρξαμένην δὲ καὶ διαμένουσαν: Inde pariter nulla in tanta luce naturæ & conſenſu populorum excuſatio ignorantiæ aut alia opinionis cenſura niſi pœnalis: ſed quemadmodum ex bene conſtitutis Civitatibus quondam Epicurei juſſi ſunt exulare, quod Diagoræ Melio accidit, ita nec inter gentes ferendi ſunt, qui earum ſanctitatem & connexa jura tanta impietate maculant: nam nihil juſtitiæ, religioni, fidei, virtutibus ea Numinum ſecuritate relinqui, vel ipſe Epicurus evidens argumentum eſt, qui juſtitiam naſci ex ſola conventione dixit, non amplius duraturam, quam communis duraret utilitas, & ſolus pœnarum metus ab aliis prohiberet injuriam. Cæteræ autem notiones, ut eſſe unum Deum, & ab ipſo omnia, quæ ſunt, creata, quam-

vis primis & indubitatis argumentis conſtent, quia tamen ſecus acceptæ ſociali gentium juri non æque nocent, aut juſtitiæ adverſantur, extra humanas juris gentium pœnas ſunt poſitæ, nec juſtificam bello cauſam præbent: Sic gentes inter ſe ſalvo publico jure aliæ plures Deos adorabant, aliæ unum: interdum etiam creatas res, ignem, aerem, ſtellas, arbores, terram: quin nec ipſe Deus Cananeos & vicinos illis populos, ad pravas & barbaras ſuperſtitiones pridem delapſos prius delendos curavit, quàm impiam religionem infandis amplius iniquitatibus polluiſſent: alicubi pertinaciæ aut ignorantiæ hominum aliquid indulſit: Ut exinde facile judicium de cogendis gentibus ad Chriſtianam religionem poſſit inſtitui, quæ præter naturæ prima principia non tam ad rationem, quam præter eam, adeoque fide percipienda non cognoſcenda. Hæc autem magna ſui parte à divino verbo & cœleſti illuminatione pendent, quæ externis ſuppliciis & armis ambitioſius ſæpe quam pie ſuſceptis non imperatur. Qua propter vix eſt, niſi aliæ cauſæ acceſſerint, ut in Turcas expeditionem eo tantum nomine ſuſceptam, ut religio Chriſtiana ſanguine propagetur, laudare poſſim: ſed operæ pretium eſt hic Deſiderium Eraſmum audire, qui vir ſuperioris ſeculi maximum decus & literariæ Reipublicæ velut alter Camillus ſingulari integritate, & candore animi inter tenebricoſas adhuc Papatus voragines emicuit: Hujus tale judicium de Chriſtianorum in Turcas expeditione (*a*) legitur, quod profecto plurimum ſe pruden-

(*a*) Adag. Chiliad. 5. cent. 1. Adag. 1.

prudentia ſua & moderatione commendat. *Mihi ſane ne hoc quidem adeo probandum videtur quod ſubinde bellum molimur in Turcas. Male profecto agitur cum religione Chriſtiana, ſi illius incolumitas à talibus pendet præſidiis, neque conſentaneum eſt, his initiis bonos gigni Chriſtianos. Quod ferro paratum eſt, ferro viciſſim amittitur. Vis Turcas ad Chriſtum adducere, ne oſtentemus opes, ne militum manum. Videant in nobis non titulum tantum, ſed certas illas hominis Chriſtiani notas, vitam innoxiam, ſtudium bene merendi etiam de hoſtibus, invictam omnium injuriarum tolerantiam, pecuniæ contemptum, gloriæ neglectum, vitam vilem: audiant cæleſtem illam doctrinam cum hujusmodi vita congruentem. His armis optimè ſubiguntur Turcæ. Nunc ſæpe numero mali pugnamus cum malis, dicam aliud, & utinam audacius, quam verius, ſi titulum crucisq́; tollas inſigne, Turcæ cum Turcis digladiamur. Si militum manu conſtituta eſt religio, ſi ferro confirmata, ſi bellis aucta, tueamur eam iisdem præſidiis. Quod ſi diverſis rationibus peracta ſunt omnia, cur veluti Chriſti præſidio diffiſi ad ethnicas confugimus ſuppetias. Pleriq; dum volunt videri valde Chriſtiani, ſtudent Turcis quam plurimum facere mali, & quod facere non poſſunt, execrantes imprecantur, cum hoc ipſo argumento parum Chriſtianum liceat deprehendere: ita nonnulli dum volunt videri vehementer orthodoxi, diris execrationibus devovent, quos vocant hæreticos, ipſi fortaſſis digniores hoc vocabulo: qui vult or-*

thodoxus videri, manſuetis rationibus adnitatur, ut qui errat, reſipiſcat. Quod ſi veteres Evangelii Præcones hoc animo fuiſſent in nos, quo nos ſumus in Turcas, ubi nos nunc eſſemus, qui illorum tolerantia ſumus Chriſtiani? Succurre Turcis, ex impiis, ſi potes, reddito pios, ſi non potes, opta, & agnoſcam mentem Chriſtianam. Tam multi ſunt in orbe Monachorum mendicatò viventium ordines, qui ſe columnas Eccleſiæ videri volunt: ex tot millibus quotusquisque eſt, qui pro religione Chriſtiana propaganda vitam ſuam vilem habeat? Sed ſpes non eſt, inquiunt: imò ſumma ſpes eſſet, ſi mores adferrent majorum ſuorum Dominici & Franciſci, ne quid interim commemorem de moribus apoſtolicis. Ne miracula quidem nos deſtitura ſint, ſiquidem id poſtularet Chriſti gloria. Nunc qui ſe Petri principis Eccleſiæ, qui cæterorum Apoſtolorum Vicarios ac ſucceſſores gloriantur, plerunque totam fiduciam in humanis præſidiis conſtituunt. Illi vero rigidi veræ religionis profeſſores verſantur in urbibus opulentis ac luxu perditis, ubi facilius corrumpantur ipſi, quam alios reddant emendatiores, ac ubi eſt affatim paſtorum, qui populum doceant, ac Sacerdotum, qui laudes Deo canant. Verſantur in aulis Principum, ubi quid agant, in præſentia non referam, utinam ne quid pejus, quam canis in balneo, &c. & paulò poſt commemoratam Cleri ingluviem, avaritiam, ambitionem, libidines: *Nos totam* inquit *Aſiam & Africam ferro paramus extinguere, quum plurimi ſint illic vel Chriſtiani vel Semichriſtiani? quur non illos*

agnoſci-

agnoſcimus potius, hos fovemus & clementer emendamus. Quod ſi ſtudemus imperio propagando, ſi inhiamus illorum opibus, quur rei tam profanæ Chriſti titulum præteximus: Quid quod interim, dum humanis opibus tantum adorimur illos, hoc ipſum, quod ſupereſt nobis ex orbe, totum in manifeſtum diſcrimen adducimus? quantulus Orbis angulus nobis reliquus eſt? quam barbarorum multitudinem quam pauci provocamus? Si volumus Chriſto vincere, accingamur gladio ſermonis Evangelici, aſſumamus galeam ſalutis, & ſcutum fidei: reliquamq́ vere apoſtolicam panopliam: ita fiet, ut tum maximè vincamus, quum vinceremur: Non hæc dixerim, quod in totum damnem expeditionem in Turcas, ſi nos ultro impetant: ſed ut bellum, cui Chriſtum autorem prætextimus, animis Chriſtianis, Chriſtiq́ præſidiis geramus. Sentiant ſe ſe ad ſalutem invitari, non peti ad prædam: adferamus ad illos mores Evangelio dignos, ſi lingua deerit, quibus cum illis congrediamur: magnam habebit eloquentiam & ipſa vita. Adferamus fidei profeſſionem ſimplicem, vereq́ apoſtolicam, non tot articulis humanitus additis oneratam: ea potiſſimum exigamus ab illis, quæ nobis aperte ſacris voluminibus & Apoſtolorum literis tradita ſunt: in paucis facilior erit conſenſus & facilius conſtabit concordia, ſi in pleriſq́ liberum erit in ſuo cuiq́ ſenſu abundare, tantum ut abſit contentio. Tantum de Turcico bello Deſiderius.

§. 31. Hæc eſt Principis juriſdictio circa totum religionis corpus. Nec minor in ſingulis parti-

partibus ejusdem auctoritas,eaque latiſſimè diffuſa per omnes leges,quæ de religione, ſacrisque rebus & perſonis aliquid definiunt: Nos ſummatim comprehendemus: nam aut in perſonas illa agit, aut res: ſed quæ de rebus jus dicit, dominium vocatur, ſingulari capite deinde à nobis explicandum: nunc illam circa perſonas videamur, imperio animatam; cujus iterum duplex officium: aut enim de moribus, vita & delictis Eccleſiaſtici Ordinis cognoſcit, præmiis in bonos diſtributis, & in malos ſuppliciis: aut ſuperiore jure, eoque potiore reſcindit ea, quæ per Clerum ſuo munere & auctoritate turpiter abutentem acta ſunt, non ut æquum eſt & decorum, ſed ex ambitione aut avaritia. De criminibus perſonarum prius inquirendum: eſt enim hoc argumentum latiſſima contentionum ſeges, quas cum Pontificiis habemus, dividentibus quaſi orbem cum Chriſtianis Principibus,quibus in unam ſuæ Reipublicæ partem omne imperium & jurisdictionem de cauſis vel oblique religionem concernentibus ſuperbè & contumaciter rapiunt quam inique id quidem & fatali noſtrum errore,ex ſuperioribus conſtat: Nunc in præſentia id tantum nobis curæ ſit docuiſſe per exempla vel ipſis Pontificiis non inficianda, cùm ipſum Romanum Pontificem, tum omnem Clerum ab Imperatoribus olim judicatum eſſe: Nec in Orientali imperio multum morabimur, ubi vel unius (*a*) Juſtiniani in Vigilium Papam animadverſio, quod Anthimum Epiſcopatui ſuo nollet reſtituere, ut fidem dederat, de illibata adhuc

(*a*) Niceph. l. 17. cap. 16.

adhuc poteſtate luculentiſſimum teſtimonium perhibet: accitus enim Byzantium ad imperatorium tribunal Pontifex & ob pertinaciorem linguæ libertatem alapis injurioſe caſtigatus carcerem pro palatio habuit, unde vix poſt biennium ad Narſetis interceſſionem dimiſſus eſt: ſed novimus, poſtquam Eccleſia Romana ab Oriente per factiones, tumultus & contumacia arma ſceſſionem fecit: tantum non omnes illorum Cæſarum actiones data opera eriminatam eſſe, ut pudorem ſuum ſublevaret, qui verecundiſſimis hominibus perduellionis crimine proculdubio ſuffuſus eſt. Quamobrem paulo inferius ad Carolina & Ottoniana tempora deſcendemus, cùm verſantibus ita fatis Romanum in Occidente imperium præcipua ipſorum Præſulum ope & induſtria primò in Carolum & ejus ſtirpem: mox deficiente illa aut negligente per Ottonem in Germanos translatum eſt. Faciamus autem principium ab ipſa Romana Eccleſia, quia ſi in illam jurisdictio Imperatorum evincitur, facilior aſſenſus de cæteris erit, quas fere pro caudâ reputat. Nec de electione & confirmatione Pontificis hic verboſi erimus, ſingulare enim caput ea res deſiderat; ſed actu jam ſedentem Pontificem excutiamus tantum, quo jure in eum Imperator uſus ſit: Coronato Romæ ipſis natalitiis Carolo M. Leo Pontifex proſtrato ad pedes ſacros Imperatoris corpore fidelitatem & ſubjectionem præſtitit, ſcilicet *ad orando more antiquorum Principum*, ut annales Francici ajunt. In eundem Leonem jam anno coronationem imperialem præcedente conſtituto judicio

Carolus

Carolus inquiſivit, quod multorum criminum ab inimicis poſtularetur: nec recuſavit jurisdictionem ſummus Sacerdos, ſed ad Pauli exemplum coram illo tribunali voluit judicari: igitur *cauſa ventilata*, verba ſunt (*a*) Reginonis, *cum nullus probator aut teſtis legitimus appareret, qui locum controverſiæ ſubire præſumeret, præfatus Pontifex coram omni populo in domo S. Petri Evangelium portans ambonem conſcendit, invocatoq; S. Trinitatis nomine jurejurando ab objectis ſe criminibus purgavit.* Tantum Papæ neceſſe fuit ſuſpicione criminum onerato etiam deficientibus accuſatoribus innocentiam ſuam Principi probare, quaſi ex officio inquirenti: Poſt coronationē verò inter Carolum & Leonem pro Romani Pontificis electione & obſequio certæ leges perſcriptæ ſunt, quas etſi nobis temporum injuria inviderit, earum tamen mentionem faciunt tabulæ donationis Ottonis I. à Pontifice recens electo *talem in præſentia miſſorum ſuorum, vel filii ſui, ſeu univerſæ generalitatis promiſſionem pro omnium ſatisfactione atque futura conſervatione* requirentis, *qualem Dominus & venerandus Spiritualis Pater Leo ſponte feciſſe dignoſcitur.* Propemodum verò ex antiquiſſimo ſcriptore Italo, coævo Ottonibus, quem vulgo Eutropii continuatorem vocant, quid iſtæ promiſſiones ſibi voluerint, colligere licet: Scilicet *inventum eſt, ut omnes majores Romæ eſſent imperiales homines, tam Epiſcopi quam laici, & omne vulgus pariter cum his faceret fidelitatem Imperatori, & ut ſuus miſſus omni tem-*

(*a*) ad Ann. 800.

tempore moraretur Romæ ad deliberandas litigioſas contentiones. Morabatur quippe in Palatio S. Petri, & erat conſtitutum, quanta & qualia ſtipendia de Palatio ei darentur quotidie: quod autem reliquum erat de ſupra dictis monaſteriis vel patrimoniis, deferebatur affluenter. Tanta nempe imperialis virt⁹ ibi vigebat, ut ſi in legali judicio minoris vel inſcii cauſa proponeretur, & ille alicujus conſilio pedes teneret legati Imperatoris, petens ab eo juſtā legem, & miſſus adjuraret Principes Romanorum dicens: Per eam fidem, quam Domino Imperatori debetis, facite huic homini juſtam legē, nemo auſus erat declinare neq; ad dextram neq; ad ſiniſtrā, etiamſi à propinquis Pontificis illata eſſet injuria. Multoties verò non ante Apoſtolicum, ſed in judiciali loco ad lateranum, ubi quidam locus dicitur ad lupam, quæ mater vocabatur Romanorum, ibi judiciariam legem finiebant. Compoſitiones quoque, quæ ſolebant à malefactoribus ſolvi, æqualiter dividebantur Miſſo Imperatoris & Apoſtolici. Si autem talis culpa erat, ut res ſcelerata fiſco publico ſubderetur, non ad Eccleſiaſticam tranſibat ſubjectionem, niſi per donativum imperiale præceptum. Si enim aliquis iram incurrebat Epiſcopus aut Judex Romanus, & placitum eſſet Cæſari venire Romam, veniebat: ſin autem, mittebatur Dux Spoletanus, comprehendebatur offenſor, & ducebatur in exilium, domus verò illius ſignabatur annulo Regis usque ad ejus conſultum: ut ſi quando reverteretur ad gratiam, haberet propria ſalva: ſin alias, per imperialia præcepta diſtribuebatur militi-

militibus. Quod ſi ad Judicis poteſtatem rejiciebatur quisquam, & Caſaris adhareret clementia, mittebatur pro tali negotio legatus ab Imperatore, qui diligenter examinaret rei veritatem, & ſi ejectus propriam haberet culpam, ſuſtineret injuriam. Hæc ille, quisquis eſt, Eutropii continuator: & mox adjungit, *hac conſuetudine uſi ſunt Romani usque ad Ludovicum Magnum Imperatorem.* Vides hic omnes Romanos cives nullo ordinis diſcrimine homines imperiales, id eſt, Imperatori fidelitate & obſequio devinctos: vides tam Epiſcopos quam laicos: & inter Epiſcopos ipſum Romanum Pontificem: is enim & primarius erat Eccleſiæ Romanæ Præſul, & Reipublicæ civis: Vides Miſſum Imperatoris, qui ſua vice jus Romæ diceret, & litigantium audiret cauſas: vides ſtipendia ex palatio S. Petri, id eſt, ut opinor, Eccleſiæ reditibus ei procedentia. Vides majeſtatis Cæſareæ vim & inter Romanos ſummam venerationem, quæ judices ad injuriam & affectus pronos ſolo nominis ſui fulmine correxit. Vides propinquos Pontificis coram Miſſis Imperatoris cauſam agentes: ſed illi ſæpius Eccleſiaſticæ perſonæ ſunt, ad Cardinalitiam vel Epiſcopalem dignitatem ambitu, prenſatione & ſtudiis promoti. Vides locum judicii & mulctas imperatorio fiſco debitas: Vides eos, qui Principis indignationem iramque ſceleribus aut contumacia ſua provocarunt, exilio damnatos bonis confiſcatis; Vides nullam inter Epiſcopos & Judices differentiam factam: vides ipſos Epiſcopos Romanos in eandem claſſem trahi, judicandos vel per ipſum Impera-

peratorem, ſi ei libuit accedere Romam: vel per vicarium ejus Spoletanum Ducem, qui hoc abſente in cauſis gravioribus ad jus dicendum Romam miſſus eſt. Vides denique gratiam à ſolo Imperatore factam, nec id prius, quam per legatum in cauſæ merita & rei veritatem diligenter inquiſitum eſſet. Quid clarius hoc ipſo pro Imperatoris jurisdictione in Pontificem & totum clerum dici potuit? quid nubium nunc novi Centauri captant? quid refugii eis eſt in tanta planitie? quid non erubeſcunt tam alieni à majorum ſuorum inſtitutis? quid perfidia ſua & crimine glorientur? quid ne quidem hoc ipſo ſacrilegio contenti longiore ambitione in noſtra quoq; involant, & violentiore impetu, quam ille Homerici Jovis, cœlum terram cum omnibus Diis per ludibrium pedibus trahunt? O ambitionem inter jejunia, caſtitatem, preces & ipſa ſacra prodigioſa natam! O temerariam audaciam, quæ præterfluentem rapidè amnem ad piſcatum intrat! O ſeculi cœcitatem & veternum, quando ad priora tempora reſpicimus exemplo captato! ſed etiam ô inanes querelas & in ventum effuſas! Immedicabile hoc malum eſt, & ultra Chironium vulnus aut morſum aſpidis. Præſtat abſtinere manum: nocet medicina in ſanitatem ægrotantis miſta. Levis enim & imbellis morbi pertinacia vincitur: violenta turbat. Fatis curæ ſit plena Eccleſiæ reſtitutio ad antiquam ſanctimoniam: quod poſſumus, nos ipſos ſepiamus, ne majore naufragio ambitio ſacra reliquam Principum majeſtatem mergat: ſed in quem luctum nunc intempeſtive præcipites cadimus?

 Hem!

Hem! in viam & ad nos redeundum eſt: nam has lachrymas dolor foras vocat, & Chriſtianæ rei lugubre funus, quod ducimus quotidiè. Igitur ut ceptum filum urgeamus, Carolus ad modũ ac præſcriptum illarum conventionum, (quæ fortaſſis haud longe à natura & indole Capitulationum abierunt, regiminis modum certis legibus definientes, nec non auctoritati & poteſtati Eccleſiæ dependenti, quam in bona donata ab Imperatore accepit, proſpicientes) continuo cepit Rempublicam adminiſtrare: inde cum in Pontificis adverſam factionem exilio animadvertiſſet, porro animum ad negotia Romanæ Urbis totiusque Italiæ ordinanda adjecit, non publica tantum, *ſed & Eccleſiaſtica*, ut diſertim (*a*) Regino & Annales Francici memorant. Hinc paret, juris imperatorii fuiſſe, ordinare ſacras res & Eccleſiaſticum ſtatum, ubi Pontifici ſine dubio prima manus admota, quippe cujus res eo tempore valde debiles & confuſæ præcipuam curationem deſiderabant. Ludovicus Pius, Caroli filius, miſſis in Italiam legatis in eundem Leonem inquiſivit, quod aliquos Romanorum Optimates adverſus ſe conjurantes inſcio Cæſare morte multaſſet: nec prius Imperatori ſatisfactum quam Pontifex illi per Oratores ſe humiliter purgaſſet: Hanc rem (*b*) annales Francici ita nobis enarrant. *Priusquam tamen illuc* (ſcilicet Padrabrunnam, ubi generalem populi ſui conventum habebat) *ſed domi adhuc eſſet, allatum eſt ei, quosdam de primoribus Romanorum ad interficiendum Leonem Papam in ipſa Urbe Roma conſpi-*

(*a*) ad Ann. 801. (*b*) ad Ann. 815.

conſpiraſſe : ac deinde cum hujus cauſa indicium ad Pontificem eſſet delatum, omnes illius factionis auctores ipſius juſſu fuiſſe trucidatos: quod cum moleſte ferret, ordinatis tunc Sclavorum & Heriholti rebus, ipſoq; in Saxonia dimiſſo cum ad Franconofurt palatium veniſſet, Bernhartum, Regem Italia, nepotem ſuum, qui & ipſe ſecum in Saxonia fuerat, ad cognoſcendum, quod nunciabatur, Romam mittit: is cum eo veniſſet, ægritudine decubuit: res tamen, quas compererat, per Gerholtum Comitem, qui ad hoc legatus erat datus, Imperatori nunciavit: quem legati Pontificis Johannes Silva candida, Theodorus Nomenclator & Sergius Dux ſubſecuti, de iis, quæ Domino objiciebantur, per omnia Imperatori ſatisfecerunt. Unde colligere licet, ſuccenſuiſſe Pontifici Imperatorem, quod ſontium punitione in Romanos cives ſibi merum imperium vendicare videretur: adhæc ſuſpicio forte Ludovico oborta, reos quæſitis aliunde coloribus ideo eſſe peractos, quod majore fide imperatorem colerent, quam id ex re Rommæ Eccleſiæ eſſet. Quicquid verò ejus ſit, indubitato illud ex iſta Ludovici inquiſitione conſtat, Imperatorem potuiſſe in Pontificem pro imperio animadvertere, ſi vel innocentis cædis convinceretur, vel falcis in alienam meſſem audaciter immiſſæ: atque id ipſum mox idem Ludovicus manifeſtius teſtatum fecit, cum rumor Paſchalem Pontificem, (qui poſt Stephanum adepta Sede adornata ad Cæſarem legatione (*a*) *pactum*, de quo paulo ante dictum, *quod præceſſoribus ſuis*

(*a*) Annal. Franc. ad ann. 16.

factum erat, etiam ſecum fieri & firmari rogavit) inter percuſſores tacite referret, qui nonnullos Nobilium Romæ obtruncarunt, non alia cauſa, quam *quod proniores eſſe juſto viderentur ad fidelitatem Lotharii Imperatoris*: ut loquitur (*a*) Sigebertus: nam Cæſar omni ſeveritate auctores cædis perveſtigari juſſit: & quamvis Pontificis Oratores, antequam delegati Cæſaris Romam irent, Ludovicum adiiſſent, ut Dominum ſuum de ſuſpicione purgarent, ambigua tamen reſponſione dimiſſi ſunt, nequicquam eorum adventu mora delegatis injecta, quin continuò Romam profecti de veritate anquirerent: nec ſane impune Pontifex facinus tuliſſet, ſi ſufficientibus indiciis potuiſſet reus peragi; ut verò conceptam ſemel ſuſpicionem quoque elueret, juramento opus fuit, quo *de hoc crimine coram populo & legatis Imperatoris Romæ cum magno Epiſcoporum numero ſe expurgavit*. Prolixius id omne ab authore (*b*) Annalium Francicorum memoratur, quod viſum eſt huc tranſcribere. *Nunciatum eſt etiam Theodorum Romanæ Eccleſiæ Primicerium & Leonem Nomenclatorem generum ejus in Patriarchio Lateranenſi primo excæcatos, ac deinde fuiſſe decollatos, & hoc ideo eis contigiſſe, quod ſe in omnibus fideliter erga partes Lotharii Juvenis Imperatoris agerent. Erant & qui dicerent, vel juſſu vel conſilio Paſchalis Pontificis rem fuiſſe perpetratam. Ad quod explorandum ac diligenter inveſtigandum miſſi ſunt Adalungus Abbas Monaſterii S. Vedaſti, & Humfridus, Comes Curienſis: ſed antequam*

(*a*) ad ann. 823. (*b*) ad ann. 823.

quam illi fuiſſent profecti, venerunt legati Paſchalis Johannes Epiſcopus Sylvæ Candidæ, & Benedictus Archidiaconus S. Sedis Apoſtolicæ, rogantes Imperatorem, ut illam infamiam à Pontifice auferret, quæ ille in memoratorum hominum necem conſenſiſſe credebatur: quibus cum ille, juxta quod ratio poſtulabat, reſpondiſſet, eosque dimiſiſſet, prædictos legatos ſuos ad inveſtigandam rei veritatem, ſicut prius diſpoſuit, Romam ire præcepit. Legati Romam venientes rei certitudinem aſſequi non potuere, quia Paſchalis Pontifex ſe ab hujus facti communione cum magno Epiſcoporum numero jurejurando purgavit, & interfectores prædictorum, quia de familia S. Petri erant, ſummopere defendens mortuos velut majeſtatis reos condemnabat, jureq; cæſos pronunciabat: atque ob hoc cum prædictis, qui ad eum miſſi fuerant legatis Johannem Silvæ Candidæ Epiſcopum & Sergium Bibliothecarium: Quirinum quoque Subdiaconum ac Leonem Magiſtrum militum ad Imperatorem miſit: qui cum tam per illos quam per ſuos legatos de ſacramento Pontificis & excuſatione reorum comperiſſet, nihil ultra in hoc negotio ſibi faciendum ratus memoratum Johannem Epiſcopum & ſocios ejus ad Pontificem dato convenienti reſponſo remiſit. Multa ex hoc Annalium loco digna ſunt obſervatu: Primo cædem factam Eccleſiaſticarum perſonarum: itemque percuſſores ejusdem fuiſſe Ordinis: & nihilominus Imperator criminalis cauſæ cognitionem ſuo foro deſtinat: Deinde jus inquirendi in ipſum etiam Paſchalem delegatis datum, nec

paſſum Cæſarem tumultuaria exculpatione ſibi ſatisfieri, ſed Romæ in facinoris loco auditis proculdubio teſtibus & aliis probationibus conquiſitis legatos accuratiſſima diligentia perfunctos: Cum nihil certi de Pontifice comperiſſent, in reliquos cædis auctores omnes de Familia S. Petri, id eſt Pontificis, judicium conſtitutum: nec ipſi vel ſe exceptione fori tutati ſunt, vel Paſchalis ſuæ jurisdictioni injuriam fieri conqueſtus eſt: ſed eo tantum nomine apud delegatos Imperatoris Judices reorum patrocinium ſuſcepit, quaſi in perduellionis & læſæ majeſtatis criminis convictos jure eſſet animadverſum: quam in rem credibile eſt multa eum congeſſiſſe, quæ onerarent cæſos, & præcipitatum ſupplicium imprimis periculo non ferente moram exuſarent, juramento inſuper ad fidem verbis ſuis faciendum addito. Denique totam cauſam dependiſſe ex arbitrio & ſententia Cæſaris, à quo velut Oraculo Paſchalis per legatos denuò mittendos aut abſolutionem impetrare debuit, aut Decretum, ut ulterius de cæde quæreretur. Verum viſus eſt Pontifex ſatis innocentiam ſuam probaſſe, quare abrupit Imperator actionem & judicium amplius ſuſtulit. Sequenti anno cum Paſchalis è vivis exceſſiſſet, Ludovicus filium ſuum Lotharium Romam miſit, ut cum Eugenio novo Pontifice Romanam rem imprudentia aut ambitione priorum Præſulum corruptam in melius ordinaret, qui multa Pontificum acta circa bona Eccleſiaſtica reſcidit, & conſtituit leges de electione. Defuncto Ludovico Lotharius per filium Ludovicum Romam ablegatum à Sergio & omni Ro-

mano

mano populo tam Eccleſiaſtici Ordinis quam ſecularis fidelitatis & ſubjectionis juramentum exegit. Conceptis id verbis (*a*) Anaſtaſius narrat; *Tunc demum in eadem Eccleſia ſedentes pariter tam beatiſſimus Pontifex, quam magnus Rex & omnes Archiepiſcopi atque Epiſcopi, ſtantibus reliquis Sacerdotib⁹ & Romanorum ac Francorũ Optimatibus fidelitatem Lothario magno Imperatori ſemper Auguſto promiſerunt.* De Ludovico Lotharii filio operæ pretium eſt audire appendicem Eutropianam. *Hac conſuetudine* (ſc. quam ſupra ex eadem appendice tranſcripſimus) *uſi ſunt Romani usque ad Ludovicum magnum Imperatorem, Lotharii filium. Hic quia magis Italiam habitare elegit, vicinior factus eſt Romæ, ubi & ampliore quadam uſus eſt poteſtate, habens ſtrenuos viros ejus urbis, ſcientes antiquam Imperatorum conſuetudinem, & intimantes Cæſari, quæ ſuggerebant illi repetere antiquatam Imperatorum dominationem: & niſi ob reverentiam beatorum Apoſtolorum dimitteret, pro certo faceret.* Nihil itaque ſub imperio Ludovici II. de jure remiſſum: imo hoc jugius ſemper & aſſiduus repetita uſurpatio, quo vicinior Romæ Imperator & in meditullio Italiæ imperium tenuit. Nam ſi quando Pontifices in diverſum ire voluerint, Conſiliarii Principis, viri antiqui moris & imperii jurium peritiſſimi continuo quid officii imperatorii eſſet, & qua ratione exorbitantem licentiam oporteret in ordinem cogi, tempeſtive admonebant. In quo verò nonnunquam benignior Imperator fuit, id cum ab ejus gratia tantum & arbitrio penderet,

 nun-

nunquam in jus ivit aut præjudicium legitimæ poteſtati tulit : quàm maſculè enim auctoritatem ſuam adverſus Nicolaum in negotio Archiepiſcopi Ravennatis tutatus ſit, & improbæ ambitioni reſtiterit, idem continuator Eutropii narrat. Sed in hujus Imperatoris morte jura Romani imperii ingens detrimentum acceperunt, Carolo Calvo, Francorum Rege non ambitioſius inverſo legitimæ Succeſſionis Ordine, qui Germaniæ Regibus debebatur, imperium capeſſente, quam ignave illud & turpiter prodente. Ut enim apud Pontificem fratrem ſuum Ludovicum præverteret, muneribus & noxia liberalitate præcipuas vires priſtinæ majeſtatis aut prodegit aut vendidit, pluribus deinde quaſi in cumulum invidiâ conjectis, cum Germanorum potentia brevi ſe tota poſſeſſione ejiciendum ominaretur, ne victores ſolidus virtutis ſuæ fructus maneret. Et profecto eſt hoc eorum ingenium, qui malis artibus & feſtinato ad honores contendunt, ut ampliſſima promiſſorum ſpe & blandienti ſupra modum auri fulgore honeſtatis & juſtitiæ pudorem operiant, oppido liberaliores de alieno, cujus qualecunque lucrum faciunt, quamdiu eo potiuntur, nec ſuæ rei damnum, ſi malè partis aliquando excidant. Ad hoc inſtitutum Carolus non modo imperiales reditus ambitu & largitionibus exhauſit, ſed etiam ſummam Cæſareæ auctoritatis vim Pontificibus jam diu moleſtam tantùm non penitus extinxit : ab illo enim tempore eviluit illud Romanæ Eccleſiæ & omni Italiæ tremendum Imperatoris nomen, & humanarum rerum viciſſitudine in

ludum

ludum pene, certè contemptum abiit: umbra enim fuit, imo vix umbra antiquæ majeſtatis, quicquid in Italorum Regulis verius quam Imperatoribus reſiduum manſit: reliqua jam romana Curia inexplebili voragine cupidè abſorpſerat. Prodigæ donationis Carolinæ teſtem habemus Continuatorem illum Eutropii jam ſæpius à nobis laudatum, cujus verba iterum hîc lubet adferre. *Carolus Calvus*, inquit ille, *veniens Romam renovavit pactum cum Romanis, perdonans illi jura regni & conſuetudines illius, tribuens illis ſumptus de tribus ſupradictis monaſteriis, id eſt, Domini Salvatoris, & Beatæ Mariæ ſemper Virginis in Sabinis atque S. Andreæ juxta montem Soractis, & de cæteris quam plurimis monaſteriis fiſcalia patrimonia. Patrias autem Samniæ & Calabriæ ſimul cum omnibus Civitatibus Beneventicis contulit: inſuper ad dedecorem regni totum Ducatum Spoletanum cum duabus Civitatibus Thuſciæ, quod ſolitus erat habere ipſe Dux, id eſt Aretium & Cluſium, quatenus ut is, qui praerat regia vice ante Romanis, videretur poſt eſſe ſubjectus. Removit etiam ab eis regias legationes, aſſiduitatem ad præſentiam Apoſtolicæ electionis: quid plura, cuncta illis contulit, quæ voluerunt, quemadmodum dantur illa, quæ nec recte acquiruntur nec poſſeſſura ſperantur. Fugato itaque iſto Carolo præ metu alterius Caroli, qui veniebat, infirmatur, antequam de regno egrederetur Italico: egreſſus namque vix defunctus eſt. Ab illo autem die honorificas conſuetudines regiæ dignitatis nemo Imperatorum,*

nemo Regum acquiſivit, quia aut virtus defuit aut ſcientia præ multis regni contentionibus & aſſiduis diviſionibus. Hoc modo initium ab iſto Carolo ad proditionem imperatoriæ auctoritatis, quam Eccleſia Romana tanta veneratione & cultu ſupplex adorabat, factum, exemplum ad poſteros transmiſit. Sicut enim Scipio Africanus Antiochi legatis verè dixis, (*a*) *Regum majeſtatem difficilius à ſummo faſtigio ad medium detrahi, quam à mediis ad ima præcipitari:* & illud Stoicæ Philoſophiæ (*b*) lumen, *non enim his gradibus, quibus ad ſumma perventum eſt, retroitur: ſæpe inter fortunam maximam & ultimam nihil intereſt:* ita cum ſemel imperii Romani vis apud Sedem Apoſtolicam labi cepisſet, præcipitio magis ruit ad interitum, quam ſenſim demiſſa eſt, ſplendidiſſima purpura in debiles Italorum Principum humeros conjecta, unde plus contemptus contraxit, quam illis attulit majeſtatis. Fecit ad mali ſummam incerta dominantium fortuna & populi multiplicata ſervitus, cum hinc inde adverſi Auguſtuli quilibet ſuæ factionis hominibus confiſi, Pontificis gratiam injuria imperii licitarētur: interdum tamen quaſi per intervalla eluxit aliqua flammula ex vetere luce. Anno enim nongenteſimo quarto Carolinis jam plene poſſeſſione imperii dejectis in Romana Synodo procurante Pontifice Johanne IX ad Lamberti Widonis filii, Imperatoris tribunal cum Eccleſiaſticę perſonę admiſſæ, tum cauſæ, imperiali indignatione in eos conſtituta, qui cuipiam ea nomine moleſtiam crea-

(*a*) Ap. Liv. l. 37. c. 45. (*b*) Sen. de Benef. l. 4. c. 33.

crearent. Acta illius Synodi, quæ Baronius Annalibus ſuis inſeruit, hac de re ita loquentem Lambertum exhibent. *Si quis Romanus, cujuscunque ſit Ordinis, ſive de clero, ſive de Senatu, ſeu de quocunque ordine gratis ad noſtram imperialem majeſtatem venire voluerit, aut neceſſitate compulſus ad nos voluerit proclamare, nullus eis contradicere præſumat, & neque eorum res quiſpiam invadere vel deprædari, aut eorum perſonas in eundo vel redeundo vel morando inquietare præſumat: donec liceat imperatoriæ poteſtati eorum cauſas & perſonas aut per Miſſos noſtros deliberare: qui autem eos inquietare eundo vel redeundo vel morando tentaverit, vel eorum quidpiam rerum auferre, poſtquam per noſtram miſericordiam ſe proclamaverint, imperialis ultionis indignationem incurrat.* Hinc liquet Eccleſiaſticas perſonas in cauſis etiam ſpiritualibus, tam per modum ſimplicis querelæ, quam appellationis, apud Imperatorem litigare potuiſſe: Revocata etiam illo tempore fiſci Cæſarei jura, & imperialis paſtus ſervitus denuo Epiſcopis & Comitibus pro vetere more impoſita: ut octavum inter duodecim capitula tunc conſtituta expreſſe habet. Hæc ſunt reliquiæ illius ævi ex imperatoria poteſtate, quæ in turbulentiſſimis illis Italiæ æſtibus ſervata ſunt, quibus etiam Romanæ Eccleſiæ multa periere, ut Papa Johannes in modo memorata Synodo ſtomachoſe conqueritur: ſed hæc perſequi non eſt noſtri inſtituti; quos potius ad Ottones decet properare, ab Eccleſia Romana in Italiam vocatos, quam imperii ſuorum

genti-

gentilium tandem pœnituit, deprædantium magis per civilia arma ſacras poſſeſſiones quam juvantium: inde imperatoria jura veluti poſtliminio reducta & reddita Ottoni M. ne fortiſſimus Princeps inanem tanti nominis gloriam priſtina potentia vacuam generoſe aſpernaretur, qui præterea non aliter Pontifici anteriores donationum tabulas ſuis additis confirmavit, quam ſi viciſſim Pontifex fidem ſuam obſtringeret, de obſequio ad eum modum ſibi hæredibus ſuis præſtando, ſicut Leo III. Carolo M. fideli ſubjectione exhibuit. Hoc pactum fundamentum eſt & baſis juriſdictionis imperatoriæ in Pontifices, qua idem mox Otto in Johannem XII. violato fidei & læſæ majeſtatis reum magnifice uſus eſt. Poſt irritas enim admonitiones & perfide promiſſam à Pontifice vitæ morumque emendationem cum videret Imperator nihil ſe benignitate & clementia proficere, ipſe cum exercitu Romam venit, ut puerum Papam bonorum virorum exemplo & rectis monitis meliorem faceret, ſed jam illum præcepta ad Saracenos fuga elapſum comperit. Igitur denuo in fidem adactis Romanis, indictoque Epiſcoporum Cleri & Optimatium populi Romani conventu citari fecit Pontificem, & contumaciter non comparentem papali ſede & dignitatibus excidiſſe judicavit, undique conquiſitis probationibus, ut nihil omnino defuerit legitimo judicio, in quo cauſæ & fata ſubditorum aguntur, neceſſarium. Tam perſpicue iſta à Luitprando produntur, ut nec Baronius potuerit de veritate rei ſic geſtæ dubitare, improbato ſaltem procedendi modo, quod à conſiliis Hildebrandi.

brandinis paulo eſſet alienior. Hujus magni Principis nepos Otto III (*a*) quam ſevere in Creſcentio & ab eo Pontifice creato Johanne XVI. jura imperii atque auctoritatem ſuam vindicavit? Nec alii Imperatores usque ad Heinrici quarti infelix & luctuoſum regimen in aſſerenda majeſtate adverſus Romanos Pontifices ſibi unquam defuerunt : Quid enim Heinricum & Conradum, qui proxime Ottones ſecuti ſunt, plus annua mora aliud Romæ feciſſe putas, quam ex more & præcepto majorum ſuorum Statum tam Eccleſiaſticum quam politicum ordinaſſe, & utrobique pro ſumma poteſtate jus dixiſſe? Conſtat ſane ab Heinrico Benedictum Præſulem electum : Conradum verò poſt obitum Johannis XX. Benedictum IX. Apoſtolicæ Sedi itidem impoſuiſſe: ut de juriſdictione minus ſit ambigendum : De integra Heinrici III. auctoritate nos (*b*) Friſingenſis non ſinit dubitare, qui claris verbis aſſerit, *in ipſo dignitatem imperialem, quæ per longum tempus à ſemine Caroli exulaverat, ad generoſum & antiquum germen reductam eſſe* : nec id Baronius tam diſſimulat, quam ineptè ringit & ſtomachatur, ad neſcio quam hæreſin Heinricianam, natam ſcilicet aliquanto poſt ex Gregorii VII. ſecundi Jovis cerebro, impudentius ſtolidusve incertum, provocans. Ac profecto ad hæc usque tempora juriſdictionem in Romanam Eccleſiam illibatam Principibus noſtris manſiſſe, locuples ſat teſtis eſt Onuphrius Panvinius, ipſe Pontificius, & ob id ſuomet ſtudio in Pontifices quam Imperatores pronior,

(*a*) Vid. Glaber Rudolph. (*b*) l. 6. c. 32.

pronior, qui tamen hîc lucidiſſimis veritatis radiis victus non potuit omnem pudorem defricare: ſed nec alius quiſpiam fuit, cui fata Apoſtolicæ Sedis ab omni ævo magis explorata fuerint, ne contra teſtimonium ejus excipias: Conſcripſit Pontificum vitas, ubi in Gregorio VII. hæc verba habet. *Huic* (i. e. Hildebrando, Gregorio) *cum omnes Latinæ Eccleſiæ tum præcipuè Romana acceptum referre debet, quod libera ſit, & ab Imperatorum manu eruta, cum antea tanquam vilis ancilla non ab Imperatoribus modo, ſed à quovis Principe Romani Imperatoris præſidiis fulto premeretur, ab hoc maxime illius & omni ſeculo tremendæ venerandæq; Romani Pontificis & infinitæ pene poteſtatis jus manavit. Nam etſi ante Romani Pontifices tanquam religionis Chriſtianæ capita, Chriſtiq; Vicarii & Petri Succeſſores colerentur, non tamen eorum auctoritas ultra protendebatur, quàm in fidei dogmatibus vel aſſerendis vel tuendis: cæterum* IMPERATORIBUS SUBERANT, *ad eorum nutum omnia fiebant, ab iis creabantur, de iis judicare vel quicquam decernere non audebat Papa Romanus.* Hactenus igitur non obſcura veſtigia extant ſummi imperii, quod in Pontifices & Apoſtolicam Sedem Romani Imperatores exercuiſſe deprehenduntur. In alias Eccleſias hoc certiora ſunt jura Principum, quò ad fidem hiſtoriarum leges etiam civiles accedunt, quæ ſibi illam juriſdictionem ſumunt, ut ſummæ poteſtatis indubiam partem: Capitula Francorum eam in rem multa conſtituunt obſervatu hinc inde ſanè quam digniſſima. *Epiſcopi,*

Abba-

Abbates, Comites, (*a*) inquiunt, *& potentiores quiq;, ſi cauſam inter ſe habuerint, nec ſe pacificare voluerint, ad noſtram jubeantur venire præſentiam, neq; illorum contentio alibi dijudicetur, neq; propter hoc pauperum & minus potentum juſtitiæ remaneant.* Ac proinde apud antiquos Francos Comitum jurisdictionem in Ordinem quoque Eccleſiaſticum valuiſſe (*b*) Lehmannus pluribus argumentis probat, donec ſub Carolo Magno majoris εὐταξίας cauſa (*c*) Eccleſiaſtica judicia inſtituta ſunt, in quibus auctoritate tamen & auſpicio Imperatoris Clerici à ſolis Epiſcopis judicari debuerunt: interea nihilominus Eccleſiarum Rectores, ſi inter eos minus convenerit, per advocatos ſuos juſſi ſunt ire ad Comites & ibi forum habere in cauſis etiam merè Eccleſiaſticis: (*d*) lex ipſa ſic habet. *Ubi ex utrâq; parte Eccleſiaſticum negotium fuerit, Rectores earundem Eccleſiarum, ſi ſe familiariter pacificare velint, licentiam habeant. Si autem de hujusmodi pacificatione intra eos convenire non poſſint, advocati eorum in mallo publico ad præſentiam Comitis veniant, & ibi legitimus terminus eorum contentionibus imponatur:* Sed ante omnia Miſſorum ratio & officium, quos Francorum Reges ſingulis annis in provincias miſerunt cum pleniſſima inquirendi poteſtate, non in Comites modo & profana negotia, ſed etiam Epiſcoporum doctrinam, mores & vitam, nil niſi ſupre-

(*a*) l. [illegible] c. 67. & 77. (*b*) Chron. Spir. l. 2. c. 21.
(*c*) Capit. l. 7. c. 322. Conf. l. 1. c. 28. & 38. & l. 5. c. 14. & 20. & 225. (*d*) Capit. l. 5. c. 11.

ſupremam mittentium poteſtatem ſpirant in perſonas & res ſacras. De Epiſcopis id in mandatis habuerunt, ut primò ex Comitis & Provincialium teſtimoniis colligerent, num illi in ſuo munere & dignitatibuss pie, caſte & innocenter vixerint, concordiæ & mutuæ pacis ratione inter ſe & cum Comitibus ſervata, à quorum juribus & muniis illos oportuit diligenter rapacem manum abſtinere: *Epiſcopi & Comites*, (a) ait lex, *& ad invicem & cum cæteris fidelibus concorditer vivant, & ad ſua miniſteria peragenda viciſſim ſibi adjutorium ferant.* Item, *quoniam unusquisq; Epiſcoporum vel Comitum partem miniſterii noſtri per partes habere dignoſcitur, volumus ſtudere & per clamatores & per alia qualibet certa indicia & per miſſos noſtros, quos ad hoc ordinaverimus, qualiter unusquisq; adhuc certare ſtuduerit, & per commune teſtimonium, id eſt, Epiſcoporum de Comitibus & Comitum de Epiſcopis comperire, qualiter ſcilicet Comites juſtitiam diligant & faciant, & quam religioſe Epiſcopi converſentur & prædicent: & amborum relatu de aliorum fidelium in ſuis miniſteriis conſiſtentium æquitate & pace atq; concordia cognoſcere.* Deinde cum Eccleſiaſticum Ordinem Miſſi regii ab inſtitutis & diſciplina majorum & vitæ ſanctimonia in errores, vitia aliasque morum corruptelas imprudenter aut nefariè delapſum comperere, ſufficienti cura & emendatione ulteriori malo proſpexerunt, monitis, quos ea labes corripuit, ſub indignatione & ira Regis, ut ad meliorem animum redi-

(a) L. 2. c. 10. & 12.

redirent: gravioribus autem cauſis ad ipſam Principis deciſionem remiſſis. Hac de re in eum ſenſum (*a*) lex loquitur. *Hoc volumus, ut Miſſi noſtri obſervent, ut quicquid de his cauſis vel ſimul vel ſingulatim emendare potuerint, emendent, & ea, quæ emendaverint, diligenter ſcriptis notent, & hoc ſic peragere curent, quatenus juſte reprehendi à quoquam nullatenus non poſſint, & quod facere debent aut poſſunt, nullatenus prætermittant, imò caveant, ne, quod abſit, aut gentis alicujus, aut honoris aut timoris ſivè odii cauſa illud quod agere debent, omittant: & ſummopere ſtudeant, ut hoc, quod per ſe efficere non poſſunt, nobis notum faciant, ut omnimodis prævideant, ut per ſingula capitula tam verbis quam ſcriptis de omnibus, quæ illic peregerint, nobis rationem reddere valeant.* Item. *Ad hoc Miſſi à nobis conſtituti, ut ſi quilibet Epiſcopus aut Comes miniſterium ſuum propter quodlibet impedimentum implere non poſſit, ad eos recurrat, & cum eorum adjutorio miniſterium ſuum adimpleat: & ſi talis cauſa fuerit, quæ per eorum admonitionem emendari non poſſit, per eos ad noſtram notitiam deferatur. Et ſi forte Epiſcopus, aut Comes aliquid negligentius in ſuo miniſterio egerit, per iſtorum admonitionem corrigatur, & omnis populus ſciat, ad hoc eſſe conſtitutos, ut quicunq; per negligentiam aut incuriam vel impoſſibilitatem Comitis juſtitiam ſuam acquirere non potuerit, & eos primum querelam ſuam poſſe deferre, & per verum auxilium juſti-*

(*a*) l. 4. c. 56. l. 2. c. 26.

innectis: ſed prudenter Imperator & graviter reſpondit. *Ab iis autem, qui Dii ſunt per adoptionẽ & regalia noſtra tenent, cur homagium & regalia Sacramenta non exigamus? cum ille noſter & veſter inſtitutor ab homine Rege nihil accipiens, ſed omnia bona omnibus conferens pro ſe & Petro cenſum Cæſari perſolvit, & exemplũ vobis dedit, ut ita faciatis, doceat vos dicens, quia mitis ſum & humilis corde: aut igitur regalia noſtra dimittant, aut ſi hæc utilia judicaverint, quæ Dei, Deo, quæ Cæſaris, Cæſari perſolvãt.* Burgundia per eundem Fridericum Romano imperio reddita eſt, cum diu potentia & ambitione Comitum avulſa fuiſſet. Hinc in Comitiis Veſontione habitis, inter alia, quæ de ordinanda Republica egregiè decreta ſunt, à ſacro ordine fides & obſequium Imperatori exhibitum. *Stephanus Viennenſis Archiepiſcopus & Archicancellarius de Burgundia*, inquit (a) Radevicus, *& Eraclius Archiepiſcopus & Primas Lugdunenſis, & Otto Valentinus Epiſcopus, & Gaufredus Avionenſis & Silvius magn⁹ Princeps & præpotens de Claria tunc ad Curiam venientes Friderico* FIDELITATEM FECERUNT ATQUE HOMINIUM *& beneficia ſua de manu illius reverenter ſuſceperunt. Arelatenſis autem Epiſcopus & alii omnes Archiepiſcopi, Epiſcopi, Primates & Nobiles veniſſent, idemq́; feciſſent, niſi mora Principem adeundi compendio ſuæ brevitatis præſtitiſſet impedimentum: miſſis tamen per honeſtos valde & induſtrios nuncios litteris* OMNIMODAM SUBIECTIONEM ET DEBITAM FIDELITATEM *imperio Romano compro-*

(a) l. 1. c. 11.

compromiſerunt : Poſt hæc Imperator uſus eſt jure ſuo & de Burgundiæ Eccleſiis per tabulas hodieque ſuperſtites variè diſpoſuit : de (*a*) Viennenſi in hunc ſenſum. *Viennenſis Eccleſia ſicut inter cæteras Eccleſias & metropolitanas ſedes regni Burgundiæ gloria & honore quaſi clariore ſidere refulget, ita peculiari gratia prærogativa apud imperialem celſitudinem meruit præeminere, ut Metropolitanus ejus inter cæteros Archiflamines principalem locum ac dignitatem obtineat : & quia Princeps conſilii noſtri & Archicancellarius in regno Burgundiæ, & primus in aula regali & in adminiſtratione Reipublicæ cæteris excellentiore dignitate præpolleat.* (*b*) Eraclius Archiepiſcopus inveſtitus eſt *de regalibus Eccleſiæ Lugdunenſis & de omnibus, quæ in Lugdunenſi Epiſcopatu ad imperium pertinent. Civitatem Lugdunenſem & totum Epiſcopatum liberum facit ab omni extranea poteſtate, ſalva per omnia imperiali juſtitia*: in ſumma Andreas (*c*) Cheſneus teſtatur, vidiſſe ſe *plures chartas hujus Imperatoris pro Eccleſiis Viennenſi, Lugdunenſi, Bellicenſi, aliisq; in Burgundia conſtitutis, quæ fidem faciunt, eum in regno Burgundiæ pro ſupremo Principe agnitum eſſe.* Atque hæc eſt illa ſumma Principum juriſdictio, quæ ſacri Ordinis mores, vitam, diſciplinam, imo ipſum docendi munus à divinis oraculis temere abiens olim tempeſtive correxit : quæ ſi ſeculi vitio & imprudentia noſtra in Romano

(*a*) Vid. Joh. de Boſco in Viennenſibus Antiquitat.
(*b*) Guilhelmus Paradinus Hiſtor. Lugd. l. 2. c. 35.
(*c*) Hiſtor. Burg. l. 4. c. 7.

novatum deinceps à Pontifice Johanne pactum cum Ottone M. quale Leo III. Carolo feciſſe dicitur, eadem jura Imperatori reſtituit. Et quamvis ferale Heinrici diſſidium cum Gregorio VII. idque mox ſubſecuta transactio filii ejus Heinrici V. & Paſchalis Pontificis circa electionem Pontificis & Cleri aliquam mutationem invexiſſet, ipſi tamen nihilominis & omnis Sacer Ordo, qui intra imperii fines conſiſtit, ſemper in obſequio & fidelitate duravit, ut veros ſubditos decet: Certe enim Fridericus I. omnes Italici regni Epiſcopos & Optimates in Comitiis Roncalienſib⁹, ubi priſtina imperii jura ſevere revocata ſunt, in verba ſua & fidem juramento adegit. Malim hoc ipſum Radevici verbis narrare, qui ſumma diligentia Friderici res feliciter geſtas deſcripſit: *Deinde ſuper juſtitia regni* (*a*) inquit ille hac de re, *& de regalibus, quæ longo jam tempore ſeu temeritate pervadentium ſeu neglectu Regum imperio deperierant, ſtudioſe differens* (ſc. Imperator Fridericus) *tum nullam poſſint invenire defenſionem excuſationis, tam Epiſcopi quam Primates & Civitates, uno ore, uno aſſenſu in manum Principis regalia reddidere: primiq́ reſignantium Mediolanenſes extitere, requiſitiq́ de hoc ipſo jure quid eſſet, adjudicaverunt Ducatus, Marchias, Comitatus, Conſulatus, monetas, telonea, fodrum, veſtigalia, portus, pedatica, molendina, piſcatorias, portus, omnemq́ utilitatem ex decurſu fluminum provenientem: Nec de terra tantum, verum etiam de ſuis propriis capitibus cenſus annui redditionem, &c.*

præterea

(*a*) l. 2. c. 5. & 6.

præterea & hoc ſibi ab omnibus adjudicatum atque recognitum eſt, in ſingulis Civitatibus poteſtates, conſules cæterosve Magiſtratus aſſenſu populi per ipſum creari debere, qui fideles ſimul & prudentes & Principi honorem & Civibus patriæq́; debitam juſtitiam noſſent conſervare. De his autem omnibus fideliter & ſine fraude recipiendis ab omnibus Civitatibus & Sacramenta præſtita & vades pro lubitu Imperatoris exhibiti ſunt. Cæterum de Epiſcoporum fidelitate & ſubjectione paulo obſcurior hîc eſt Radevicus, quare placet ei lucem ex Ottone Muræna coævo ſcriptore accendere, cujus hæc verba Baronius annalibus ſuis inſeruit: *Hoc ſic peracto*, (i. e. regalibus à delectis judicibus indicatis) *Mediolanenſis* ARCHIEPISCOPUS *una cum Conſulibus Mediolani, omnes alii præſentes Lombardiæ*, EPISCOPI, *Comites, Marchiones, Duces, cæteriq́; Italiæ Principes, & omnium Lombardiæ Civitatum Conſules ibi adſtantes publicè in colloquio ipſo ſurgentes in manu ipſius Imperatoris omnia, quæ prædicti Judices jura regalia eſſe dixerant, refutaverunt, & eiſidem de ipſis omnibus fecerunt.* Ægrè hoc habuit Pontificem Hadrianum, qui ambiguis literis ad Cæſarem datis religionem, preces, iram minas confuſe miſcuit: inventa eſt ejus quædam epiſtola à Nauclero, ubi inter alia hæc leguntur. *Quid dicam de fidelitate B. Petro & nobis à te promiſſa & jurata, quomodo eam obſerves, cum ab iis, qui Dii ſunt & filii excelſi omnes, Epiſcopis videlicet homagium requirens fidelitatem exigis, & manus eorum ſacratas manibus tuis*

 inne-

tiam acquirere, & quando aliquis ad nos neceſſitatis cauſa reclamaverit, ad eos poſſimus relatorum querelas ad definiendum remittere. Porrò in Miſſorum poteſtate & mandatis fuit, Monaſteria ac religioſorum Ordines viſitare, ad priſtinam diſciplinam reductis illis, quæ contra regulas & inſtituta Ordinis, nec non leges publicas aut pietatẽ peccata erant: id officii (*a*) hac lege comprehenditur, *ut Miſſi per ſingulas Civites & Monaſteria virorum & puellarum prævideant, quomodo aut qualiter in domibus Eccleſiarum aut ornamẽtis Eccleſiæ emendatæ vel reſtauratæ eſſe videntur, & diligẽter inquirant de converſatione ſingulorum, vel quomodo emẽdatum habeant, quod juſſimus de eorum lectione & cantu cæteriſq́; diſciplinis ad ordinem Eccleſiaſticæ regulæ pertinentibus.* Denique ut aliorum oblivïſcar, executionem ſententiæ à Comitibus contra Epiſcopos latæ ex bono & æquo, ſed ab his improba tergiverſatione & fuga diu ſuſpenſam Miſſi auctoritate ſua & mora condemnatæ parti ſumptuoſa procurabant: Licuit igitur Epiſcopos convenire in ſeculari foro, licuit Comitibus jure Magiſtratus ſententiam ferre, cui ſtare Epiſcopos oportuit: & verò qua luculentiore ratione his ipſis argumentis quis ſummam imperii vim circa ſacra probaverit? ſed eccum ipſam legem, ne mihi ſoli credere videare. (*b*) *Ubicunq; Miſſi aut Epiſcopum aut alium quemlibet quocunq; honore præditum invenerint, qui juſtitiam facere vel noluit vel prohibuit, de ipſius rebus vivant, quamdiu in eo loco juſtitias facere*

(*a*) l. 2. c. 121. (*b*) l. 4. c. 66.

facere debent. Præter Francorum Conſtitutiones Bavaricæ etiam leges Epiſcopos ſeculari poteſtati judicandos ſubjiciunt, cum in aliis cauſis, tum præcipuè publicis criminibus, privatis ſaltem vindictæ propriæ uſu vetito. (*a*) Verba legis hæc ſunt. *Si Epiſcopus contra aliquem culpabilis eſt, non præſumat eum occidere, quia ſummus Pontifex eſt, ſed mallet eum ante Regem vel Ducem aut ante plebem ſuam: & ſi convictus crimine negare non poſſit, tum ſecundum canones ei judicetur. Si talis culpa eſt, ut deponatur, deponetur & exilietur: de homicidio. de fornicatione, de conſenſu cum hoſtibus, ſi intra provinciam inimicos invitaverit, & eos prodere voluerit, quos ſalvare debuit, pro iſtis culpis damnetur.* In Italia & Romano imperio, (præterquam quod Francorum leges illic etiam vim ſuam ut in aliis omnibus Caroli M. imperiis exſeruerint: nam omnibus nullo diſcrimine facto præcipiunt: (*b*) *volumus atque præcipimus, ut omnes ditioni noſtræ Deo auxiliante ſubjecti: tam Romani, quam Franci, Alemanni, Bojoari, Saxones, cæteriq; nobis ſubjecti omnes*) *inventum eſt*, quemadmodum paulo ante ex Continuatione Eutropii citavimus, *ut omnes majores Romæ eſſent imperiales homines, tam Epiſcopi, quam Laici, & facerent fidelitatem Imperatori*; ut & illa Romana Synodus ſub Lamberto Imperatore habita omnibus Romanis cujuscunque ſint ordinis ſecularis & Eccleſiaſtici liberũ ad imperatorium tribunal in litigioſis cauſis acceſſum permittit, pœna in impedientes conſtituta: Re-

(*a*) Tit. 10. (*b*) l. 6. c. 81.

nunquam in jus ivit aut præjudicium legitimæ poteſtati tulit: quàm maſculè enim auctoritatem ſuam adverſus Nicolaum in negotio Archiepiſcopi Ravennatis tutatus ſit, & improbæ ambitioni reſtiterit, idem continuator Eutropii narrat. Sed in hujus Imperatoris morte jura Romani imperii ingens detrimentum acceperunt, Carolo Calvo, Francorum Rege non ambitioſius inverſo legitimæ Succeſſionis Ordine, qui Germaniæ Regibus debebatur, imperium capeſſente, quam ignave illud & turpiter prodente. Ut enim apud Pontificem fratrem ſuum Ludovicum præverteret, muneribus & noxia liberalitate præcipuas vires priſtinæ majeſtatis aut prodegit aut vendidit, pluribus deinde quaſi in cumulum invidiâ conjectis, cum Germanorum potentia brevi ſe tota poſſeſſione ejiciendum ominaretur, ne victores ſolidus virtutis ſuæ fructus maneret. Et profecto eſt hoc eorum ingenium, qui malis artibus & feſtinato ad honores contendunt, ut ampliſſima promiſſorum ſpe & blandienti ſupra modum auri fulgore honeſtatis & juſtitiæ pudorem operiant, oppido liberaliores de alieno, cujus qualecunque lucrum faciunt, quamdiu eo potiuntur, nec ſuæ rei damnum, ſi malè partis aliquando excidant. Ad hoc inſtitutum Carolus non modo imperiales reditus ambitu & largitionibus exhauſit, ſed etiam ſummam Cæſareæ auctoritatis vim Pontificibus jam diu moleſtam tantùm non penitus extinxit: ab illo enim tempore eviluit illud Romanæ Eccleſiæ & omni Italiæ tremendum Imperatoris nomen, & humanarum rerum viciſſitudine in

ludum pene, certè contemptum abiit: umbra enim fuit, imo vix umbra antiquæ majeſtatis, quicquid in Italorum Regulis verius quam Imperatoribus reſiduum manſit: reliqua jam romana Curia inexplebili voragine cupidè abſorpſerat. Prodigæ donationis Carolinæ teſtem habemus Continuatorem illum Eutropii jam ſæpius à nobis laudatum, cujus verba iterum hîc lubet adferre. *Carolus Calvus*, inquit ille, *veniens Romam renovavit pactum cum Romanis, perdonans illi jura regni & conſuetudines illius, tribuens illis ſumptus de tribus ſupradictis monaſteriis, id eſt, Domini Salvatoris, & Beatæ Mariæ ſemper Virginis in Sabinis atque S. Andreæ juxta montem Soractis, & de cæteris quam plurimis monaſteriis fiſcalia patrimonia. Patrias autem Samnia & Calabria ſimul cum omnibus Civitatibus Beneventicis contulit: inſuper ad dedecorem regni totum Ducatum Spoletanum cum duabus Civitatibus Thuſciæ, quod ſolitus erat habere ipſe Dux, id eſt Aretium & Cluſium, quatenus ut is, qui præerat regia vice ante Romanis, videretur poſt eſſe ſubjectus. Removit etiam ab eis regias legationes, aſſiduitatem ad præſentiam Apoſtolicæ electionis: quid plura, cuncta illis contulit, quæ voluerunt, quemadmodum dantur illa, quæ nec recte acquiruntur nec poſſeſſura ſperantur. Fugato itaque iſto Carolo præ metu alterius Caroli, qui veniebat, infirmatur, antequam de regno egrederetur Italico: egreſſus namque vix defunctus eſt. Ab illo autem die honorificas conſuetudines regiæ dignitatis nemo Imperatorum,*

nemo Regum acquiſivit, quia aut virtus defuit aut ſcientia præ multis regni contentionibus & aſſiduis diviſionibus. Hoc modo initium ab iſto Carolo ad proditionem imperatoriæ auctoritatis, quam Eccleſia Romana tanta veneratione & cultu ſupplex adorabat, factum, exemplum ad poſteros transmiſit. Sicut enim Scipio Africanus Antiochi legatis verè dixis, (*a*) *Regum majeſtatem difficilius à ſummo faſtigio ad medium detrahi, quam à mediis ad ima præcipitari:* & illud Stoicæ Philoſophiæ (*b*) lumen, *non enim his gradibus, quibus ad ſumma perventum eſt, retrcitur: ſæpe inter fortunam maximam & ultimam nihil intereſt:* ita cum ſemel imperii Romani vis apud Sedem Apoſtolicam labi cepiſſet, præcipitio magis ruit ad interitum, quam ſenſim demiſſa eſt, ſplendidiſſima purpura in debiles Italorum Principum humeros conjecta, unde plus contemptus contraxit, quam illis attulit majeſtatis. Fecit ad mali ſummam incerta dominantium fortuna & populi multiplicata ſervitus, cum hinc inde adverſi Auguſtuli quilibet ſuæ factionis hominibus confiſi, Pontificis gratiam injuria imperii licitarētur: interdum tamen quaſi per intervalla eluxit aliqua flammula ex vetere luce. Anno enim nongenteſimo quarto Carolinis jam plenè poſſeſſione imperii dejectis in Romana Synodo procurante Pontifice Johanne IX ad Lamberti Widonis filii, Imperatoris tribunal cum Eccleſiaſticę perſonę admiſſæ, tum cauſæ, imperiali indignatione in eos conſtituta, qui cuipiam ea nomine moleſtiam crea-

(*a*) Ap. Liv. l. 37. c. 45. (*b*) Sen. de Benef. l. 4. c. 33.

crearent. Acta illius Synodi, quæ Baronius Annalibus ſuis inſeruit, hac de re ita loquentem Lambertum exhibent. *Si quis Romanus, cujuſcunque ſit Ordinis, ſive de clero, ſive de Senatu, ſeu de quocunque ordine gratis ad noſtram imperialem majeſtatem venire voluerit, aut neceſſitate compulſus ad nos voluerit proclamare, nullus eis contradicere præſumat, & neque eorum res quiſpiam invadere vel deprædari, aut eorum perſonas in eundo vel redeundo vel morando inquietare præſumat: donec liceat imperatoriæ poteſtati eorum cauſas & perſonas aut per Miſſos noſtros deliberare: qui autem eos inquietare eundo vel redeundo vel morando tentaverit, vel eorum quidpiam rerum auferre, poſtquam per noſtram miſericordiam ſe proclamaverint, imperialis ultionis indignationem incurrat.* Hinc liquet Eccleſiaſticas perſonas in cauſis etiam ſpiritualibus, tam per modum ſimplicis querelæ, quam appellationis, apud Imperatorem litigare potuiſſe: Revocata etiam illo tempore fiſci Cæſarei jura, & imperialis paſtus ſervitus denuo Epiſcopis & Comitibus pro vetere more impoſita: ut octavum inter duodecim capitula tunc conſtituta expreſſe habet. Hæc ſunt reliquiæ illius ævi ex imperatoria poteſtate, quæ in turbulentiſſimis illis Italiæ æſtibus ſervata ſunt, quibus etiam Romanæ Eccleſiæ multa periere, ut Papa Johannes in modo memorata Synodo ſtomachoſe conqueritur: ſed hæc perſequi non eſt noſtri inſtituti; quos potius ad Ottones decet properare, ab Eccleſia Romana in Italiam vocatos, quam imperii ſuorum

genti-

gentilium tandem pœnituit, deprædantium magis per civilia arma ſacras poſſeſſiones quam juvantium: inde imperatoria jura veluti poſtliminio reducta & reddita Ottoni M. ne fortiſſimus Princeps inanem tanti nominis gloriam priſtina potentia vacuam generoſe aſpernaretur, qui præterea non aliter Pontifici anteriores donationum tabulas ſuis additis confirmavit, quam ſi viciſſim Pontifex fidem ſuam obſtringeret, de obſequio ad eum modum ſibi hæredibus ſuis præſtando, ſicut Leo III. Carolo M. fideli ſubjectione exhibuit. Hoc pactum fundamentum eſt & baſis jurisdictionis imperatoriæ in Pontifices, qua idem mox Otto in Johannem XII. violato fidei & læſæ majeſtatis reum magnifice uſus eſt. Poſt irritas enim admonitiones & perfide promiſſam à Pontifice vitæ morumque emendationem cum videret Imperator nihil ſe benignitate & clementia proficere, ipſe cum exercitu Romam venit, ut puerum Papam bonorum virorum exemplo & rectis monitis meliorem faceret, ſed jam illum præcepta ad Saracenos fuga elapſum comperit. Igitur denuo in fidem adactis Romanis, indictoque Epiſcoporum Cleri & Optimatium populi Romani conventu citari fecit Pontificem, & contumaciter non comparentem papali ſede & dignitatibus excidiſſe judicavit, undique conquiſitis probationibus, ut nihil omnino defuerit legitimo judicio, in quo cauſæ & fata ſubditorum aguntur, neceſſarium. Tam perſpicue iſta à Luitprando produntur, ut nec Baronius potuerit de veritate rei ſic geſtæ dubitare, improbato ſaltem procedendi modo, quod à conſiliis Hildebrandi.

brandinis paulo eſſet alienior. Hujus magni Principis nepos Otto III (*a*) quam ſevere in Creſcentio & ab eo Pontifice creato Johanne XVI. jura imperii atque auctoritatem ſuam vindicavit? Nec alii Imperatores usque ad Heinrici quarti infelix & luctuoſum regimen in aſſerenda majeſtate adverſus Romanos Pontifices ſibi unquam defuerunt: Quid enim Heinricum & Conradum, qui proxime Ottones ſecuti ſunt, plus annua mora aliud Romæ feciſſe putas, quam ex more & præcepto majorum ſuorum Statum tam Eccleſiaſticum quam politicum ordinaſſe, & utrobique pro ſumma poteſtate jus dixiſſe? Conſtat ſane ab Heinrico Benedictum Præſulem electum: Conradum verò poſt obitum Johannis XX. Benedictum IX. Apoſtolicæ Sedi itidem impoſuiſſe: ut de jurisdictione minus ſit ambigendum: De integra Heinrici III. auctoritate nos (*b*) Friſingenſis non ſinit dubitare, qui claris verbis aſſerit, *in ipſo dignitatem imperialem, quæ per longum tempus à ſemine Caroli exulaverat, ad generoſum & antiquum germen reductam eſſe*: nec id Baronius tam diſſimulat, quam ineptè ringit & ſtomachatur, ad neſcio quam hæreſin Heinricianam, natam ſcilicet aliquanto poſt ex Gregorii VII. ſecundi Jovis cerebro, impudentius ſtolidusve incertum, provocans. Ac profecto ad hæc usque tempora jurisdictionem in Romanam Eccleſiam illibatam Principibus noſtris manſiſſe, locuples ſat teſtis eſt Onuphrius Panvinius, ipſe Pontificius, & ob id ſuomet ſtudio in Pontifices quam Imperatores pronior,

(*a*) Vid. Glaber Rudolph. (*b*) l. 6. c. 32.

pronior, qui tamen hîc lucidiſſimis veritatis radiis victus non potuit omnem pudorem defricare: ſed nec alius quiſpiam fuit, cui fata Apoſtolicæ Sedis ab omni ævo magis explorata fuerint, ne contra teſtimonium ejus excipias: Conſcripſit Pontificum vitas, ubi in Gregorio VII. hæc verba habet. *Huic* (i. e. Hildebrando, Gregorio) *cum omnes Latinæ Eccleſiæ tum præcipuè Romana acceptum referre debet, quod libera ſit, & ab Imperatorum manu eruta, cum antea tanquam vilis ancilla non ab Imperatoribus modo, ſed à quovis Principe Romani Imperatoris præſidiis fulto premeretur, ab hoc maxime illius & omni ſeculo tremendæ venerandæq́ Romani Pontificis & infinitæ pene poteſtatis jus manavit. Nam etſi ante Romani Pontifices tanquam religionis Chriſtianæ capita, Chriſtiq́ Vicarii & Petri Succeſſores colerentur, non tamen eorum auctoritas ultra protendebatur, quàm in fidei dogmatibus vel aſſerendis vel tuendis: cæterum* Imperatoribus Suberant, *ad eorum nutum omnia fiebant, ab iis creabantur, de iis judicare vel quicquam decernere non audebat Papa Romanus.* Hactenus igitur non obſcura veſtigia extant ſummi imperii, quod in Pontifices & Apoſtolicam Sedem Romani Imperatores exercuiſſe deprehenduntur. In alias Eccleſias hoc certiora ſunt jura Principum, quò ad fidem hiſtoriarum leges etiam civiles accedunt, quæ ſibi illam jurisdictionem ſumunt, ut ſummæ poteſtatis indubiam partem: Capitula Francorum eam in rem multa conſtituunt obſervatu hinc inde ſanè quam digniſſima. *Epiſcopi,*

Abba-

Abbates, Comites, (*a*) inquiunt, *& potentiores quiq;, ſi cauſam inter ſe habuerint, nec ſe pacificare voluerint, ad noſtram jubeantur venire præſentiam, neq; illorum contentio alibi dijudicetur, neq; propter hoc pauperum & minus potentum juſtitiæ remaneant.* Ac proinde apud antiquos Francos Comitum jurisdictionem in Ordinem quoque Eccleſiaſticum valuiſſe (*b*) Lehmannus pluribus argumentis probat, donec ſub Carolo Magno majoris εὐταξίας cauſa (*c*) Eccleſiaſtica judicia inſtituta ſunt, in quibus auctoritate tamen & auſpicio Imperatoris Clerici à ſolis Epiſcopis judicari debuerunt: interea nihilominus Eccleſiarum Rectores, ſi inter eos minus convenerit, per advocatos ſuos juſſi ſunt ire ad Comites & ibi forum habere in cauſis etiam merè Eccleſiaſticis: (*d*) lex ipſa ſic habet. *Ubi ex utrâq; parte Eccleſiaſticum negotium fuerit, Rectores earundem Eccleſiarum, ſi ſe familiariter pacificare velint, licentiam habeant. Si autem de hujusmodi pacificatione intra eos convenire non poſſint, advocati eorum in mallo publico ad præſentiam Comitis veniant, & ibi legitimus terminus eorum contentionibus imponatur:* Sed ante omnia Miſſorum ratio & officium, quos Francorum Reges ſingulis annis in provincias miſerunt cum pleniſſima inquirendi poteſtate, non in Comites modo & profana negotia, ſed etiam Epiſcoporum doctrinam, mores & vitam, nil niſi ſupre-

(*a*) l. [illegible] c. 67. & 77. (*b*) Chron. Spir. l. 2. c. 21.
(*c*) Capit. l. 7. c. 322. Conf. l. 1. c. 28. & 38. & l. 5. c. 14. & 20. & 225. (*d*) Capit. l. 5. c. 11.

redirent : gravioribus autem cauſis ad ipſam Principis deciſionem remiſſis. Hac de re in eum ſenſum (*a*) lex loquitur. *Hoc volumus, ut Miſſi noſtri obſervent, ut quicquid de his cauſis vel ſimul vel ſingulatim emendare potuerint, emendent, & ea, quæ, emendaverint, diligenter ſcriptis notent, & hoc ſic peragere curent, quatenus juſte reprahendi à quoquam nullatenus non poſſint, & quod facere debent aut poſſunt, nullatenus prætermittant, imò caveant, ne, quod abſit, aut gentis alicujus, aut honoris aut timoris ſivè odii cauſa illud quod agere debent, omittant : & ſummopere ſtudeant, ut hoc, quod per ſe efficere non poſſunt, nobis notum faciant, ut omnimodis prævideant, ut per ſingula capitula tam verbis quam ſcriptis de omnibus, quæ illic peregerint, nobis rationem reddere valeant.* Item. *Ad hoc Miſſi à nobis conſtituti, ut ſi quilibet Epiſcopus aut Comes miniſterium ſuum propter quodlibet impedimentum implere non poſſit, ad eos recurrat, & cum eorum adjutorio miniſterium ſuum adimpleat : & ſi talis cauſa fuerit, quæ per eorum admonitionem emendari non poſſit, per eos ad noſtram notitiam deferatur. Et ſi forte Epiſcopus, aut Comes aliquid negligentius in ſuo miniſterio egerit, per iſtorum admonitionem corrigatur, & omnis populus ſciat, ad hoc eſſe conſtitutos, ut quicunq; per negligentiam aut incuriam vel impoſſibilitatem Comitis juſtitiam ſuam acquirere non potuerit, & eos primum querelam ſuam poſſe deferre, & per verum auxilium juſti-*

(*a*) l. 4. c. 56. l. 2. c. 26.

compromiſerunt : Poſt hæc Imperator uſus eſt Jure ſuo & de Burgundiæ Eccleſiis per tabulas hodieque ſuperſtites variè diſpoſuit : de (*a*) Viennenſi in hunc ſenſum. *Viennenſis Eccleſia ſicut inter cæteras Eccleſias & metropolitanas ſedes regni Burgundiæ gloria & honore quaſi clariore ſidere refulget, ita peculiari gratia prærogativa apud imperialem celſitudinem meruit præeminere, ut Metropolitanus ejus inter cæteros Archiflamines principalem locum ac dignitatem obtineat: & quia Princeps conſilii noſtri & Archicancellarius in regno Burgundiæ, & primus in aula regali & in adminiſtratione Reipublicæ cæteris excellentiore dignitate præpolleat.* (*b*) Eraclius Archiepiſcopus inveſtitus eſt *de regalibus Eccleſiæ Lugdunenſis & de omnibus, quæ in Lugdunenſi Epiſcopatu ad imperium pertinent. Civitatem Lugdunenſem & totum Epiſcopatum liberum facit ab omni extranea poteſtate, ſalva per omnia imperiali juſtitia*: in ſumma Andreas (*c*) Cheſneus teſtatur, vidiſſe ſe *plures chartas hujus Imperatoris pro Eccleſiis Viennenſi, Lugdunenſi, Bellicenſi, aliisq; in Burgundia conſtitutis, quæ fidem faciunt, eum in regno Burgundiæ pro ſupremo Principe agnitum eſſe.* Atque hæc eſt illa ſumma Principum juriſdictio, quæ ſacri Ordinis mores, vitam, diſciplinam, imo ipſum docendi munus à divinis oraculis temere abiens olim tempeſtive correxit : quæ ſi ſeculi vitio & imprudentia noſtra in Romano

(*a*) Vid. Joh. de Boſco in Viennenſibus Antiquitat.
(*b*) Guilhelmus Paradinus Hiſtor. Lugd. l. 2. c. 35.
(*c*) Hiſtor. Burg. l. 4. c. 7.

novatum deinceps à Pontifice Johanne pactum cum Ottone M. quale Leo III. Carolo feciſſe dicitur, eadem jura Imperatori reſtituit. Et quamvis ferale Heinrici diſſidium cum Gregorio VII. idque mox ſubſecuta transactio filii ejus Heinrici V. & Paſchalis Pontificis circa electionem Pontificis & Cleri aliquam mutationem invexiſſet, ipſi tamen nihilominis & omnis Sacer Ordo, qui intra imperii fines conſiſtit, ſemper in obſequio & fidelitate duravit, ut veros ſubditos decet: Certe enim Fridericus I. omnes Italici regni Epiſcopos & Optimates in Comitiis Roncalienſib⁹, ubi priſtina imperii jura ſevere revocata ſunt, in verba ſua & fidem juramento adegit. Malim hoc ipſum Radevici verbis narrare, qui ſumma diligentia Friderici res feliciter geſtas deſcripſit: *Deinde ſuper juſtitia regni* (a) inquit ille hac de re, *& de regalibus, quæ longo jam tempore ſeu temeritate pervadentium ſeu neglectu Regum imperio deperierant, ſtudioſe differens* (ſc. Imperator Fridericus) *tum nullam poſſint invenire defenſionem excuſationis, tam Epiſcopi quam Primates & Civitates, uno ore, uno aſſenſu in manum Principis regalia reddidere: primiq́; reſignantium Mediolanenſes extitere, requiſitiq́; de hoc ipſo jure quid eſſet, adjudicaverunt Ducatus, Marchias, Comitatus, Conſulatus, monetas, telonea, fodrum, veſtigalia, portus, pedatica, molendina, piſcatorias, portus, omnemq́; utilitatem ex decurſu fluminum provenientem: Nec de terra tantum, verum etiam de ſuis propriis capitibus cenſus annui redditionem, &c.*

præterea

(a) l. 2. c. 5. & 6.

præterea & hoc ſibi ab omnibus adjudicatum atque recognitum eſt, in ſingulis Civitatibus poteſtates, conſules cæterosve Magiſtratus aſſenſu populi per ipſum creari debere, qui fideles ſimul & prudentes & Principi honorem & Civibus patriaq́; debitam juſtitiam noſſent conſervare. De his autem omnibus fideliter & ſine fraude recipiendis ab omnibus Civitatibus & Sacramenta præſtita & vades pro lubitu Imperatoris exhibiti ſunt. Cæterum de Epiſcoporum fidelitate & ſubjectione paulo obſcurior hîc eſt Radevicus, quare placet ei lucem ex Ottone Muræna coævo ſcriptore accendere, cujus hæc verba Baronius annalibus ſuis inſeruit: *Hoc ſic peracto*, (i. e. regalibus à delectis judicibus indicatis) *Mediolanenſis* ARCHIEPISCOPUS *una cum Conſulibus Mediolani, omnes alii præſentes Lombardiæ*, EPISCOPI, *Comites, Marchiones, Duces, cæteriq́; Italiæ Principes, & omnium Lombardiæ Civitatum Conſules ibi adſtantes publicè in colloquio ipſo ſurgentes in manu ipſius Imperatoris omnia, quæ prædicti Judices jura regalia eſſe dixerant, refutaverunt, & ei fidem de ipſis omnibus fecerunt.* Ægrè hoc habuit Pontificem Hadrianum, qui ambiguis literis ad Cæſarem datis religionem, preces, iram minas confuſe miſcuit: inventa eſt ejus quædam epiſtola à Nauclero, ubi inter alia hæc leguntur. *Quid dicam de fidelitate B. Petro & nobis à te promiſſa & jurata, quomodo eam obſerves, cum ab iis, qui Dii ſunt & filii excelſi omnes, Epiſcopis videlicet homagium requirens fidelitatem exigis, & manus eorum ſacratas manibus tuis*

tiam acquirere, & quando aliquis ad nos neceſſitatis cauſa reclamaverit, ad eos poſſimus relatorum querelas ad definiendum remittere. Porrò in Miſſorum poteſtate & mandatis fuit, Monaſteria ac religioſorum Ordines viſitare, ad priſtinam diſciplinam reductis illis, quæ contra regulas & inſtituta Ordinis, nec non leges publicas aut pietatē peccata erant: id officii (*a*) hac lege comprehenditur, *ut Miſſi per ſingulas Civitates & Monaſteria virorum & puellarum prævideant, quomodo aut qualiter in domibus Eccleſiarum aut ornamētis Eccleſiæ emendatæ vel reſtauratæ eſſe videntur, & diligēter inquirant de converſatione ſingulorum, vel quomodo emēdatum habeant, quod juſſimus de eorum lectione & cantu cæterisq; diſciplinis ad ordinem Eccleſiaſticæ regulæ pertinentibus.* Denique ut aliorum obliviſcar, executionem ſententiæ à Comitibus contra Epiſcopos latæ ex bono & æquo, ſed ab his improba tergiverſatione & fuga diu ſuſpenſam Miſſi auctoritate ſua & mora condemnatæ parti ſumptuoſa procurabant: Licuit igitur Epiſcopos convenire in ſeculari foro, licuit Comitibus jure Magiſtratus ſententiam ferre, cui ſtare Epiſcopos oportuit: & verò qua luculentiore ratione his ipſis argumentis quis ſummam imperii vim circa ſacra probaverit? ſed eccum ipſam legem, ne mihi ſoli credere videare. (*b*) *Ubicunq; Miſſi aut Epiſcopum aut alium quemlibet quocunq; honore præditum invenerint, qui juſtitiam facere vel noluit vel prohibuit, de ipſius rebus vivant, quamdiu in eo loco juſtitias facere*

(*a*) l. 2. c. 121. (*b*) l. 4. c. 66.

facere debent. Præter Francorum Conſtitutiones Bavaricæ etiam leges Epiſcopos ſeculari poteſtati judicandos ſubjiciunt, cum in aliis cauſis, tum præcipuè publicis criminibus, privatis ſaltem vindictæ propriæ uſu vetito. (*a*) Verba legis hæc ſunt. *Si Epiſcopus contra aliquem culpabilis eſt, non præſumat eum occidere, quia ſummus Pontifex eſt, ſed mallet eum ante Regem vel Ducem aut ante plebem ſuam: & ſi convictus crimine negare non poſſit, tum ſecundum canones ei judicetur. Si talis culpa eſt, ut deponatur, deponetur & exilietur: de homicidio, de fornicatione, de conſenſu cum hoſtibus, ſi intra provinciam inimicos invitaverit, & eos prodere voluerit, quos ſalvare debuit, pro iſtis culpis damnetur.* In Italia & Romano imperio, (præterquam quod Francorum leges illic etiam vim ſuam ut in aliis omnibus Caroli M. imperiis exſeruerint: nam omnibus nullo diſcrimine facto præcipiunt: (*b*) *volumus atque præcipimus, ut omnes ditioni noſtræ Deo auxiliante ſubjecti: tam Romani, quam Franci, Alemanni, Bojoari, Saxones, cæteriq; nobis ſubjecti omnes*) *inventum eſt*, quemadmodum paulo ante ex Continuatione Eutropii citavimus, *ut omnes majores Romæ eſſent imperiales homines, tam Epiſcopi quam Laici, & facerent fidelitatem Imperatori*; ut & illa Romana Synodus ſub Lamberto Imperatore habita omnibus Romanis cujuſcunque ſint ordinis ſecularis & Eccleſiaſtici liberũ ad imperatorium tribunal in litigioſis cauſis acceſſum permittit, pœna in impedientes conſtituta: Re-

Hh 2 nova-

(*a*) Tit. 10. (*b*) l. 6. c. 81.

diverſa docere auſus ſit, ſi plane abſtineat publicis concionibus, aut frigidus in illis ſit & negligens, ſi à ſacris faciendis ſibi propterea caveat, quod ambitioſus & iratus Pontifex præcipitato fulmine innocentem populum percuſſerit: ſi privatis affectibus indulgens inviſum non tam Deo quam ſibi hominem à Domini cœna arceat, & Eccleſiæ communione, is jurisdictione Principis coercendus eſt: cum enim ejus judicio omnes omniao actiones ſubjiciant externæ moralis bonitatis vitiique capaces, ac quibus aliis injuria fieri poteſt, non autem illæ ſolum, quæ ab imperio proficiſcuntur, oppido liquet, nulla ratione iſtas Sacerdotum excipi, quæ ſæpius affectato ſtudio immeritos premunt: nam neque conjugiale officium, neque rei familiaris diligens cura ex imperio ſunt, propter quæ tamen aliquando tribunalia adeuntur: Poteſtas civilis omnis mali vindex eſt conſtituta, etiam illius, quod in ſacris rebus fit. Enimverò hæreticorum cauſam, qui à vera religione vel novandi ſtudio vel nimia ſapientia & amore ſui diſcedunt, ſupra prolixè egimus. Id ſaltem nunc hic reſtat dicere, ſiquidem inter Antiſtites aliquos controverſia orta fuerit, quis magis conſentanea ſacris literis doceat, ejus quoque litis judicium ſummi Principis fuiſſe, quam variis modis, ſed ſemper auſpicio ſuo diremiſſe legitur. Uſitatiſſimum omnium fuit per conſultas Synodos ſopire mutuas ſimultates & in veritatem inquirere: quod ſi à Synodis provocatum eſſet, indicto conventu cauſæ denuò agitatæ finis impoſitus. Aliquando, ſed rarius, ipſe Imperator de religione & innocentia

quam peccatorum condonationem ære & opibus venalem transformavit: ſed quemadmodum ea gratia & venia plurimum judicio Eccleſiæ relicta eſt, ita nonnunqnam ſumma poteſtas eidem imperavit, ut absque ſolemni circulo peccatorem intrò admitteret, quamvis non omnem totius examinis ſeriem abſolviſſet, & æquum eſſe Eccleſia judicavit, ſuperiorum mandatis ea in re obſequi. Ivo Carnutenſis Epiſcopus, Eccleſiaſtici juris acerrimus cōtra reges propugnator, hic tamen fatetur debitum ſuum, cum ſe apud Epiſcopos de Gervaſio recepto in hunc modum excuſat. *De Gervaſio quoq; non debet veſtra paternitas mirari vel indignari, quod eum ad communionem in Paſchali curia ſuſcepi: pro regia enim honorificentia hoc feci, fretus auctoritate legis, in qua legitur: Si quos culpatorum regia poteſtas aut in gratiam benignitatis receperit, aut menſæ ſuæ participes fecerit, eos etiam Sacerdotum & populorum conventus ſuſcipere in Eccleſiaſtica communione debebit, ut quod principalis pietas recipit, nec à Sacerdotibus Dei alienum habeatur*: ad quam hic legem Ivo provocat, eam alibi dicit *regale capitulum* Epiſcoporum auctoritate conſtitutum; quare cum tam illuſtres ſint ſummæ poteſtatis partes, in illis quoque Sacerdotum actionibus, quas ſoli Deo debent citra humanum beneficium, quid mirum eſt, quod Principes ſibi prius cauſas probari voluerint, quibus ab Eccleſiæ corpore deploratum membrum reſecandum ſit, quam ad ipſam ſectionem maturato opere perveniatur? Inter Hungariæ decreta anno 1651. condita prohibitum

tuum exilium promerita pœna fuit; adeo plus Senatus conſtantia contra proditores valuit, quam Pontificis indignatio, minæ, preces pro aſſentatoribus & clientelari familia. Nec functi tantum Ordines interdicti tempore ſuis exercitiis, ſed etiam doctiſſimi Patres publicis ſcriptis Venetorum cauſam & jura contra Pontificem fortiter tutati ſunt, ut proculdubio Paulum mitis ingenii hominem, niſi ab aliis impelleretur, ſeriò pœnituerit conſiliorum, quæ ad aliorum ſuggeſtus & præcocia ingenia amplexus poſteritati exemplum reliquit, quam innocens ſit & innoxius ille Pontificius enſis, qui impetuoſa iracundia in eos imprudenter ſtringitur, quorum cauſæ Deus & juſtitia adverſus ambitionem aut affectuum ſordes favet. Hæc de Venetorum illo diſſidio, quod cum Romana Eccleſia habuit. In Gallia familiarior paulò eſt iſte civilis poteſtatis uſus in moderandis Eccleſiaſticis cenſuris, non modo cùm Pontifex Regem & regnum ferit, ſed & ſi certæ provinciæ Epiſcopus aliquis privatis odiis in fidos Regi & Reipublicæ ſubditos detonat: tunc ad ſacra facienda, revocandas comminationes, impertiendam quærentibus abſolutionem, admittendosque ad ſacram communionem inique excluſos mandatis, mulctis & pignorum prædiorumve capione pertinax pietas compellitur: nec id quidem injuria, aut ſine exemplo: nam & (*a*) Romani Imperatores noluerunt quempiam illo ſidere afflari, niſi juſta ſit cauſa & ſanctis canonibus congrua, cognitione etiam ſibi reſervata, quam ex more antiquo Gallia per appella-

(*a*) l. 30. C. de Epiſc. & Cler. Nov. 123.

appellationes ab abuſu ad ſummam Parlamenti juriſdictionem defert, quæ vices regias ſuſtinet; Hiſpania idem remedium uſurpat per intercedẽdi opponendique modum. Noſtris Imperatoribus præter communia cum aliis Rebuspublicis jura ſpecialis Eccleſiæ Romanæ advocatia ſingulare etiam præſidium adverſus injurias ſuppeditat. Quemadmodum verò ſummæ poteſtatis eſt temperare clavium uſum, & licentiæ affectibusque pravis obſiſtere: ita in arma Eccleſiaſtica pro merito & ut oportet diſtricta duplici iterum virtute aliquid poteſt; Primo enim confirmat & approbat Eccleſiaſticas minas, ex quo imperiale illud anathema, quod plurimæ Juſtiniani leges expediunt: Deinde abſolvit & liberat à pœnis canonum & poſitivi juris: cujus enim eſt eas conſtituere, illius & ab iisdem eximere. Unde Johannes Epiſcopus Romanus inſolita & vix credenda ſucceſſoribus ſuis modeſtia apud Juſtinianum Imperatorẽ pro illis intercedit, qui imperiali fulmine ambuſti ejurato ſcelere exhibita pœnitentia in Eccleſiæ gremium recipi cupiunt. *Obſecro clementiã veſtram*, inquit, *ut qui proprio depoſito errore & prava intẽtione repulſa ad unitatem Eccleſiæ reverti voluerint, in veſtrã communionem receptis indignationis veſtræ removeatis aculeos, & nobis intercedentibus benigni animi gratiam condonetis.* Scilicet notum eſt, quanto circuitu coërcitionis vetus Eccleſia in eos uſa ſit, qui ob vitæ, morum & doctrinæ vitia ſacra communione ejecti promiſſa emendatione in priſtinam gratiam admitti petiere: non enim ad prima ſtatim pœnitentiæ indicia pleno velo

remi-

priorum Judicum cognovit, quod Conſtantinus in Donatiſtarum cauſa poſt duplex Epiſcoporum judicium fecit : Rariſſimum, non verò ſine exemplo eſt, Synodo certis argumentis in ſuſpicionem vocata, ut is ipſe, qui ſummum imperium habet, ad ſe cauſam evocaverit, ex conſilio Orthodoxorum quod æquum & juſtum eſt, pronunciaturus : ita Antiochena quidem Synodus vetat injuria aliqua affectum ὀχλῆσαι τὰς βασιλέως ἀκοὰς, quamdiu res poteſt per majorem Synodum expediri : ſed Imperatori tamen, ſi forte adeatur, cognoſcendi poteſtatem non aufert aut negat : Et verò, quo quis evidentiori ratione ſuperiorem in religionis negotio ſummæ poteſtatis auctoritatem laudaverit, quam ſi omnes appellationum gradus in eam deſinant, ut ultimam metam, quam piaculum eſt tranſilire ? Quod intermiſſa ad immodeſtam & præcocem Pontificis cenſuram officia pietatis & neglecta ſacra attinet, quæ imperium ſummi Magiſtratus reſtitui curavit contempta fulminatione, inſontibus nihil timenda, ejus illuſtre exemplum hoc ſeculum pene ſub initium ſuum nobis exhibet. Illuſtriſſimis Venetiis eo tempore brutaliter iraſcebatur Paulus Pontifex, quod in Republica ordinanda prudentiores eſſent, quam id vel Patri placeret, vel profanæ rationes Romanæ Sedis ferre poſſent : quantum enim peccatum eſſe putas, quod inofficioſas donationes ſuperſtitioſo hominum impetu in ſacrum ordinem collatas publico decreto correxerint : quod inſanum & inutile Diis hominibusque ſtudium excitandi ſacras ædes, quæ jam tum ſuo numero & mole

Chriſtia-

Chriſtianum orbem moleſte urgent, ad Magiſtratus ſcientiam & auctoritatem revocaverint; quod impuberis puellæ ſtupratorem Monachum &, ne ſcelus emanaret, abominandum percuſſorem, ſumma ſodalium indulgétia ad triremes damnatum, inde raptatum ſecuerint in partes; quod aliud monaſticum pecus in ſollicitando honeſtarum matronarum pudore conſpurcandisque ex repulſæ dolore velut impudicarum ædibus aſſiduum in carceres conjecerint? Hæc crimina fuerunt & ſacrilegia, quæ majorum noſtrorum pietas æterna laurea donaſſet & cœlo. Sed Pontifex qui Eccleſiæ libertatem graviſſimorum etiam ſcelerum impunitate & maximis opibus quocunque titulo injurioſe quæſitis metiretur, cum primis imperiis nihil profeciſſet, impotens & præfervidum telum ex immaturis nubibus inauſpicato librat, quo ſi quis cauſam recte æſtimare velit, nocuit magis ſuæ famæ, quam auctoritatem erexit. Sapientiſſimus enim Senatus, quem præcipitata neceſſitate adegerat, ut hoſtis eſſet, facile perſuaſit civibus, non agi de religione, ſed Republica, quam externus hoſtis ad prædam & ſervitutem peteret: Hinc nova ad Epiſcopos & Præſules totius Venetæ ditionis mandata data, quibus ſub exilii pœna jubebantur ſolemne ſacrum apertis templis celebrare & cœtus Eccleſiaſticos agere, contempta cenſura, quam ſumma injuria in Venetos vibratam divina & humana jura viribus ſuis deſtituerent. Et paruere edicto omnes antiqui Ordines, pauci quidem ac inter eos primi Jeſuitæ alio migrarunt, quibus deinde etiam pace cum Pontifice facta perpe-

dinario jure primò conceſſum Epiſcopis judicare de iis rebus, quæ ad religionem pertinent, quod ſanctioni Valentiniani primi tribuunt: licet Ambroſius, cujus auctoritate nituntur, cauſis fidei illas Eccleſiaſtici ordinis conjungat: ita enim (*a*) inquit, *in cauſis fidei vel Eccleſiaſtici alicujus ordinis eum judicare debere, qui nec munere impar ſit, nec jure diſſimilis*: aliam Arcadii & Honorii legem ex Codice Theodoſiano (*b*) Grotius citat, quæ Epiſcopis cognitionem de religione tribuit, à Valentiniano III. confirmatam, ademptis aliis *præter religionem* cauſis: eſt & alia Valentiniani II. antiquior Honorianâ lex, quæſtiones, *quæ ad Chriſtianam pertinent ſanctitatem ſub eo Judice moveri* præcipiens, *qui Præſul eſt in ſuis partibus omnium Sacerdotum.* Sed (*c*) Marcianus Imperator in aliis etiam cauſis permiſit Clericum reum ad Epiſcopalem audientiam trahi, ſi actor voluerit: eo autem Præfecti Prætorio judicium eligente vetat Clericum ſe tueri fori exceptione. Illud præterea (*d*) Theodoſius & Valentinianus conſtituerunt, ut filiabus & ancillis jus ſit Epiſcoporum auxilium adverſus Domini & Patris lenocinia implorare. Denique Juſtinianus omnium, ut fertur, primus Clericos tam à Laicis quam Clericis non in Eccleſiaſticis modo cauſis, ſed & civilibus apud Epiſcopum voluit conveniri, licentia tamen Epiſcopo data deferendi difficiles controverſias ad civiles judices, & gravatæ parti appellationis beneficio

Ii

(*a*) Lib. 5. Epiſt. 32. (*b*) De Imp. Summ. Pot. circ. ſac. §. 11. (*c*) l. 25. pr. C de Epiſc. & Cler. & l. 12. C. de Epiſcop. Audient. (*d*) l. 12. C. de Epiſc. aud.

neficio ad ſeculare tribunal reſervato, qua lege Chalcedonenſis Synodi nonum caput, quod interdixit Clericis Sodales ſuos ad civilia judicia vocare, antequam actio apud Epiſcopum, vel quem ex Epiſcopi conſilio partes elegiſſent, diſcuſſa eſt, in neceſſitatem juris mutavit, nam Synodus quidem Canonicas correptiones & cenſuras in transgredientes exequi potuit, judicandi poteſtatem ſeculari judici, ſi eum forte partes adiverint, auferre non potuit. Juſtinianum Carolus M. in capitularibus Francorum, ſecutus eſt, cujus (*a*) ibi talis conſtitutio legitur. *Placuit ut Clerici non diſtringantur vel dijudicentur niſi à propriis Epiſcopis. Fas enim non eſt, ut divini muneris miniſtri temporalium poteſtatum ſubdantur arbitrio. Nam ſi propriorum Epiſcoporum juſſionibus inobedientes extiterint, tunc juxta canonicas ſanctiones per poteſtates exteras adducantur, id eſt per judices ſeculares. Item: ſi clerici inter ſe negotium aliquod habuerint, à ſuo Epiſcopo dijudicentur, non à ſecularibus.* Unde & certos provocationis gradus, primo ad Epiſcopum, deinde Metropolitanum; tertio ab hoc ad ſacram religionis illius Synodum, & denique provinciæ Patriarcham (*b*) Juſtinianus inſtituit, excluſo penitus ab his cauſis ſeculari judicio: Ulteriores autem appellationes, quemadmodum & à ſententia Præfecti prætorio, ne quidem ad imperatorias aures conceſſæ. Et profectò id valdè è dignitate & honore ſacri ordinis eſſe, cui ſua reverentia & auctoritas à ſubditis conſtare debet, ne ad quævis profanæ

(*a*) l. 7. c. 322. (*b*) l. 29. C. de Epiſc. audient.

profanæ juſtitiæ lectiſternia inverecundè rapientur, negari nequit, dummodo meminerint Epiſcopi, cui id beneficii & gratiæ debeant, nec Imperatoriam providentiam extremâ mox ingratitudine divino jure, à quo Paſtoribus nulla jurisdictio, permiſceant. O Reges & Principes! huic rei potius impendite vigilias veſtras & laborem, quam aleæ, venationi & theatro. Hîc interponite auctoritatem, non quando de veſtra ſanitate bibitur. Hic conſilio opus & prudentia, non ad expilandas miſeræ plebis fortunas: ex hoc certamine gloriam capite, non inter pocula aut gynæcéum: qui rempublicam amatis, imo, qui veſtram tantum, hoc agite, huc attendite: de veſtris capitibus comitia habentur. Digni ſunt ſingulari legum præſidio & honore Sacerdotes, digni privilegiis & exemptione, digni favore veſtro & opibus, quibus nudam pietatem veſtiant, quamdiu gratiæ & beneficiorum meminiſſe poſſunt: ſed ſi obliviſcuntur conditionis ſuæ, ſi gratiam in debitum convertunt, ſi contumaciter abjurant ſuarum fortunarum tutelares Deos, & ſuperbè in cœlum eo conſilio reſpiciunt, ut ex eo vobis ipſis dominentur, ac potentiam & vires, quæ veſtra ſunt, in Reipublicæ perniciem proditores impendant, tunc ſinite eos ſentire, qui ſint, ſi ſuum Reſpublica repetierit: detrahite illis aliena ſpolia, ut agnoſcant ſola cœleſtia dona, quæ in religione ſunt externa majeſtate deſtituta: Recinite ipſis Friderici I. fortiſſimi Imperatoris cantilenam, quam ipſe jam ante aliquot ſecula Pontificiis legatis cecinit. *Epiſcoporum Italiæ ego quidem non affecto hominium, ſi*

tamen & eos de noſtris regalibus nihil delectas habere: qui ſi gratanter audierint à Romano Præſule, quid tibi & Regi? conſequenter quoque eos ab Imperatore non pigeat audire, quid tibi & poſſeſſioni? Nuncios noſtros non eſſe recipiendos in palatiis Epiſcoporum aſſerit: Concedo, ſi forte aliquis Epiſcoporum habet in ſuo proprio ſolo, non de noſtro, palatium. Si autem in noſtro ſolo & allodio ſint palatia Epiſcoporum, cum profectò omne, quod ædificatur, ſolo cedat, noſtra ſunt & palatia: injuria ergo eſſet, ſi quis nuncios noſtros à regiis palatiis prohiberet. Interea omninò ex re ſacri Ordinis eſt & religionis inſtitui judicia Eccleſiaſtica, in quibus non tantum cauſæ ad religionem pertinentes & Eccleſiaſtica crimina judicentur, quis enim hic melior judex quam Eccleſia? rectè (*a*) Juſtinianus. *Si verò Eccleſiaſticum ſit delictum, egens caſtigatione Eccleſiaſtica & mulcta, Deo amabilis Epiſcopus hoc diſcernat, nihil communicantibus clariſſimis provinciæ judicibus: neque enim volumus talia negotia omnino ſcire civiles judices cum oporteat talia eccleſiaſticè examinari, & emendari animas delinquentium per Eccleſiaſticam multam ſecundum ſacras & divinas regulas, quas etiam noſtræ ſequi non dedignantur leges:* verùm etiam civiles, quas clerus inter ſe habet: nam multum inter eſt famæ ejus & exiſtimationis, ut non niſi à ſuæ diſciplinæ judice condemnentur, auſpicio tamen Principis judicante: niſi enim iſtud ſit, conſilium in peſtem abit, & mandata poteſtas in ſacrilegium contra primæ Eccle-

(*a*) Nov. 89.

Eccleſiæ mores & inſtitutum. Sed operæ pretium eſt audire illuſtrem Conringium, virum qui vulgares noſtri ſeculi dotes ultra invidiam quoque ſuperavit. (*a*) Ille hac de re ita nobiscum cenſet. *Intereſſe auctoritatis, qua merito debet competere ſacris miniſtris, ne ſint ſubjecti cuilibet judicio ſeculari, liquidum eſt: eoque omnino in qualibet civitate ita ſunt conſtituenda judicia, ſaltem de perſonis ſacris, ut authoritati illorum ſit conſultum. Et verò hoc ipſum ſpectavere primi Cæſares Chriſtiani, dum clericos exemerunt à vulgaribus judiciis. Non eſt tamen vel hæc exemptio profecta à ſingulari quadam divina conſtitutione, ſed introducta autoritate civili & quidem boni civilis obtinendi cauſa. Simpliciter verò Clerum omnem aut etiam ſummos Epiſcopos neutiquam Cæſares ſubduxerunt etiam ſuo atque adeo totius Reipublicæ judicio. Nec quisquam talem quidem Eccleſiaſticorum libertatem atque exemptionem vel ſomniavit jure divino competere, donec demum Romani Pontifices ſtruentes novam ſacram Monarchiam ceperunt hominibus perſuadere, clericos jure divino eſſe exemptos jurisdictioni civili Regum & Rerumpublicarum, ſuæ autem tantum jurisdictioni à Deo optimo Maximo commiſſos eſſe: & ſi verò paſſim terrarum novum hoc placitum credi ceperit, attamen uſu ipſo edocti multi Reges & Principes placitum hoc Romanum Reſpublicas funditus evertere ſtrenuè huic ſeſe oppoſuerunt: & verò non tantum reformati Status Imperii verum etiam ipſi*

(*a*) Ad Lamp. part. 3. c. 11. §. 40.

Reges Hiſpaniæ & Galliæ, etſi Romana ſacra amplexentur tamen juriſdictionem ſuam in clerum fruſtra ringente Romano Pontifice exercent: in ipſa Italia faciunt idem Veneti, ceu notum eſt ex præclaro illo inter Paulum V. & Rempublicam Venetam agitato certamine. Judicium ex conſenſu arbitrio abſolvitur, quod à Conſtantino primùm Epiſcopi acceperunt, cum jure, ne liceret ulterius litem movere ſententia Epiſcopali ſopitam: enim verò nihil novi hîc videtur Epiſcopis tributum, cuilibet enim in Romano orbe jura talem arbitrandi poteſtatem dant, ut prævio compromiſſo ſi in arbitrum ſit conſenſum, ſententia ejus ſtare partes teneantur, etiamſi iniqua ſit & contra jura: Denique ex delegatione juriſdictio iterum ſubſiſtit communi juri: nam & (*a*) tam inferior Judex, quam Imperator ſpeciali mandato Epiſcopis delegare poteſt: * & ubique provocatio eſt à delegato judice ad delegantem. Cæterum Eccleſiaſticæ juriſdictoini, quocunque ex hiſce tribus modis competierit, omnes inerant cognoſcendi ſpecies & ipſum jus obligandi victum judicata re, niſi provocatum eſſet, ubi licuit: Executio tamen non fiebat Epiſcopali manu, ſed auctoritate & juſſu civilis judicis: minus enim decorum exiſtimatum eſt, ut lituus & mitræ vim & arma parturirent: hinc conſtitutum fuiſſe Sozomenus ait, εἰς ἔργον τὰ κρίνομενα κατὰ τῶν ἐπισκόπων ἄγειν τοὺς ἄρχοντας, καὶ τοὺς διακονουμένους αὐτοῖς στρατιώτας: & ex eo etiam factum, quod accuratior antiquitas eorum juriſdictionem ſingulari nomine audien-tiæ

(*a*) Aut. ſi quis litigantium C. de Epiſc. aud.

tiæ appellaverit, quæ in audiendis cauſis terminetur citra exequendi poteſtatem.

§. 34. Et verò jurisdictionem quandam Eccleſiæ à Chriſtianis Principibus datam tanto minus convenit mirari, quòd Judæorum etiam præcipuis aliquid poteſtatis jura tribuunt: nec enim invitis eorum Primatibus, quibus Imperatores *ſuam de religione ſententiam* relinquunt, quisquam vel in iſtam ſectam recipi vel opem reconciliationis accipere potuit: nec Juſtinianus omne anathematis jus ipſis ademptum voluit, quando illi abuſum Græcorum Codicum interdicit, haud dubie locum ex aliis cauſis faciens, coercitioni ſufficientibus; imo quod plus adhuc eſt, Arcadius & Honorius alia conſtitutione, his, *qui illuſtrium Patriarcharum ditionibus ſubjecti ſunt, Archiſynagogis, Patriarchisq́, cæterisq́, qui in Judaica religionis ſacramento verſantur, eadem privilegia ſervari volunt, quæ venerandæ Chriſtianæ legis primis Clericis deferuntur*: unde non ſine cauſa ſagaciſſimus Grotius conjecturatus eſt, in alia eorundem Principum lege, quæ etiam in (*a*) Codice Juſtinianeo extta, negantem deſiderari particulam, ut ſcilicet *Judæi communi Romano jure viventes in his cauſis, quæ non tam ad ſuperſtitionem eorum, quam ad forum & leges ac jura pertinent, adeant ſolemni more judicia, omnesq́ Romanis legibus conferant atq́ excipiant actiones*.

§. 35. Excutienda nunc ultimo loco eſſet ſacri miniſterii ſupellex, qua illud vel divina manus vel auctoritas canonum inſtruxit, num ſcilicet

(*a*) l. 8. C. de Jud. & Cœl.

cet illic ſit aliquid, quod imperium ſapiat, nec tamen ſummæ poteſtati debeatur: ſed cum hoc argumentum meliore jure parentis partis in noſtra aquila ſit, ubi de Eccleſiaſtica poteſtate & officio Epiſcopali non erimus incurii, nolumus nobis aut inutili ſtudio geminare laborem, aut cauſæ continentiam indecora & lacera feſtinatione dirimere.

ANNOTATA.
Ad
CAPUT VI.
§. 23.

SUb prætextu.] Deteſtamur artes illas toto animo, quibus tyranni innocentes homines religionis ſpecie in foveas & ſupplicia ſolent præcipitare. Catharinæ tutricis in Gallia & Lotharingiorum, qui obnoxiam eam habebant, plus fere quam latronum aut graſſatorum crudeles inſidias bonis etiam viris timendas, quis probaverit? præſertim non tam pietati aut antiquis ſacris conſervandis, quod ſimulabatur, quam alendis factionibus & potentiæ firmandæ accommodatas. Id nimirum conſilii eis fuiſſe ad comitia diſturbanda palam à Thuano traditur. Tum ludibria illa religionis adjecta, ut terrore illorum catholicos cives à proteſtantibus, quibus omnibus libera regni comitia paribus animorum ſtudiis expetebantur, dividerent. *Mentione Comitiorum regni*, verba ſunt ipſius Hiſtorici: *lib. 23. maximè offendebantur Catharina ac Lotharingi, veriti, ne comitiorum auctoritate in uſum revocata ipſorum potentia in ordinem cogeretur, itaque eos, qui ordinum conventus urgebant, tanquam perduelles ac ſeditioſos inſimulabant, ad quos, cum viderent Proteſtantes, qui jam magno numero erant, ſe aggregare, ut eos dividerent, renovanda paſſim per Galliam contra ſectarios ſupplicia cenſuerunt, inventis artibus, ac paratis velut foveis, in quas etiam inſontes & ignari præcipitarent. Nam ubiq́, ac Lutetiæ præſertim erectæ Sanctorum ac B. Virginis Mariæ locis profanis per vicos ac compita imagines, ad quas omni cultu exornatas candelæ interdiu accende-*

cendebantur, & cantica more inſolito à turpibus perſonis, lixis, bajulis & aquariis non ſine ſacræ diſciplinæ & ſacerdotalis ordinis dedecore decantabantur, poſitis per vias arculis, in quas tranſeuntes pecuniam ad cereos ac candelas in eum uſum coëmendas erogare importunis hominum ad id deſtinatorum prenſationibus cogebantur; quod tributum ſi quis pendere recuſaret, aut eas imagines inſalutatas quamvis incogitanter pertranſiviſſet, aut non deniq; ad inſuaves illos modos venerabundus ſubſtitiſſet, in eum tanquam ſuſpectum impetus à plebe fiebat, belleq; is ſecum actum putabat, ſi tantum pugnis caſus ac pedibus in cœno conculcatus cæterum ſalva vita in carcerem truderetur.

[§. 24. Quanto opportunior clementia.] Reginaldus Polus Cardinalis moderatiſſimi ingenii vir ſæpius dicere auditus eſt, quamvis id non ex inſtitutione Eccleſiæ Romanæ. *Se ac cæteros Epiſcopos non ſolum judices adverſus prave de religione ſentientes, ſed patres judices eſſe conſtitutos. Thuan. Hiſtor. l. 17.*

[ὐ γὰρ πεφύκασιν.] *Non enim nati ſunt verecundiâ & pudore duci, ſed metu. Nec temperare ſibi à malo turpitudinis ſed pœnarum cauſa.*

[Diſcriminatim hæc habe.] Paulò aliter partitus eſt Jacobus Angliæ Rex doctiſſima illa in regni Comitiis de religionis cauſa totoque regni ſtatu oratione habita. *Cæterum eorum, qui pontificiæ religioni addicti ſunt, duo eſſe genera, eosq; aut clericos eſſe ac literatos, aut literarum rudes & ex populi fæce. Et hos quidem minus reprehenſione dignos & inter eos, qui ſobrium & quietum vitæ genus ſequuntur, quosq; ſenes dediſcere, quod juvenes didicerunt, pudet, omni prorſus culpa vacare, quippe quorum ſanatio à Deo & S. ejus Spiritu ſit expectanda. Sed & eſſe inter eosdem, qui fanatico errore agitati turbarum occaſionem captant, quorum conatibus, ne furoris contagia longius ſerpant, maturè obviam ire debeant, quos penes ſummum imperium & legitima poteſtas eſt. Clericos autem, quoniam inveterato errore ſcientes videntesq; peccant, & inſolens & odioſum Principatus deſiderium, quod pontifex in terrenas poteſtates ambitioſe affectat, tuentur, & quantum poſſunt adjuvant, nullo modo ferendos, & à Chriſtianorum cœtibus omni ratione explodendos, eos quippe eſſe, qui furentes inconſiderato religionis impetu prava ſua doctrina animos incendunt, & reges trucidandos docent, dignum*

prorſus laude atque adeò meritorium facinus ducentes, ſi quis, poſtquam Romanenſis Monarchia, vel potius monſtroſum Eccleſiæ caput aliquem regem diris devoverit, aut ſubditos ejus fidei & obſequii vinculo ſolverit, aut regnum ejus à prædatoribus diripiendum proſcripſerit, in eum vel gladium ſtringat, & contra Principes ac Magiſtratus bella, motus ac ſeditiones excitet. Tum commendata concordia, cujus ineundæ gratia utraque pars moderata conſilia ſociare debeat, à quo ſe alienum non ſit exhibiturus, imò impetu caſtiſſimo in amplexus pontificiorum ultrò ruiturus, poſtremo ſubjungit. *Quod ita ſibi dictum accipere pontificii debeant, ut non propterea ſua lenitate ac patientia intemperanter abutantur, aut ſibi licere putent conventicula impunè celebrare, & partes in regno fovere: quod ſi faciant, quam clementem ipſum hactenus experti ſunt, tam infeſtum hoſtem ſint deinceps habituri, quamquam alioqui à perſecutoris nomine maximopere abhorreat. Thuan. l. 31.*

[Ubi fides ſuadenda eſt, non imperanda.] Id Heinricus III. Rex Galliæ, poſt diu adhibitam inaniter vim in extremo vitæ articulo, cum adhuc parricidalis Monachi culter ſacro ejus ſanguine caleret, palam ad amicos confeſſus eſt. *Nec vos religionis cauſa terreat*, inquit, apud *Thuan. l. 96. Hiſtor. Hic error me diu tenuit, & inextricabiles in errores induit. Ex religionis cauſa, quæ fortaſſe ab initio fuit, in factionem itum eſt: eam regni ordinum arbitrio permittite, hocq; fixum ratumq; animo tenete, religionem, quæ à Deo mentibus inſinuatur, ab hominibus non imperari.* Hæc ille Heinricus, præcipuus auctor, ut creditur, Pariſienſis laniénæ, & tota vita infenſiſſimus proteſtantium in regno hoſtis. Qua tamen inconſulta pietate non aliud effecit, quam ut incrementa caperet ipſi adeo inviſa ſecta, ipſeque, quod expectationi pontificiorum non reſpondiſſet, in ſuſpicionem colluſionis, à qua omnium maximè abfuit, adductus defectione regni, ira Pontificis, denique, quæ ultima eſt plerunque factionum linea, parricidio per illos gradus periret, quibus ſe paulatim occidere moriique ſenſit.

[Vide autem ne in malum vertat conſilium.] Profecto enim certò vertet: id experientiâ avorum noſtrorum parentúmque ætate conſtitit, vim & arma fruſtra ſemper tentata, auctumque his artibus malum eſſe, non ſuppreſſum. Hoſpitalius in Senatu Pariſienſi inaugurali ſua oratione prudenter

denter inter alia cenſuit. *In religionis cauſa plus fore negotii, neque enim aliunde remedium quam à Dei ope & Concilii celebratione, armis, vi, rem hactenus, ſed infeliciter tentatam: & ſuperiores Reges feciſſe, quod non imperiti medici vulgò faciunt, qui cognitum morbum habent, cauſam ejus plerumq; ignorant. Nunc exemplo & experientia omnes edoctos, vim remedium intempeſtivum eſſe. Nam quas non leges ſancitas? quas non pœnas indictas, Senatoribus ipſis exitioſas? In Germania vero, Anglia & Scotia, quid armis profectum, niſi ut antiqua religio in periculum vocaretur, nova ſtabiliretur? Non ut corporis ſic animi morbos curari debere, quos ratione & verborum lenitate, potius quam aſperitate ad ſanitatem reduci uſu ſit compertum. Thuan. l. 25.* Extat eodem libro Johannis Monluccii Valentini Epiſcopi ſententia, in conventu ad fontem Bellaquenſem habito ſuper Colinii libello ſupplice lata, in qua cruciatibus plus nocitum eſſe, ait, religioni, quam emolumenti partum. *Verum non minus peccari ab iis*, inquit, *qui in illos, qui ſolo pietatis ſtudio ducuntur, proq; ea fortiter ad mortem pergunt, & jacturam ſuorum ac fortunarum contemnunt, plus æquo ſæviunt: nam irritari plerunq; ſpectantium animos, & in confeſſo eſſe, id in multorum animis excitaſſe ſtudium cognoſcendi de ea doctrina, quam in mediis flammis homines minimè mali tam conſtanter profitentur, ac poſtremo ipſos eam ſuſcepiſſe.*

[Πεφύκασι δὲ ἅπαντες.] *Nati vero omnes ſunt & privatim & publicè peccare: & non eſt lex, quæ ſatis ab hoc poſſit arcere.*

[C'eſt prendre une manvarſe chemin.] *Malam & invutam viam eligimus in materia religionis id moliti, ut animos humanos captivemus carceribusq; includamus, cum nemo ſit præter Deum, qui ad hoc clavem habet. Fac cuſtodias firmari timore aut ſpe, honore aut infamia, promiſſis aut minis, beneficiis aut ſuppliciis. Semper tamen mentes illæ à ſervitute aufugiunt, & in primam ſuam libertatem revertuntur. Cogi corpus quidem poteſt & verbum ore elici. Sed cor humanum obnititur aſſiduè vetitis, & contemnit illud, quod ipſi permiſſum eſt licitumq;.*

[Χαλεπὰς τοῖς νόμοις.] *Graves pœnas legibus conſtituit, ſed non executus eſt. Neque enim tam plectere homines, quam metu ducere allaborabit, ut ſecum in ſacris idem ſentirent. Et ſua ſponte mutantes laudabit.*

[§. 25. Docendi meliora ſunt.] Senatus Pariſienſis ad Regem. *Quibus & hoc addendum duximus, quandoquidem miſerorum, qui cottidie ob religionem plectuntur, ſuppliciis id tantum hactenus effectum eſt, ut crimen potius deteſtabile eſſet, quam errores ipſi corrigerentur, æquum videri, ut potius veteris Eccleſiæ veſtigiis inſiſtatur, quæ non ferro & flammis in religione conſtituenda ac propaganda, ſed puriore doctrina & honeſtis vita Antiſtitum exemplis rem confecit. Igitur in id tibi toto animo incumbendū cenſemus, ut quod in tua unius poteſtate poſitum eſt, quibus rationibus olim religio conſtituta eſt, iisdem nunc conſervetur ac retineatur. Antiſtites, ſicut fidos ovium paſtores decet, ovile quisque ſuum præſentes gubernent: idem faciant, qui iis ſubſunt, hoc eſt, pie vivant, & ſincerè Dei verbum doceant, aut ſaltem per miniſtros idoneos doceri curent, in poſterum vero ii præficiantur, qui poſſunt ipſi, quod ſui muneris eſt, per ſe exequi: hoc eſt docere populum: neque vicaria ad id opera indigeant. Hæc eſt radix, quam excolere, hoc fundamentum, cui ſuperſtrui oportet. Hac enim ratione minime dubitamus fore, ut venienti morbo, antequam latiùs ſerpat, in tempore occurratur, & pravarum de religione opinionum in dies pullulantium luxuries coerceatur. Contra hæc remedia, ſi ſpernantur, nullæ leges, nulla edicta, quæcunque tandem fiant, huic malo curando ſatis erunt. Thuan. Hiſtor. l. 16.*

[Τὸν γὰρ ἀγνοοῦντα] *Errantem enim non verberare neque accuſare, ſed docere oportet, in quo errat.*

[Εἰ μὲν δύνασαι.] *Si quidem poſſis, meliora doce. Sin minus, recordare, ad id tibi lenitatem eſſe datam, ipſosq́; Deos his talibus indulgentes eſſe.*

[Certe la conſcience] *Sane enim non vult regi conſcientia adacto ad gulam gladio, cum non dependeat à mandatis crudis & violentis. Sed cicur fit ipſa, inſtruitur & redditur capax ſalutis ſua manſuetudine, perſuaſionibus & argumentis plauſibilibus de vera doctrina.*

[Te primum in exemplum compone.] Hoſpitalius in Comitiis regni ſub Franciſco II. Aureliani habitis. *Hactenus feciſſe nos*, inquit, *quod belli duces imperiti ſolent, ut nudatis*

datis præſidio munitionibus cum omnibus copiis in hoſtem ducant. Contra oportere nos primum virtutibus, bonis moribus ac verbo Dei, quæ ſupplicum arma ſunt, huic certamini idonea, intus munire, tum foras prodire, & in adverſarios ducere. Quippe ejus, qui bene vivat, efficacem eſſe ad perſuadendum orationem. Thuan. Hiſtor. l. 27.

[Εἰ μελλήσεις.] *Si cupias res civitatis bene adminiſtrare, virtus tibi cum civibus eſt communicanda.*

[Πρὸς ταῦτα.] *Ad hæc occultat nihil, omnia videns,*
Et omnia audiens omnia aperit tempus.

[Ἄγει δὲ.] *Trahit vero in lucem veritatem tempus.*

[Πάντ' ἀνακαλύπτων.] *Omnia manifeſtans tempus in lucem protrahit.*

[Ἀμέραι δὲ.] *Dies vero ſuperſtites teſtes ſapientiſſimi.*

[Χρόνος γὰρ.] *Tempus enim benignus Deus.*

[Χρόνος μαλάξει.] *Tempus curet te.*

[§. 25. Δυσχεραίνοντες.] *Rempublicam patriam exoſi, culpam ſemper aliquam & crimen legibus impingentes.*

[Μανία τοῦτ' ἐστι] *Furor hoc eſt, non regnum.*

[Ἀλλ' ἡ ἐμὴ μανία.] *Sed hic meus furor ſubditos moderatos bonosq; efficit.*

[§. 30. Αἴτιον τῆς ὁμονοίας.] *Summam & maximam concordiæ cauſam, à qua veluti fonte ſe invicem ſociali & indiſſolubili amore proſequentur.*

[Τῆς αὐτῆς φύσεώς ἐστιν.] *Ejuſdem eſt naturæ religioſum eſſe & hominum amantem. Apud eundem ſpectantur pietas in Deum, & in homines juſtitia.*

[Δόγματος οὖν.] *Placiti igitur pœnam exigis? neutiquam, ſed impietatis: philoſophari fas eſt, ſed non æque impium eſſe.*

[Τὸν προσερχόμενον.] *Qui religionem habet, eum oportere credere, & eſſe Deum, & quærentibus ipſum beneficia atque mercedem rependere.*

[Τῆς περὶ τοὺς θεοὺς] *Pietatis in Deos ſcito, id potiſſimum eſſe, rectas de ipſis opiniones habere, ſcilicet quod ſint, & hujus univerſi curam gerant.*

[Οὐ γὰρ τὸ ἀθάνατον.] *Non enim oportet credere Deum tantum immortalem & felicem, ſed & amantem hominum, & de illis ſollicitum & beneficum.*

[Δόξαν καὶ ἐπίνοιαν.] *Opinionem & judicium publice omni humano generi ſimiliter græcis barbarisq; & innatum &*

in

in omni, quod rationem habet, factum ſecundum naturam. Admodum forte & perpetuum ab omni tempore. Et apud omnes populos ſimul natum permanensq́.

[§. 33. Et ubique provocatio eſt.] Quam caveant Principes adimere litigantibus, in illis præcipue judiciis, ubi de ſanguine agitur, aut alia corporali pœna, quale eſt inter alia frequentius de hæreticis cognitio, plerunque ſolita ſacro ordini mandari. Hanc enim cum Heinricus II. Rex Galliæ olim Epiſcopis cum ſumma judicandi poteſtate crediſſet, appellationis beneficio condemnatis ablato. Rex enim edicto *præfectis omnibus mandaverat, ut quos Eccleſiaſtici judices ac fidei quæſitores ut pravæ opinionis convictos damnaſſent, pro delicti magnitudine nulla interpoſita mora nec ulla provocationis habita ratione punirent*; interceſſit prudentiſſima admonitione Senatus Pariſienſis, ea lege innoxiis civibus periculum creari clamitans. *Atque perſonas ipſas* inquiunt Patres, *in quibus tibi vitæ necisque jus eſt, alienæ poteſtati hoc edicto ſubjicis, qua in re dignitatem & auctoritatem tuam lædi & infringi magnopere dolemus, quippe cùm tuos lege ſcripta deſeras, quorum famam, exiſtimationem, fortunas, ſalutem denique externis, hoc eſt eccleſiaſticis judicibus permittis, & adempto provocationis beneficio, quod unicum innocentiæ præſidium eſt, eos illegitimæ poteſtati, atque adeò ſuperbiæ & arrogantiæ hominum poteſtate regia in ſe tranſmiſſa abutentium objicis. Thuan. l. 16. Hiſtor.*

[Εἰς ἔργον.] *Executioni mandari, quæ per Epiſcopos judicata ſunt, Magiſtratus & inſervientes illis milites.*

CAPUT VII.
DE ELECTIONIBUS.
SUMMARIA.

1. Electio inter Summa Principis jura.

2. Neque ea populo aut Clero jure naturali competit.

3. Nec jure divino; niſi ex defectu ſuperioris proviſionis.

4. Aut conſuetudine moribusq́ Eccleſiæ primæ.

5. Idque permiſſu mandatoq́ imperantis.

6. Pro cujus ſummo jure multorum ſeculorum perpetuus uſus facit.

7. Neglectus quidem ſub infidelibus imperatoribus.

8. Sed diligenter retentus à Chriſtianis Imperatoribus: nec illud ſine magna & civili ratione.

9. Quam ſæpe pro re nata preſſius ſunt ſecuti, Epiſcopis immediate per ſe electis.

10. Eodem modo à Francorum Regibus Epiſcopi omnes confirmati.

11. Plures etiam aliquando oraliter nominati & electi.

12. In Germania idem ab illis factum.

13. Sed præcipuè in Italia ex Hadriani decreto: quod cum fide Sigeberti defenditur ex aliis ſcriptoribus.

14. Et rerum geſtarum monumentis.

15. Illud tamen intra ſolas Pontificis poſſeſſiones concluſum.

16. Exempla juris illic exerciti.

17. Et in aliis imperii Francici provinciis.

18. Idem jus Germanis Imperatoribus Decreto Leonis datum in Petri patrimonium.

19. Defenditurq́ illud adverſus Baronium rationibus.

20. Et exemplis.

21. Nec tunc in ipſa Germania aliter obſervatum.

22. Rejectio & depoſitio paribus exemplis probata tam patriis.

23. Quam externis aliorum regnorum uſu.

24. De inveſtitura ipſa, ejusque modo antiquo per annulum & baculum.

25. Solennitas à Panvinio deſcripta.

26. Certamina Heinrici cum Gregorio ſuper hoc jure.

27. Illa etiam ætate bonis viris abominabilia.

28. Sed

28. Sed infauſta pro imperio tranſactione cum Pontifice finita.

29. Retento ſaltem inter diſſentientes arbitrio.

30. Mox etiam plebs per ſacrum ordinem excluſa ab electionibus.

31. Et rurſus Sacer Ordo per Romanum Pontificem cum omnium bonorum dolore.

32. Tandem poſt irrita aliquot concilia in concordata nationis Germanicæ conventum.

33. Eorum tenor.

34. Et ſumma inæqualitas pactorum.

35. Nec ſic tamen à Sede Apoſtolica cum fide ſervatorum.

36. Alia pacta capitulationis quidem nominata; ſed ignota autori.

37. Refutantur adverſa argumenta à Nicæno canone & Caroli M. Capitulo.

38. A temporali Sacri Ordinis jurisdictione.

39. Ab aliorum canonum autoritate.

40. A concurſu Principum cum populo in electionibus.

41. A conceſſione & permiſſu Pontificis.

42. A negatione neceſſitatis.

43. A reſignatione Ludovici Pii.

44. Ab abuſu.

§. 1.

QUantum ſummæ poteſtati in miniſtros Eccleſiæ jam actu obeuntes functiones ſuas, liceat, expoſitum eſt: nunc reſtat ea imperii pars, quæ in conſtitutione miniſterii & aſſignandis functionibus verſatur. Eheu, quam magnum rurſus in hoc argumento Pontificiis vulnus veritas; quam contentionis & odii ambitioſa materies: nec plurimi ex noſtratibus ſine ſacrilegio, dum ad neſcio quam plebis auram inverecundam caudam jactant, & vaniſſimis ſuis plebiſcitis ſceptra regum majeſtatemque admordent ſtrumoſo Blondelli libello in furias & rabiem acti, ut *jure*

jure plebis in regimine Eccleſiaſtico, totum hoc, quicquid eſt, (quam indigna decempeda) metiantur. Horum verò perpetuus ſive error, ſive malitia, ex more antiquo eſt, quem neceſſitate defectû ob altioris præſidii ortum incauta metamorphoſei in jus ratum & immutabile torquent, & contra Principum jura velut præſcriptione pertinaci ſuperbia tuentur: enimverò oppidò injuriam in Nutritios ſuos Eccleſiam hac doctrina eſſe quis non animadvertit? quæ in ipſis negligentiam & contumelias infidelium vindicat: cùm improbaretur adhuc Chriſtiana diſciplina ſeculo, cum per publicas leges inter crimina eſſet, nôn erat alia conſtituendi Eccleſiaſtici regiminis ratio, quam ut ipſa Eccleſia à Regibus pro derelicto habita naturali libertate uteretur, & ſui corporis curam ſuſciperet: id enim juris ex conſenſu habet quævis communitas ſibi de neceſſariis ad conſequendum finem, quem affectat, mediis proſpicere: ſed quando primum purpuræ ingenua pietas intexi cepit, & ad Eccleſiæ Chriſtianæ honorem non perſecutiones reſcripta Principum ſacro encauſto rubuerunt, gratanter civili imperio reſignavit externam ſui directionem & in tam glorioſo patrocinio acquievit: nec aliter tulit civitatis ratio, ne ſubditi quocunque colore viderentur plus valere ipſo imperante. Nam quis ille civilis ordo, ubi in ſacris rebus, quibus Reipublicæ ſecuritas & quies plurimum nititur, inferiori aliquid decernere licet, quod ſuperiori non licet confirmare aut reſcindere? quid de imperio facimus, quod in quibusdam rebus moraliter non illicitis ita torpet?

an tot ſeculorum continuum uſum, quæ inter Conſtantini M. Chriſtianum regimen ſunt & Hildebrandiana parricidia, tyrannidis accuſemus & latrocinii, quod non dubitavit Baronii canina facundia facere? O audaciam hominis & impudens os; ergò tot ſancta Concilia, tot ſuffragia Patrum cum hac Eccleſię peſte conſpirarunt? ergo cum Patronos quæreret Eccleſia, in piratas incidit, & ipſa vaſtatione tam nefariè deprædata ſibi placuit? ergò cœcutiit ad miſerias ſuas aut ignobili aſſentatione prædonibus blandita eſt? Ergò Hadriano, Leoni, & aliis Pontificibus læva mens, lapideum pectus? Uno Hildebrando licuit ex veritatis ſpeculo in divina oracula inſpicere? ergò is ſolus ad tot monſtra debellanda à fatis ſuſcitatus? ille qui vir? Præſtigiator, perduellis, rixoſus, ambitioſis factionibus, nec ullis bonis moribus notus: O vanitatum ludibria & ingenii dotes empto buccinatore dignas! O religionem, quæ illis virtutibus fidem & ſectatores invenit! Sed fremat interea ſuperſtitioſa pietas: indignentur populares faſces, nunquam deerunt recta & candida ingenia, quæ corruptelis, fraudibus, minis impervia etiam ſibi honorificum ducent, pro veritate & regibus cadere: quamobrem in hoc argumento quantumque immanibus procellis majeſtas oppugnata ſemper tamen cultores invenit, qui audacia gigantum molimina ſumma fortitudine disjicerent, & inviolabilem Principum ſanctitatem ab invidia & livore tuerentur. Et me Hercule quis ferat bona fide hanc animi humani impotentiam, ut vel ſacrificuli vel humiles Cadméorum fratrum ſordes

inter

inter pulvinaria & faſtos cerdonumque purgamenta impune ſacroſanctis capitibus inſultaret? ut religionem ad ſui cerebri menſuram æſtiment & ordinationem miniſterii tranſcribant familiæ ſuæ: & tolerari adhuc poſſent faſtuoſi Dictatores, ſi ſolo impetu & numero valerent, ſi quam non habent rationem, tam non affingerent improbæ cauſæ: ita enim ſine fuco & alienis plumis mendacium ſua ſe turpitudine facilius prodet, & parricidarum peſtilenta conſilia deſtituet: ſed quod æternam naturæ legem, quod divina & humana jura, & primitivæ Eccleſiæ neceſſariam conſuetudinem ad ſuas partes violenter pertrahunt, & ſuperficiaria applicatione confirmant, id profectò indicium eſt non ferendæ amplius impudentiæ. Igitur in ipſis ſuis præſidiis quærendus eſt hoſtis, & impuris manibus extorquenda tela ſunt, quibus indigne ſuperbit. Latibula naturæ & divini juris excutienda, quid ſacræ ambitionis aut popularis auræ in illis lateat; quod ſi verò nihil illic inſidiarum deprehendimus, ſi potius perpetuum certi decreti ſilentium, io! jam vicere intempeſtivam prudentiam graviora Regum ſceptra, quàm ut ea inanes ſcholaſtici argutiis moveant: quare nulla facilior victoriæ ratio, quam ſi naturæ & Dei legem à tam iniqua ſuſpicione purgaverimus, conquiſitis argumentis, quæ fidem faciant, non ex connatis principiis, non ullo divino jure, non gentium moribus, aut Romano Pontifici aut plebi conſtituendi miniſterii facultatem dari; nam de illo cum certi ſumus, jam ipſa nos ratio ad regium auſpicium manu ducit, & humana jura, ſi forte

iis aut populo aut Paſtoribus aliquid tribuitur, ſummo imperio ſubſtituit.

§. 2. Cæterum in ipſo limine ne confuſe res miſceamus, quod multi faciunt, inter ſe diſtinctiſſimas, ſed actuum ſerie vicinas, hæc quatuor potiſſimum ſeparanda duximus, priusquàm explicatis velis altius provehamur. Primum eſt facultas ipſa prædicandi Evangelium cum Sacramentorum adminiſtratione & clavium uſu: quæ commode mandatum dicitur: nam per modum præcepti Chriſtus Apoſtolis ait, *ite in univerſum mundum & docete omnes gentes & baptizate eos.* Alterum eſt hujus facultatis applicatio ad certam perſonam: quæ recepto *ordinationis* vocabulo venit. Tertium eſt perſonæ jam ordinatæ aut mox ordinandæ applicatio ad certum locum & cœtum, quod *electionis* nomen habet: & denique quartum eſt illud, cum certa perſona in certo loco munere ſuo fungitur publico jure & auctoritate, quod Græci ἐπικύρωσιν aut βεβαίωσιν dixere. Hæc, inquam, accuratè expenſa multum inter ſe diſtant, nec omnia à nobis iudiſtinctè in litem vocantur. Primum à ſecundo tantum differt, quantum modus acquirendi à re ipſa; quantum maritale imperium à conſenſu: quantum Imperatoris majeſtas ab electione. Ut enim omne imperium immediate ex Deo eſt, per viſibilia tamen inſtrumenta certis ſubjectis applicandum: ut maritus in uxorem poteſtatem cœlitus conſequitur, ſed mediante conſenſu, quo matrimonium contrahitur. Ut electores per comitialia ſuffragia electo imperium applicant, non immediata ejus & prima cau-

ſa ſunt, ita mandatum ipſum & jus prædicandi, quod Sacramentorum exhibitio & poteſtas clavium conſequitur, origine ſua à ſolo Chriſto eſt, ſed media ordinatione certis perſonis confertur: nec enim aliter niſi ex viſibilibus ſignis conſtare nobis ordinarie poteſt, quibus paſcendarum ovium cura ab Archipœmene noſtro commiſſa: nec ordinata Eccleſiæ facies patitur, ut omnes nullo diſcrimine extra neceſſitatis cauſam ex ovibus paſtores fiant, & ſalutaria cœleſtis gratiæ ſigna diſpenſent. Secundum rurſus à tertio in hoc dignoſcitur, in quo medicus ab ampliſſima Facultate renunciatus, & idem à certa urbe conductus: aut in quo creatus utriusque juris doctor & aulici Imperatoris judicii conſiliarius. De primo nulla nobis controverſia: quis enim auſus ſit aliunde mandatum illud expectare, quàm à cœlo: nec de ſecundo difficilis ſum, vix unquam enim leges ordinationem ab aliis factam, quam paſtoribus per χειροθεσίαν ſeu impoſitionem manuum: quartum ipſi adverſarii non diffitentur, ſed agnoſcunt Reipublicæ beneficium, cùm religionem licet profiteri non tantum ſine metu, verùm etiam publico favore & præſidio; ergò, quoniam inſtitutio muneris à Deo eſt, ordinatio à Paſtoribus ἐπικύρωσις à ſumma poteſtate, una diſceptatio de electione reſtat, quæ applicatione perſonæ, (cui jam facultas obeundi miniſterii ſolemni ceremonia commiſſa eſt,) ad certum locum fit, an ſcilicet ea in jure imperii ſit, & absque aliorum præjudicio à Principibus expediri poſſit? Nec cogitandum eſt, illam electionem ſemper concurrere cum ordinatione: aliquando enim

do enim præcedit eam , quando adhuc propter conditionem imperfecta eſt electio , quam poſtulationis nomine poſteriorum temporum canones indigitarunt: pluries ſequitur: interdum plane deſtituit ordinationem , quod illis accidit, qui, ſicut & primis temporibus Apoſtoli, ad gentium converſionem mittuntur. Horum functio nulli certo loco aſſignata. Univerſus orbis in honeſtam eorum prædam datur , ut quocunque venerint, ibi captare lucrum poſſint: adhæc qui de loco in locum transferuntur, repetitis electionibus opus habent , cum una ordinatio ſufficiat omni vitæ : tum facta etiam electio non ab uno hominum genere ; ordinatio tantum ab Eccleſiæ miniſtris : hæc argumento ſunt , non ſemper conjunctam ordinationem electioni : ſed iſta fuſius perſequi, non eſt noſtri conſilii : Hoc potius nunc diſpiciendum eſt , quid naturali, quid divino jure aut Eccleſiaſtico ordini aut populo juris ſit in Epiſcoporum Paſtorumve electione ? Naturæ jus, quoniam ad diverſos ſenſus trahitur, paucis evolvi debet: nam prima eaque præcipua ſignificatione notat dictamen illud rectæ rationis , quod rem homini per ſe bonam & amplectendam monſtrat, aut malam turpemque , & proinde fugiendam. Hoc jus morali diſciplinæ adeo perpetuum eſt & immutabile, ut ne Deo quidem id, tanto minùs creaturæ poſſibile ſit mutare: ſunt enim rudera & reliquiæ divinæ imaginis ex juſtitia & ſanctitate Dei conflatæ, quæ ſemper ſibi æterna lege conſtant, & nullam patiuntur, ut nec ipſe Deus, mutationem. Sequiori ſenſu & pauló vulgari ea dicuntur

tur

tur naturalis juris, quæ vel ex natura & ratione negotii juſta ſunt, quamdiu non ſit aliter conſtitutum; vel diuturna conſuetudine invaluerunt: vel denique inſtinctum aliquem & impetum naturalem ad aliquid habent: quomodo Ariſtoteles natura ſervos eſſe dixit: in neceſſariis naturæ legis præceptis non fundari electionem confeſtim liquet; neque enim hic tam de electione, quam perſonis ad peragendam ele&ionem idoneis diſceptamus, quæ vero naturæ jure non exprimuntur, cum nullum ſit humani pectoris certum & univerſale lumen, in hoc argumento aut paſtoribus aut plebeio ordini præ Regibus eximie favens: adhæc ipſa apud plurimas gentes variatio in modo cõſtituendi regiminis Eccleſiaſtici conſenſus perpetui æqualitatem inficiatur; adde, quod inter ipſos Chriſtianos Imperatores, quos utique naturale jus nec ex connatis principiis, nec, ſi utique hæc aliquando debiliora ſunt, ex ſacris oraculis latere potuit, plurimi, imo pene omnes usque ad fatalem Heinrici V. cum Pontifice transactionem fuerint, qui ſummum ſibi arbitrium hac in re jure ſuo non dubitarunt ſumere; ſed profecto non credibile eſt eos tam immani & deteſtabili errore, quales omnes ſunt illi, quos naturalis lex arguit, peccare voluiſſe, præſertim tam facili & evidenti norma præcordiis noſtris inſculpta. Jus, quod ex conditione rei oritur, non negamus Eccleſiæ, ſed inſtabile illud, & à ſuperiore mutationis patiens: nimirum naturaliter cœtui unicuique permittitur ea ordinare, quæ ad conſervationem ſui ſunt neceſſaria, in quo numero etiam eſt functionum col-

latio. Ita, qui una navi vehuntur, eligendi gubernatoris jus habent, & peregrinaturis ſibi viæ ducem eligere licet: Eadem facultas Eccleſiæ competit, ut muneribus obeundis idonea ſubjecta deſignet: Eccleſiæ verò toti, non ſoli Eccleſiaſtico ordini aut plebi: uterque enim integrantia localis Eccleſiæ membra ſunt: quo in jure iterum nihil eſt, quod vel Paſtores populo objiciant, vel hic illis. Quemadmodum verò cum vectores unum ſibi eligunt, qui navigaturis præſit: cùm itineris ſocii quendam cum ſummo imperio præficiunt, jus etiam ſuum quod ad conſervationem cœtus habent, in illum transferunt, ut gubernatoris etiam & viæ ducis conſtitutio cum aliis peregrinationi commodis ex ſolo ejus arbitrio pendeat: quemadmodum Dominus, qui cum ſervis navigat, ex proprio nutu, non concurrentibus ad actum mancipiis de neceſſariis inſtrumentis providet; ita etiam Eccleſia, quæ in Rempublicam aliquam conceſſit, cujusque ſuperior curam gerere incipit, cadit eo jure quod ex ſe habet, & potiorem imperantis directionem admittit, cujus donum eſt, quicquid ipſi in externo regimine porro conceditur: igitur non amplius durat naturale illud Eccleſiæ jus, quam id negligere & ad ſe vocare Reſpublica ſibi ipſi defuit: propediem enim quieſcit aut abſorbetur, cum ſuperiorem manum ſentit; unde nec immutabile perpetuumque, ſed velut in ſubſidium deficientis altioris præſidii ſurrogatum, quo dato illud deſinat. Reliqua, quæ vel ex connato impetu vel diuturno more naturalis juris dicuntur, pariter variationi ſubjacent,

quam

quam cum aliunde etiam, tum præcipuè ex civili imperio ſæpe accipiunt: & experientia conſtat, plurima vetere conſuetudine inolita contrario jure abrogata eſſe: quare niſi aliud longo uſui accedat ad æternitatem ſufficiens, ipſe nunquam ſibi eam ſua vi promittere poteſt.

§. 3. Quicquid divino jure Apoſtolis & eorum ſucceſſoribus datum eſt, id ordinatione conſtabat & miſſione. Licuit eis adſciſcere ſocios laboris, licuit per manus impoſitionum facultatem dare prædicandi Evangelium & adminiſtrandi Sacramenta; licuit ita inſtructos in certa loca dimittere ad Judæorum gentiumque ſalutem: ſed illa miſſione nemo fiebat Epiſcopus aut Presbyter illius civitatis, ad quam mittebatur, niſi accedente ejus conſenſu, qui imperium loci tenuit: vel hoc negligente, populi: quoniam enim oportuit ex divino mandato omnes recipere Evangelium, idcirco non valuit civile interdictum adverſus cœleſtia imperia, ſed obligabat ſubditos veritas, ut ſibi ipſis conſulerent, ſi in hac religionis parte communis ſollicitudo imperantis ſeu inique ſeu oſcitanter deficeret. Verum ſic eligebat plebs non qua plebs & ſubdita, ſed qua Eccleſia in negotio præſenti à ſuperiore derelicta, adeoque cœtus reviviſcente naturalis libertatis jure utens: quippe nihil contra eam curam poteſt adverſis mandatis Rector civitatis, quia vetat, quod Deus omnino jubet fieri: obſtantibus autem imperiis contempto minore majori parendum eſt: interea quam primum religionis curam Princeps ſuſcipit, oppido interit & abſconditur plebeium jus, ut ſentias magis ex

defectu naſci, quam poſitione: illum enim præcedere oportet, quam hæc competere incipiat: neque plus hic ſubditi faciunt, quam ut audiant ſalutares Præcones & ſibi retineant conſtitutis alimentis: nunquam id auſpicio privato facturi, ſi æquum ſe ſuperior præbeat: quemadmodum quamdiu à Judice legitimo jus ſuum conſequi poſſunt, non ſibi ipſis jus dicunt. Verum quando deficiunt tribunalia, & publica juſtitia exul eſt, tum demum ad privatam confugiunt, & electis arbitris lites dirimunt: nam juſtum & æquum inter ſe vel invito Magiſtratu colere debent; ita etiam cùm averſatur Princeps veram fidem, eam ſubditorum eſt privato jure agnoſcere, & diſtribuere functiones in Eccleſia, quia omnibus id ſtrictim Deus præcepit: ipſo autem Principe obſervante officium cum ſumma etiam lætitia neceſſariam abdicat curam, & ſibi de Reipublicæ felicitate gratulatur. Sunt alii, qui quod plebi de fugiendis falſis Doctoribus injungitur, cum jure eligendi commutant. Verùm ſi hoc argumentum aliquid valet, non univerſis modo, ſed & ſingulis electio tribuenda eſt in ſolidum: ad quemvis enim in ſpecie non ad multitudinem tantum illud fugæ vitationiſque mandatum pertinet. Præterea à jure vitandi hominem ad jus conſtituendi paſtores nulla eſt concluſio niſi irrationalis: nam & imperitum medicum conceſſum eſt cavere cuilibet ex plebe, qui publico tamen jure conſtituitur; O vaniſſimas hic Blondelli nugas! Exemplum velut diſſimile ideo rejicientis, quod medici ſuffragiis eorum, quos curant, creari non ſoleant: nam principium ita abſurdè petitur,

titur, cum jam de eo ipſo quæſtio ſit, an omnes paſtores debeat populus eligere, qui regimine non populari utitur: in populari enim civitate conſenſu plebis non magis eligitur paſtor quam medicus, nec ſinguli cives minus concurrunt ad medici receptionem, quam ad conſtitutionem Paſtoris: idem in ſuſpecto judice uſu venit: hunc non ut vitare actori conceſſum, ita & Magiſtratum conferre: nec differentiæ ratio in occulto deliteſcit: quippe aliquem admovere publico muneri non niſi ejus eſſe poteſt, in cujus arbitrio rerum ſumma eſt: quæ enim illa ambitus & comitiorum confuſio, aut quis rei exitus, ſi cuilibet ex civibus in ſolidum jus eſt, magiſtratum creare? Sed officio Magiſtratus ad cujusque bonum privatum ordinato uti id vero merito relinquitur arbitrio ejus, ne Reſpublica invito beneficium videatur obtrudere: ita expendit ſecum creditor, an debitorem ſuum coram judice compellare expediat, aut cum eo amicè tranſigere: ita fugiunt ſubditi Regum injuſta præcipientium imperia, aut ſpernunt mentitas regiorum natalium fabulas, legitimis Principibus obſequio exhibito, quamvis nullæ ſint eorum partes in defendis ſceptris. Tam nihil commune habet præceptum vitandi rem ſuſpectam cum jure conſtituendi meliorem: illo ſinguli ſibi cavent: hoc aliis quoque imperant: ſed, porro inſtant, Apoſtolorum acta docere, Matthiam à populo electum eſſe. *Duos* enim *conſtituerunt Barſabam & Matthiam* ad ſortis jactum. O ſubtiles argutiæ, quaſi de multitudine, non potius Apoſtolis, quorum nomina paulo ante erant expreſſa, &

qui

qui ex Petri ore multitudinem allocuti ſunt, illic ſermo ſit. Hi ſunt, non populus, qui conſtituerunt Matthiam & Barnabam: hi qui preces ad Deum fuderunt, hi denique qui fecerunt ſortes: quare quod ſequitur συγκατεψηφίσθη μετὰ τῶν ἕνδεκα ἀποστόλων, non ita accipiendum, quaſi poſt divinum in ſorte judicium plebe ad ſuffragia vocata communibus calculis ſit Matthias electus, quis enim hoc ſibi perſuaderi patietur? ſed quod annumeratus ſit undecim Apoſtolis: quemadmodum (*a*) alibi συνεψήφισαν τὰς τιμὰς pretiorum numeratione ſeu collectione redditur: & plane eo modo Matthias συγκατεψηφίσθη μετὰ τῶν ἕνδεκα, ut paulo ante Judas κατηριθμημένος ἦν σὺν ἡμῖν. Adhæc totus iſte actus, quo Apoſtoli ad ſupplementum ſui cœtus Matthiam adſumpſerunt, ordinationis potius videtur fuiſſe quam electionis: non enim in id Matthias accenſus eſt Apoſtolis, ut ſtatario munere Hieroſolymis perpetuo doceret ſed ut Apoſtolico & ambulatorio Judæis & Ethnicis de Chriſto, unica hominum ſalute teſtaretur: tandem verò fac à multitudine electum, fac certo loco adſcriptum, quod neutiquam probabitur, utrumque innoxium nobis eſt, quia tunc nec Romanum imperium nec Judæorum Reſpublica Chriſtianam religionem in pretio aliquo & cura habuit, ſed ſummo odio averſata eſt & ad exitium per multiplices inſidias petiit. Longe ſubtiliores ſunt in alio (*b*) actorum loco ex occaſione vocis χειροτονήσαντες, adducto veterum Græcorum more, qui in comitiis porrecta manu ſuffragabantur: & nos ita Athenis ac per

Aſiæ

(*a*) Act. 19.18. (*b*) c. 14.23.

Aſiæ Civitates olim obtinuiſſe: non inficiamur: ſed quod illa vox apud omnes auctores ſemper de populari electione uſurpata ſit, probari non poteſt: vix enim ullum vocabulum eſt, quod extra genuinum ſenſum ſignificationis ſuæ terminos uſu arbitro non altius protulerit: imò exempla in præſenti re contrarium monſtrant: nam & Appianus electiones Magiſtratuum à Cæſaribus factas non alia voce exprimit, & juniores Hiſtorici filios in ſpem & conſortium imperii à Parentibus adoptatos ſæpius χειροτονηθῆναι dixere: ſed parum eſt profanos auctores citaſſe: Lucas in eodem actorum (c) libro, Apoſtolos teſtes appellat προκεχειρομένες ὑπὸ τῦ Θεῦ: quod nec extenſione manuum nec per plebeia comitia factum. Igitur cum Apoſtoli fideles Lycaonios dicuntur orationibus ſuis & jejuniis Deo commendaſſe, χειροτονήσαντες αὐτοῖς πρεσβυτέρους, poſtquam presbyteros creaſſent, Apoſtoli ipſi, non Lycaonia plebs: illud vero χειροτονήσαντες ſine dubio ad χειροθεσίαν ſe refert, cujus ſpecies eſt, nam extenderr eum manum oportet, qui alteri imponere cupit: ut propterea ordinationem magis notet, quàm electionem, quamvis nolim temere negare, populi conſenſum quoque ad hanc neceſſarium fuiſſe: ſed hoc iterum exinde eſt, quod Eccleſia caruerit ſeculari brachio & Magiſtratu, quam non arbitror illo tempore Apoſtolos ita δεσποτικῶς tractaſſe, ut præter ordinationem illi pro imperio presbyteros dederint inconſulta plebe: nam certum eſt populum etiam Apoſtolorum ætate ad δοκιμασίαν & probationem Paſtorum, tum allegan-

(c) C. 10. 41.

allegandas rejectionis cauſas admiſſum eſſe: quare probabilius quis dixerit, presbyterorum & plebis conſpiratione electionem confectam eſſe: Paulus de Epiſcopis locutus & ad Diaconos transiens ait, καὶ ὗτοι δὲ δοκιμαζέσωσαν πρῶτον, de Epiſcopis procul omni dubio idem ſentiens, nam in Diaconis idem vult obſervari quod in Epiſcopis, quos præterea ἀνεπιλήπτους καὶ ἀνεγκλήτους eſſe debere ſtatuit. Sed eſto, Apoſtolos obtruſiſſe etiam populo presbyteros, non requiſitis ſuffragiis, id digito Dei factum & expreſſo mandato: Satis enim conſtat, etiam longo tempore, poſtquam Chriſtus in cœlum ſublatus eſt, promiſſum Paracletum certiſſima θεοπνεύσει per Apoſtolos aptiſſimum quemque ad Eccleſiæ munera elegiſſe. Ita Timotheus miniſterio admotus κατὰ τὰς προαγούσας προφητείας: ut Theodoretus inquit: & de illo ævo in univerſum Oecumenius πνεύματος προςάξει οἱ ἐπίσκοποι, καὶ οὐ χύδην, quare & Paulus Presbyteros Epheſinos vocat *gregis Domini inſpectores à Spiritu S. poſitos.* Quid mirum igitur Deo hoc juris in homines eſſe? Quamprimum autem deſiit illa cœleſtis inſpiratio, ad totam Eccleſiam res rediit, Eccleſiaſtico & plebejo ordine invicem concurrente: cujus utriusque mox jura Principes ut defenſores & Nutritii Eccleſiæ ad ſe vocarunt, quamprimum Chriſtianam fidem amplexi ſunt. Documentum electionis antiquiſſimi moris ab Eccleſia factæ, cum adhuc præſidio ſeculari caruit, Lampridius in vita Alexandri Severi nobis reliquit. Verba ejus hæc ſunt. *Ubi enim aliquos voluit vel Rectores Provinciis dare, vel Præpoſitos*

poſitos facere, nomina eorum præponebat hortans populum, ut ſi quid haberet criminis, probaret manifeſtis rebus, dicebatq́ grave eſſe, non fieri in Provinciarum rectoribus, quod id Chriſtiani & Judæi facerent in prædicandis Sacerdotibus, qui ordinandi ſunt. Non probo Grotii animadverſionem ad hunc locum, quaſi aliud ſit admitti ad probanda crimina & impedimenta, aliud eligere: utrumque enim à plebe fiebat, illud à ſingulis, hoc multitudine: antequam enim hæc electionem perficeret, illi auditi ſunt, quid in Candidato miniſterii deſiderent: quamobrem recte Lampridii teſtimonio plebis etiam in electione partes fuerunt: nec in verbis ſequentibus diffitetur Grotius, pro comperto ponens, in vetere Eccleſia poſt Apoſtolorum ætatem jure potuiſſe plebem paſtores ſuos deligere: interea non inficior, abſtinuiſſe populum aliquando electione, & eam à ſolo clero perfici paſſum eſſe: ſed hoc ipſum argumento eſt, id juris competiiſſe ante ceſſionem aut delegationem populo.

§. 4. Vidimus paſtorum plebiſque jura in electionibus: nunc quid ea in re uſu & more antiquo hinc inde obſervatum ſit usque ad Chriſtiana Cæſarum & Principum imperia, addere placet. Nam variatum eſſe pro loci & temporis ratione, non obſcura indicia ſunt. Ambroſius, ſi utique is eſt Commentariorum in Epiſtolam ad Epheſios author, obtinuiſſe primum ſucceſſionem (*a*) tradit, ut uno ex Presbyteris deficiente huic ordine proximus in locum ſuccederet: ſed eam conſuetudinem deinde abrogatam

eſſe,

(*a*) c. 4.

eſſe, quod ſæpius fortuna peccaverit in illa ſerie ; *quia ceperunt ſequentes presbyteri indignè inveniri ad primatus tenendos*, inquit, *immutata eſt ratio ; & proſpiciente concilio, ut non ordo, ſed meritum crearet Epiſcopum multorum Sacerdotum judicio conſtitutum.* S. Clemens electionis aliquam formulam ipſos Apoſtolos deſcripſiſſe refert, ut ambitum & contentiones excluderent. *Apoſtoli noſtri*, inquit, *per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum cognoverunt, contentionem de nomine Epiſcopatus oborituram : atque ob hanc cauſam perfecta præſcientia præditi conſtituerunt prædictos, ac deſcriptas deinceps miniſtrorum officiorumq; vices reliquerunt, ut in defunctorum locum alii viri probati ſuccederent, & illorum munera exequi poſſent:* additque conſtitutos ita *cum conſenſu univerſæ Eccleſiæ.* Alibi, ut Alexandriæ, Epiſcopi electio tantum in poteſtate & arbitrio presbyterorum fuit, qui ex ſe unum ad hanc dignitatem deſignabant. Haud rejiculus eſt eam in rem teſtis Hieronymus, qui ad (*a*) Evagrium ita ſcribit. *Alexandriæ à Marco Evangeliſta usque ad Heraclam & Dionyſium Epiſcopos presbyteri ſemper unum ex ſe electum in excelſiore gradu collocatum Epiſcopum nominabant.* Plurimos deinde in Africa Epiſcopos jus habuiſſe eligendi presbyteros, illud Aureliani Epiſcopi in Africano concilio indicat. *Epiſcopus unus eſſe poteſt, per quem dignatione divina presbyteri multi conſtitui poſſunt*, unde Hieronymus : *audiant Epiſcopi, qui habent conſtituendi presbyteros per urbes ſingu-*

(*a*) Epiſt. 85.

ſingulas poteſtatem. (*a*) Carthaginenſe III. duplicem ad Clericatum oſtendit viam, populi teſtimonium aut Epiſcopale examen. Vetat enim aliquem *Clericum ordinari, niſi probatum vel Epiſcoporum vel populi teſtimonio*, quo & Hieronymus ad Ruſticum reſpicit, *Cum ad perfectam ætatem veneris, & te vel populus vel Pontifex Civitatis in clerum elegerit.* Imò Laodicenſis Synodus penitus improbat populares electiones: nam interdicit populo *τὰς ἐκλογὰς ποιεῖσθαι τῶν μελλόντων καθίστασθαι εἰς ἱερατεῖον.* ubi Balſamo notat, antiquiſſimum popularis electionis morem hoc canone ſublatum propter incommoda, quæ ex eo naſcerentur. Cæterum pluribus Eccleſiis, & tantum non ſi paucas illas in Africa exceperis, omnibus electio placuit, ad quam clerus & plebs mutuis votis concurrerent: aſſidua hæc & quaque latè per Chriſtianum orbem diffuſa conſuetudo adeò impoſuit Cypriano, ut divinæ & Apoſtolicæ traditioni adſcriberet: perperam id quidem, ſed exinde tamen jugis eorum temporum obſervantia eluceſcit. Divitem teſtimoniorum penum ex antiquis Patribus, decretis Conciliorum & Pontificum Romanorum Epiſtolis, nec non compluribus in Eccleſia geſtis rebus (*b*) Marcus Antonius de Dominis collegit, quæ ſingula & ſi quæ alia ſunt, præſtat illic videre, quam huc tranſcribere: imprimis vero luculentum eſt exemplum electi à populo & Clero Epiſcopi in vico Ægypti Palæbiſca, quod Syneſius Cyrenes Epiſcopus in Epiſtola ad Theophilum Alexandrinum refert: tam

(*a*) c. 22. (*b*) l. 3. c. 3.

articulatim enim & clarè hæc omnia exponit, ut vix poſſit pro majorum more expreſſius veſtigium reperiri. Præterea recte obſervavit Petavius, & nonnullis Conciliorum Canonibus decretiſque Pontificum probat, comitialium electionum legem cum ubique fere, tum præcipue in Occidente diutiſſime viguiſſe; nam id indubitatis adeò conſtat teſtimoniis, ut Baronium oporteat omnem pudorem exuiſſe, qui illam conſuetudinem nec diuturnam fuiſſe nec in univerſali Eccleſia receptam aſſerit, quaſi ſcilicet divino jure Clericis in toto Eccleſiæ regimine ſummum ſit imperium: reclamat ei tota antiqua hiſtoria, quæ continuum hujus juris exercitium per trecentos annos usque ad Chriſtianos Imperatores ab univerſa Eccleſia ſuo jure uſurpatum diſerte memorat: imò etiam longe poſt agnitam publicè fidem, quamvis auſpicio & ex conceſſione ſummi Principis.

§. 5. Ex his ſatis quemcunque intelligere arbitror, eligendi modum nec naturali jure, quod immutabile eſt, nec divino præſcriptum eſſe, ſed populo & clericis originariè competere, non aliter quam cœtui cuivis, qui ad ſui conſervationem idoneis mediis uti poteſt, in quæ tamen ſummæ poteſtati ſuperius adhuc jus, ſicut in ipſum cœtum relinqui debet: id enim in civitate perpetuum eſt & neceſſarium, ut actus illi, etiam qui naturaliter aliis competunt, dummodo cauſas non habeant, majore lege eaque æterna definitas, ſubſint ſummo imperio, & ab eo recte exerceantur: ita cum naturali libertate parentib⁹ liceat liberis ſuis tutores dare, quos velint: cùm

ægrotis liberum ſit medicum ſibi eligere: aut mercatoribus cum quavis gente commercia habere: ſæpiſſimè tamen civilia jura non mediocriter hîc novant: nam videas aliquando tutelam ſola lege aut Magiſtratus arbitrio deferri: alibi certi ſunt & numero definiti Medici, quos oportet conſulere: nec raro Mercatoribus Reſpublica ex civilibus cauſis cum aliqua gente omnem negotiationem interdicit, aut certarum mercium publicam diſtributionem ſibi ſoli vendicat: in Gallia monopolia ſalis ad Regem pertinent: Moſcovia non patitur incolas quæſtum facere extra limites ſuos, niſi quos ſpeciale Principis privilegium cum externis committit: in aliis Civitatibus res veneunt definitis lege pretiis: nec in ſingulos magis quam ſocietates tantum ſibi majeſtas permittit. Etenim & parentum jura in liberos, & Dominorum in ſervos ad judicium ſuum vocat, ac meliore ſui parte infringit: immò omnem populi poteſtatem & vim, quam liber adhuc in regimine civili habuit, ad ſe unum transfert, ut tanto minus mirari fas ſit, ſi clero & plebi inter alia poteſtas etiam pereat conſtituendi Eccleſiaſticum regimen: quicquid enim olim populus in publicis rebus potuit, id conſtituto Principe amittitur, & illi cedit, in quem Reipublicæ ſummum arbitrium Dii contulere: cæteris præter obſequium nihil amplius ex antiquo jure reſidui eſt, niſi quod reciproco beneficio ex liberali manu imperantis habent, qui, cum omnibus negotiis unus non ſufficit, curæ & laboris partem cum aliqua poteſtate, ſed ſe inferiore, in amicos & Magiſtratus dividit, ut ſua vice & au-

ctoritate Rempublicam adminiſtrent : idcirco parum videntur cauſæ ſuæ conſulere, qui exempla electionum afferunt , quas Eccleſia peregit ſub Chriſtianis Imperatoribus : nam mandato non proprio jure tunc uſa eſt, & actus alieno nomine celebratus confirmavit potius imperatoriam majeſtatem quam infregit. Sic quando Juſtinianus Clero καὶ τοῖς πρώτοις τῆς πόλεως concedit Epiſcopum eligere , ſubſtituit eos in locum ſuum vicaria poteſtate , non ſeipſum abdicat ſummo jure; inferius & humilius delegatis confert, eminentius fortiusque retinet : idem eſt ſi ſoli Eccleſiaſtico ordini ſuffragia & electionis libertatem concredit : ſane enim perquam iniquum foret, hanc Principis modeſtiam, tam moderate & ſuaviter temperantis invidioſam poteſtatem; ut nolit invito populo obtrudi Epiſcopum, ad ejus injuriam & contemptum verti; ſed nihil eſt tam ſacrum & inviolabile, quod non temerare audeat pertinax ambitio. Beneficia diuturna privilegia fiunt: privilegia debitum: & niſi majorum error perpetuos magiſtratus feciſſet, nunquam Principatus nunc eſſent & hæreditas. Hinc commodam illorum Cæſarum prudentiam laudaverim, qui ne popularia comitia aut canonum ſanctiones in conſtituendis Epiſcopis nimias vires capiant, interdum ipſi tempeſtiva uſurpatione interrupere ſuperbientem uſucapionem vel proprio oraculo Præſulibus proclamatis : vel reſciſſa aliorum electione : frequentius confirmatione opus fuit, priusquam ei, quem populus nominavit , ſecurum eſſe licuit de mitra ſua. O infelicem tranſactionem , ô prodigioſam & jure

jure revocandam, qua perdidimus illud patriæ noſtræ decus & munimentum! O fortunatam Galliam, quæ hanc ſibi gemmam quovis lapide pretioſiorem ſtudioſe conſervavit! Certe enim non aliud eſt efficacius vinculum retinendi in fide & obſequio eccleſiaſtici ordinis, quam ſi ex Principis nutu fata illius pendeant & dignitates: nec præſentior peſtis tanti Palladii ſacrilegio. Ut fornices mutuo laterum nexu ſuſpenduntur, ita compages Reipublicæ & concors facies majeſtatis juribus, perpetua ſerie inter ſe devinctis. Deme ex hoc ordine angularem lapidem, corruet, ita me Dii amant, tota moles, aut ſi multum fortuna favet, maligne cohærebit, nec ſine periculo; nam ad leviſſimæ auræ impetum fluctuabit defectuoſa teſtudo, laxatiſque lapidum retinaculis libratum male pondus ſenſim in hiatum ſubſidebit & tandem ruinam. Quamobrem ut nolim Eccleſias privari libertatibus ſuis, ut cupiam integra eſſe privilegia, quæ ab antiquo habent; ita ſubinde admonendas cenſeam alieni muneris, & libertatis dulcedinem velut ſale condiendam, ne noxiis & ſuperfluis humoribus luxuriet. Non invideam populi deſideriis, non juribus Eccleſiæ; ſuis utantur Epiſcopis, & conditione, quam ſibi ipſis fecerunt: ſed venia impetrata, ut ſalva ſit imperantis auctoritas: quod ſi verò illud infra dignitatem ſuam judicant, & nimiæ manſuetudinis occaſione altiora moliuntur, tunc adſerendi imperii cauſa dignam contumaciam dixerim Præſule ſi non inviſo, at ſaltem aliunde quæſito, qui invitis præſit. Abſit ab hac ſeveritate & opportuna correctione tyrannidis nomen: quæ e-

nim injuria eſt, ſi neminem Reſpublica patitur depoſito abuti? ſi non impune ferre novas & immodicas ſpes? ſi debitum à ſubditis cultum exigit: & humiliter à ſe recognoſci jubet ſua majorumque dona? Cives ex imperantis munificentia poteſtatem eligendi habent; Princeps ſibi confirmationem cum aliquo judicio excepit: hoc modo omnia dat, nihil viciſſim accipit, quod ei poſſit jure exprobrari; ac proinde non tollit jus alienum, ſed quod ſuum eſt repetit ab ingratis.

§. 6. Difficile eſt & audaciæ plenum, tot annorum centurias, quæ inter Conſtantinum M. ſunt & Calixtum Pontificem, cum quo Heinricus Imperator de Epiſcoporum conſtitutione tranſegit, erroris accuſare aut injuſtitiæ, quibus perpetuo ordine Romani Principes aliiſque in Occidente Reges aut confirmarunt Epiſcopos, aut reſciderunt electionem à Clero populoque minus legitimè factam: aut denique ipſos Epiſcopos ex cauſis ſibi probatis ejecerunt ſedibus ſuis inſtituto judicio & ſententiâ pronunciatâ. Exempla in numerato habemus: nec conſultum eſt ea omnia referre: pauca præſertim Græcorum Cæſarum ſufficiant, quorum res geſtæ tam prope nos non tangunt; compendium illud prolixiore paulo Francorum Regum & Imperatorum Occidentis ſerie ſumus correcturi; ſed vitandæ confuſionis cauſa placet per certos gradus incedere; confirmationis; electionis; reprobationis; exauctorationis.

§. 7. Trecentis primis annis, antequam Conſtantinus M. Chriſtiana ſacra amplexus eſſet, nullos Epiſcopos ab Imperatoribus aut electos

aut confirmatos eſſe miror ab aliis velut præjudicium agnoſci, cum fremuerint adhuc gentes adverſus propriam ſalutem, dedignatæ ſcilicet Ecclſiam publico favore: nec fidelium cœtus infenſam ſibi ſuſpectamque advocatiam ſollicitarunt; cùm quod nihil defenſionis ab hoſtibus ſperaverint: tum quod cenſuerint indecorum ſibi eſſe nec periculo vacuum profana judicia experiri, & κρίνεσθαι ἐπὶ τῶν ἀδίκων καὶ οὐχὶ ἐπὶ τῶν ἁγίων: quod Apoſtolus Corinthiis exprobrat. Cæterum ſi ſe ipſos Reges huic negotio violenter implicent, & nolint Epiſcopum Eccleſiis præeſſe, niſi electum à ſe & confirmatum, relicta tamen Paſtoribus ordinatione, & populo examine atque δοκιμασίᾳ, vix author Chriſtianis eſſem, ut non perferant ingratam quamvis curam, & idoneum accipiant præſulem ab impura manu. Quod ſi enim nulla religio quondam Eccleſiæ fuit, apud paganum etiam tribunal ſuper Epiſcopatu litigaſſe, ut acta abjudicati Paulo Samoſateno Antiochiæ Epiſcopatus per Aurelianum Imperatorem docent: quid electioni multum adverſari lubet, & non neceſſaria pervicacia irritatiores crabrones facere? inconſulta profecto temeritas & non omnino executabilis, cum ſupercilio Reipublicæ, in cujus gremio & poteſtate ſumus, gratiam aſpernari, ſi non commodam & utilem Eccleſiæ, ſaltem ſine noxa: imo medius Fidius, ſi probe rem expendimus, non parum profuturam: ita enim non poteſt non ſub aliqua publicæ protectionis aurâ religio cõvaleſcere, quam non tam proſequitur imperans quam ordinat: ut nõ videam intempeſtivi faſtidii ullam cauſam; ſi abſque inſidiis ſit

electio; nec pro opilione lupum ovili præficiat, aut divino jure conſtituta invertat; poterit enim aliquando non parum ejus referre, ne ſe inconſulto populus de Eccleſiaſtico regimine aliquid ſtatuat; nec tantum eo fine, ut ſubditi non obliviſcantur Principis ſui religionis occaſione: ſed & ne ſuſpectus Reipublicæ aut ſeditioſus Præſul in publicis concionibus regnet: quantum enim iſti homines ſub pietatis larva poſſint ad incendendas plebis animos, ſupervacaneum eſt dicere. Nec auſim ego præcipiti ſtudio Orientis Eccleſias damnare, quæ ſibi patiuntur à Turcarum magno Principe Epiſcopos & Patriarchas dari; ita enim ſatius eſt ſub gentili etiam præſidio illic conſervari Chriſtianam fidem, divino judicio miſera ſervitute preſſam, quam ambitione & libidine imperandi evertere. Certe Esdras haud veritus eſt munus reſtituendi divini cultus ab infideli Rege ſibi injungi: & verò ô quantis gratiis lætiti aque primi Chriſtiani ab Eccleſiæ Tyrannis pro decies repetitis perſecutionibus Epiſcopos accepiſſent idoneos muneri, & hoc ipſo ab injuria tutos! adhæc illa Chriſtianorum patientia neque omnino inaudita eſt. *Pontificatus quilibet*, inquit Barlaamus, Gyracenſis Epiſcopus, *quomodo Bulgarienſis dependet à Principe illius gentis: & Triballenſis ſimiliter à ſuo Principe. Antiocheno verò Patriarcha Armenicorum Rex dominatur. Hieroſolymitano autem & Alexandrino Ægytiorum impiiſſimus Princeps. Nullus enim horum Pontificatum recipit non probante & decernente & conſentiente ſuo ſeculari Principe. Magis autem & plurimum &*

omni-

omnibus, ad quos ſpectat electio voluntate renuentibus & cum Principe diſcordantibus neceſſarium eſt finaliter eum, quem vult Princeps, Pontificem effici.

§. 8. Sed ad Chriſtianos Imperatores veniamus, quibus melior Eccleſiæ ætas nunquam ſuper hac juris parte diem dixit, niſi inter turbas & factiones. Statim obtinuit à Conſtantini M. tempore, ut nemo Pontificum Romanorum, cujus eligendi poteſtas apud plebem fuit & ſacrum ordinem, prius ordinaretur, quam transmiſſo Conſtantinopolim electionis decreto auctoritas imperatoria accederet: idque *ſecundum antiquam conſuetudinem* fieri, ipſa Romanorum Pontificum geſta oſtendunt: præterea emebatur illa confirmatio condicta penſione, quam pro ordinatione novi Præſulis à Roma auguſtæ poteſtati dependi ſolitam Conſtantinum IV. Agathoni demum Pontifici remiſiſſe (*a*) Sigebertus Gemblacenſis auctor eſt, *ſic tamen, ut ſi contingeret poſt ejus tranſitum electionem fieri, non debeat ordinari, qui electus fuerit, niſi prius decretum generale introducatur in regiam urbem ſecundum antiquam conſuetudinem, ut cum eorum ſcientia & juſſione debeat ordinatio provenire.* Sic remiſſis ſportulis, ne videretur aula quæſtum facere velle in Eccleſiæ rebus, quod præcipuum erat & cauſæ ſumma, confirmationis petendæ neceſſaria ratio inviolata manſit. Hac obligatum ſe (*b*) Pelagius II. ſenſit, cum per Gregorium Diaconum ad Tiberium miſſum conſecrationem, obſeſſa urbe

 factam

(*a*) Ad Ann. 680. (*b*) Aimon. l. 3. c. 38.

factam Principi temporis iniquitate excuſaret: & adeò nihil Romani populi electio valuit neglecto Cæſaris conſenſu, ut (*a*) Gregorius M. Pontifex proclamatus, (qui rariſſima modeſtia oblatam ſuffragiis dignitaté efflictim fugiebat,) & Præfectus urbi adverſis epiſtolis non alibi, quam apud Imperatorem Mauritium ille confirmationem deprecaretur, hic ſuppliciter urgeret, haud neſcia utraque parte, ſive probaverit Imperator electionem, ſeu impoſitum onus, ut Gregorio viſum, in alium juberet transferri, parendum eſſe: nec ad ſolos Romanæ urbis Præſules vim imperii ſui Cæſares exeruerunt, ſed in aliorum quoque Epiſcoporum conſtitutionibus interpoſerunt auctoritatem, ne invitis ipſis aut inſciis Epiſcopus fieret: quod præterquam adverſus præſcriptionem fere unum remedium eſt, non caruit etiam aliis civilibus rationibus: nam ut jam ſupra monui, vix cuiquam melior excitandi tumultus occaſio, quam Eccleſiaſtico ordini, ſummæ auctoritatis, ut æquum eſt, & efficaciſſimæ ad ducendam per quotidianas conciones plebem: velut Dei vocem excipiunt humiles & plebejæ animæ, quicquid ille pro roſtris dixerit, & æquali promptitudine ſequuntur ducem ad obſequium & jurgia ac factiones. Multum igitur intereſt ejus, qui ſummum imperium habet, videre, in quos tam ſuperſtitioſa majeſtas conferatur: Effterveſcent omnia coitionibus, querelis, jurgiis & minacibus oculis ex præconis rixoſi tuba: quæ pacifica & mitis lingua ad diuturnum ac tranquillum obſequium ſopiet: ſive

(*a*) Cluv. Epit. Hiſtor. in Imp. Maur.

ſive enim ad arma conclament, ſeu pacem ſuadeant ſacri oratores, religio in humanis mentibus fidem invenit: nec in homines peccare dubitat, ſi Deo rem gratam fieri confidit: adde quod non inveniat rudis plebecula, cui potiſſimum credat, niſi qui aſſidua cœli conſuetudine velut Numini à ſecretis eſt, aut Senatui minorum gentium adſcriptus. Fac iſtum literam ex ſacro codice peſſime etiam citare, audietur me Hercules pietatis nomine perditiſſimus impoſtor præ omnibus rationibus; nec tardius ad recta & honeſta comitem æmulantur. Ab his igitur ventis cum illud Civitatis mare moveatur & quieſcat, quis iraſcetur Principi, ſi utres obſervet, & non permittat illos temere laxari ſine examine. Sane enim plurimum refert ex quo culeo populare pelagus perflare incipiant.

§. 9. Huic conſilio nonnunquam ſtrictius inſtiterunt Principes, inverſo paulum uſitatæ electionis ordine, & Epiſcopis immediate per ſe ipſos conſtitutis, ſi id vel ſtatus ratio, vel imperantis ſecuritas aliævè civiles cauſæ viderentur flagitare. Nam poterat periculum ſubeſſe, ut multitudo electura ſit minus ſtudioſum Reipublicæ; poterit in æquilibrio diſcordibus votis ſuſpendi; breviter, poterit alio modo illud è re imperantis eſſe: tantum enim illi licere debet, ut pro ſuo & Reipublicæ commodo aliquando à conſuetis regulis abeat, nec patiatur imperii uſum diuturna ſegnitie hebeſcere: Sicut enim prodigia, quæ Deus præter naturæ perpetuos & quotidianos nexus producit, in admirationem homines rapiunt & ad majeſtatis divinæ pleniorem

rem lucem: ita cives ſubinde interrupto regiminis ſoliti ordine per vices ſollicitati minus obliviſcuntur conditionis ſuæ & reverentiæ ſuperioribus debitæ. Novimus Liberium Papam ex Conſtantii manu Epiſcopatum Romanum accepiſſe. Vacante Conſtantinopoleos Epiſcopali ſede Theodoſius à Patribus, qui illic contra Macedonium congregati erant, nomina eorum conſcribi curavit, quos dignos cenſerent honore: ipſe ſibi reſervavit τῦ ἑνὸς τὴν αἵρεσιν: & tamen repræſentabat Synodus Catholicam Eccleſiam, contra quam in electione Imperatoris arbitrium prævaluit. Nectarius ab uno tantum nominatur, favet Theodoſius ſolitariæ tabulæ, fruſtra reclamante concilio, & patribus laicum ac νεόφυτον contra canonum decreta poſtulari deprecantibus; ſed nihil adverſus imperatorium placitum potuerunt plurium ſuffragia, aut totius Eccleſiæ auctoritas: Nectarius Epiſcopatum obtinet, cæteri repudiantur, nec diutius reſtitit concilium, cum animadvertit Principem non poſſe à propoſito amoveri. Probant itaque univerſi electionem & impoſitione manus laicum inungunt ad ſacerdotium. Valentinianus & Theodoſius poſt Siſinii obitum præterita penitus Conſtantinopolitana Eccleſia advenam Antiochia accerſunt, & rejecto Philippo Proclo, ad quam maxima urbis pars inclinaverat, ad Epiſcopatum promovent: nec cauſa tacetur illius conſilii, quod ſcilicet Cæſares Byzantinos cives ſuſpectos haberent, quaſi ad novandas res intentos: Hæc idonea ipſis & ſufficiens viſa eſt, ut ſaltum facerent. Idem Theodoſius defuncto Maximo

ximo juſſit Epiſcopos Proclo aſſentiri, & ad Mediolanenſis populi preces Ambroſius mandato Valentiniani ordinatus eſt. Juſtinianus vero Hormisdam & Vigilium Pontificem à ſe electos Romano populo impoſuit; & tantum invaluit eo tempore uſus, ut Zonara teſte Nicephorus Phocas vetuerit ullos Epiſcopos agnoſci niſi à ſe electos; hinc ſua ætate Balſamo Patriarchas ab Imperatoribus conſtitutos narrat. Occupata vero ab Herulis & Gothis Italia diligenter caverunt eorum Reges, ne injuſſu ſuo Pontifices Romani fierent, quod inclinatis etiam Gothorum rebus adhuc obtinuit, Theodohato Rege Silverium Agapeto ſucceſſorem deſtinante: Et dubitandum non eſt, Imperatores maximas habuiſſe cauſas diſcedendi à priſco more: quanto magis enim antiquæ probitatis fideique locum luxuria occupavit, ingluvies, avaritia, ambitio, libidines & dominandi improba & tumultuoſa libido, tanto diligentius oportuit Principes proſpicere rebus ſuis, & ſanctimoniam Eccleſiæ tueri, ne aliena & incognita vitia reipublicæ noxæ ſint & exteris offendiculo.

§. 10. Imitati exemplum Francorum Reges & poſteriores Occidentis Imperatores eximiis documentis condemnant ſuperſtitioſam ſequioris ſeculi ſucceſſorumque ignaviam, & computatis rationibus, quid olim ſummæ poteſtati in Sacerdotes licuit, æſtimant cladis magnitudinem. Gallia quidem neſcio quo genio hic felicior, quamvis & ei iniquis Franciſci I. cum Leone X. conditionibus multa perierint. Manet tamen in uſu aviti juris, & eluſis ſacri ordinis

pene

pene regiis precibus ſollicite declinat naufragium. Nos majori vulnere concidimus, & ad viſcera usque penetravit lethalis ictus. Sed ne videamur velle inter majorum robuſtam ſapientiam auream que ferè ſimplicis pietatis ætatem intempeſtivè flere, breves inducias faciamus cum noſtris calamitatibus, victuri paulatim cum antiqua, adeoque aliena felicitate, ſi ſolatium eſſe poteſt parentum virtus, quam degener poſteritas religionis nomine turpiter reliquimus. De confirmatione primum, quam debuerunt electi à Rege Francorum impetrare. Hoc tam perſpicuum eſt hiſtoriarum fide, ut ne Baronius quidem id in dubium vocare auſus ſit, ſed facti atrocitate more ſuo declinet. *Sane eſt præſumptum*, inquit, *à Regibus jus præficiendi Eccleſiis paſtoribus deſtitutis Epiſcopos hoc ſeculo tum in occidente tum oriente.* Fateor præſumptum, non vi tamen aut injuria, de qua illarum ætatum S. Patres ante Gregorii nova hierarchici imperii inſtituta nunquam conqueſti ſunt: ſed regia poteſtate ſuoque jure. Ennemundus Lugdunenſium Epiſcopus voluntate Clodovæi II. Regis in Epiſcopatum ſucceſſit: & Lambertus ejusdem Civitatis antiſtes Theodorici Regis ac Pipini Principis aſſenſu populi ſuffragiis precibusque datus eſt: ſicut utrumque exemplum Theophilus Rainaudus in indiculo S. Lugdunenſium memorat. Stephanus vero Leodienſis Abbas in vita Modoaldi Treverenſis Epiſcopi auctor eſt, eum *volente Rege* conſtitutum. Ad hæc apud Surium plurima extant ejus juris veſtigia, nimirum Paulum Virdunenſem, Ansbertum Rothomagen-

magenſem, Epiſcopos populi calculis electos regia auctoritate eguiſſe, quam Avitus etiam Arvernorum Epiſcopus imploravit, cum ſucceſſorem ſibi dari cuperet: & Aurelianum civitas Eucherio nominato; *mittunt enim cives ad Carolum Martellum Francorum Principem legatos, qui ejus pedibus advoluti ſuppliciter petierunt, ut Epiſcopum illis concederet Eucherium.* Et tanto magis Francorum Principes iſtum confirmandi electos Epiſcopos morem neceſſarium duxerunt aſſiduo uſu retinere, quod ſibi timerent, ne, ſi is obſoleviſſet, fidelitatis etiam juramentum deſineret, quod recens à populo deſignatos Epiſcopos cum univerſo clero olim Regibus præſtitiſſe ipſo ſole clarius eſt. (*a*) Ivo Carnotenſis Præſul de Pipini Regis tempore hoc teſtimonium exhibet. *Rex conceſſit, ut eum ad curiam ſuam, quæ Aurelianis in Natali Domini congreganda erat, ſecurè adduceremus, & ibi cum eo & cum Principibus regni de hoc negotio quantum fieri poſſet, ſalva regni integritate tractaremus. Factum eſt, ut condictum erat, & convenientes in curiam petitionem noſtram replicavimus. Sed reclamante curia plenariam pacem impetrare nequivimus, niſi prædictus Metropolitanus per manum & Sacramentum eam fidelitatem Regi faceret, quam prædeceſſoribus ſuis Regibus Francorum antea fecerant omnes Rhemenſes Archiepiſcopi & cæteri regni Francorum Epiſcopi: quod perſuadentibus omnibus curiæ optimatibus factum eſt.*

(*a*) Epiſt. 206. Ap. Hotom. Franc. c. 13.

§. 11. Præ-

§. 11. Præter neceſſarii conſenſus perpetuam ſeriem tranſiluiſſe etiam aliquando Reges Francorum vulgarem metam, & electiones ipſas præteritis populi ſuffragiis domeſtica voce confeciſſe, pari monumentorum luce defenditur, Clodoveus Dinifium Turonenſem Epiſcopum elegit, Omaſium Clodomerus. Quintianus vero Arvernorum Epiſcopus à Theodorico Rege conſtitutus, nec id Turonenſis clerus Catonem celavit, à Clothario Epiſcopum factum, quem his verbis apud Gregorium Turonenſem alloquitur: *non noſtra te voluntate expetivimus, ſed Regis præceptione.* Bonifacius Moguntinorum Archiepiſcopus peregre in Friſios iturus, ne vacuam Epiſcopo ſedem deſtitueret, relinqui illic ſucceſſorem ſibi Lullum voluit, integritate morum & ingenio imprimis conſpicuum: verum ſupplici ad Regem Pipinum interceſſione, non propria auctoritate cõſuluit Eccleſiæ. *Almitatis veſtra clementiam*, hæc orantis verba ſunt, *diligenter in Dei nomine deprecor, ut filiolum meum & coepiſcopum Lullum, ſi Deus voluerit, & ſi clementia veſtra placeat, in hoc miniſterium populorum & Eccleſiarum componere & conſtituere faciatis prædicatorem & doctorem presbyterorum & populorum.* Univerſe autem de illa Regum in conſtitutione Epiſcoporum exercita poteſtate hoc Waltramus Naumburgenſis teſtatur. *Longe ante decretum Adriani Papæ ejusq́; Succeſſorum Reges qui erant uncti & Majores domus inveſtituras Epiſcoporum fecerunt, ſcilicet Dagobertus, Sigibertus, Theodoricus, Hildericus, Pipinus filius Begge,*

Major

Major Domus, Theodobertus. Ab his inthroniſati ſunt Remaclus, Amandus, Audomarus, Eligius, Lambertus aliique ſanctiſſimi Præſules, cum reges iſti in moribus ſuis ſatis fuerint notabiles.

§. 12. Utrumque poſt ſubjugatam Germaniam illic quoque inſtitutum ſatis diu tenuit, reſtauratis Eccleſiarum ruderibus, quæ aut vetuſtate incuriaque collapſæ erant; aut incurſione hoſtium & ſubditorum continuo ſacrilegio deſolatæ. Nota eſt in hac parte Dagoberti & Sigeberti filii ejus pietas. Alias Eccleſias Conſtantiæ, Argentorati, Wormatiæ & Mongontiæ à Francorum Regibus Epiſcopos accepiſſe æque certum. Athanaſium verò & Baſinium Spiræ Dagobertum Carolumque Martellum impoſuiſſe, expreſſe Lehmannus narrat. In Bavaria quæ peculiares Reges habuit, aut Rex aut populus eligere Epiſcopum potuerunt, ita enim legitur in Bojoaricis legibus. *Si quis Epiſcopum, quem conſtituit Rex, vel populus ſibi elegit Pontificem.*

§. 13. Sed præſtat dimiſſis minorum Eccleſiarum exemplis contemplari imperatoria jura in Romanam Sedem, ex quo tempore hæc abrogato Græcis Principibus imperio illud in Francorum gentem, & deinde his quoque exauctoratis in Germanos transtuliſſe videri voluit. Nondum Carolo in imperatorem coronato Adrianus Pontifex ſummum arbitrium contulit vel eligendi Pontificem: vel electum ordinario jure à populo confirmandi rejiciendique ex cauſis ſibi probatis. Confectum eſt ea de re ab Adriano

decretum, quod (a) Gratianus inter ſuos canones retulit in hanc ſententiam. *Hadrianus Papa Romam venire Carolum Regem ad defendendas res Eccleſiæ poſtulavit. Carolus vero Romam veniens Papiam obſedit, ibiq; relicto exercitu in ſancta reſurrectione ab Hadriano Papa Romæ honorificè ſuſceptus eſt. Poſt ſanctam vero reſurrectionem reverſus Papiam cepit Deſiderium Regem: deinde Romam reverſus conſtituit ibi Synodum cum Hadriano Papa in Patriarchio Lateranenſi in Eccleſia S. Salvatoris, quæ Synodus celebrata eſt à CLIII. Epiſcopis religioſis & Abbatibus. Hadrianus autem Papa cum universâ Synodo tradiderunt Carolo jus & poteſtatem eligendi Pontificem & ordinandi Apoſtolicam Sedem; Dignitatem quoque Patriciatus ei conceſſerunt. Inſuper Archiepiſcopos & Epiſcopos per ſingulas provincias ab eo inveſtituram accipere definivit, & ut niſi à Rege laudetur & inveſtiatur Epiſcopus, à nemine conſecretur: & quicunq; contra hoc decretum ageret, anathematis vinculo eum innodavit, & niſi reſipiſceret, bona ejus publicari præcepit.* Apparet autem Gratianum Anaſtaſii & Sigeberti Gemblacenſis non ſuſpectam fidem ſecutum, cujus ultimi, quoniam illius hiſtoria indignè premitur, verba de eodem negotio pene totidem leguntur. *Adrianus Papa ad tuendas res Eccleſiæ Carolum Romam accerſit, quo pergens Papiam obſidet, ibiq; relicto exercitu Romam pervenit, ſanctam reſurrectionem ibi peregit: poſtea rediens Papiam cepit: iterumq; Romam rediit,*

(a) Diſt. 63. c. 22.

rediit, Synodum conſtituit cum Adriano Papa, aliisq; 153. religioſis Epiſcopis & abbatibus: in qua Adrianus Papa cum univerſali Synodo dedit ei jus eligendi Pontificem & ordinandi Apoſtolicam Sedem, dignitatem quoq; Patriciatus. Inſuper Archiepiſcopos & Epiſcopos per ſingulas provincias ab eo inveſtituram accipere definivit, & ut niſi à Rege laudetur & inveſtiatur Epiſcopus, à nemine conſecretur, omnesq; huic decreto rebelles anathematizavit. Hîc nunc fremunt Pontificii & recalcitrant: hoc ipſum eſt unguis valde moleſtus in eorum ulcere. Tam graviter enim Baronio vapulat Sigeberti apertum & candidum pectus, quod tam imprudenter rem omnem & ſine involucris recitaverit, ut tantum non ex Cornelia lege deprehenſæ falſitatis reum agat. Scilicet oportuit Monachum, ſi utique ipſi religio fuit inviſum adeo Romanæ Sedi & perpetuis tenebris dignum Adriani proditoris donativum penitus ſupprimere, at ſaltem ita ſuſpenſis & fallacibus verbis narrare, ut ambitioſæ poſteritati aliquis locus eſſet ad calumnias & effugium; nunc cum agreſtis & ſimplex homo veritatem ad pudorem usque nudaverit, quod expeditiſſimum eſt improbæ cauſæ, arguitur eam adulteraſſe. Et tamen, quibus probris onerant Hiſtorici fidem? nimirum ad Heinrici Imperatoris gratiam ſcripſiſſe: neminem ante Sigebertum meminiſſe conceſſionis illius, ne quidem Anaſtaſium pene coævum ſcriptorem: & peritiſſimum Romanarum rerum. Verum cur hanc accuſationis formulam nemo ante Baronium

nium inſtituit? Cur (*a*) Onuphrius Panvinius & (*b*) Sigonius, uterque in Romanam Eccleſiam propenſiore ſæpius ſtudio, quam ingenuam fidem profeſſos deceat, accedunt Sigeberti partibus? Cur (*c*) ipſe Bellarminus purioris adhuc mentis nec de Sigeberto nec Gratiani canonibus aliquid conqueſtus eſt, ſed agnovit legitimos, fideque dignos? cur (*d*) lævo aſſentandi ſtudio, non erroris cognitione varius Protheus ſententiam mutat? Et profecto is fuit tam conſtans plus quam octo ſeculorum rumor, ut uni Baronio adeò utilis figmenti pretium hæc ætas debeat. Sed parum impudentiæ fuit alienum pudorem temerariè ſugillaſſe, niſi extemporaneis calumniis ſubveniret audaci mendacio, ætatem Hadriani muneris non ultra Heinrici V. tempora numerante: cum tamen ejus diſerta mentio in oratione Gregorii VI. extet, licet obſcurior paulò, & ad Pontificiorum ingenia doctior ipſa ambiguitate. Oratio eſt apud (*e*) Wilhelmum Malmesburienſem his inter alia verbis notabilis. *Laudatus eſt olim prædicandæ memoriæ prædeceſſor noſter Hadrianus I. quòd inveſtituras Eccleſiarum Carolo M. conceſſerit, ita ut nullus electus conſecraretur ab Epiſcopo niſi prius à Rege inſigniretur & annulo & baculo.* Hæc diu antè Gemblacenſis tempora à Gregorio ipſo Pontifice literis conſignata confutant pertinacem Baronii provocationem. Equidem Ana-

(*a*) In Vit. Gregor. VII. (*b*) de Regn. Ital. l. 4. (*c*) l. 2. de Rom. Pont. c. 29. l. 1. de Cler. c. 11. l. 1. de Transl. Imp. c. 13. (*d*) In recognitione ſuorum operum: & libro de ſcriptoribus Eccleſ. (*e*) l. 2. de geſt. reg. Angl. c. 13.

Anaſtaſius in Pontificum vitis nihil ejusmodi habet. Sed non eſt irrita omninò ſuſpicio, aut libro vim factam à plagiariis, aut ſaltem in hiſtoria ejus, ſi fideliter exhibeatur, id memorari. Quippe Platina diſertè teſtatur, ſe hanc conſtitutionem Hadriani apud Anaſtaſium legiſſe. *Idem*, (*a*) inquit, *Bibliothecarius ſcribit, Ludovicum liberam eligendorum Epiſcoporum poteſtatem Paſchali dediſſe: cum antea ea quoq; in re Imperatores conſulerentur: quam poteſtatem ab Hadriano Pontifice Carolo conceſſam idem author refert.* Quid hoc teſtimonio clarius eſſe poteſt? quid integrius? indubie enim Platina incorrupto Codice uſus eſt. Hinc idem Platina non ex ſuo ingenio, ſed idoneis auctoribus ſuffultus alibi refert, *nihil actum à Clero in eligendo Pontifice, niſi ejus electionem Imperator approbaſſet.* Adhæc Gratianum *ex Anaſtaſii hiſtoria Eccleſiaſtica* omnem illam narrationem deſumpſiſſe expreſſe Panvinius memorat: unde credibile eſt etiam Sigebertum hauſiſſe, quem nos paulò ante Gratianum ſecutum diximus: certè enim verborum & ſtyli ſimilitudo id pene ſibi vult: quem ſi Anaſtaſius etiam tenuit, ſucceſſorio ordine ſe invicem excipiunt: Quod ſi vero alia Anaſtaſio ſcribendi ratio, res ipſæ ex ejus hiſtoria Eccleſiaſtica ſunt, ut rubrica ſignat, verba ex Sigeberti Chronicis. Præter Platinam vero & Onuphrium adhuc Gruterus Anaſtaſii manuſcriptam hiſtoriam, in Palatina bibliotheca reconditam teſtem citat facti ab Hadriano decreti, quæ prolata in publicum ſolem facile poſſet

(*a*) In Vita Paſchal. I.

Baronii frontem mutare, ſed non contigit mihi eam hucusque videre. Quicquid tamen ejus ſit, hæc ipſa ſufficiens argumentum nobis præbent, ceſſionem Hadriani nec fœtum eſſe monaſtici Gemblacenſis cerebri, nec ejus mentionem ab Anaſtaſio omiſſam; in id potius non leves ſunt conjecturæ, iniquos cenſores in Anaſtaſium quoque auſos eſſe, quod in melioribus venerandæ antiquitatis libris, ſed parum idoneis Romanæ curiæ rationibus ſolent cum ſacrilegio tentare: ideoque exhibeant nobis integros nec delibatos codices: agant bona fide, non veteratoriis artibus: patiantur Anaſtaſium libere ſuo ore loqui: & nobis vadimonium dicant, ſi viri ſunt.

§. 14. Enimverò ſileant omnia ante Gemblacenſem de hoc negotio monumenta: ipſa rerum eo tempore geſtarum æqualis ſeries vindicat ejus famam à conviciis, & veridicum caput non ſinit probris onerari. Patriciatus enim incunabula ab illo anno recte recenſeri non diffitentur ipſi Pontificii: nec tacet Anaſtaſius quamvis injurioſè caſtigatus, *Carolum exceptum eſſe cum ingenti honore, & ſicut mos eſt ad Exarchum aut Patricium ſuſcipiendum*: & vero Carolus Patriciatus ſui annos in diplomatibus, quæ extant, ab anno 774. non 801. auſpicatur, tum eundem in omnem Romanæ urbis agrum ipſumque Pontificem & ejus Clerum ſupremam jurisdictionem, quæ dignitati patriciatus & imperatoriæ majeſtati cohærebat, uſurpaſſe, in ſuperioribus, ac imprimis proximo huic capite abunde probavimus. Quod ſi

nunc

nunc Sigebertus in his falſus non eſt, cur fidem ei abrogemus in articulo de conſtituendo Pontifice & ordinanda Apoſtolica Sede? de inveſtituris Epiſcopatuum ab Imperatoris manu requirendis? præſertim cum haud minor hiſtoriarum lux per actiones publicas illius ævi diſſipata faveat traditioni. Nec tam imminuta ſunt collata in Carolum jura, quam confirmata & aucta in majus, poſteaquam ille ſe in Imperatorem coronari paſſus eſt. Inter alia id longo uſu obſervatum eſt, quemadmodum ſupra ex Continuatore Eutropii citavimus, ut non tantum Pontificis electio ſine conſenſu & approbatione Principis imperfecta ſit & ordinatione adhuc indigna: ſed etiam ut Imperatorii legati, quos oportuit aſſidue Pontifici in regimine tam civili quam Eccleſiaſtico auctoritate ſua adeſſe, intervenire ipſi electioni debeant pro officio viſuri, ne Dominorum ſuorum majeſtas in illis populi & cleri Comitiorum æſtibus aliquid detrimenti capiat. Hoc ipſo facto ſic obtinuiſſe Pontifices exemplis ſuis confirmant. Leo III. ut imperatorio auſpicio adſcendit pontificale ſolium, ita ejusdem ope reſtitutus eſt. (a) Stephanus Succeſſor Legatos ad Ludovicum miſit pro conſecratione ſua, quos ipſe mox ſubſecutus eſt coronaturus ex majorum inſtituto Principem. Paſchalis vero (b) *poſt completam ſolemniter ordinationem ſuam & munera & excuſatoriam Imperatori miſit epiſtolam: in qua ſibi non ſolum nolenti, ſed etiam plurimum renitenti Pontificatus honorem velut impoſitum aſſeverat.* Scilicet

(a) Annal. Franc. ad ann. 816. (b) Ibid. ad ann. 817.

licet excuſavit ſe Pontifex Cæſari, quod illo inſcio nec rogato occupaverit ſedem, aliâ legatione, *pactum quod prædeceſſoribus ſuis factum erat, etiam ſecum fieri ac formari rogavit*, confirmationem electionis requirens. Gregorius Papa (*a*) *non prius ordinatus eſt, quàm legatus Imperatoris Romam veniret & electionem populi examinaret.* Ludovici Pii filius Lotharius Imperator Sergium & Leonem IV, confirmavit: Benedictus autem III. quamvis *maximis muneribus primatum & dominatum Romæ ſibi ab Imperatore acquiſivit*, ut alius auctor de vitis Pontificum ait, non prius tamen conſecratus eſt quàm impetrato Ludovici II. conſenſu. Quo eodem Cæſare præſente & *jubente* ordinatus Nicolaus eſt, & Hadriani II. electio *collaudata.* A Carolo Craſſo quidem, qui inſidiosè adrepſerat imperio, *remota à latere Pontificis regia legationes, aſſiduitas vel præſentia Apoſtolica electionis*: ſed confirmationis vim penitus remiſſam nullibi forte legas.

§. 15. Quamobrem nulla omninò idonea ratio, cur inficiemur in tanta ſcriptorum & exemplorum conſpiratione ejusmodi decretum ab Hadriano factum. Illud magis diſceptari videas, cùm illic à Carolo præter Patriciatus honorem & poteſtatem eligendi pontificem jubeantur *Archiepiſcopi & Epiſcopi per ſingulas provincias inveſtituram accipere, interdicta conſecratione, priusquam à Rege laudentur & inveſtiantur*, quousque extendi id ipſum debeat: num ad omnia Francorum Regum imperia præ-

ceptum

(*a*) Ibid. ad ann. 27.

ceptum deſinat, aut ſaltem Romanæ Eccleſiæ bonis terminetur? Tam antiqui quam recentiores ſcriptores plurimi univerſè accipiunt: ſed probabilius eſt limites Patrimonii Divi Petri non excedere. Pontifici enim in Francorum hæreditaria imperia aut bello acquiſita nihil juris fuit, quod Carolo concederet. Is Franciam & bonam Germaniæ partem per avitas ſucceſſiones conſecutus eſt, reliqua Germaniæ ut & Longobardorum regnum victricibus armis ſubegit: hæc omnia igitur non Sedi Romanæ debet, ſed fortunæ & virtuti ſuæ. Hinc quicquid majoribus ibi licuit, legitimis titulis in ſe translatum non eguit aliena & ſuppoſititia auctoritate. Sed longè antequam Hadrianus vixit, Principes Francorum & Longobardorum pro ſuo arbitrio Eccleſiæ ac miniſterii curam habuiſſe jam traditum à nobis eſt. Adeoque ſuperſunt ſolæ Pontificum poſſeſſiones, quas Romana Sedes tanquam jure Orientis Imperatoribus ereptas Carolo cum ſumma poteſtate addixit. Nec moveat aliquem, quod jus regendi Eccleſiam naturaliter inſit ſummo imperio, quo ſemel conceſſo non opus ſit nova quarundam partium expresſione. Cum enim aliquid inferioris poteſtatis Pontifici in ſuis bonis relictum ſit, nec omnia Carolus abſoluto & pleno imperio adminiſtraverit, idcirco neceſſe fuit accurate deſignare fines, quantum cuique in Republica & jure ſuo liceat, & ex pacto: ut proinde Hadriani decretum partem conventionum illarum, ſeu ut hodie loquuntur, Capitulationum fecerit, quæ ſub primis imperii initiis inter Carolum & Pontificem

Mm 5 mutua

mutua repromiſſione convenerunt. Præterea abſurdum non eſt, collato in aliquem velut multorum jurium faſciculo certas ſpecies exprimi, de quibus ex certis cauſis dubium eſſe poterat: jam enim eo tempore inter contentiones & diſſidia, quæ Græcorum Imperatores cum Pontificibus habuerunt, & hæc ſecutum per violentas factiones divortium adoleſcere ceperat nunc adeo virilis & ſuperſtitioſa philoſophia, in ſacris rebus nihil nec loci nec juris eſſe profanis imperiis, utcunque ſummis. Hæc opinionum nubes per turbas & bella civilia excitata non facilius diſſipari potuit, quam ingenua confeſſione, quæ anterioris ſacrilegii pœnitentiâ in integrum reſtitueret indignè laceratam Principum majeſtatem: nec aliud ſunt ejusmodi antiqui juris confirmationes, quam ut eas non abſurde (*a*) Marcus Antonius de Dominis vocat, ***proprii Principum juris naturalis recognitiones, admiſſiones & probationes, cum remotione obſtaculi injuſti per prohibitiones perperam & indebite poſiti, & declarationes, poſſe jam Principes ſuo jure uti, & ſe quantum in ipſis ſit, nolle illud impedire***, ſive ut aliquanto brevius (*b*) Duarenus, ***hominum ultra bonam fidem agnoſcentium confeſſiones.***

§. 16. Ergò non in Pontificem ſolum, ſed omnes etiam Epiſcopos, intra ditionem Romanæ Eccleſiæ comprehenſos Carolo per Hadriani ceſſionem jus quæſitum eſt circa conſtitutionem illorum, quo ſæpius uſum (*c*) Marſilius Patavi-

(*a*) L. 4. c. 7. (*b*) De Sacr. Eccl. min. l. 3. c. 11.
(*c*) De Transl. Imp. c. 8.

Patavinus refert: & vel id conſtat ex Hadriani Epiſtolis, quas temporum injuria interceptas Baronius conqueritur. Iis enim pluries non ſine bile increpat Imperatorem Pontifex, & in electione Ravennatis Epiſcopi aliorumque novum opus nunciat. Si nihil Baroniani ingenii felicitate fictum, quæ ab eo ſubſtituuntur in epiſtolarum argumentum, non à vero alienum eſt, à Carolo nonnunquam contra pacta conventa cum Romana Eccleſia in Epiſcoporum conſtitutione aliquid auſum, contra quod oportuit Hadrianum proteſtari: nec enim quis cum ratione dixerit, Pontificem tam ſubito ſui ipſius decreti oblitum voluiſſe Principem loco ſuo ut penè turbam ſubmovere, quem ante in conſortium regiminis admiſerat cum ampliſſimo jure: ſaltem enim qua fronte aut petere id potuiſſet, aut pertuliſſet Regis exprobrationem, tam novis adhuc & recentibus pactis? Accedit quod diu poſt Caroli fata epiſcopales dignitates Imperatorum arbitrio diſpenſatas, idque ad Pontificum interceſſiones & preces vel propria eorum teſtimonia fateantur. Reatina Eccleſia indubiò in Patrimonio fuit B. Petri, & Sedi Apoſtolicæ ſubjecta. Nec veretur tamen Leo IV. Pontifex apud Lotharium & Ludovicum Auguſtos pro Colono Diacono in vacuam Eccleſiæ ſedem imperiali juſſione ſubſtituendo ſupplex intercedere: Conſervavit nobis verba ejus (*a*) Gratianus, quæ hoc ſenſu conſtant. *Reatina Eccleſia, quæ per tot temporum ſpatia paſtoralibus curis deſtituta conſiſtit, dignum eſt, ut brachio amplitudinis*

(*a*) Deſtruct. 63. c. 16.

dinis veſtra ſublevetur ac gubernationis regimine protegatur. Unde ſalutationis alloquio præmiſſo veſtram manſuetudinem deprecamur, quatenus Colono humili Diacono eandem Eccleſiam ad regendum concedere dignemini: ut veſtra licentia accepta ibidem eum Deo adjuvante conſecrare valeamus Epiſcopum. Sin autem in prædicta Eccleſia nolueritis, ut præficiatur Epiſcopus, Thuſculanam Eccleſiam, quæ viduata extitit, illi veſtra ſerenitas dignetur concedere, ut conſecratus à noſtro præſulatu Deo omnipotenti veſtroq́; imperio grates peragere valeat. Quis credat nunc Hadrianum, manſueti ingenii hominem, ipſumque auctorem ſui Decreti apud fortiſſimum Principem Carolum tam ferociter & tanquam pro imperio locutum, cum tamen Leo IV. jam inclinante ſenſim Carolinæ ſtirpis fortuna Lotharium & Ludovicum Principes nequaquam cum Carolo M. ſeu potentiam ſpectes ſeu autoritatem comparandos pro Colono adeò humiliter deprecetur? Id inſuper ex illa Leonis Epiſtola colliges, eguiſſe Eccleſiam Reatinam in conſtituendo Epiſcopo ſeculari brachio, nec ſuffeciſſe illi rei ſolam Leonis Eccleſiaſticam poteſtatem. Tum non licuiſſe Pontifici nec Reati nec Thuſculis Epiſcopum conſecrare, niſi Imperator prævio examine approbaverit electum, datis ad Pontificem de conſecratione mandatis: ad cujus proviſionem id quoque pertinuit, decernere, an omninò Reatinam Eccleſiam ab Epiſcopo regi expediat: adeò ut ne quidem negligente Cæſare auſus ſit Pontifex quaſi derelictæ patrocinium ſuſcipere: Nec enim objurgat in-

curiam

curiam ejus, aut ſuperbe minatur ſe interpoſiturum auctoritatem ſuam: ſed ſi viſum ita Principibus Epiſcopum Reati eligere: Colonum proponit. Sin rejiciant conſilium, Thuſculos ſubſtituit Præſule viduatos, idoneum pro Colono locum, modo placeat Auguſtis imperare Pontifici, illic eum ordinari. Et vero quo meliore nunc quis argumento probaverit Imperatorum poteſtatem in Epiſcoporum conſtitutione, quam cum ipſi Pontifices, inconſulto adhuc Principe, manum à conſecratione abſtinent, precibus agunt; ſuppliciter pro amico aut perſpectæ probitatis homine intercedunt? quam cum negant fas eſſe quem ne quidem à ſummo Pontifice ordinari niſi ex juſſu & auctoritate ſummi Principis? quam cum ſibi non ſumunt facultatem providendi Eccleſiis de Epiſcopo, niſi ad id velut auctorati ſuperiore mandato? quam cum id ipſum non modo apud Imperatorem agnoſcunt timore vel placendi ſtudio: ſed & alios, ubi nec fateri pudorem neceſſe eſt, nec præmii ſpes ex adulatione? Ferè enim Leo gratulatur ſibi in literis ad Ritam Comitiſſam, fœminam miſſis, quod Imperatores paſſi ſint preces ſuas pro Colono aliquid valere. *Nobis Dominus Imperator*, (*a*) inquit, *& Imperatrix per ſuas epiſtolas dixerunt, ut Colonum Reatinæ Eccleſiæ, quæ paſtoris officio per longa jam tempora deſtituta videbatur, Epiſcopum facere deberemus, ſicut & fecimus*. Meretur & hic legi Stephani Pontificis Epiſtola ad Guidonem Comitem, quam (*b*) Gratiani diligentiæ debemus. Ibi enim

(*a*) Diſtin. 63. c. 17. (*b*) Diſt. 63. c. 18.

enim dilatæ conſecrationis cauſam non aliam prætendit Stephanus, quam imperatorii mandati defectum, & indignationis ex præcipitato actu qualitercunque collectæ metum. Ecce vero tibi ipſa literarum verba. *Lectis Sagacitatis veſtræ apicibus, qui defuncto Eccleſiæ Reatinæ Antiſtite Clerum & plebem ejusdem Eccleſiæ elegiſſe ſibi futurum Antiſtitem, nobisque conſecrandum veſtro ſtudio directum eſſe, nec ipſa Eccleſia ſine proprio conſtet paſtore, fatebantur: Nos de obitu prioris dolentes nunc ipſum electum unanimitate & canonica ipſius Eccleſiæ electione, ut mandaſtis, tam citiſſimè ordinare omiſimus, quod imperialem nobis, ut mos eſt, abſolutionis minime detulit epiſtolam, pro qua ſcilicet re ambiguum eſt nobis; ideò voluntati veſtræ in hoc parere diſtulimus, ne auguſtalis animus duriſſimè hoc quocunque modo perciperet. Sed ſcientes Eccleſiam Dei ſine proprio diu paſtore non debere conſiſtere, gloriæ veſtræ mandamus, quoniam aliter nos agere non debuimus, ut veſtra ſolertia imperiali, ut priſca conſuetudo dictat, percepta licentia & nobis, quemadmodum vos ſcire credimus, imperatoria directa epiſtola, tunc voluntati veſtræ de hoc parebimus, eundem electum Domino adjuvante conſecrabimus, quod, chariſſime fili, moleſte nullo modo ſuſcipias.* Audis Pontificem, recuſantem ordinare Reatinum Epiſcopum concordibus populi ſuffragiis electum, antequam ad id muneris bona Imperatoris venia ſibi accedere liceat? Audis verentem Principis iram, non injuſtam illam aut culpabilem: ſed ex contemptâ auctoritate ſua oriundam,

undam, adeoque meritam & jure fugiendam? Audis libere confitentem, non debuiſſe aliter ſe agere? Audis conſulentem deſtitutæ Epiſcopo Eccleſiæ, ut quam primum apud Imperatoris aures pro mandato ſupplicet? Audis denique promittentem, nullam amplius in ſe moram fore, modo ſibi ipſi non deſint cives in impetrando conſenſu? Ad hunc igitur ſolem ſi quis adhuc cœcutiat, eum neceſſe eſt profecto aut cœciorem Tireſia eſſe, aut contumaciorem Phryge mancipio, non argumentis amplius emendandum, ſed plagis juxta illud Græcorum vulgare.

* Φρὺξ ἀνὴρ πληγεὶς ἀμείνων καὶ διακονέστερος.

§. 17. Interea Carolus & ſucceſſores ejus in aliis quoque regnorum ſuorum provinciis hunc publicum morem tenuerunt, ut epiſcopos curarent ſuo juſſu & approbatione ordinari: non quidem vi Hadrianæ Conſtitutionis: ſed ſummi imperii, in ſacrum ordinem æque ac civiles Magiſtratus actuoſi. Quot magnus noſter Princeps Epiſcopatus in Saxonia conſtituit ad frangendos Numinis metu ferociſſimæ ac intractabilis gentis animos? Quot in Italiæ regno Longobardis erepto? Certe fori Julii Epiſcopum in decedentis vicem ſurrogaſſe (a) Notkerus Balbulus refert. Aquisgranenſis Synodi Patres Ludovicum Pium orant, *ut deinceps in bonis paſtoribus rectoribusq; in Eccleſiis Dei conſtituendis magnum ſtudium atque ſolertiſſimam adhibeat curam:* nec monſtri quid petiiſſe Concilium ex eo patet, quod (b) Cranzius teſtetur, *Imperatorem tum imprimis adſtatuendos epiſco-*

(a) De Reb. geſt. Car. M. l. 2. c. 27. (b) In Metrop. l. 1. c. 20.

epiſcopos eſſe implorandum: & (*a*) alibi. *ea tempeſtate fuiſſe magnam Regum ſuper Eccleſiis diſpoſitionem : nam vacantibus dediſſe ipſos Pontifices, quos à Papa confirmari poſcebant.* Confirmari appellat ordinari ſeu conſecrari : nam eum actum in ſolo patrimonio eſſe Eccleſiaſtici ordinis ſupra à nobis dictum eſt : Cæterum illa confirmatio quæ electionem populi & Cleri ſequebatur, ſemper fuit imperatorii juris : quemadmodum Epiſtolæ Leonis IV, & Stephani in cauſa Reatinæ Eccleſiæ declarant. Hinc graviter Thegano Rhemenſis Archiepiſcopus vapulavit, quod ingratiſſimus cliens adverſus Imperatorem conſpiraverit, tot beneficiis & dignitatibus ab eo ornatus. *O qualem remunerationem reddidiſti ei*, inquit, *Veſtivit te purpura & pallio, & tu induiſti eum cilicio : ille te pertraxit ad culmen pontificale immeritum, tu eum falſo judicio voluiſti expellere à ſolio Patrum ſuorum.* (*b*) Ludovicus Germaniæ Rex Rembertum Bremenſem Archiepiſcopum fecit Adalgarius vero ab Arnolpho conſtitutus: Hogerius à Rege Ludovico. Pontificis auctoritas extra patrimonium ſuum eo tempore plane elumbis, quippe rogandus ab illo erat Imperator, ſi quem amicum ei commendaret : Mandatorum, gratiarum, reſcriptorum, reſervationum, diſpenſationum, menſium, & hujus generis aliorum inſectorum, quæ nunc patriam noſtram ſupra omnium cicadarum aviditatem depaſcunt, ne nomina quidem cognita.

§. 18. Cùm

(*a*) L. 2. c. 21. (*b*) Alb. Stad. ann. 865.

§. 18. Cùm deficiente Carolino ſtemmate imperialis dignitas cum Germaniæ regno in Saxonum Principes perveniſſet, Ottone in Italiam & ad imperium Romanum vocato, in illius familiæ bonis publica officina fuit, ubi Pontificis & Epiſcoporum fortunæ cuderentur: inter alios enim fidelitatis articulos, quam Johannes perditiſſimum illud & ſacrum Diis Manibus caput, populusque Romanus Ottoni Cæſari juravere, illud etiam ſanctè promiſſum, *nunquam ſe papam electuros aut ordinaturos præter conſenſum atque electionem Domini Imperatoris Ottonis, Cæſaris Augusti, filiiq; ipſius Regis Ottonis.* Sed cum indies querelæ advolarent, Pontificem ad res novas & Adalbertum transfugam propendere, lætior Imperatori occaſio data exerendæ majeſtatis, quippe precibus Romanæ Eccleſiæ & univerſæ plebis expugnatus edixit in Italiam profectionem, Romamque cum exercitu ingreſſus abrogato Johanni Magiſtratu Leonem ſolito more eligi fecit, & auctoritatis ſuæ acceſſione confirmavit. Hic Pontifex, quod ita videret & Apoſtolicæ Sedi & populo ſummè expedire, renovavit Hadriani conſilium, & Principi novo inſtrumento de Pontificis atque Epiſcoporum S. Sedis electione denuo cavit, quod inter (a) Gratiani canones hoc ſenſu legitur. *In Synodo congregata Romæ: in Eccleſia S. Salvatoris. Ad exemplum B. Hadriani Apoſtolicæ Sedis Antiſtitis, qui Domino Carolo victorioſiſſimo Regi Francorum & Longobardorum Patriciatus dignitatem ac ordinationem Apoſtolicæ Sedis*

Nn *& in-*

(a) Diſtinct. 63. c. 22.

& inveſtituram Epiſcoporum conceſſit. Ego quoque Leo Epiſcopus Servus Servorum Dei cum toto clero ac Romano populo conſtituimus & confirmamus & corroboramus & per noſtram Apoſtolicam auctoritatem concedimus atque largimur, Domino Ottoni primo, Regi Teutonicorum, ejusq; Succeſſoribus hujus regni Italiæ in perpetuum facultatem eligendi Succeſſorem atq; ſummæ Sedis Apoſtolicæ Pontificem ordinandi, ac per hoc Archiepiſcopos ſeu Epiſcopos, ut ipſi ab eo inveſtituram accipiant & conſecrationem. Unde debent, exceptis his, quos Imperator Pontificibus & Archiepiſcopis conceſſit: & ut nemo deinceps cujusq; dignitatis vel religioſitatis eligendi vel patricium vel pontificem ſummæ Sedis Apoſtolicæ, aut quemcunque Epiſcopum ordinandi habeat facultatem absq; conſenſu ipſius Imperatoris: (quod tamen fiat absq; omni pecunia) & ut ipſe ſit patricius & Rex. Quod ſi à clero & populo quis eligatur Epiſcopus, niſi à ſupradicto Rege laudetur, & inveſtiatur, non conſecretur. Si quis contra hanc regulam & apoſtolicam auctoritatem aliquid molietur, hunc excommunicationi ſubjacere decernimus: & niſi reſipuerit, irrevocabili exilio puniri vel ultimis ſupplicüs affici. Quamvis vero mendoſum decretum indubie arguat ſenſus & verborum defectus: adhæc videatur illud *conſecrationis* vitiosè dici de Imperatore, qui eligit aut confirmat Epiſcopos, non conſecrat: nec hoc modo loqui ſoleat Hadriani Conſtitutio, quæ vetat aliquem conſecrari niſi laudatum à Rege & inveſtitum; & deniqueipſum hoc Leo-

nis

nis decretum circa finem diſcernat conſecrationem ab inveſtitura & electione; tamen ex corrupta utcunque lege intelligere tantum poſſumus, primò, poteſtatem Ottoni factam eligendi confirmandique Pontificem & Epiſcopos in finibus Romanæ Eccleſiæ comprehenſos; nec tempore aut perſona ſua definitam, ſed perpetuam & in ſucceſſores tranſeuntem. Deinde excipi Epiſcopatus quosdam, in quibus conſtituendis per privilegii modum liberiorem ſibi diſpoſitionem aut pontificia ſedes aut Epiſcopi aliqui reſervarunt: & ex hoc fortaſſe jure fuit, quod Hadrianum I. in epiſtolis Carolum M. ſæpius increpuiſſe propter ordinatam Ravennatenſem Eccleſiam Baronius memoret, de quo ſupra aliquid diximus. Tertio ademptum omnibus eligendi Pontificem jus, cujuscunque dignitatis fuerint aut conditionis, ſeu Eccleſiaſticæ ſeu civilis: & præteritis his uni imperatori æterna lege addictum. Hoc potiſſimum Decreti illius argumentum eſt, huic cauſæ aptum: nam quod de Patriciatus dignitate nemini niſi ex voluntate Imperatoris conferenda habetur, alio loco latius perſequemur.

§. 19. Baronius quidem non tranquilliore ſtomacho, quam id in Hadriano fecerat, ſuppoſiti fœtus accuſat Gratianum: ſed per circulum it indignabunda ratio ſibique ſolo impetu fidem quærit. Nam baſin totius operis, ſuper injuriâ, Hadriano per Sigebertum factâ, extructam invictis argumentis diruimus. Quod ſi vero illud Hadriani decretum conditum eſſe, & ex eo jus Carolo quæſitum conſtat; nulla ratio, cur hoc

Leonis rejiciamus, quod in gratiam Ottonis confectum diſertis verbis exemplum & uſitata anteceſſorum veſtigia ſequitur.

§. 20. Et utiq; Ottoni tantum juris in Pontifices ad Epiſcopos Romanæ Eccleſiæ ſubjectos, (nam his finibus includenda eſt conſtitutio) illo tempore tributum res ipſa loquitur. Quantum enim auctoritatis & opis ad Johannis exilium, electionemque Leonis contulerit, notum etiam in vulgus eſt. Hujus nepos Otto III. Ephorum ſuum Gerbertum, mirificæ eruditionis virum, eximia in amicum de alumno bene meritum gratitudine, primò ad Ravennatenſis Archiepiſcopatus dignitatem, mox poſtGregorii V. mortem ſummum pontificiæ ſedis culmen promovit, qui ſe Silveſtrum II. appellari voluit. Heinricus III. Suidgerium Saxonem, Bambergenſem Epiſcopum Gregorio, cui Pontificatum abrogaverat, ſubſtituit & ejus Filius Clementem III. Gregorio, Hildebrando illi furiarum vexillifero. Inter alia obſervatione non indigna eſt Nicolai II. jurium Imperii confirmatio, anno quinquageſimo nono ſupra milleſimum Romæ frequenti totius ſacri ordinis Senatu facta hoc modo. *Venerabilis Pontifex autoritate Apoſtolica decernens de electione ſummi Pontificis inquit. Eligatur de ipſius Eccleſiæ gremio ſi reperitur idoneus, vel ſi de ipſa non invenitur, ex alia aſſumatur, ſalvo debito honore & reverentia: dilecti filii noſtri Heinrici, qui in præſentiarum Rex habetur, ſicut jam ſibi conceſſimus & ſucceſſoribus illius, qui ab Apoſtolica Sede perſonaliter hoc jus impetraverint. Quiſquis autem*

hujus

hujus noſtræ decretalis ſententiæ temerator extiterit, & Romanam Eccleſiam ſua præſumptione confundere & conturbare contra hoc ſtatutum tentaverit, perpetuo anathemate & excommunicatione damnetur, & cum impiis, qui non reſurgent in judicio, reputetur. Omnipotentis iram contra ſe ſentiat. Fiat habitatio ejus deſerta, &c.: Hæc imperante Heinrico III. acta. Nemini hæc omnia magis cognita fuerunt, quam Onuphrio Panvinio, quem audire operæ pretium eſt, quippe Pontificium, & inter Officiales Romanæ Curiæ, adeoque minus ſuſpectum clypeum adverſus Baronii iracundiam improvidasque accuſationes. *Privilegium Hadriani I.* inquit, *Imperatori ab Hadriano III. ereptum Leo Papa VIII. Ottoni I. Imperatori, de Romana Eccleſia optime merito, cum eam ex Berengarii & Adalberti manibus erutam, in libertatem, quam amiſerat, vendicaſſet, Anno Domini C M LXII. in Synodo Laterani congregata exemplo ejusdem Hadriani I. qui illud Regi Carolo conceſſerat, reſtituit, renovavit & de novo confirmavit: ut patet ex eadem diſtinctione apud Gratianum. Porro autem contra hoc Leonis VIII. decretum nullus deinceps Romanorum Pontificum reclamavit vel apertè contradixit usque ad Gregorium VII. Hic primus fuit, qui Imperatorum Simonia offenſus in contrarium editis decretis hæc duo Hadriani I. & Leonis VIII. privilegia omninò abrogavit & induxit. Satis autem conſtat, Johannem XIII. qui Leoni VIII. immediate ſucceſſit, Gregoriū V. & Sylveſtrum II. Apoſtolicæ Sedi ſola Imperatorum*

torum auctoritate impoſitos fuiſſe, nullius Cleri vel populi Romani ſuffragiis expetitis. Cæteri vero Romani Pontifices, qui inter Johannem XIII. & Sylveſtrum II. fuerunt, etſi eos electos fuiſſe ab Imperatoribus non legatur, ſed à Clero, Senatu, populoque Romano, id accidit, quod electionis tempore Imperatores urbe abſentes, adeoq; maximis in Germania & alibi bellis impliciti eſſent, ut de novo Pontifice Romanæ Sedi providere non poſſent. Illud tamen conſtat, dum Imperatores, tres Ottones loquor, in Urbe vel prope aut certe in Italia fuerunt; & Romanam forte Eccleſiam paſtore vacare tum contigiſſet, eos novum ſummum Pontificem dediſſe. Si vero tempore novæ electionis eos ab Italia procul eſſe contigiſſet, certum eſt, tum Romanos Pontifices à Clero, Senatu populoque Romano electos non abſque Imperatorum conſenſu conſecratos fuiſſe. Fuerunt autem Benedicti duo VI. & VII. Bonifacius VII. Apoſtolicæ Sedis invaſor, qui etiam exactus fuit: & Johannes XIV. XV. XVI. quorum noviſſimus, ut quidam ſcribunt, quod ſine Ottonis Imperatoris III. conſenſu electus & conſecratus fuiſſet, urbe fugatus, ſacerdotio mulctatus eſt, Gregorio V. ſubrogato. Huic igitur privilegio à Leone VIII. usque ad Gregorium VII. à nemine unquam Papa reclamatum eſt, quanquam non omninò fuerit negligentiâ Imperatorum obſervatum. Verùm Ottone III. Imperatore ſub Sylveſtro II. circa annum Domini M. mortuo, qui ei ſucceſſit Heinricus II. vir ſanctiſſimus ac inter Divos relatus, & poſt eum Conradus II. ejusmodi privilegium

curare

curare viſi non ſint. Nam poſt Sylveſtrum II. qui ſub Heinrici II. imperio obiit, Romani omnes Pontifices, usque ad Clementem II. ſine Imperatorum auctoritate renunciati ſunt. An autem eorum conſenſum requiſierint, etſi mihi veriſimile ſit, nunquam tamen inveni. Hoc autem accidiſſe credendum tum propter Heinrici II. nimam ſanctitatem, qui liberam voluerit eſſe Romani Pontificis electionem: cujus in ſuperiore libro 3. vetus etiam documentum retuli, tum etiam propter Cunradi II. occupationes, quibus & maximis bellis, dum vixit, detentus eſt, longe ab Urbe abſens. Neque enim unquam contigiſſe legitur, ut unus ex his duobus Imperatoribus Romæ vel in Italia vacantis Sedis tempore fuerit. Nam forte trium Ottonum prædeceſſorum exemplo Romanum Pontificem dediſſent. Cæterum cum ob eorum negligentiam in imperii jure tuendo privilegium Leonis VIII. forte obſoleviſſet, octo vel novem Romanis Pontificibus ſine eorum electione à Clero, Senatu, populoque Romano creatis, occaſione maximi inter tres Pontifices ſchiſmatis accepta, Conradi II. filius Heinricus III. in Italiam venit, imperiiq́ hoc privilegium magnifice vindicavit, (ut ſupra in Clementis II. vita docui) & juxta privilegia Hadriani I. & Leonis VIII. formam abrogatis tribus Pontificibus, Benedicto VIII. Sylveſtro III. & Johanne XX. Gregorio quoque VI. privato, novum Pontificem Romanæ Sedi dedit Suidegerum Saxonem, Capellanum ſuum, Epiſcopum tunc Bambergenſem, quem Clementem II. appellavit, Cardinalesq́ Clerum ac Senatum,

 popu-

populumq́; Romanum ſacramento adegit, in verba ſua jurare cogens, ſe Romanum Pontificem niſi juſſu ſuo creatum non ſuſcepturos, qui dum vixit hoc præſtantiſſimum imperii jus mordicus retinuit, & Clementem II. Damaſum II. Leonem IX. & Victorem II. ſuo arbitrio Romanos Pontifices deſignavit.

§. 21. In Germania vero Imperatorum Saxonum exercita jura quid opus eſt per longas exemplorum ambages confirmare, quando hanc ipſam rem Romana Eccleſia tandem tot cladibus & fuſo Chriſtianorum ſanguine dignam judicavit? nec credibile eſt, imperium minores Præſules paſſurum fuiſſe ſuo arbitrio vivere, quod ipſam Apoſtolicam Sedem ſe ſuaque dedentem in fidem receperat & obſequium. Quare ſi lubitum nunc eſſet Ottonum & Heinricorum tempora articulatim perveſtigare, poſſent præjudicia videri infinito numero magis onerare legentium ſtudia, quam probandæ cauſæ ſufficere. Sed quoniam hactenus ita inſtitutum noſtrum tulit; delectum ex tanta penu moderate habebimus, ne vel quis nobis jejunium indixerit, vel de luxuria apud cenſores diem condicat. Landowardus Mindenſium Epiſcopus auſpicio Ottonis I. conſtitutus ſolita inveſtitura per annulum & virgam: nec id infrequens aut novum fuiſſe teſtatur (a) Cranzius, aiens, *cepit tum ea res frequentari apud Imperatores, ut darent inveſtituram Epiſcopis & regalia, poſtquam Leo VIII. omne patrimonium imperii per Italiam reſtituit imperio in perſona dicti Ottonis*

(a) Metropol. l. 3. c. 3.

Ottonis I. mox addit, *ea tum volentibus & cupientibus ſummis Pontificibus per Imperatores geſta.* Ottogerum idem Imperator ex Monacho Epiſcopum Spirenſem fecit, virum illa ætate eruditiſſimum, & inter Principis amicos præcipuum. Sed ante omnes meminiſſe oportet cauſæ Monaſterii S. Galli, judicio Cæſaris definitæ. Cum enim Imperator anno ſeculi decimi ſeptuageſimo tertio Spiræ inter carnis privium Paſchatisque ferias ſubditorum querelas majorum more audiret, Rudmannus, Richenacenſis Abbas S. Galli monaſterium detulit, quod inter redituum copiam, divitias & luxum ſecurè difflueret, neglectis regulis atque inſtitutis ſui ordinis; abbate propter adverſam valetudinem inidoneo ad diſciplinam exactè conſervandam; admixtis veteratorie precibus, ut ipſe Princeps dignaretur in ſe ſuſcepta emendationis cura Monaſterio Abbatem dare curandis rebus ſuis animo & corpore validum. Nec rejecit à ſe invidioſum quamvis onus Imperator ad aliud forum, ſed ſui muneris eſſe cenſuit mature providere, ne ſtatus & diſciplina Eccleſiaſtica toto ſuo regno damnum accipiat. Idcirco placuit viſitationem decernere, cujus ope & providentia collapſæ monaſterii res mutarentur in melius; dum verò filium Ottonem cum præſentibus in Aula Epiſcopis de negotio rite inſtituendo deliberare jubet, ex omnium ſententiis relatum ad Imperatorem eſt, non egere monaſterium viſitatione fruſtraque in eam laborem inſumi & impenſas: nam ſcire ſe Abbatem & Sodales caſte & ſobrie vivere, adeoque culpa premi alienæ

 invidiæ.

invidiæ. Verùm Imperator, ſive quod non omninò ſibi purgata ſuſpicio eſſet, ſive quod apud ſe conſtituiſſet uti oblata occaſione in poteſtatis ſuæ documentum, quantum ſolus poſſit contra omnes, perſtitit in propoſito habendæ viſitationis, filiumque miſit ad delegatos nominandos, qui certiora renunciarent poſt factam inquiſitionem: eorum mandatum fuit, ut (*a*) *Cænobii S. Galli Monachos, qui infamantur, corrigant: & quia repentina rerum mutatio ſemper noviſſimum errorem priori facit pejorem, ideò tot magni conſilii angelos dirigi, ut prudentia omnium collata, ſi qua nimis ibi contra Deum ſenſerit eſſe, manere non ſinat: ſi qua autem portabilia, ipſis quidem cum ratione moventibus ſtare patiantur* Imperator & Rex: *Si autem ſcientia, quæ inflat, elatos ibi ſenſerint, tales in aulam adducant, ut ex eis, ſi idonei ſint ſcholis aliquibus, quæ in regno vacillant, præponantur. Sin autem, in regularia clauſtra includantur.* Ita dimiſſi Viſitatores poſt conquiſitas neceſſarias probationes referunt ad Imperatorem, modicas eſſe nec invidendas cœnobii penſiones: Diſciplinam vero & vitam Sodalium Ordini ſuo ex omni parte congruam: ita ſatisfactum ad tempus Ottoni, donec ipſe Abbas miſſa ad eum legatione per ſupplicem libellum rogavit Principem, ut ei habita ætatis ſuæ & valetudinis ratione Notkerum, à Sodalibus ſibi coadjutorem datum imperiali auctoritate confirmare placeret: quod diutius in deliberationem vocatum tandem ſub certis conditionibus impetrarunt, novo Abbate

(*a*) Ekhard. Jun. de Caſib. S. Gall. c. 11.

Abbate ad præſtationem juraméti ſupra S. Evangelium admiſſo. Nihil clarius pro ſumma Principum poteſtate circa Eccleſiaſticum regimen hoc ipſo exemplo adferri poteſt. Nam Cæſareum judicium fuit, in quo accuſari debuerunt religioſi fratres Monaſterii S. Galli, ab Abbate etiam Eccleſiaſtica perſona & de cauſis vitam atque Diſciplinam Eccleſiaſticam concernentibus implorabatur Ottonis auxilium & auctoritas, cum ab officio aut removendus eſſet Abbas aut novus creandus. Imperator per delegatos viſitare cœnobium fecit etiam contra Epiſcoporum vota; ipſe Viſitatores nominat & certis mandatorum legibus includit. Audit peracta viſitatione relationem, & Abbatis S. Galli legatos, in conſilio ſecreto examinat electionem Coadjutoris, demumque poſt ancipitem deliberationem ratam habet & admittit juraturum in verba ſua: ut intelligas ex hoc proceſſu, ab unius Imperatoris arbitrio totam hanc cauſam pependiſſe. Ottonis M. nepos Rupertum juſſit in Epiſcopum Spirenſem eligi. Heinricus II. quem Eugenius *in Capitolio inter alia*, ut (*a*) Euphormio loquitur, *Gephyriorum numina nuncupavit*, Paderbornenſis Eccleſiæ Epiſcopatum per chirothecam, pignus illud gladiatoriæ artis, Meinverco donavit propius quam conceſſit adminiſtratorio nomine. O nefas & indignum facinus, quod Romana Curia nunc penetrantiſſimo fulmine afflaret; igitur ô ſequioris ſeculi ſimplices mentes! O prævaricatorem Eugenium! O Hildebrandum virum & Heroëm, qui alas, quas ille Hein-

(*a*) Satyr. l. 5.

Heinrico II. ad cœlum dedit, præſcidit, utili conſilio ob eandem cauſam, & Heinricum IV. alligato ad pedes plumbo audaci decreto demiſit in Tartara: ita proficimus indies ad ſapientiam, majorumque inconſultam pietatem meliore conditione damnamus. Nec enim quiſpiam illa ætate auſus eſt Heinricum II. ob traditum per chirothecas Epiſcopatum increpare, cum annulus & virga, uſitatiores utique translationis modi, in plus quam omnium Bacchantium furorem & indignationem Gregorium præcipitarunt: adeò pro diverſis temporum geniis in Romana Curia idem inſtitutum nunc laudibus & divinitate dignum, mox in graviſſimas cenſuras cecidit & exitiale odium: quippe quod divina humanaq; jura Gregorio aruſpice eripuere Imperatoribus, id ſub Eugenio nondum ante ſeculum eadem illis tribuere viſa ſunt. Tam libere enim & ſine cujusquam offenſione Heinricus S. conceſſit Epiſcopatus, quam pertinaciter & ſeditiosè poſt conſilia Hildebrandiana in illo uſu contradictum eſt Principibus noſtris. Apud Chriſtophorum Broverum *in Sideribus Germaniæ* extat illius Meinverci vita, ubi inter alia lectu ſane non indigna Epiſcopatus Paderbornenſis collatio hoc extemporaneo modo facta memoratur. *Mortuo Epiſcopo Paderbornenſi mittit ad Heinricum II. viduata Eccleſia, qui cum Epiſcopis & Principibus, qui aderant, elegit Meinvercum: qui cum veniſſet, ſumpta chirotheca ait ad eum Rex, accipe: interrogans autem Meinvercus quid acciperet, reſpondit Imperator, Epiſcopatum Paderbornenſis Eccleſiæ*, ac id factum ab Imperatore

tore in ea Eccleſia, cui ipſe *confirmavit, quam jure regio habet, licentiam eligendi paſtorem dignum & idoneum, ſalvo tamen Regis ſive Imperatoris conſenſu*, ut apud Goldaſtum eſt Tomo Conſtitutionum imperialium tertio. Præterea Magdeburgi Heinricus Cancellarium ſuum Dagonem elegit, remoto Woldrado, quem Clerus proprio jure ad Archiepiſcopatum promoverat. Succeſſorem Heinrici Conradum II. quamvis ſolito indulgentiorem in ſacrum ordinem, (*a*) (unde & filio ſuo Heinrico III. male audivit, *de anima ejus valde pertimeſcenti ob damnabilem avaritiam in vita nimis exercitam*) tamen Reginbaldum, Epiſcopum Spirenſem ex Abbate feciſſe (*b*) Lehmannus teſtatur. Heinricus vero III. ut plurium Pontificum conſtitutione inſignis, ita ejusdem etiam juris in Germania retinentiſſimus. *Tulerunt hæc tempora*, inquit (*c*) Cranzius, *ſub Heinricis, ut Epiſcopi & Abbates à Regibus inveſtirentur, ſed ſub Heinrico V. ea res cepit mutationes:* allato in medium Alberti Metropolitani Hamburgenſis exemplo, quem memorat ab Heinrico III. *virgam paſtoralem ſuſcepiſſe.* Adhæc (*d*) Hermannus Contractus & Lambertus Schafnaburgenſis Conradi mentionem faciunt, ad Spirenſem Epiſcopatum ab eodem Imperatore evecti. Illius filius Heinricus IV. licet tota vita cum Pontificibus varia fortuna colluctatus, qua de re paulo poſt, Spiræ tamen Epiſcopos (*e*) Heinricum & Rudgerum dedit,

(*a*) Glab. Rudolph. l. 5. (*b*) Chron. Spir. l. 5. c. 20.
(*c*) Metrop. l. 4. c. 31. (*d*) ad ann. 1056.
(*e*) Lamb. Schafn. ann. 1068.

dedit, quorum hic utcunque excommunicatus à Gregorio Papa Imperatori nihilominùs fidem ſervavit, contempta fulminatione: nec illa conſuetudo, frendentibus fruſtra Papis, ſub imperio Heinrici V. deſiit, antequam Calixto neſcio quo facili errore ſponte remiſit tanti juris majeſtatem, quam Paſchali jam ceſſam receperat fatorum benignitate, quod Pontifex deficeret in reciproca promiſſorum præſtatione. Hinc Sigebertus Gemblacenſis ad annum undecimum ſupra milleſimum centeſimumque ita ſcribit. *Rex uti volens authoritate & conſuetudine & autoralibus privilegiis Imperatorum, qui à Carolo M. qui poſt de Regibus Francorum imperavit Romanis, jamq; per trecentos & eò amplius annos imperaverant ſub 63. Apoſtolicis, dabat licite Epiſcopatus & Abbatias & per annulum & per virgam.* Nec falſum eſſe Sigebertum certiſſimæ ſunt probationes. Nam Gebhardum & Arnolphum Spirenſi Eccleſiæ Epiſcopos dedit, & poſt renunciationem à Paſchali factam *habita Monguntia Curia Adalbertum Cancellarium ſuum dudum ad eandem Cathedram electum baculo & annulo veſtivit.*

§. 22. Quod rejectionem attinet & depoſitionem, ex quibus illa confirmationi reſpondet, hæc electioni, earum par conditio eſt cum illis actibus, quibus oppununtur: nam confirmatio cum diſſentiendi libertate intelligi debet, ut nimirum reprobare liceat eum, qui ad probandum ſiſtitur: & quem in dignitate publicoque munere collocare jus nobis eſt: eundem nefas non erit ad dimittendum cogere, quod ſuum non eſt, ſed

Rei-

Reipublicæ, niſi is vel adhuc aliunde dependeat, vel opportunis conventionibus ſibi aliquid de perpetuitate caverit. Nec per modum pœnæ ſolum id fieri poteſt, ſed & cautionis, ſi periculum ſit, Epiſcopum, ſive re- ens à populo electus ſit, ſive jam diu regnaverit, in occaſionem factionis tumultuumvè iri à ſeditioſis arreptum, quamvis omnium maximè à novandis rebus ſit alienus. Ad hæc licet regula ſimpliciter fallat, ejusdem eſſe removere, cujus eſt eligere: tamen cum addito ſummarum poteſtatum univerſe vera eſt, niſi mutuis placitis aliter conventum ſit, quæ nihilominùs ita convenit interpretari, ne noceant communi bono, aut à mente contrahentium æqua bonâque nimium abeant. **Ita** Imperatores Valentinianus & Theodoſius, repudiato Proclo, ut ſuſpecto ipſis & periculoſis civium ſtudiis timendo advenam ex Antiochia ſubſtituerunt. Ita Cheribertus Francorum Rex Emerici, ob vitæ turpitudinem & publica crimina à Synodo exauctorati Succeſſorem non alio nomine in exilium miſit, quam quod id Synodus absque conſenſu ſuo feciſſet, (*a*) *Putas tu*, inquit Rex ad electum, *non eſſe de filiis Lotharii, qui patris facta cuſtodiat, quod hi Epiſcopum, quem ejus voluntas elegit, absque noſtro judicio projecerunt.* Alius Francorum Princeps Guntramus non populari favore ſe exorari: non auri argentique ſplendore corrumpi paſſus eſt, ut non remoto illo, quem major pars vulgi in gratiam quorundam ex aula Procerum ſuis ſuffragiis adjuverat, ipſe Sulpitium nominaret: ambitus

(*a*) Gregor, Tur. l, 4. c. 26.

tus igitur ſufficiens ei viſa eſt cauſa, cur auctoritatem ſuã interponeret (*a*) ait enim, *non eſt principatus noſtri conſuetudo ſacerdotium venundare ſub pretio. Sed nec veſtrum, eum præmiis comparare: ne & nos turpis lucri infamiâ notemur, & vos mago Simoni comparemini.* Sub Carolo M. Ludovico filiisque ejus tot decretæ inquiſitiones in vitam & mores Pontificum, tot electionum examina, tot ſupplices & deprecatoriæ ipſorum Præſulum epiſtolæ, ſingula argumento ſunt, tam fas Imperatoribus fuiſſe reſcindere diſſenſu electiones aut removere Papas vitiis & iniquitatibus pollutos, quam aut plerunque innocentes abſolverunt; aut ad aram Cæſareæ clementiæ confugientes venia dignati ſunt. Aliquando tamen cum ſeveritate & exemplo opus eſſe cenſuerunt, nec in hoc juris articulo defuerunt ſibi, quemadmodum eo conſilio (*b*) Lotharius Imperator per legatos Anaſtaſium in Romanam Eccleſiam vi & malis artibus intruſum carcere pro Pontificalibus donavit. Equidem imperante Carolo Craſſo conditum eſt Hadriani III. decretum, (*c*) *ut Pontifex deſignatus conſecrari ſine præſentia Regis aut legatorum ejus poſſet*; Sed nec diutius illud duravit, quam ipſum Regulorum Italiæ imperium, populo mox in pœnitentiam conſilii ſibi tam pernicioſi, & ad antiquam conſuetudinem relabente, nec excluſus eo penitus Imperator à jure ſuo: ſaltem enim conſtitutum eſt, ne Principis legatorumve ejus abſentia moram conſecrationi

(*a*) Greg. Turon. l. 6. c. 39. (*b*) Sigeb. Gembl. ad ann. 854. (*c*) Sigon. de Regn. Ital, l. 5.

crationi faciat, non ut nefas ſit, aut criminibus oneratum Sacerdotem judicare, aut electioni intercedere præſenti auctoritate. Adhæc nunquam exceſſit illo tempore Hadriani III. conſtitutio Eccleſiæ Romanæ limites, & in aliis imperiis Chriſtiani orbis auſa eſt vim ſuam exſerere, ut longe ultra Hildebrandum proceſſiſſe furibunda audacia nemo poſſit inficias ire: nec enim tunc exiſtimatum eſt, decreto injuriam factam, quod vel Carolus Galliæ Rex Hilduinum à Clero & populo in Tungrenſem Epiſcopum electum rejecerit majorum more, Richario conſtituto: nec quod Conradus Germanorum ſupremus Princeps, præterito Ledrado, Unni cum ferula, ſigno ſcilicet & inveſtituræ modo Bremenſem Eccleſiam ſumma libertate traderet. Recenſet id ex Alberto Stadenſi (*a*) Cranzius, cujus hîc verba exſcribimus. *Cum Reginvardus*, inquit, *in fata conceſſiſſet, & Ledradus Bremenſis Chori præpoſitus à Clero & populo ſurrogaretur, mittitur ſolemni more ad Regem Conradum, pontificalem ferulam, hoc eſt Regalia temporalis Dominii jura ab illa accepturus. Neque enim potuit Rex aliud quam temporale committere. In familia autem ſua Ledradus electus duxit Unni Capellanum ſuum, & cum in conſpectum Regis prodiret, non longè aberat Unni, dominum ſuum inſecutus. Rex electionis ordinem perſpiciens cum illa tempeſtate arbitrium conſtituendorum Pontificum maximè ſibi Reges vendicarent, ferulam, quam manu tenuit, præterito Ledrado, à tergo adſtanti tra-*

Oo *didit*

(*a*) L. 3. Metrop. c. 5.

didit Unni, Capellano, eum Eccleſiæ Pontificem deſignans. Porro toties recolere piget, ut Johanni XII. pontificatum Otto M. abrogaverit, ut Heinricus III. quatuor Pontifices Benedictum VIII. Sylveſtrum III. Johannem XX. & denique Gregorium VI. exauctoraverit: Ut ejus filius Heinricus IV. coegerit Gregorium VII. pontificale diadema cum cucullo permutare. Hæc omnia enim tam perſpicua ſunt & indubia, ut ea non tam negare audeant Pontificii, quam condemnare.

§. 23. Quod ſi ad uſum aliorum regnorum reſpicimus, inveniemus eadem jura, tantum non ubique à Principibus ſibi vindicata eſſe. Gallia, poſtquam in ea regnare deſiit Caroli poſteritas, in Capevingis non ſegnius conſervavit antiquum morem. Teſtes citare poſſumus Philippi Auguſti ultimas tabulas, in quibus tempore interregni aut potius abſentiæ ſuæ, (rex enim Hieroſolyma profecturus id teſtamentum condiderat.) Canonicos vacantis Sedis accedere jubet Reginam, electionem novi præſulis impetratum. *Si forte contigerit*, inquit regius teſtator, *Sedem Epiſcopalem vacare, volumus ut Canonici veniant Eccleſiæ ad Reginam & Archiepiſcopum*, (Guilielmum ſcilicet Rhemenſem regni curatorem per abſentiam Regis datum) *& liberam ab eis electionem petant.* Item Ludovici Sancti diploma, quod mandata matri Regis curatione regni inter alia regiæ poteſtatis jura numerat *poteſtatem conferendi dignitates & beneficia Eccleſiaſtica: eligendi licentiam dandi capitulis & conventibus.* Sed præcipuè ante omnes

omnes pragmaticam Caroli VII. ſanctionem, quæ anno trigeſimo octavo ſupra ſeculum decimum quintum in Biturigibus omnium totius regni ordinum conſilio erecta pro Gallicæ Eccleſiæ libertatibus ambitioni & inſidiis Romanæ Sedis tam viriliter bellum indixit, ad quam etiam non occultè curia Pariſienſis provocat in libello Regi Ludovico XI. oblato his inter alia verbis. *Ludovicus Pius ſemper jus inveſtiturarum retinuit: in cujus locum poſtea ſucceſſerunt regalia, & jus illud, quo utitur Rex, cum vacante Epiſcopatu eligendi poteſtatem facit.* Imò verò ipſa concordata per Franciſcum I. cum Leone X. inita, quibus etſi arctior aliquando reddita eſt Regum poteſtas, non penitus tamen ſufflaminata, ſex nimirum menſibus ad nominationem ejus conceſſis, qui in vacua ſede ſuccedere debeat. Non minimum autem in reliquiis hujus juris momentum eſſe poſitum documento ſunt aſſiduæ contentiones & infinitæ artes, quibus hoc ac ſuperiore ſeculo ſacer Ordo ad rem Pontifici gratam, ſibique ipſi commodam faciendam ſumma ope connixus eſt illud, quicquid à priſtino jure reſiduum, evertere: nec enim in levi re ac inutili multum laboris ſtudiique ſolet impendere, ut eorum hominum inſtitutum fert: Sed cum hæc regia jura nunquam non ægris oculis aſpexerit, & aliquando digna duxerit, pro quibus velut patria aut ſalute pugnaret, nec minori pertinacia à partibus regiis ſemper reſtitum ſit, oportet utique non de lana caprina litem fuiſſe. Hinc toties in Comitiis regni promulgationis Concilii Tridentini mentio certatim à

ſacro ordine facta, & à Rege ſeu improbata ſeu eluſa. Ac ſpes quidem erat haud omninò vana, ſub ignavo & imprudente Heinrici III regimine tandem rem confectum iri, quæ nec longe in Comitiis Blœſenſibus à fine creditur abfuiſſe: Verum ſive nimia ſollicitantium feſtinatione & importunis tantum non pro imperio agentium precibus, ſeu bono Galliæ genio ſperatum eventum interveniens Guiſii cædes, & illam ſecutæ per totum regnum turbæ ſubito diſturbavere. Diſertè enim Thuanus memorat, Principem cùm æternis impudentiſſimorum hominum querelis expugnatum, tum infidâ ſuorum, quos penes ſe à conſiliis habuit, prævaricatione deceptum penè fidem de promulgando Concilio dediſſe. Inde in Heinricum Magnum impetus converſus, à quo tenuiori quamvis ſpe idem petitum ac majore animo rejectum: etiam inter leges illas una fuit promittenda Concilii iſtius promulgatio, quas Pontifex Regi præſcripſerat benedictionis pretium: ſed neque hàc ratione verba res ſecutæ ſunt. Demum recruduit periculosè æſtus & vetus prurigo impubere adhuc Ludovico XIII tantumque perficiendi negotii fuit impotens ſui deſiderium, ut ſacer ordo, cum tradiora viderentur ad vota ejus comitia, privata auctoritate in verba Concilii juraverit. Hinc captata ſanguinis regii Principibus occaſio, ut ab aula diſceſſum motaque per regnum arma inter alia gravamina hoc etiam facinore, velut mali exempli re in Regis injuriam & præjudicium Gallicæ Eccleſiæ libertatum deſinente, à publica invidia liberarent, quamobrem non inter poſtremos

mos reconciliationis articulos & ille placuit, ut regio edicto tolleretur factioſe receptum à ſacro ordine Concilium, promulgatis pœnis in eos, qui ſpreta Republica deinceps quicquam ejuſmodi pro ſuo arbitrio tentare voluerint: quod & factū eſt à Rege eo libentius, quo moleſtius ſemper tulerunt mentionē renovari actionis tam inviſæ ſibi & publicæ rei exitioſæ. Quippe nec Heinricus III, mitiſſimi alioquin & ſecuri ingenii Princeps adeò potuit durare ad tantam quorundam Præſulum impudentiam ſuique contemptum, quin urgentes promulgationem ſtomachoſe increparet, oblitos beneficii, quod ſibi debeant: niſi enim ſua gratia & auctoritate nominati obtinuiſſent Eccleſias, nunquam illos fuiſſe perventuros ad hunc dignitatum honoriſque gradum. Ita nunquam Pontifex plene de Gallia triumphavit, licet in certamine ſuccenturiatus ab univerſo Clero extrema arma viresque ſacras expertus ſit. Nam in nullo numero habenda eſt promulgatio, quam Meduanius factionis Henoticæ caput ad aucupandam Pontificis gratiam, nec non captandam popularem auram juſſu ſuo paſſus eſt fieri: in qua inter publicas turbas & per vim nullo jure expedita nec ipſos Pontificios reducta pace aliquod præſidium poſuiſſe, argumentum præbent negotii infecti toties repetitæ vices. Tantum de Gallia. In Hiſpania Concilium Toletanum Epiſcoporum electionem expreſſe addicit Regi, relicto ſaltem Toletano Epiſcopo examine aliquo & δοκιμασίᾳ, quod ad eum ſpectabat conſecratio: quod & alibi à Patribus Valentini Concilii legitur conſtitutum. *Si à ſervitio pii*

 Prin-

Principis noſtri aliquis clericorum venerit, ut alicui Civitati præponatur Epiſcopus, timore caſto ſollicite examinetur: adjecto conſilio, quid faciendum, ſi cum minus idoneus repertus fuerit, Rex tamen noluerit mutare ſententiam, nam tunc *Metropolitanus adeat Clementiam imperialem, & ipſe cum Epiſcopis, quibus valuerit modis, adeat, ut Eccleſiam Dei glorioſus Imperator digno honoret miniſtro.* Jo vocem digniſſimam & regia Majeſtate, & humiliata Epiſcoporum mente! Igitur caſtè & religiosè explorandus eſt nominatus à Principe, non eo nomine cum ſupercilio rejiciendus: igitur ſuppliciter orandus Rex ad emendandum errorem: non per fulmina & imperioſas cenſuras violenter corripiendus: & hoc ipſum apprimè ad ſalutem Reipublicæ eſſe nihil dubitavit eruditiſſimus Covarruvias docere: nec diſſimulavit Vaſquius, à regali potius adeoque naturali jure, non canonum aliquo beneficio hanc poteſtatem in Principes derivans: quod nimirum poſito regno jus unà Regi concedendum ſit procurandi omnia ea, quibus divina lex manſuro interdicto nullum obſtaculum poſuit; præſertim ſi ad illum finem reſpiciant, ut ſubditi vitam & tranquillam & piam juxta illud Apoſtoli monitum agant. Hungariam adhuc Sigismundi tempore per Reges *Cathedrales Eccleſias & monaſteria, nec non omnia beneficia Eccleſiaſtica dediſſe* Theodorus à Niem teſtatur. Apud Anglos jus regium conferendi Epiſcopatus ipſa electione antiquius hiſtoriæ narrant, illud ab Ethelredo & aliis antiquiſſimis Regibus ab annis plus quam

ſeptin-

ſeptingentis numerantes. Fecit hoc Heinricus I. Rex Angliæ tanti, ut narrante Weſtmonaſterienſi per Wilhelmum procuratorem ſuum *conſtanter allegaverit, quod non ipſe pro regni amiſſione inveſtituras Eccleſiarum amittere velit, & hoc ipſum verbis minacibus affirmaverit.* Hinc contemptis Pontificum Hildebrandi, Paſchalis, Calixti, qui circa illud tempus Chriſtiano orbi ſpecie religionis perfidè impoſuerunt, imperiis haud vulgari ſapientia conſervavit Reipublicæ libertatem & majorum inſtituta, cum alibi Principum ignavia aut ſubditorum factionibus illud regium decus & munimentum inciperet ad ruinam vergere. De hoc Rege illud etiam literis proditum. *Heinricus id nominis, poſt Conqueſtum, primus conceſſit Epiſcopatum Wintonienſem Wilhelmo Giffort, & continuo de poſſeſſionibus ad Epiſcopatum pertinentibus contra novi concilii ſtatuta inveſtivit. Idem Heinricus dedit Archiepiſcopatum Cantuarienſem Rudolpho Londinenſi Epiſcopo, & illum per annulum & baculum inveſtivit.* Audiamus & ſtatutum Parlamenti ſub Eduardo III. Rege habiti, cujus hac de re verba ſunt, quæ ſequuntur. *Supremus Dominus noſter Rex & heredes ſui habebunt & pro illo tempore fruentur collationibus ad Archiepiſcopatus & alias dignitates electivas, quæ de ejus ſunt advocatione, quas progenitores ejus habuerunt antequam eſſet libera electio conceſſa: quandoquidem electiones conceſſæ per progenitores ſub certa quadam forma & conditione: videlicet ut*

eligendi licentiam à Rege peterent, & poſt factam electionem regium conſenſum obtinerent, & non alio modo. Diſertim hîc Epiſcopatuum collationes inter jura regia recenſentur ipſis electionibus vetuſtiora, quæ poſtea quidem Principum facili gratia conceſſæ Clero, ſed incluſæ deſignato velut circulo, extra quem non magis licuit aliquem impune proſilire, quam quem inferæ artis myſtæ in ſui præſidium incantationibus circumſcribunt. Sed nec ille ipſe mos perpetuò duravit, redditis Regi poſteriore ævo electionibus. Hodie imago quædam liberi ſuffragii penes Capitula eſt, tota vis & ſumma rei manet Reipublicæ. Rex enim vacante Epiſcopatu cum codicillis eligendi licentiam continentibus transmittit ſimul ejus nomen, quem velit deſignari: à quo in alium nefas eſt tranſire Capitulum.

§. 24. Sed hæc per excurſum, & interſparſis velut floribus alieni ſoli in noſtro horto. Nunc revertimur ad nos ipſos. Collatio Eccleſiaſticarum dignitatum inveſtitura dicitur, quæ fit per modum traditionis annuli & baculi. Vocabula *veſtire* & *inveſtire* originis germanicæ ſunt, qualiſcunque juris collationem ſignificantia: unde apud antiquos ſcriptores tam ad civilia quam Eccleſiaſtica munia reperiuntur translata: & inter alia plura illi etiam actui aptata, per quem Epiſcopatus novis Præſulibus conferebantur. Res ipſa vetuſtiſſima eſt, & jam ætate Romani Epiſcopi Rothomagi, quem ſeculo ſeptimo vixiſſe, (adeoque diu ante Caroli M. tempora) Juretus annotat, in cujus vita hæc legimus. *Fit itaque*

inter

inter palatinos proceres de viro ſancto communis aſſenſio, qui omnes unanimiter Regi conſulunt, ne grex Chriſti ſuo fraudaretur deſiderio, ſed divina protinus ad effectum ducatur electio: quo Rex gratulatus conſilio convocatis tam Epiſcopis quam Abbatibus baculum illi contulit paſtoralem. Quare ſi non errat Baronius, mentitur, qui virgam & baculum Caroli M. ævo negat fuiſſe cognitam ſolemnitatem: audivimus enim hîc Romanum per baculum paſtoralem à Rege Epiſcopum Rothomagenſem conſtitutum, idque accidiſſe anno vigeſimo tertio ſupra ſexcenteſimum. Et vero clarè ſatis ex Alberto Stadenſi liquet, ſub Ludovico Juniore Germaniæ Rege paſſim viguiſſe eum inveſtituræ ritum. *Rembertus*, (*a*) inquit, *Bremenſis Archiepiſcopus pallium pontificale ſuſcepit à Papa Nicolao, ferulam paſtoralem à Caſare Lothevico:* hanc *paſtoralem ferulam* (*b*) Cranzius de eodem Epiſcopo agens, interpretatur *inveſtituram feudalem*, (*c*) aitq; fuiſſe *ſignum infeudationis.* (*d*) Alibi idem Albertus *Adalgarium* narrat *ferulam paſtoralem ſuſcepiſſe ab Arnolpho Rege, pallium Pontificale à Stephano Papa* (*e*) Item *Hogerum pallium ſuſcepiſſe à Sergio Papa: ferulam à Rege Lothevico.* Nec authores id memorant ut novam rem, & his demum Imperatoribus inventam; ſed ſuccinctè admodum adeoque velut provocantes ad uſitatiſſimum morem, ut omninò certum magis ſit quam veri-

Oo 5 ſimile,

(*a*) Ad ann. 865. (*b*) Metrop. l. 2. c. 8. (*c*) Ibid. l. 8. c. 19. (*d*) ad ann. 888. (*e*) ad ann. 909.

ſimile, antiquiorem eſſe ipſo Caroli M. imperio, ac ſub eo & Ludovico Pio frequenter obſervatum: præſertim Decreto Hadriani diſertam mentionem faciente illius inveſtituræ. Potiſſimum Baronii argumentum, quod ejus pudorem paulò ſublevat, eſt antiquæ hiſtoriæ ſilentium, quod ipſe viriliter appellat. *Legant & ſcrutentur* (a) inquit, ***authores omnes, qui Caroli temporibus aliquid ſcripſerunt, ſi alicubi penes eorum aliquem invenerint nomen inveſtituræ vel uſum ejus per annuli collationem, ut tradunt, & baculi.*** Sed aut memoria Cardinalem fugit, ſi omnes authores perſcrutatus eſt: aut incurioſæ ignorantiæ patrocinatur confidens aſſertio, quamvis oppido falſa. Nam extare eam voculam in antiquis tabulis, imperante Carolo M. à Monachis S. Galli confectis, quæ tomo ſecundo rerum Alemannicarum inſertæ ſunt, Goldaſtus monet. Adhæc in legum Wiſigotharum & Longobardicarum Codice ejusdem aliqua reperitur mentio: ut jam de vita Romani Rothomagenſis Epiſcopi, qua de re ſupra, nihil amplius dicam. In feudorum conceſſione uſurpatum eſt paulò frequentius vocabulum, ex quo etiam ad Eccleſiaſticas dignitates derivatum haud improbabile fit. Eſt vero hæc de nomine lis nullius ponderis ad ipſam rei veritatem. Ut enim prudenter judicavit Waltramus Naumburgenſis Epiſcopus, ***nihil refert, ſive verbo, ſive præcepto, ſive baculo, ſive alia re, quam in manu tenuerit, inveſtiat aut intronizet Rex & Imperator Epiſcopum***, nam liquido ſatis conſtat, cum electos imme-

(a) Annal. Tom. IX. ad ann. 774.

immediate aliquando, tum plurimum confirmatos ab Imperatoribus & Regibus ante Hildebrandum in toto Chriſtiano orbe Epiſcopos fuiſſe: Hæc igitur ſufficiant de ipſo nomine. Peragebatur autem inveſtitura traditione annuli & baculi: ſignis ſcilicet congruis rebus, quæ conceduntur per illa. Quamvis enim Imperatores χειροθεσίαν ſibi nunquam vindicaverint; Hæc duo tamen ſemper cenſuerunt ſui juris eſſe, videlicet hunc hominem huic loco ſeu Eccleſiæ addicere; & annulo velut deſpondere: & conferre Eccleſiaſticam jurisdictionem, id eſt judicium de ſacris rebus cum aliquo imperio atque coërcitione: quam in rem ſignum baculus erat, Regibus quoque olim ſolitus cum ſceptro tradi, *& per hoc*, inquit (*a*) Aimoinus, *Eccleſiarum defenſio.* Non inania igitur fuere ſigna annulus & baculus, in quorum tuitione ſtultum eſſet tot bella à Regibus & labores ſuſcipi. Sed cum ſigno ipſius etiam rei ſignatæ, id eſt Eccleſiarum & ſacri muneris collatio facta eſt, eaque rurſus duplici modo. Nam vel electionem Imperatores libere ac immediatè absque aliorum ſuffragiis ſuomet auſpicio ac jure fecerunt: aut jus eligendi aliis dederunt, ſed ſalvo tamen ſibi iterum duplici jure: uno, ut nimirum electuri priusquam ad electionem accederent, ſuppliciter rogare Regem debuerint, ut eis poteſtas electionis fieret, & altero, ut Principi liceret electum prævio examine vel probare, & baculi annulique collatione confirmare; aut, cum diſplicuerit, rejicere, & vel extemporaneo judicio alium dicere, vel

(*a*) L. 5, c. 50.

vel imperare capitulis, ut electionem denuo auſpicarentur. Cæterum illa eligendi conceſſio cùm per legem dabatur, ſicut Carolus M. Epiſcopos eligi voluit (*a*) *per electionem Cleri & populi*; tum per privilegium, quando canonica electio permiſſa: ut jam olim Eccleſiæ Attrebatenſi à Francorum Regibus: & Mutinenſibus Caroli M. beneficio. Nam rarius id quondam obtinuit, cum adhuc iniquum videretur penitus plebem excludere à ſuffragiorum libertate, & ita maximæ parti Reipublicæ & Eccleſiæ invitis obtrudere paſtorem: nec circa Ottonum tempora plusquam privilegium ſapuit canonica illa electio. Singularis enim adhuc gratiæ ſenſum habuit, quod magnus Imperator Otto Popponi Herbipolenſi Epiſcopo tantum indulſerit, *ut imposterum Herbipolenſium Canonicorum Senatui*, verba ſunt Bruſchii, *libera eſſet poteſtas decedente aliquo Antiſtite alium è ſui Capituli canonicis eligendi.* Non igitur vulgare aut impromiſcuum omnium Eccleſiarum jus fuit, electio ſolius Capituli. Sed præcipuum beneficium & index imperatoriæ benevolentiæ: ac videtur idem, ne in perpetuum jus tranſeat, aut obliviſcatur patroni ſui, ſingulis vicibus eguiſſe renovatione & novis tabulis, quotiescunque accidit Reipublicæ Imperatorem mutaſſe: ita Heinricus Sanctus apud Goldaſtum Tomo III. imperialium conſtitutionum ait, *confirmamus eorum locorum fratrib⁹, quam jure regio habent licentiam eligendi inter ſe paſtorem dignum & idoneum, ſalvo tamen Regis ſive Imperatoris conſenſu*, quare

(*a*) Car. Sig. de Reg. Ital. l. 4.

quare cum eo privilegio deſtitueretur Magdeburgenſis Eccleſia, & nihilominùs ſacer ordo aliquem ex ſuo numero Woldradum tentaſſet eligere, Imperator abrogato velut ſpurio Cancellarium ſuum Dagonem ſubſtituit, ut jam ſupra ex Cranzio memoravimus. Sed ſequiorum temporum fatis in univerſalem morem degeneravit, ab ipſis etiam Imperatoribus inconſulta pietate antiquæ ſapientiæ prælatum, tanquam publicis rebus tutiorem viam: ſed triſtiſſimi exitus aperuere demum errorem & ſeram pœnitentiam, nec amplius idoneam remediis.

§. 25. Totum vero inveſtituræ actum cum adjunctis ſolemnitatibus haud perfunctorie Onuphrius Panvinius annotavit, quem placet priſcæ conſuetudini nunc teſtem dare, & ferulam Baronii calumniis, cujus aſſiduum ſtudium eſt, invidioſam venerandæ antiquitatis lucem ambitioſis tenebris miſcere ad noctuarum gratiam. Profecto autem oportet candidum eſſe & innubilum diem, qui in ipſorum Pontificiorum faſcinatos oculos unicæ veritatis radiis tam magnificè illabitur: quod Onuphrio factum eſt, nunquam alieno à rebus Romanæ Eccleſiæ, ſi verecundiam honeſto velo tegere licet: verùm hic nec caligare potuit, nec oportunum duxit diſſimulare in maximo conſenſu priſcæ fidei: ut id argumentum ſit, ad imum usque impudentiæ gradum deſcendiſſe Baronium, qui videri cupit aut omnibus plus ſcire, aut plus ſapere; ubicunque enim nihil negat, confeſtim omnia damnat fere ultra cyclopicam audaciam. Ecce autem tibi ipſius Panvinii verba, quæ in vita Hildebrandi

brandi extant. *Erat tum conſuetudo à temporibus Caroli M. Imperatoris primum ex auctoritate Romani Pontificis Adriani I. introducta, ut alicujus urbis vel Abbatiæ Epiſcopo aut Abbate mortuis, ſtatim clerus vel Monachi in unum congregati legatos ad Imperatorem, qui tunc erat, dirigerent, ad quem defuncti Prælati pedum pontificale & annulum deferentes eum pro novo Antiſtite deligendo nomine ſui collegii interpellabant. Qui ſtatim Senatu ſuo congregato ex ipſius plerumq; ſententia unum vel ex ipſis collegiis, vel ex amicis & capellanis cæterisq; domeſticis & familiaribus ſuis juxta loci dignitatem, ut ei libitum erat, pro arbitrio à ſe electum annulo & virga paſtorali Prælati defuncti ad ſe transmiſſis, donabat, eumq; de illo Sacerdotio diplomate ſuo imperiali, ut tum dicebatur inveſtitum, hoc eſt, illa dignitate donatum, in Epiſcopum vel Abbatem conſecrari mandabat, abſque alia Cleri & Monachorum electione. Hoc autem per Galliam, Germaniam & Italiam, quæ tunc Latinus orbis dicebatur, uſurpari mos erat. Cujus exemplo cæteri quoque Reges, ut Hiſpaniæ, Francorum, Hungariæ & ejusmodi imitati ſunt. Hanc autem conſuetudinem, cum omnes, ut dixi, Latini Orbis Eccleſiæ, tum ſæpe & diu in multis ſuorum Pontificum electionibus ſervavit Romana Eccleſia, & præſertim in Johannis XIII. Gregorii V. Sylveſtri, Clementis, Damaſi, Victoris, Nicolaiq; Pontificum electionibus, qui omnes Ottonis I. & III. Heinrici quoque III. & IV. ſententia Romani Pontifices ſine Cleri Romani ſuffragiis lecti,*

ab

ab iisdem Imperatoribus per annulum & virgam de papatu Romano inveſtiti fuerant. Et alio loco idem Author. *Imperator non ſolum Epiſcopatus omnes & Abbatias minoraq; omnia Sacerdotia, ut Præbendas, Canonicatus, Præpoſituras & Decanatus & hujusmodi conferebat; ſed etiam Romanum ipſum Pontificem deſignabat.* Nec diſſimulat novaſſe res Gregorium, & vetuſtiſſimum morem inaudito plane exemplo funditus evertiſſe. *Non ſolum* inquit, *Imperatorem electione Romani Pontificis, quod & Adrianus III. aliquando fecerat, ſed & omni auctoritate, qua reliquos Prælatos, Epiſcopos ſcilicet, Abbates, conſtituebat,* PRIMUS OMNIUM ROMANORUM PONTIFICUM *privare tentavit.*

§. 26. Hactenus Epithalamia cantavimus & triumphos illius juris, quod Imperatoribus & per ipſam ſummæ poteſtatis vim, & Pontificum decreta velut deſponſatum in Epiſcoporum & totius ſacri Ordinis conſtitutione diuturna annorum ſerie dominatum exercuit: Nunc, eheu, infelix germen ignavæ poſteritatis! funus & exequiæ ejus ducendæ ſunt. Quod Metellum quondam mortuo Scipione dixiſſe ferunt, *ite, filii, exequias: nunquam majoris civis funus videbitis:* quid vetat in hoc publico luctu exclamare. Huc accurrite, ite exequias, quicunque boni viri, imò, qui boni cives tantum eſtis, nunquam videbitis graviore caſu afflictam majeſtatem imperii, quam in nece juris tam eximii & neceſſarii ad publicam felicitatem. Ægrotare jam illud leviter ceperat & velut lentâ febri ten-

tari decreto Adriani III. quod pro libertate Romanæ Eccleſiæ fecit. Sed nondum morbus omnes corporis Chriſtianæ Reipublicæ partes corripuit: & mox tempeſtivo remedio penitus eſt diſſipatus. Major & virulentior peſtis, Gregorius VII. fuit, quæ tanto periculoſius provocavit recidivam, quo vehementiore impetu ex ſpeciali lite cauſa univerſalis facta eſt, & ſerpente incendio omnia membra conflagrarunt, donec Chriſtiana Eccleſia ſub ſpecioſa libertatis facie juſtis ac lenibus Principum imperiis ſubtracta in neſcio quam bullatam tyrannidem pervenit, oſſa & medullas avarè deprædantem. Quam verè igitur (*a*) Tacitus? *ut imperium evertant, libertatem præferunt, ſi everterint, ipſam aggredientur:* & (*b*) alio loco, *nec quiſquam alienum ſervitium & dominationem ſibi concupivit, ut non eadem iſta vocabula ſibi uſurparet.* Præbuit verò mutationi rerum exoptatam occaſionem civile bellum, quod Saxones adhuc Imperatore juvene occultis factionibus meditati legatis ad Pontificem Alexandrum, Simoniæ pluriumque criminum poſtulaturis Principem ſuum cum aliis querelis auſpicati ſunt. Erat jam tum Heinrico infenſus Alexander, per Hannonem Colonienſem Archiepiſcopum increpitus Cæſaris nomine, quod ejus injuſſu & auctoritate pontificale ſolium occupaſſet. Cum enim Hildebrandus, Archidiaconus Romanæ Eccleſiæ, homo artificioſæ calliditatis, canonumque & antiqui moris haud imperitus, cæterum ut de eo Benno Cardinalis teſtatur, coævus Hilde-

(*a*) Ann. l. 16. c. 22. (*b*) 4. Hiſtor. 73.

Hildebrando, notiſſimusque, præſtigiis & incantationibus ſummè deditus, (ne de ſpiritu illo dubites, quem tantopere Baronius laudat) inique ferret Pontificum fortunas ab Imperatoris majeſtate & arbitrio dependere, cum Cardinalibus & Epiſcopis quibusdam in occulto convenerat, ut mortuo Papa, quem Heinricus Baſileæ poſt mortem Nicolai dixerat, Alexandrum ſub tutela impuberis Heinrici conſecrarent, non requiſita tutorum auctoritate: ita enim viſum eſt ipſis facilius iri neglectum imperii jura ab adminiſtratoribus alienæ rei. Sed valdè pupugit Principum animos illa peſſimi exempli audacia, ad majora conſilia ſine dubio eruptura, ſi negligeretur: quare Colonienſem Romam miſerunt, qui Apoſtolicæ Sedi ea in re novum opus nunciaret, cui exponenti mandata tam confidenter Hildebrandus de jure ſuo reſpondit, ut, ſi utique Baronio fides, ſimplici & forte imperito Præſuli veteratoria Canonum jactatione ſilentium indixerit. Summam Diſputationis (a) Baronius his verbis narrat: Scilicet cùm Legatus Cæſaris Pontificem ita fuiſſet allocutus; *Qua ratione frater Alexander absque mandato & aſſenſu Domini mei Regis recepiſti Papatum? A longis namq; temporibus à Regibus hoc absque dubio eſt obtentum. Et incipiens à Patriciis & Imperatoribus nominavit eos, per quorum mandatum & aſſenſum plurimi Romani Pontifices in Sedem Apoſtolicam habuerunt ingreſſum. Archidiaconus Hildebrandus cum Epiſcopis Cardinalibus reſpondit. Firmiſſimè tene, & nullatenus*

(a) Ad Ann. 1064.

tenus dubites, quod in electione Romanorum Pontificum juxta S. Patrum canonicas Sanctiones Regibus prorſus nihil eſt conceſſum & permiſſum: & deductis in medium pluribus S. Patrum decretis ſufficienter Colonienſi ſatisfecerunt, quod ex tunc rationabiliter non habuit reſiſtendi occaſionem. Hæc prima eſt invaſio imperii jurium, in Heinrici infirmam poteſtatem alieno tempore à Sede Romana facta, poſtquam Ottones regnare cœperunt. Verum utcunque Hildebrandi conſilio tunc placatus eſt Imperator, quamvis utrobique ſtimuli ſupereſſent recentis indignationis. Igitur quamprimum excitata ſeditione Saxonum gens Heinrico diem apud Pontificem dixit, Hildebrandus opportunum tempus veniſſe ratus, quo conceptam pridem Romanæ Eccleſiæ dominationem commode firmaret, conſuluit Alexandro, quem fere in poteſtate habebat, ut Imperatorem inaudito plane omnibus ſeculis more Romam ad judicium vocaret S. Sedis, illic rationem criminum redditurum, quorum nomine oneratus eſſet à contumacibus ſubditis: quod & fecit Pontifex: ſed omnem actionem mors ejus repentina interpellavit; poſtquam intermiſſo judicio aliquamdiu tranquillæ res fuerunt. Defuncto Alexandro Hildebrandus eligitur, nomine ſibi facto Gregorii VII. qui placidis mollibusq; initiis velut ille Europæ amator ſenſim Romani Imperii Majeſtatem è littore in altiſſimum & periculoſum pelagus nihil ſentientem deduxit. Quamvis enim ignaro Imperatore in ſe receperit Pontificatum, tamen quod intempeſtivum conſiliis

ſuis

ſuis duceret, novis adhuc nec confirmatis rebus imperium provocare, jam indubie irritatum electione ſua; tamdiu ſuſtulit ambigua fraude per conſecrationem inire Pontificatum, quàm conſtare ſibi propius poſſet, quorſum eruptura ſit imperii indignatio, & quis exitus futurus impendentis certaminis, ut ſibi ipſi in omnem eventum præſto eſſet vel meditata pervicacia, rebus cadentibus ex animi ſententia; vel ſpecioſa excuſatione, ſi forte Petrus ambitioſas Succeſſorum ſpes infelici alea damnaverit. Nec pœnituit Hildebrandum ancipitis conſilii; Quippe Imperator ad Principum & Epiſcoporum ſuggeſtiones Legatos ſuos Romam miſit, cum plena poteſtate exauctorandi Pontificem, niſi ſibi de injuria ſatisfieret. Hic præparata diu ad humilitatis & obſequii ſimulationem mente Pontifex ſtudioſè ſe excuſare, invito ſibi nec ambienti oblatum Pontificatum, quem præterea non alia lege ſuſceperit, quàm ſi populi ſuffragiis acceſſiſſet Imperatoris & Principum imperii auctoritas & mandatum, eam in rem ſe diſtuliſſe conſecrationem, donec certior fieret de Imperatoris voluntate; nec vero deinceps paſſurum ſe prius conſecrari quàm ex illius conſenſu & præcepto: Quibus auditis Heinricus ſibi abunde ſatisfactum arbitratus facile conſenſit in novi Pontificis conſecrationem. Prolixius id memorat Lambertus Schaffnaburgenſis ad annum MLXII. his verbis. *Alexander Papa, qui & Anshelmus, deceſſit, cui Romani protinus inconſulto Rege ſucceſſorem elegerunt Hildebrandum, virum ſacris literis eruditiſſimum, & in tota Ec-*

 cleſia

cleſia tempore quoque priorum Pontificum omni virtutum genere celeberrimum. Is, quomodo Zelo Dei ferventiſſimus erat, Epiſcopi Galliarum protinùs grandi ſcrupulo permoveri cœperunt, ne vir vehementis ingenii & acris erga Deum fidei diſtrictius eos pro negligentiis ſuis quandoque diſcuteret. Atque adeò communibus omnes conſiliis Regem adorti orabant, ut electionem, quæ ejus injuſſu facta fuerat, irritam fore decerneret, aſſerentes, quod niſi impetum hominis prævenire maturaret, malum hoc, non in alium graviùs, quàm in ipſum Regem redundaturum eſſet. Statim Rex à latere ſuo Eberhardum Comitem miſit, qui Romanos Proceres conveniens cauſam ab eis ſciſcitaretur, quare præter conſuetudinem majorum Rege inconſulto Romanæ Eccleſiæ Pontificem ordinaſſent, ipſumq; ſi non idoneè ſatisfaceret, illicitè acceptâ dignitate abdicare ſe præciperet. Is veniens Romam benigne à prædicto viro ſuſceptus eſt, cumq; illi mandata Regis expoſuiſſet, reſpondit, ſe Deo teſte honoris hujus apicem nunquam per ambitionem affectaſſe, ſed electum ſe à Romanis, & violenter ſibi impoſitam fuiſſe Eccleſiaſtici regiminis neceſſitatem: cogi tamen nullo modo potuiſſe, ut ordinari ſe permitteret, donec in electionem ſuam tam Regem quam Principes Teutonici regni conſenſiſſe certa legatione cognoſceret: hac ratione diſtuliſſe adhuc ordinationem ſuam & ſine dubio dilaturum, donec ſibi voluntatem Regis certus inde veniens nuncius intimaret. Hoc ubi Regi eſt renunciatum, libenter ſuſcepit ſatisfactionem, &

lætiſſimo

latiſſimo ſuffragio, ut ordinaretur mandavit, quod & factum eſt anno ſequente in purificatione Sanctæ Mariæ. His artibus Hildebrandus profundiſſimæ ambitionis homo, ſed quam occultaret, adoptato honorum contemptu, Eccleſiæ Romanæ ſummum locum conſecutus eſt, eluſa Heinrici ira extemporario nec amplius duraturo obſequio, quam ſibi recentem dominatum familiarius conciliaſſet. Nam biennio poſt captato ex occaſione Saxonici belli tempore horrendis fulminibus in Imperatorem ad dicendam cauſam Romam citatum auſus eſt detonare, quaſi vicem redditurus Cæſareo edicto, quo ei pontificatus abrogabatur. Ad iſtud ſacrum claſſicum ſecuta defectione majoris Germaniæ partis, cum Pontifex imperii Principes remiſſa fidelitate, quam Imperatori debebant, ſuis partibus reciproca perfidiæ ope obligaſſet, inter publicas clades & mutuam lanienam altiora indies animo agitans, imprimis vero confidentior redditus præcipitata & infauſta Heinrici pœnitentia, intra Canuſiii mœnia poſt triduanas moras, ſumme moleſtas, imò indignas tanto Principi, ſupplicíter provoluti ad genua ſuperbi Præſulis, illi etiam juri manum prædatoriâ injicere cepit, quod Imperatores ab Ottone Magno huc usque perpetua ſerie in Pontificis Romani conſtitutione nemine unquam contra nitente uſurpaſſe reperti ſunt. Antea quidem in Synodo Romanâ anno ſeptuageſimo ſexto ſupra milleſimum habita jam confecerat aliquos canones, Romano imperio plurimum infeſtos: quod nimirum ſolius Pontificis nomen recitari in Eccleſia debeat:

quod ejus ſententia à nullo retractanda ſit, ipſe verò omnium retractare poſſit; quod unicum ſit nomen in mundo Papæ; quod à nemine judicari debeat, quod ei liceat deponere Imperatores, & à fidelitate iniquorum ſubjectos abſolvere: Sed tamen de inveſtituris Epiſcoporum Regibus & Principibus auferendis, ſi Baronio credimus, totis primis quatuor annis nihil conſtituit, quaſi illo certamine, ſi cætera feliciter proceſſiſſent, facturus eſſet ultimum experimentum fortunæ & virium ſuarum. Igitur quinto demum anno illa etiam ſuſcipitur expeditio, *cujus cauſâ*, ut ait Baronius, cui hæc parricidia ſuave ſuffimentum ſunt in ſacris naribus, *ſciret omnes ſe paſſurum Chriſtianos Principes adverſarios*, indignatos ſcilicet novum & ſacrilegum facinus. Prima mandata Hugoni, Dienſi Epiſcopo Legato Apoſtolico in Galliam dedit, ut de inveſtituris Laicorum abolendis in Concilio Lingonenſi Decretum promulgari curaret, ipſe Gregorius anno ſequenti ſanxit (a) hoc ſenſu. *Quoniam inveſtituras Eccleſiarum contra ſtatuta SS. Patrum à Laicis perſonis in multis partibus cognovimus fieri, & ex eo plurimas perturbationes in Eccleſia oriri, ex quibus Chriſtiana religio conculcatur, decernimus, ut nullus clericorum inveſtituram Epiſcopatus vel Abbatiæ vel Eccleſiæ de manu Imperatoris vel Regis, vel alicujus laicæ perſonæ viri vel fœminæ ſuſcipiat. Quod ſi præſumpſerit, cognoſcat inveſtituram illam Apoſtolica authoritate irritam eſſe & ſe uſque ad condignam ſatisfactionem excommunica-* *tioni*

(a) Baron ad ann. 1078.

tioni ſubjacere. Biennio poſt repetito, ſed acerbioribus verbis decreto in alia Synodo electionis hanc formulam addidit, deinceps pro æterna lege obſervandam. (*b*) *Quoties defuncto paſtore alicujus Eccleſiæ alius ei eſt canonicè ſubrogandus, inſtantia viſitatoris Epiſcopi, qui ei ab Apoſtolica vel Metropolitana Sede directus eſt, Clerus & populus remotâ omni ſeculari ambitione timore atque gratia Apoſtolicæ Sedis, vel Metropolitani ſui conſenſu paſtorem ſibi ſecundum Deum eligat. Electionis vero poteſtas omnis in deliberatione Sedis Apoſtolicæ ſive Metropolitani ſui conſiſtat.* Hæc duo fulmina ſunt, in univerſum orbem vibrata, per quæ Gregorius furibundo impetu tanquam Jupiter aliquis Capitolinus omnium Chriſtianorum Principum majeſtatem exterruit, ſed præcipue concuſſit, ipſo Onuphrio teſte, *dignitatem imperii Romani; iis fundamentis jactis, quod longe plus erat, quibus illius poteſtas omninò labefactaretur.* Poſt hos ignes emiſſos videas nunc omnia incendiis ardere, fervere factionibus & ſeditioſorum coitione, amburi longa & internecina conflagratione. Primus ergò incendiarius & turbo tantorum motuum, prima peſtis Romani imperii; prima cauſa ſeditioſæ & infandæ libertatis Romanæ Eccleſiæ Hildebrandus eſt. Nam quod de Simplicio, qui circa quintum ſeculum Sedi Apoſtolicæ præfuit, (*a*) Marſilius Patavinus & (*b*) Platina ajunt, ab eo decretum eſſe, *nullum Clericum poſſeſſionem beneficii à Laico debere recognoſcere*, id nullis idoneis auctoribus conſtat,

 nec

(*a*) Defenſ. Pac. p. 1. c. 24. (*b*) In Simplic.

nec prope verum eſt. Cæterum data ſemel licentia, quamvis peſſimo exemplo, facile fuit Succeſſoribus litem continuare, præſertim nihil intermittentibus publicis in Germania turbis, quæ Heinricum tota vita ſua variè exercuerunt. Victor, Urbanus, Paſchalis probant Hildebrandiana conſilia, pluribusque Synodis repetunt decreta illius & confirmant, ac præcipue Paſchalis, qui ante omnes fervidis ſtudiis tutatus eſt Eccleſiæ cauſam, Trecenſi Synodo, cui ipſe interfuit. Verùm quicquid illi vi, dolis, perfidia & omni ſcelerum conatu perfecerunt, nunquam ſibi Imperator poſt Canuſianam pacem, maximo ſuo dedecore confectam, amplius illudi paſſus eſt, ſed adverſus tot hoſtes immoto conſtitit animo, plerumque etiam illuſtribus victoriis perduelles ſubditos ad obſequium revocans, antequam ex inſidiis perfida cum filio reconciliatione nihil tale ſuſpicatus opprimeretur. Ut enim rem omnem breviter recenſeam, non prius dolorem & querelas Italorum Principum, ex ſubmiſſione, indigna imperiali majeſtate, quam Heinricus, ut Germaniæ Proceribus morem gereret, Gregorio in arce Canuſiana, aſperrima hyeme inter frigus & cœli injurias per triduum, nudis, ut fertur, pedidus (ô inauditam rem omnibus ſeculis!) exhibuit, conceptam verbis & facti deteſtatione ſopiverat, reſciſſis omnibus pactis, cum Pontifice initis, & præterea illo velut turbine atque auctore omnium iſtorum motuum in frequentibus Italorum comitiis accuſato, cum vitatis papalium inſidiis in Germaniam regreſſus Rudolphum Sueviæ Ducem, per abſentiam ſuam

ad Gregorii imperia Regem electum ad Herbipolim Franconiæ in fugam convertit: inde proſecutus victoriam, & denuo in Saxonia Rudolpho cum omni exercitu profligato, ipſis Epiſcopis initium fugæ facientibus, tantum ſui nominis terrorem ubique late ſparſit, ut non modo jam Saxones pœniteret rebellionis, & ſui Regis, velut quarta lunâ nati, ſed & Pontifex, cognito, Italiæ aditus à Cæſarianis teneri, tum Rudolphum bis adverſa fortuna cum Heinrico congreſſum: ultimoq; prælio Wernitherum Magdeburgenſem occiſum, Bernhardum Cardinalem, Sigfridum Monguntinum, Adalbertum Wormatienſem, omnes mancipia ſua & idoneos folles, quibus incendium ſubinde afflaret, captos eſſe, præterea Hermanum Metenſem patriæ finibus ejectum, Sueviam depopulatam, exhauſtam Saxoniam, ubique imperatorias partes ſuperiores, metu impendentis mali mollioribus cantaret fidibus, denuoque ſe arbitrum ferret utrisque medium, poſt pleniorem cauſæ cognitionem pro alteruro, qui ſcilicet potiore jure niteretur, pronunciaturus: ſed indigniſſimè hoc verſatile ingenium Saxones tulerunt, * acerbis & pungentibus literis ad Pontificem datis, quibus accuſata inconſtantia ejus omnem illi imputant ſuarum calamitatum culpam, vixque tertiis tabulis felicitate Heinrici attonitum excitant, ut repetita fulminatione novos animos adverſæ factioni faceret, quod tandem anno octuageſimo aſſiduis querelis expugnatus, tum vero clade Imperatoris ad Flandersheimum acceptā confirmatior factus publico proclamate

executus eſt. Interea Heinricus conventu Moguntiæ habito ſecunda vice abrogat Hildebrando Pontificatum, utque ſuas partes ſecurius firmaret, elocata in matrimonium filia ſua Comiti Hohenſtauffenſi, Friderico, ſtrenuo militi, & ſuas partes inter hos motus utili ac fideli ſervitio ſemper ſecuto, Sueviæ Ducatu præmio exhibitæ jam ſibi fidei ad majorem alacritatem accendit. Mox commiſſo ad Eliſtrum fluvium prope Merſeburgum prælio, dum cœco hoſtium furore & inſania vincitur, admirabili judicio Dei vincit: nam abſciſſa inter pugnandum æmuli Regis manus aptiſſima pœna in vulnere moriturum admonuit, nunquam perjurii mercedem ſecuram eſſe; Extrema Rudolphi verba, quæ ad Proceres ſuæ factionis apud (*a*) Helmoldum locutus eſt, agnoſcunt eam culpam cum pœnitentiæ aliquo ſenſu. *Videtis manum dextram meam*, inquit, *de vulnere ſauciam. Hâc ego juravi Domino Heinrico, ut non nocerem ei, nec inſidiarer gloriæ ejus. Sed juſſio Apoſtolica Pontificumq́; petitio me ad id deduxit, ut juramenti transgreſſor honorem mihi indebitum uſurparem. Quis igitur finis nos exceperit, videtis, quia in manu, unde juramenta violavi, mortale hoc vulnus accepi. Viderint ergo ii, qui nos ad hoc inſtigaverunt, qualiter nos duxerint: ne forte deducti ſimus in præcipitium æternæ damnationis, & hoc dicens cum gravi moleſtia, diem clauſit extremum.* Sepultus eſt ab amicis regia pompa, quod cum Imperatori quidam retuliſſent, feſtive is reſpondit, ſe vero percu-

pere,

(*a*) L. 1. c. 29.

pere, ut omnes inimici ſui quam ſumptuoſiſſima morte jacerent, ita enim reſpiraturum imperium ab inteſtinis diſſenſionibus. Heinricus vero extincto æmulo potius omni re duxit, qua ratione Rempublicam diuturnis cladibus jam pene agentem animam reſtitueret. Eo conſilio poſt Moguntienſia comitia, in quibus placuit Italorum quoque Epiſcoporum ſententias ſupra Hildebrandi depoſitione, tantorum malorum auctoris, alio conventu exquirere, Brixienſem Synodum indixit, ubi comparentibus ad triginta Epiſcopis ipſo Imperatore Præſide communi calculo decretum eſt, imperii & Eccleſiæ rationes ita velle, ut rejecto Gregorio alius ſurrogaretur, & cum valido exercitu Imperator quamprimum in Italiam deſcenderet, Romanum populum, obnoxium Pontifici ad priſtinum officium reducturus. Paruit extemplo Heinricus, numeroſiſſimoque conſcripto milite novum Pontificem in Synodo creatum, ne qua parte imparatus recté conſultis officeret, ſecum in Italiam ducit, ſed præmiſſa fecialis loco epiſtola, belli denunciatoria, * quæ longo ordine cauſas explicabat, quod Cæſar arma in Pontificem ferret. Anno ſequenti itur bonis avibus Romam, in qua Pontifex ſe Nordmannorum auxiliis ſuffultus ad defenſionem comparaverat. Poſt diuturnam obſidionem capitur primo Leonina urbs, deinde ſubrutis mœnibus ipſa Roma, Papa interim ad Normannos refugiente, à quo Romani & Italiæ Epiſcopi plerique deſciverant, quod Heinrici vitam inter ſimulatam pacis actionem fœdis inſidiis & vel ipſis gentibus pudendis

dendis licitaſſet, demiſſo molari in orantis caput: & mox percuſſoribus ſubornatis, qui ſubter tabulata triclinii, in quo Imperator ſolitus erat ſibi ſecreto vivere, prælongis haſtis incautum confoderent. Occupata Roma cives condignè prius multati coguntur in verba Imperatoris & novi Pontificis, qui ſe Clementem appellabat, jurare. Ab eo Heinricus majorum more auguſtalibus ornamentis redimitus confeſtim in Germaniam pedem refert, cum Hermanno Luzelburgenſi comite, quem Saxones ſibi novum æmulum Regem conſtituerant, de imperio certaturus: ſed hic ingenti prælio victus, & ab ipſis Saxonibus deſertus in caſtello quodam à muliere jactu lapidis necatur, breve ſeditionis præmium, ſanguine, quæ digna eſt perduellium pœna, expians. Saxones ut præſente neceſſitate conſenſere in pacem, ita liberati metu propediem rebellant, incentore Egberto, Miſniæ Marchione, quem Hermanno Regem ſubſtituunt. Verùm & hoc regnum fabulæ propius & ludo fuit quam ſeriæ actioni, divina manu ſeditioſorum conatus undique damnante infauſtis principiis. Quippe Egbertus à Cæſareanis exploratoribus in molendino oppreſſus commoda cæde finem regno impoſuit; quod non ſibi ſed Domino ſuo debebatur: ita tota Germaniâ victor Heinricus tandem Saxones cumulatis cladibus acciſos impulit, ut meliore fide pacem peterent. Quod ipſi percommodum accidit, jam animo agitanti Italicam expeditionem, ubi Pontifice Urbano, quem Benno Cardinalis Turbanum dixit, res videbantur egere præſentia ſua. Pontifex

enim

enim revolutus ad Hildebrandi mores atque inſtitûta, dum ſpiritus ſui enſem denuo ſtringit in Imperatorem, quaſi claſſicum in Italia cecinit novorum motuum, indubie ſecuturorum, niſi Heinricus celeri adventu parturientium adhuc nubium prægrandem tempeſtatem diſſipaſſet, propere omnibus recuperatis, quæ adverſa factio occupaverat, & legatis etiam à Româ cum pace dimiſſis quam petitum venerant. Sed mox patuit ſuppreſſam magis ita ſeditionem fuiſſe quam extinctam. Imperator infauſto ſibi conſilio exceſſurus Italia, ibi reliquit filium ſuum Conradum, qui ſe opponeret Mathildæ Comitiſſæ, ambitioſæ fœminæ conatibus: quod utriſque in malum vertit, cum Imperator cogeretur abjurare proprium filium, obnoxium hoſtibus ſuis, accedente ad publicas calamitates velut domeſtico hoc funere: & Conradus blandientis ſcorti muliebribus artibus ſenſim faſcinatus, oſtenſis Rogerii Nordmanni filiæ nuptiis Italiæ regnum, quod arripuit, ſubitâ nec opinata morte commutavit, majores profecto turbas daturus, niſi contumacium filiorum ſolita pœna, præceps ſcilicet lethum abripuiſſet exoríturæ ſeditioni ducem ſuum. Poſt hæc Urbano Paſchalis ſuccedit, nihil mitior in Heinricum ſuis deceſſoribus. Ab eo perſuaſum eſt Heinrico Cæſaris filio, quem parens majore abdicato in ſpem omnium ſuorum regnorum & ſenectutis ſolatium ſubſtituerat, (ſed prius juramento adactum, ne vivo ſe imperium ſuſciperet, à quocunque oblatum,) ut pietatem & fidem parentibus debitam obſequio poſthaberet, probando

Romanæ

Romanæ Eccleſiæ perjuriis & infando parricidio. Nec parum apud ambitioſas Principis aures nonnulli proceres valuiſſe creduntur, qui ſubinde parentem, fidelium communione ejectum, ac cum annorum numero indies auctoritate & viribus languidiorem artificioſe ingeminarunt, metu etiam intentato, periculum eſſe, ne inter diras & vincula moriente patre Pontifex imperatoriam familiam exoſus in alium transferret Imperii Romani fortunas. Vindicaret igitur ſe ſibi, & potiorem duceret gloriam Chriſtianam Eccleſiam à Tyrannide liberare, quam patri fidem ſervare criminoſo fœdere obligatam: Hôc enim magis propitium habiturum divinum Numen, quo minùs dubitaret pro gloria ejus ipſam naturam & communia ſanguinis jura deſerere. Obſequitur incautus juvenis & male conſultus monitis pietatis adeò ſpecioſæ, immemor ſcilicet, quam nullâ divinæ legis parte filius, nedum idem ſubditus, paternæ culpæ vindex conſtituatur; eoque fine Nordhuſam comitia indixit, ubi multis probris parente onerato ſibi conciliavit plurimos imperii Principes, ut arma & pecuniam pro Eccleſiæ defenſione contra Cæſarem liberaliter promitterent. Ita ſubnixus validiſſimis copiis renunciat obſequium fidemque Patri, tempeſtive monenti filium, ut ſe reſpiceret, & inſidias caveret. (a) *Hoſtes eſſe non amicos, inſidiatores, non conſultores, qui ſibi ſuggeſſiſſent. Ille prorſus abnuit, & ſe non ulterius eum patrem habiturum, qui excommunicatus eſſet, aſſeruit. Ita ſub ſpecie cauſa Dei can-*

(a) Auth. Vita Heinr. IV.

cauſam ſuam egit. Illico Bavariam, Saxoniam, Sueviam percurrit, proceres convenit, attraxit omnes, ut ſunt ingenia novarum rerum cupida, & ſubintravit in regiam poteſtatem, tanquam ſepeliiſſet patrem. Cùm nulla ſpes ſupereſſet emendationis apud deperditum filium, cum maximo luctu Imperator adverſis armis ſe ad defenſionem comparavit exercitu coacto, qui ad Ratisbonam in alterius occurſum venit, levibus præliis velut præludentibus majori ſtragi. Verùm Senior Heinricus abominatus id nefas maluit tempori cedere, quam ut ad Chriſtiani nominis infamiam hinc inde pater & filius infeſtis armis concurriſſe dicerentur: itaque ſubduxit ſe clam exercitui, & ad Bohemiæ Regem confugit, ne innocentes manus cruentare cogeretur impuriſſimo quamvis filii ſanguine. Qui Imperatoris fugam timore interpretatus, continuò Spiram pergit, ut civitatem contrarias ſemper partes ſecutam cum paternis divitiis in poteſtatem redigeret, quod mox executus eſt: Quamobrem rebus ex voto procedentibus ſubita felicitate inebriatus juvenis exuit omnem pietatis ſenſum, vocatisque ad Comitia Monguntium Principibus ipſum Imperatorem parentem ſuum ad dicendam cauſam citari facit. Nec dubitavit ille eò cum exercitu venire, probaturus ſcilicet judicio omnium Ordinum ſuam innocentiam, & vaſras Romani Pontificis molitiones, ad cujus gratiam omnis hæc tragœdia ageretur. Inde metus Heinrico juniori ab aſſentatoribus, quos penes ſe habuit, injectus eſt, ne forte parens aut Ordinibus probata cauſa aut ipſa miſeratione

tione

tione humanorum caſuum rationes ſuas diſturbaret; Quare ut præverteret periculo, ad dolos & novam perfidiæ ſcenam converſus infelicem Cæſarem Confluentiæ ſimulata pœnitentia adortus, facile ei perſuaſit, quod iſte toto animo cuperet, nimirum reſipuiſſe filium ſuum. Poſthæc nihil reliquum erat, quam læta pace ſecurum ab exercitu ſuo abducere in hoſtium poteſtatem, inde precibus, deprecatione, obſequio & repetito fidei juramento credulum ſenem ita deludunt, ut militibus exauctoratis, (quæſita ſpecie ne ipſo numero Civitati oneri eſſet & terrori) cum mediocri comitatu ad Comitia iret, propediem pro captivo futurus, imò privato, injurioſè ipſi omnibus regni inſigniis detractis, quæ filius paternæ contumeliæ ſpolia ad ſe deferre juſſit. Ita Heinricus per ſummum ſcelus ſolio exturbatus, cum nullis minis adigi potuiſſet, ut Pontifici confeſſione culpæ, quæ nulla erat, blandiretur, ad evitandas inſidias, quas comperit vitæ ſuæ ab inimicis ſtrui, Coloniam primò deinde Leodium aufugit: utrobiqúe à civibus maſcule defenſus, donec anno centeſimo ſexto poſt milleſimum laborioſam animam * inter ſummam egeſtatem efflavit: Princeps meliore fortuna dignus, niſi virtus & juſtitia ſæpe ſine pretio eſſent.

§. 27. Ecce igitur nunc tibi fructus doctrinæ, quam eo tempore Romana Eccleſia non patientia & obſequio obtinuit, quod meliores diſciplinæ ſolent: ſed inter vim, jurgia, tumultus & factioſa arma, omnia miſcere cædibus, furore, incendiis, bellis: ſubditos contra legitimum Principem

cipem concitare; filios adverſus parentes: abſolvere noxios & condemnare innocentes; ipſi majeſtati ſacrilegas inferre manus, ut uni Pontifici lautè eſſet, vix ſæpe humana conſuetudine digno propter immenſa vitia: quam luculenter proſcribunt divina humanaque jura: tam præcipua pars erat Chriſtianæ religionis, cui ſiquis ſe vel mediocriter opponeret, præcipitato judicio protinus cœlo extruderetur: ſpirituali auctoritate ad libidines & privatos affectus peſſimè accommodata, ut celerius vileſceret. Ita enim ipſo Bertoldo teſte, ſub Hildebrando frequentia tonitrua fuerunt, ut manus Vulcano defuerint & miniſtris eis, quibus æternum irato Jovi tela ſumminiſtrarent, tam prodigaliter illa perdenti, nec homines amplius cohorruerint ad fragores illos, quos indies audire contigit. *Malum excommunicationis*, verba Authoris ſunt, *in tantum propagatum eſt eo tempore, ut Catholici vix ſe ab eorum contagio poſſent illaſos cuſtodire. Jam ubique multum ſententia excommunicationis cepit tepeſcere, ut etiam quidam religioſi inter excommunicatos promoveri non timerent.* Ut quisque enim non ad omnes Pontificis nutus præſto eſſet, aut juraret in ſcelerum ſocietatem, in eum deſtinabatur candidum fulmen, ne quidem regia purpura à titionibus illis immuni majeſtate ſua & ſanctimoniâ. Heinricus IV. aliquando per ambitum Epiſcopatus conceſſit, hæc cauſa erat, cur penitus privari debuerit jure ſuo & Eccleſia exturbari. Non negaverim Imperatorem corrupta juventute uſum, Adalberto Bremenſi Archiepiſcopo &

Wernero Comite turpiter divendentibus ſacra munera. Sed multa profecto correxit, poſtquam in ſuam tutelam venit, quæ lubrica ætate admiſerat. Nec amplius venales extitiſſe Eccleſiaſticas dignitates, me credere facit confidens & generoſa exprobratio, quam Moguntino & Colonienſi inter auguſtalium ornamentorum ſpolia legitur feciſſe: *Dic tu*, inquit, *Moguntine, adjuratus per nomen æterni Dei, quid exegimus vel recepimus à te, cum te Moguntiæ præfecimus? Tu quoque Colonienſis ſimiliter? Illis autem fatentibus nihil pecuniæ aut oblatum aut requiſitum, aut acceptum hujusce rei gratia, Rex ait, gloria Deo. Similiter & de Wormatienſi, & iterum Rex: dignam ergo pro beneficiis noſtris nobis rependitis gratiam.* Fac tamen, non ſemper rectum iter hîc Imperatorem inſtitiſſe: quid de ipſo Hildebrando faciemus, qui pejore corruptela, nec infrequentius, Epiſcopatus perditiſſimis illis hominibus donabat, qui illis imperatoria ſententia de ambitu convicti excidiſſent, non alio conſilio, quam, dum recenti injuria à Rege alienatos ſuo ſibi beneficio acquirit, ut ſuæ factionis clientibus Germaniam impleret, jam admonitis priore plaga, quam piaculum ſit, ſolum Pontificem non audire, nec communes hoſtes putare, quos ille ſibi eligit. Diſertè id Benno oculatus teſtis memorat: *Expulſos à Rege Simoniacos relocabat, & quos Regi infeſtos reddiderat, eos ſibi familiari amicitia reconciliabat & multis & magnis juramentis ſibi vinctos & obnoxios efficiens præ aliis exaltabat.* Et vero, qui violentam illam

medi-

medicinam, malo applicatam à Pontifice nullo affectuum præjudicio intuetur, quis eſt, qui vel manſueto Chriſti ingenio, cujus ſe vicarium fert, vel Petri & Pauli Apoſtolorum inſtitutis, quorum ſucceſſores credi cupiunt illi Præſules, conſentaneam dixerit; imò ſaltem quis idoneam morbo. Ut inveſtituras haberet Pontifex, inſubidis cenſuris Heinricus feriendus fuit, qui virtute ſua & conſtantia laudem meruiſſet, quod majeſtatem imperii ad hoſtilem direptionem non exponeret. Deinde ut immaturo fulmini apud homines major auctoritas conſtaret, quam Deum, cordium exploratorem, civilia ſacris commiſcenda erant, & ſubditi fide ſolvendi, quò ſecurius poſſent adverſus Principem ſuum velut pro Deo arma ferre, quaſi non juſſerit ille duris etiam Dominis & injuſtis obſequlum exhibere. Denique quo majore cum libertate & avaritia Romana Eccleſia dominaretur, civile bellum excitatum eſt, inter caput & membra jactum diſſidiorum ſemen; Miſer populus & inter quotidianas calamitates absque ſervitutis ſenſu pro victima mactatus ſacræ ambitioni. O inhumanum medicum! O Aceſiâ infeliciorem, qui auget dolorem & accendit, dum ei medetur. O cruentum & ferocem Vicarium humaniſſimi Domini! O ſanguinarium Apoſtolum & Petri adhuc militis gladioque accincti unicum ſucceſſorem! Siccine ima ſummis, obſequium imperio, pietatem ſuperſtitione & ſacrilegiis miſcere oportuit, ut ſuum deſiderium expleret. Siccine cum aliorum injuria & contumeliis imperare debuit? cum tot pupillorum & vidua-

rum lachrymis ridere ? cum Reipublicæ excidio ſaginari ? Quicquid olim dixerint monaſtica pecora, quicquid hodie turpiſſima Curiæ Romanæ mancipia in laudem monſtri illius, quantum Hercules non domuit, abominamur Paſtorem plus omnibus lupis ſævientem in miſellas oves. Nec jam illo tempore, quo tamen iſte adhuc omnia furibundo impetu ſecum rapuit, defuerunt ſapientes & cordati viri, quibus nova ratio & inaudita meliori Eccleſiæ tuendæ religionis libertatem valde diſplicuit. Benno Cardinalis, homo moderatiſſimæ & eruditæ pietatis refert, Hildebrandum ſua inſania uſum contra bonorum virorum conſenſum: memorato etiam prodigio, quod infauſtæ actioni futuræ calamitatis nuncius intervenit. *Præter voluntatem & conſilium Cardinalium*, inquit, *extra ordinem judicandi, ſacris canonibus determinatum Imperatorem in nulla Synodo canonicè accuſatum præcipitanter excommunicavit, in qua excommunicatione nullus Cardinalium ſubſcripſit. Ut primum ad excommunicandum Cæſarem de Sede ſurrexit, Sedes ipſa noviter lignis fortiſſimis compoſita ſubito Dei nutu terribiliter ſciſſa eſt in plures partes: Ut manifeſte daretur intelligi, quanta ſeſſor ille periculoſa excommunicatione & præſumptione, quamque terribilia ſchiſmata ſeminaret contra Eccleſiam Chriſti, contra Sedem B. Petri, quam crudeliter diſſiparet Cathedram Chriſti conculcando leges Eccleſiæ, imperando cum potentia & auſteritate.* Author vitæ Heinrici, licet propenſior in Pontificis partes artificioſa accuſatione utitur,

& fere

& fere plus affectato ſilentio dicit, quam alii verborum acerbitate. *Abſolvit omnes à juramento, qui fidem Regi juraverant, ut contra eum impelleret abſolutio, quos fidei tenuit obligatio, quod factum multis diſplicuit, ſi cui diſplicere licet, quod Apoſtolus fecit: & aſſerebant, tam inefficaciter quam illicite factum, quod factum eſt. Sed non auſim aſſertiones eorum ponere, ne videar cum eis Apoſtolici factum refellere*: imò potius bone vir, ne videare, nihil te poſſe pro Pontificis defenſione contra robuſtas aliorum rationes, niſi exile quid & jejunum orare. Sed ante omnes Lambertus Schaffnaburgenſis, totus Gregorianæ factionis non alium fructum Pontificiæ cenſuræ narravit, quam ſeditiones & inteſtinos motus, cædes, adulteria, rapinas, turbatam Eccleſiæ pacem, imperii majeſtatem & Principum jura violata, abrogatas leges, juſtitiam, fidem, honeſtatem: breviter ſolutum carceribus diabolum. Belliſſimam, ita me Dii ament, & omninò dignam authore ſuo correctionem, quæ intempeſtivam emendationem tot Lernæis malis ſollicitat, & ne cauſam cladium rejicias in Imperatorem, quod ſolemne eſt caudatis adulatoribus, ecce tibi Lambertum nihil diſſimulantem veram originem, ſcilicet *ea re maximè auſum & fiduciam præbente, quod excommunicatus Rex eſſet.* Excommunicatio igitur eſt illud Romani gallinacei ovum, ex quo prodierunt tot ſcorpiones & inſecta, illa Pandoræ pyxis, unde tot peſtes evolarunt: excommunicatio, inquam, illa eſt, cujus occaſione *ſolutus carcere ſuo Sathanas non ſolum corporali, ſed & ſpirituali armatura*

oppugnabat pacem Eccleſiaſticam, & quorum corpora jugulabat, animas quoque, ne æternum viverent, extinguere ſatagebat. Quis verò ille Diabolus, qui ſpirituali armatura oppugnavit Eccleſiæ pacem, niſi Hildebrandus, qui ſibi ſoli ſacram panopliam tribuit? Hic dum corpora eorum jugulat, quos civilibus inimicitiis cum legitimo Principe committit, contaminatas tot iniquitatibus animas expeditiſſima via mancipavit infernis cruciatibus: quæ enim pœnitentiæ ſpes apud illos eſſe potuit, qui ex ſummo ſcelere pietatem faciunt, & pro parricidis pugnando cadunt? Igitur quantumque abſcondat Monachus veritatem, aut Pontifici faveat, incautius hic mentem ſuam nudavit, quam expedit cauſæ, cui nomen dedit. Meliore fide (a) Gemlacenſis expromit animi ſui ſenſus. *Hinc in Eccleſia ſcandala & in regno augeſcunt diſſidia: dum alter ab altero diſſidet, dum regnum & Sacerdotium diſſentit, dum alter alterum excommunicat, alter alterius excommunicationem aut ex cauſa aut ex perſona præjudicio contemnit: dum alter in alterum excommunicandi authoritate magis ex ſuo libitu quam ex juſtitiæ reſpectu abutitur: authoritas illius, qui dedit poteſtatem ligandi & ſolvendi omninò deſpicitur. Nimirum, ut pace omnium bonorum dixerim, hæc ſola novitas, non dicam hæreſis nec dum in mundo emerſerat, ut Sacerdotes illius, qui dixit Regi Apoſtata, & qui regnare facit hypocritam propter peccata populi, doceant populum, quod malis Regibus nullam debeant ſubjectionem*

(a) Ad ann. 1088.

jectionem, & licet ei ſacramentum fidelitatis fecerint, nullam tamen debeant fidelitatem, nec perjuri dicantur, quia contra Regem ſenſerint, imò qui Regi paruerit, pro excommunicato habeatur: qui contra Regem fecerit, à noxa injuſtitiæ & perjurii abſolvatur. (a) Otto Friſingenſis rem novam & incognitam ſuperioribus ſeculis notat. *Lego & relego*, inquit, *Romanorum Regum & Imperatorum geſta, & nusquam invenio quemquam eorum ante hunc à Romano Pontifice excommunicatum, vel regno privatum.* Nec privatos tantum homines indignitas rei movit, ſed & totius imperii meliorem & incorruptam portionem, *quod nunquam ante hæc tempora*, ut idem (b) Friſingenſis ait, *hujusmodi ſententiam in Principem Romanorum promulgatam cognoverat.* Sed quid aliorum teſtimonia prolixe congerimus? Ipſa ſcelerum confeſſio morituri Hildebrandi, Salernis in acta publica juſſu ejus relata, quam ſe vidiſſe aſſerit (c) Sigebertus, nec de ſpiritu, quo agitatus in plena fortuna furiit, nec pœnitentia & deprecatione, ſiquidem animus cum verbis conſentiit, nos incertos eſſe ſinit. Inſtrumentum ingenuæ confeſſionis, ad nullius vim in ipſo articulo mortis elicitæ ſaucia conſcientia, (quam certe jura non minimæ auctoritatis fideique æſtimant) tale eſt. *Volumus vos ſcire, qui eccleſiaſtica cura ſolliciti eſtis, quod Dominus Apoſtolicus Hildebrandus, qui & Gregorius, nunc in extremis poſitus, ad ſe vocavit unum de duodecim Cardinalibus, quem multum diligebat præ*

(a) L. 6. c. 35. (b) l. 1. c. 1. (c) ad ann. 1085.

cæteris, & confeſſus eſt Deo & S. Petro & toti Eccleſiæ, ſe valde peccaſſe in paſtorali cura, quæ ei ad regendum commiſſa erat: & SUADENTE DIABOLO *contra humanum genus odium & iram concitaſſe: poſtea vero ſententiam, quæ in orbe terrarum effuſa eſt, pro augmento Chriſtianitatis cepiſſe dicebat. Tunc demum miſit prædictum confeſſorem ad Imperatorem, & ad totam Eccleſiam, ut optaret illi indulgentiam, quia finem vitæ ſuæ aſpiciebat: & tam cito induebat ſe angelica veſte, & dimiſit ac diſſolvit vincula omnium Bannorum ſuorum Imperatori & omni populo Chriſtiano vivis ac defunctis, Clericis & Laicis: & juſſit ſuos abire de domo Deoderici, & amicos Imperatoris adſcendere.*

§. 28. Heinricus duplici parricidio piacularis poſt patris mortem cum imperio ſucceſſit in ſimultates & quaſi hæreditaria certamina, velut neceſſaria onera, quæ ſucceſſurum in ampliſſimam hæreditatem oporteat agnoſcere. Quem enim Paſchalis Pontifex vivo adhuc genitore pro ſuo commodo tenerrimè dilexit, eundem acerbo & plusquam hoſtili odio poſt illius obitum perſecutus eſt, unde cordatis viris ingenium & conſilia patuerunt Romanæ Curiæ, æſtimantis Chriſtianos Principes non virtutibus vitiisve, ſed utili patrocinio ambitionis & avaritiæ ſuæ. Primis Comitiis, quæ, cum jam ſolus imperaret, Goslariæ indixit fulgure ex tempeſtate repentino coortâ erumpente dextro femore tactus acumen gladii cum baltheo & clypei parte abſumptum reperit, monentibus fatis, hoc imperatore majeſtatem & vires imperii

hebetandas eſſe. Italicam ejus expeditionem maturavit Paſchalis concilium, Trecis habitum, ubi repetitis decretis Gregoriana interdicta de inveſtituris Epiſcopatuum non accipiẽdis à profanis manibus confirmata ſunt. Hoc ſtrepitu excitatus ſubito Imperator, quod ſuam & imperii rem in diſcrimine verſari animadverteret, anno decimo ſeculi duodecimi in Ratisbonenſibus Comitiis profectionem in Italiam edixit, ut poſſeſſionem ejus regni cum imperiali corona & antiquis majorum juribus vindicaret. Sequenti anno triginta millibus equitum, non connumerato pedite, occupatis clauſtris Alpes transgreſſus eſt, feſtinatis itineribus Romam properans, ut Pontificem, ſolemnia inſanientem compeſceret: id animi enim fuiſſe Heinrico diſertim (*a*) Sigebertus memorat. *Heinricus Rex Romam vadit, propter ſedandam diſcordiam, quæ erat inter regnum & ſacerdotium, quæ capta à Papa Gregorio VII. qui & Hildebrandus nominatus eſt, & exagitata à Succeſſoribus ejus Victore & Urbano, & præ omnibus à Paſchali, magno ſcandalo erat toti mundo. Rex autem uti volens auctoritate & conſuetudine & authoralibus privilegiis Imperatorum, qui à Carolo M. qui poſt de Regibus Francorum imperavit Romanis, jamq; per trecentos & eo amplius annos imperaverant, ſub 63. Apoſtolicis, dabat licite Epiſcopatus & Abbatias & per annulum & per virgam. Contra hanc majorum authoritatem cenſebant Papa Synodali judicio non poſſe nec debere dari per virgam vel per annulum*

Qq 5 *Epiſco-*

(*a*) Ad ann. 1111.

Epiſcopatum aut aliquam Eccleſiaſticam inveſtituram à laicali manu: & quicunque ita Epiſcopatum aut aliam Eccleſiaſtici juris inveſtituram accipiebant, excommunicabantur, propter hanc præcipue cauſam Rex Romam tendebat, & ſiqui Longobardorum quoquo modo ei reſiſtere valebant, potenter eos proterebat. Cùm Cæſareus exercitus Romam appropinquaret, legati Pontificis occurrunt, quæſituri cauſam armati adventus, & qua ratione poſſet inter partes amicè conveniri: unde veterem uſum & imperii jura confirmata ab ipſis Pontificibus Imperator produxit; hinc pontificia factio neſcio quæ divina jura & priſcos canones, quorum auctoritate malignè oppoſita *regno quidem jam*, verba Heinrici ſunt in Conſtitutione ejus apud (a) Goldaſtum, *à Carolo quadringentis & amplius annis, & ſub ſexaginta tribus Apoſtolicis inveſtituras Epiſcopatuum eorundem authoritate & privilegiorum firmitate tenenti absque omni audientia auferre volebant.* Sed quum imperatorii Legati nervos & Reipublicæ præcipuas vires majorum liberalitate & beneficio Eccleſiis erogatas oſtenderent, quæ nec ſine ſacrilegio eripi illis poſſent, nec imperio ſubtrahi absque maximo & præſenti damno, annuit Pontifex & juramento confirmavit, *ſed verò omnia iſthæc cum juſtitia & authoritate Eccleſiæ auferre, & regno cum juſtitia & autoritate reddere. Eccleſias decimis & oblationib⁹ contentas eſſe debere, Regem vero prædia & regalia, quæ à Carolo & Ludovico, Ottone & Heinrico Eccleſiis collata ſunt, ſibi & ſucceſſoribus ſuis recipere & deti-*

(a) Conſtit. Imp. pag. 53.

detinere, promittentibus adhæc Cæſareanis, *ſi hoc ut promiſſum eſt, ita compleſſet*, (Pontifex) *Imperatorem quoque, uti quærebat, inveſtituras Eccleſiarum reſignaturum.* Super hâc pace Pontifex publica fide Imperatori cavit, his tabulis ad æternitatem ſcripto comprehenſa. *Dominus Papa præcipiet Epiſcopis præſentibus in die coronationis Regis, ut dimittant regalia regno, quæ ad regnum pertinebant tempore Caroli, Heinrici & aliorum prædeceſſorum ejus: & ſcripto firmabit ſub anathemate, ne quis eorum vel præſentium vel abſentium vel ſucceſſorum eorum intromittant ſe ullo modo vel invadant eadem regalia, i.e. civitates, Ducatus, Marchias, Comitatus, Monetas, Teloneum, Mercatum, Advocatias, omnia jura centurionum, id eſt, villicorum, turres & villas, quæ regni erant, cum omnibus pertinentiis ſuis militiam & caſtra. Nec ipſe Regem & regnum ſuper his ulterius inquietabit, ſed privilegio ſuo ſub anathemate confirmabit, ne poſteri ſui inquietare præſumant. Regem benignè & honorificè ſuſcipiet, & more prædeceſſorum ſuorum Catholicorum ſtienter non ſubtracto coronabit, & ad tenendum regnum cum his omnibus officii ſui auxilio adjuvabit.* His ita ſub juramenti religione firmatis à Petro Leone, Pontificis nomine, juratum quoque eſt ab Heinrici Oratoribus, *quod Rex proxima quarta vel quinta feria ita Principes jurare faciet, & obſides dabit, ſicut in charta conventionis ſcriptum eſt, & ſic obſervabunt Domino Papæ, eo tenore, ſi Dominus Papa proximo die Dominico ſic adimpleverit Regi*

per

per omnia, ſicut in carta conventionis ſcriptum eſt. Igitur ne mora in Pontifice eſſet implendæ promiſſionis, ipſe adverſus voluntatem & indignationem totius ſacri Ordinis, de hæreſi accuſantis conventionem, pro ſuo arbitrio & poteſtate decretum edidit, privilegii nomine, quo præfatus ſeculi illecebris indignè ſuffocari ſublimitatem cœleſtium munerum, & inter aurum ac purpuram obliviſci pudoris ſui ingenuam pietatem, ut graſſantibus Eccleſiæ malis provideret ſalutari curatione, *Heinrico Regi & Imperatori & regno regalia illa dimittenda præcipit, quæ ad regnum manifeſtè pertinebant tempore Caroli, Ludovici, Ottonis & cæterorum prædeceſſorum ſuorum. Interdicit etiam, & ſub anathematis diſtrictione prohibet, ne quis Epiſcoporum ſeu Abbatum præſentium vel futurorum eadem regalia invadant, i. e. Civitates, Ducatus, Marchias, Comitatus, Monetas, Teloneum, Mercatum, Advocatias, jura Centurionum, & turres, quæ regni erant, cum pertinentiis ſuis, militiam & caſtra: & ne ſe deinceps niſi per gratiam Regis de ipſis Regalibus intromittat. Sed nec poſteris noſtris liceat, qui poſt nos in apoſtolica ſede ſucceſſuri erunt, aut Heinricum aut regnum ſuper hoc inquietare negotio. Porrò Eccleſias cum oblationibus & hæreditariis poſſeſſionibus, quæ ad regnum manifeſte pertinebant, liberas manere decrevit; oportere enim Epiſcopos curis ſecularibus expeditos curam ſuorum agere populorum, nec Eccleſiis ſuis abeſſe diutius: ipſos enim juxta Paulum Apoſtolum pervigilare tanquam rationem pro animabus*

eorum

eorum redditurος. Inde Romam ingreſſus Imperator coronationis cauſa ad Baſilicam B. Petri proceſſit, militibus ſuis, qui ab exercitu longius velut in pace aberraverant, aut vulneratis à Romano populo, aut occiſis: Ibi rurſus moleſta & difficili contentione ante coronationis celebritatem certatum eſt: Hinc Epiſcopis & univerſo Clero improbante magna cum ſugillatione Pontificis Decretum, in cujus manu non ſint Eccleſiæ bona & donaria, ut ſeculo reſtituerentur: inde Heinrico recuſante coronam debiliore majorum luce. Quare cum videret Imperator promiſſa aut non poſſe Pontificem præſtare aut non velle, periculum, in quod ſe facili credulitate præcipitaverat, audacia diſcutiendum ratus, convocatis militibus improviſo Romanis civibus impetu Romam cum Pontifice, & omnibus Cardinalibus Epiſcopisvè capit, triduoque poſt relicta urbe fumante adhuc occiſorum recenti ſanguine, (qui Tyberis quoque undas mutaverat in colorem ſuum) apertis campis caſtra metatus eſt, ubi de captivorum liberatione agi ceptum, urgentibus ipſis Epiſcopis Pontificem, ut reſtituto vetere jure Imperatori ſe æquum præberet, & benignum captivæ Eccleſiæ. Sed neſcio qua inſana pertinacia non prius expugnari potuit, quam cum Principis mandato ſublatas jam ſecures vidiſſet imminere delicatulis cervicibus captivorum fratrum, in conſpectu ejus præcidendis. Tunc vicit miſeratio contumacem Pontificis animum, nunquam, medius Fidius, minore pretio redempturi tot amicorum vitam, quam cum cederet alieno jure, quod prædatoria

datoria invaſione Gregorius VII. & ipſe occupaverant. Sancita pax eſt ad majorem fidei cuſtodiam ſanctiſſimi corporis Chriſti pignore, quo Paſchalis Heinrico Epiſcopatuum collationem ſanctè reſtituit & roboravit. *In reconciliatione autem*, inquit (a) Sigebertus, *quæ facta eſt inter Imperatorem & Papam, nam ipſum Papam cum Epiſcoſcopis & Cardinalibus ceperat, die Paſcha, Heinrico, in Imperatorem coronato, poſt lectum Evangelium tradidit ei Papa ante Altare Apoſtolorum Petri & Pauli in oculis omnium Principum privilegium de inveſtitura Epiſcopatuum vel Abbatiarum tam per annulum quam per virgam, ſcilicet ut regni ejus Epiſcopis vel Abbatibus libere præter violentiam & Simoniam electis inveſtituram virgæ & annuli conferat, poſt inveſtitionem vero canonicè conſecrationem accipiat ab Epiſcopo ad quem pertinuerit. Confirmatio pacis inter Apoſtolicum & Imperatorem, dum in celebratione miſſæ traderet ei corpus & ſanguinem Domini noſtri Jeſu Chriſti; Domine Imperator hoc corpus Domini, natū ex Maria Virgine paſſum in cruce pro nobis, ſicut ſancta & Apoſtolica tenet Eccleſia, damus tibi in confirmationem veræ pacis, inter me & te: datum eſt Idibus Aprilis: indictione quarta.* Sed propediem fides cum metu deſiit, & ex genio illius curiæ, fas, pietatem, juſtitiam corrupit avara imperandi libido. Nam Heinrico in Germaniam reverſo, ut Paſchalis Synodo ſatisfaceret, quam anno centeſimo & duodecimo habuit ſupra milleſimum, acerrimè ringenti ad trans-

(a) Ad ann. 1111.

tranſactionem adeò damnoſam Eccleſiæ, ad artes & conſilia Gregorii revolutus alta voce pronunciavit, ſe omnes ejus actiones ratas habere & acceptas, probare, quicquid illa probaverit, & damnare denuo, quod ab eâ damnatum ſit. Hoc velut præambulo conſurrexit Synodus, & ſententiam ex ſcripto recitavit reſciſſoriam fidei & juramenti, quam inter vincula & maximos præſentis mortis terrores in Eccleſiæ præjudicium nec Pontifiem dare potuiſſe, nec utcunque datam conſiſtere, reſtitutione in integrum revocandam, ſuperbe decrevit, ex inſtitutis ſcilicet & ſchola illius apud Plautum lenonis; *quod promiſi linguâ, eâdem nunc nego, dicendi non rem meam perdendi gratia hac nata eſt mihi*, & alius perditiſſimi nebulonis, qui rogatus ab eo, cui fidem dederat, *quæ hæc factio eſt, non debes, non tu juratus mihi es?* audacter reſpondet: *juratus ſum & nunc jurabo, ſi quid voluptati eſt mihi: jusjurandum rei ſervandæ non perdendæ conditum eſt.* O incertos homines & magis lubricos anguillæ pelle! O novam pietatem & monſtro ſimilem, quæ niſi perjurio & fraudibus decipit, prævaricatur! O ſanctam & immobilem Eccleſiam, quam turpiſſimi lucelli exoriens occaſio à fide ad facilem perfidiam trahit rapitque! quæ juſtitiam utilitate metitur, & promiſſorum vim commodo ſuo! Mature quidem hæc innotuere Imperatori, ſed fatalibus Saxonum armis, velut miniſtris hæreditariis Pontificum improbæ cupiditatis, diſtractus non ſatis valuit adverſus Italiæ motus: Ante omnes proditorie deſeruit antiquas Domini ſui partes Mon-

Monguntinus Archiepiſcopus, nova acceſſio Romanæ ambitioni factus. Saxonum vero primarii incentores rebellionis erant inter præcipuos Lotharius Saxoniæ Dux & Halberſtadienſis Epiſcopus, qui Cæſarianos apud Guelfonis Sylvam ingenti prælio profligarunt: Hinc indies infirmior Imperator, & paterno ſanguine vindictam repoſcente tota vita infelix. Acceſſere ad majorem contemptum ſacræ diræ, ſolemnis illa confirmatio perduellionis & ſeditioſæ contumaciæ: qua excitati etiam Monguntini cives captato tempore Principem repentino aſſultu in ipſo palatio ſuo ita oppreſſerunt, ut ab eo libertatem Archiepiſcopi ſui, propter factioſa conſilia in vincula conjecti ſub religione juramenti extorquerent, qui carceris injuriarum memor Heinricum ultra hoſtiles inimicitias perſecutus eſt, documento idoneo in omnem vitam: amicos aut perpetuo habendos, aut inimicos factos cuſtodiendos eſſe. Interea Imperator omiſſis Saxonibus contendit in Italiam, renovaturus cum Pontifice amica fœdera. Sed is jam relicta panico terrore Roma ad Normannos in Apuliam confugerat, mox armis & milite inſtructior ex hoc latibulo quaſi patrio rediturus: niſi morte præventus conficiendæ ex animo rei propinquas ſpes in Gelaſium ſucceſſorem transmiſiſſet. Verum & ille coactus eſt à Cæſare ob continuata fulmina Cajetæ deliteſcere, donec Cluniacum in Galliam profugus illic vix cepta conſilia propera nece abrupit. Sed homines, non mores, mutati ſunt novis ſucceſſionibus. Calixtus Cluniaci poſt Gelaſii obitum electus

Ponti-

Pontificatus ſui principia ſolemnibus odiis in Imperatorem auſpicatus eſt, concitatis denuo novo fulmine Saxonibus, per quos noverat optimè Germaniæ libertatem debellari. Tandem ſatietas tenuit civilium bellorum imperii Principes, cum nondum Pontificem pœniteret rei toties infeliciter tentatæ: adeò major conſtantia furori eſt & ſceleri, quam pietati. Imperator animadverſo in Herbipolenſibus comitiis anno vigeſimo primo habitis procerum & amicorum quoque ſuorum fidem nutare, omnibus ad Pontificis mandata accipienda paratis, ex eorum conſilio patitur legationem Romam decerni, oblaturam importuno Præſuli obedientiam & ſatisfactionem: qui porrectiſſimis auribus auditi Apoſtolicos nuncios in Germaniam pacis faciendæ cauſa comites acceperunt. Hinc ſub eorum adventum infauſtis Comitiis Wormatiæ indictis de virtute & juſtitia triumphavit nefas condita conſtitutione, quæ eccleſiaſtico ordini, & imprimis Romanæ Eccleſiæ jus illud pernicioſiſſimo Reipublicæ errore ceſſit, quod priſca & virilis majorum prudentia plus fere octo ſeculis in Romano imperio vigili cura cuſtodiverat. Solemnis autem ceſſio (*a*) hoc tenore in Comitiis Wormatienſibus publicata eſt. *Ego Heinricus, Dei gratia Romanorum Imperator Auguſtus, pro amore Dei & S. R. Eccleſiæ, & Domini Papæ Caliſti, & pro remedio animæ meæ, dimitto Deo & S. S. ejus Apoſtolis Petro & Paulo, S. Catholicæ Eccleſiæ omnem inveſtituram per annulum & baculum, & concedo in omnibus Eccleſiis fieri*

(*a*) Ap. Gold. Conſtit. Imp. p. 55.

electionem & liberam conſecrationem. Poſſeſſiones & regalia B.Petri, quæ à principio hujus diſcordiæ usque ad hodiernam diem ſive tempore Patris mei, ſive etiam meo ablata ſunt, quæ habeo, eidem S.R.Eccleſiæ reſtituo: quæ autem non habeo, ut reſtituantur, fideliter juvabo, & do veram pacem Caliſto, S. R. Eccleſiæ, & omnibus, qui in parte ipſius ſunt vel fuerunt, & in quibus S. R. Eccleſia auxilium poſtulaverit, fideliter juvabo. Poſt hanc obtentam victoriam audita paſſim epinicia, *de neceſſitate ſalutis credendum, Papæ Romano creaturam omnem ſubjectam eſſe, quanto Sol ſuperat lunam, tanto Papam ſuperiorem eſſe imperatore:* * & alia, quorum & (*a*) ſupra fecimus aliquam mentionem.

§. 29. Hoc modo electionibus ad Sacri Ordinis arbitrium remiſſis nihil ex maximo jure relictum eſt Reipublicæ, quam imbecilles quædam amici partes, quas ex conventione Imperatorem oportuit interponere, ſicubi eligentium ſtudia inter ſe diviſa æqua lance de Candidatis. Et id ipſum tamen arbitrandi jus non liberum fuit, ſuaque authoritate definitum, ſed alligatum concilio judiciovè Metropolitani & Provincialium, ut ſcilicet imperator ex horum auctoritate ſaniorem partem nominaret, non pro ſua prudentia: Tam periculoſum Pontifici viſum vel in minimo negotio, ubi de bonis Eccleſiarum agitur, Imperatorem ſinere verſari ſolutis manibus. Ita enim Calixtus, ad leniendam arbitror novæ rei invidiam, (*b*) *conceſſit electiones Epiſcoporum & Abbatum Teutonici regni, qui ad regnum*

(*a*) C. 2. §. 55. (*b*) Gold. Conſt. Imp. p. 55.

regnum pertinent, in præſentia Imperatoris fieri abſque Simonia & aliqua violentia, ut ſi qua inter partes diſcordia emerſerit, Metropolitani & Provincialium concilio vel judicio ſaniori parti aſſenſum & auxilium præbeat, electus autem regalia per ſceptrum ab illo recipiat. Et addit (*a*) Otto Friſingenſis, id quoque tunc cautum eſſe, *ne electi iam Ciſalpini quam Transalpini prius ordinentur Epiſcopi, quam regalia de manu ejus per ſceptrum ſuſcipiant.* Idem auctor (*b*) alio loco, *tradit Curia*, inquit, *& ab Eccleſia eo tempore, quo ſub Heinrico V. de inveſtitura Epiſcoporum deciſa fuit inter regnum & Sacerdotium controverſia, ſibi conceſſum autumat, obeuntibus Epiſcopis ſi forte in eligendo partes fiant, Principis arbitrii eſſe Epiſcopum, quem voluerit, ex Primatum ſuorum conſilio ponere, nec electum aliquem ante conſecrandum, quam ipſius manu regalia per ſceptrum ſuſcipiat.* Quos primates hîc Otto dicit, illi in conſtitutione Calixti preſſius nominantur, Metropolitani ſcilicet & provinciales. Non negaverim tamen aliquando Imperatores, præcipuè vero Fridericum amicorum quoque conſilio uſos eſſe. Cæterùm poſt conventionem illam ferventibus inter partes ſtudiis pacatam ab Imperatoribus Eccleſiam haud tacent hiſtoriæ. Utiqùe enim Lotharius diſſidia Magdeburgenſium ex occaſiione Epiſcopi novi incenſa ſopivit (*c*) Norberto nominato. Ac Conradus III. (*d*) Trajectenſis Eccleſiæ turbata comitia ſua auctoritate

(*a*) L. 7. c. 16. (*b*) De Geſt. Frid. l. 2. c. 6. (*c*) Cranz. Metr. l. 6. c. 12. Trithem. Chron. Hirſaug. ad ann. 1127.
(*d*) Ott. Friſing. l. 1. c. 62. & 63.

ritate compoſuit. Sed ante omnes ille Romanæ Sedis terror & malleus Fridericus I. in principiis ſtatim Imperii ſui illuſtribus monumentis conſervavit naufragas tabulas. Nam, ut (*a*) Friſingenſis verba retineam, *cum in Eccleſia Magdeburgenſi alii ejusdem Eccleſiæ Præpoſitum Gerardum, alii Decanum eligerent, diviſis hinc inde perſonis Regem adhuc in Saxonia morantem adire diſponunt, quos dum multis modis ad unitatem & vinculum pacis Princeps redigere ſatageret, ac proficere non valeret, alteri parti, i. e. Decano cum ſuis perſuaſit, ut Guicmannum, Zicenſem Epiſcopum, virum adhuc juvenem, ſed nobilem eligerent, eiq; accerſito regalia ejusdem Eccleſiæ conceſſit.* Ægrè quidem hæc electio Eugenium Papam habuit, translationibus Epiſcoporum ferociter reclamantem: Verùm Guicmannus fortiter ab Imperatore defenſus ab Anaſtaſio ſucceſſore pallium quoque impetravit contra omnium opinionem, (*b*) nec ſine ſcandalo quorundam, admirantium Romanæ curiæ inconſtantiam. Alia exempla illius juris, per Fridericum exerciti, leges apud eundem (*c*) Ottonem, (*d*) Albertum Stadenſem, (*e*) Trithemium & (*f*) Baronium. Eorum ultimus ex Arnoldo Lubecenſe refert, Rudolphum in Trevirenſis Eccleſiæ conſecutione ſolo Imperatorio favore adverſus Volcmarum æmulum prævaluiſſe, irrita hujus ad pontificiam ſedem provocatione, utcunque ipſe Pontifex contrarias Imperatori partes ſtudioſe teneret. Quemadmodum

(*a*) L. 2. c. 6. (*b*) Otto Friſing. l. 2. c. 10. (*c*) l. 2. c. 31. & 32. (*d*) ad ann. 1178. (*e*) Chron. Hirſau. anno 1157. & 1162. (*f*) Annal. ann. 1185.

admodum enim * conſultius duxit generoſus Princeps, habere Rempublicam, ut à majoribus accepit: nec eorum famam fidemque ignominiosè abrogare: ita ne pari imprudentia offenderet Rempublicam in partibus adhuc integris, ſalutari pervicacia declinavit convicia poſteritatis. Imò vero quod in admirationem magis quem rapiat, in Ticinenſi Synodo jus illud arbitrii inter partes æqualibus ſuffragiis invicem libratas ad ipſam Pontificis electionem extenſum eſt, repudiatoque Rolando, qui poſtea ſe Alexandrum III. dixit, Octavianus ille Victor, ab altera factione Pontifex dictus Cæſarea ſententia Pontificatum obtinuit: ſicut pluribus à (a) Radevico narratur.

§. 30. Quamvis autem Calixtus, ut videretur non pro ſua ſed Chriſtiana re ad ſeditiones & parricidia proclamaſſe, electionum jura Clero plebique pro indiviſo reſtituerit, quibus utrique communibus calculis fruerentur, ab eo tamen tempore haud invito Pontifice factum, ut ſacer ordo ſumma comitiorum vi in ſe tracta dominaretur imbelli plebi, deſtitutæ ſcilicet altiore præſidio, & eventus electionum in ſua manu haberet. Ita enim quam commodiſſimum illud Romanæ Sedi futurum apparebat, ſi in Epiſcopatuum collationibus nemo aliquid præter Clerum poſſet, ad nutus & mandata Pontificis prævaricante obſequio ſemper erectum: nec enim eum oportuit amplius æterno metu ſtrangulari, ut Epiſcopus eligeretur, plus Reipublicæ & Principi ſuo ſtudioſus quam externæ gulæ, cum re-

(a) Lib. 2.

moto populo mandare electionem licuit: Præterea ſpes erat non incerta, tam præſenti efficacia promotos minùs aliquid adverſus Romanæ Eccleſiæ rationes auſuros, quæ utriusque fortunæ præmia, purpuram & egeſtatem amicitia ſua vel indignatione univerſali in totum orbem fato diſpenſaret. Tum eadem arte occultos Imperatorum cuniculos Præſules illi aggreſſi ſunt, qui ipſis interdum videbantur validioribus precibus pugnare apud Eccleſiam pro clientibus ſuis, quam id potuiſſet placere Romanæ Eccleſiæ, jam totis viribus enitenti monſtroſam univerſalis imperii fœturam. Nam poſt ceſſa etiam Calixto per Heinricum jura, quæ olim Respublica habuit in Epiſcopis conſtituendis, non ſemper fas erat commendationi Imperatoris refragari, * ſi pro amicis intercederet: & vero plerunque ad rem Principi gratam faciendam paratior æquiorve plebs deprehenſa eſt, quàm ſacer ordo, qui ex altera parte Pontificem timere debuit facili aſſenſu irritandum: nam Honorius Papa Ottonem Halberſtadienſem Epiſcopum jam ex ea cauſa depoſuerat, (a) *quod Lothario pro Eccleſiâ eſſet blanditus*; Quare ſubtrahendum fuit Principibus alterum illud plebejum fulcrum, quibus innixi haud parum adhuc in electionibus poſſe videbantur, populo operam ſedulo dante, ut eum Epiſcopum eligerent, quem ſcirent acceptum Principi fore. Ita paulatim ſemotâ cum faſtidio plebe introducta ſequior canonica electio, à ſolo Capitulo perficienda, cum antea non alia eſſet canonica electio, quam con-

(a) Cranz. Metr. l. 6. c. 11.

concurrente ad eam cum Clero univerſo populo. Præcipue vero Friderico II. imperante perniciosè erratum eſt publico diplomate, quo confirmata Eccleſiaſtica libertate, ſicut eam injuriosè ab Imperatoribus Pontifices extorſerant, appellationes præterea ad Apoſtolicam Sedem novo errore permiſſæ, & electiones Prælatorum ſoli Capitulo datæ, excluſo per ſummum nefas populo, juribusque divinis & humanis Pontificum tantum libidinibus & ambitioni ancillantibus. Nam quod ante Gregorius, Victor, Paſchalis, Calixtus acerrimis edictis ſanxerant, omni legum genere ad auxilium vocato, id cum propius ad hierarchiæ partum ventum eſſet, Gregorius IX. corruptelam dixit, non alio ſane conſilio, quam ut ſacro ordine vindicato à plebeia ſocietate firmius ſibi certiusque imperium in tota Eccleſia adſereret.

§. 31. Atque haud multo poſt illud luculenter patuit, ipſo etiam ſacro ordine, quem nihil ſentientem inſidioſis blanditiis in ſervitutem detraxerat, multum indignante. Quamprimum enim deſitum eſt mitti in ſuffragia plebem, continuo Eccleſiarum libertas totâ Germania vim pati cepit à Romana Sede, ac neſcio quibus reſcriptis, proviſionibus, reſervationibus tentata elanguit, ne quidem conſecrationibus ac confirmationibus, quæ Metropolitanorum ex patrio more erant, impunè dimiſſis. Memorat infelicitatem eorum temporum non ſine gravi dolore (a) Cranzius, cujus hic verba placet proferre. *Raceburgenſis Eccleſia*, inquit, *vacabat, & ſe*

(a) Metrop. l. 7. c. 42.

ingerebat non electus à Fratribus Lambertus quidam, Hamburgenſis & Bremenſis Canonicus, qui Eccleſiam alienigena à ſummo Pontifice ad ſe nihil pertinentem impetravit. Vide in quantam licentiam tunc proceſſit, poſt Imperatorum deſtitutionem Romana Eccleſia, ut ſe inciperet intromittere de Eccleſiis Vacantibus. Solebant Imperatores de Romana aliquando diſponere Eccleſia, perventum eſt eò, ut de ſolis Germaniæ Eccleſiis & Abbatiis diſponerent: idq; extortum eſt manibus eorum tempore Heinrici V. Imperatoris. Tum Eccleſiis provenit libera electio: in eam quoque Papa manus injicit per hæc tempora, & crevit illa facultas in immenſum, ut ſatis ſit per Germaniam res tolerabilis, ſed in Francia & Anglia immoderata, inde magis magiſque in præceps ire imperii majeſtatem, & attollere caput Pontificum imperioſa deſideria, intrudi paſſim Eccleſiis per violentas & inſubidas gratias externos homines, populoque ignotos, plurimâ mercede conduci optima quæque ovilia ab iis paſtoribus, quos nec patrius in oves amor, nec religionis Chriſtianæ ſtudium, nec ingenua pietas, rerumque gerendarum conſpecta prudentia ab improba licitatione excuſaret: ſed quibus neceſſe fuit exhauſtos largitionibus ambituque theſauros ſceleribus ac deglabratione ovium implere: breviter jam apertam in Eccleſias tyrannidem uſurpari à Romana Curia, cùm legitimam & moderatam poteſtatem hoc ſpecioſo titulo ſubvertiſſet: & jam ipſum ſacrum ordinem intra ſe tacito dolore indignari, quod temerario libertatis appetitu in diriſſimam ſer-

vitutem

vitutem incidiſſet, donec laſſata quotidianis injuriis patientia viſa eſt excutere veternum & priſtinæ felicitatis meminiſſe. Quis enim æquo animo Johannem XXII. feret, (*a*) *multas gratias de Eccleſiaſticis beneficiis facientem, & ità pingues clauſulas formis gratiarum ſuarum apponentem generaliter, quales antea ab aliquo Papa non emanaverunt: & diſpoſitioni ſuæ tot Prælaturas reſervantem, quot ante ipſum ita communiter conſuetum non erat?* Quis Benedictum XII. (*b*) *inter cæteras declarationes, quas fecit, declarantem, quod gratia ſpecialis beneficio vacaturo extendit ſe ad beneficia ubiq; ſita ad collationem illius ſpectantia, ſub cujus collatione cadit gratia conceſſa?* Quis ampliùs patrio more & juxta conſtitutiones Eccleſiaſticas canonicè electus dignitatem & quæſitum jus ſuum advenis ſine murmure cederet, Avenione vel Roma prægrandibus bullis advolantibus, occupandæ poſſeſſionis cauſa, à Pontifice immenſâ auri vi aut familiari obſequio redemptæ? & tamen adeò piaculum fuit reluctari, ut vacante Bremenſi Eccleſia nemo illam dignitatem ambiverit, mox cum injuria Pontificis mancipio reſignandam: *ſcientibus cunctis*, (*c*) verba ſunt Cranzii, *quod fruſtra niterentur, cum Apoſtolica proviſione Sedes implenda putaretur: jam enim inoleverat, ut Apoſtolica proviſione darentur Epiſcopi, poſthabita Capitulorum legitima electione.* Igitur tandem Republica, (quæ ſæpius competitorũ pervicacia & commiſſione

Rr 5 maxi-

(*a*) Heinr. Rebdorff. in Annal. (*b*) Gobelm. Perſon, Coſmodr. Ætat. 6. c. 71. (*c*) Metropol. l. 9. c. 17. & 23.

maximos motus ſenſit.) Clero, plebe, omnibusque bonis tam licentioſum imperium exoſis auditæ paſſim querelæ ſunt provocantium ex indigna ſervitute ad honeſtam libertatem. Extant undique Gallorum Anglorumque ſcripta, in Sedis Romanæ hierarchiam acerrimâ ſatyrâ invectiva. Quid enim Philippo Pulchro cum Bonifacio VIII. commercii per literas ea de re fuit, in vulgus notum eſt. Nec adeò muta Germania ad ſenſum malorum ſuorum diriguit, quin in ipſo ergaſtulo deploraret publicas calamitates, accedente jam ad ſuperiores injurias beneficiorum pluralitate, quam Eugenio Pontifice, ut Friderico I. malefaceret, ſevere damnatam, poſtea Succeſſores ejus digno pretio, quod divinas & humanas leges facile ſuperaret, convicti, nomine commendarum vel quocunque alio titulo cum Epiſcoporum translationibus in meliora loca conceſſerunt. Hæc res Gerſoni digna admiratione viſa eſt, ut quaſi inops conſilii quæreret, *quid ſibi vult, quod modo potius omnes Epiſcopi, Prælati, & Parochiales Sacerdotes per Papam conſtituantur, quam eligantur perſonæ notæ & aptiores de patria? & nunc præficiantur Eccleſiis homines extranei in moribus & linguis & conſuetudinibus?* Hæc (*a*) Cranzius gravi exclamatione. *Laxa, Petre, retia, anguſta interim ſunt, laxa, ut fiant capaciora. Ecce magna pars Italiæ tibi tributaria eſt; Per univerſam Germaniam & Hiſpanias de Eccleſiis & majoribus beneficiis diſponis: in Francia idem facturus, niſi nova adinventio pragmatica ſanctionis*

(*a*) Metrop. l. 11. c. 24.

ctionis obſiſteret. Mirabitur quisquis annales antiquorum temporum legerit temporum mutationes, tum in cæteris, tum maxime in Eccleſiaſtica poteſtate.

§. 32. Interea dum omnes fremunt, nemo autem movere Camarinam vult, deſertam Rempublicam aliqui Imperatores paulatim erexere: Inter eos poſt Friderici II. fata primæ debentur Ludovico Bavaro, qui cum Romana Sede feliciter tota vita conflixit. Secutus quidem illius exemplum aliquando & Carolus quartus eſſe videtur, ſed tenuiore veſtigio nec pari animo, quin explendis deſideriis ſæpius in transverſum raptus imploravit Pontificum opem, quando aliquibus ex ſuis Epiſcopatum conferri voluit. Tandem vero ſerius hæc acta cauſa eſt in Conſtantienſi Concilio, Deputatis Provinciarum Germanicæ nationis, in proviſiones, gratias expectativas, reſervationes, per regulas potiſſimum Cancellariæ introductas edito libello acerrimè invehentibus cum petitione pro earum abrogatione concepta. Inſerta ſunt ſingula gravamina *Catalogo teſtium veritatis Flacii Illyrici & Tomo I. Conſtitutionum Imperialium Goldaſti:* vulgoque aviſamenta Conſtantienſia audiunt. Cum in Concilio ſpem eventus fruſtraretur, Germaniæ Principes quatuor annis ante Concilium Baſileæ habendum Monguntiæ congregati novam deliberationem de abolitione tantorum onerum inſtituerunt, mitiore tamen modo, quam ut emolliendæ Romanæ ambitioni idoneus eſſet. Eorum enim *gravaminum relevamen in ſingulare privilegium* apud Pontificem peten-

petendum decernunt, quæ contra jus fasque imprudentibus Eccleſiis impoſita Germaniam oportuit citra alienam opem domeſtica auctoritate reſcindere, non extranei hominis privilegium exorare aut beneficium agnoſcere: Primum inter gravamina eſt, ut Pontifex *annullet & irritet omnes & ſingulas reſervationes, tam generales, quam ſpeciales, ſive particulares Eccleſiarum Metropolitanarum, Cathedralium, collegiatarum, Monaſteriorum, dignitatum & beneficiorum Eccleſiaſticorum quorumcunque, quibus pro electione provideri conſuevit: ſive per Extravagantes ad Regimen & Execrabilis, aut per regulas Cancellariæ ſeu quascunque alias conſtitutiones aut ordinationes introducta ſint, reſervationibus in corpore juris clauſis duntaxat exceptis.* Et cecidiſſet in Concilio Baſileenſi ex voto Principum Germaniæ res, infauſtis reſervationibus publico decreto ſolemniter abrogatis, damnatoque poſt gravem Concilii increpationem Eugenio, *quod electionibus obſiſteret, reſervationibus contrariis utendo*, niſi Germania oportunitate temporis uti neglexisſet, ſive id artibus Æneæ Sylvii factum, ſeu culpa & ignavia Friderici Imperatoris, ſeu denique malo patriæ noſtro fato. Quam Gallia hîc felicior, quæ recepto Baſileenſi Concilio, editaque in Biturigibus auctoritate Regis Caroli omniumque regni Ordinum conſenſu pragmatica ſanctione ſacris nundinationibus & alieno imperio modum aliquem poſuit? Nec tamen ſegniores Proceres noſtri fuere in procuranda libertate, ſed neſcio qui peſſimus genius nobis ſolidam felici-

felicitatem invidit. Cum autem eo nihilo magis ceſſarent publicæ querelæ vociferantium opprimi Rempublicam cum Eccleſia, & exhauriri immenſa avaritia divitiis ſuis imperium, Fridericus anno ſeculi decimi quinti quadrageſimo ſeptimo cum Pontifice in certa pacta convenit, quæ *concordata Nationis Germanicæ* vocantur. In illis non abolentur quidem omnes proviſiones & reſervationes, ſed, ut ait Heinricus Caniſius, *certus modus adhibetur ſuper proviſionibus & reſervationibus Eccleſiarum & beneficiorum Eccleſiaſticorum, quoad Germaniam.* Nomen & rem ipſam multis rationibus impugnat *Caſparus Hedion Eccl. hiſt. l. 11. c. 21. apud Goldaſtum in Rationali Conſtitut. Imp. pag. 117.* Sed utcunque vitioſum principium fuerit, negari non poteſt, diuturno uſu recepta in Imperio eſſe. Eorum enim mentio non tantum in publicis legibus & regiis Capitulationibus fit, ſed & ex plurimis imperatoriis edictis confirmationem habent. Maximilianus I. anno 1518. Leodienſibus imperavit, & Carolus V. anno ejusdem ſeculi quadrageſimo quarto Cameracenſibus, ut iſthæc concordata ſervare vellent. Ferdinandus I. cum imperiale Aulicum Conſilium ordinaret, juſſit aliis imperii legibus fundamentalibus nationis Germanicæ concordata aggregari, & certo menſe in conſilio ante Conſiliariorum oculos erigi, ut melius eorum recordarentur: quod & poſtea à Matthia obſervatum eſt, ſicut pluribus ex (*a*) Lehmanno conſtat.

§. 33. Cum

(*a*) De pac. relig. l. 1. c. 37. & 38.

§. 33. Cum igitur in Imperio apud Imperatorem & Catholicos Status Concordata vim publicæ legis obtineant, & perpetua quædam regula ſint actionum in Eccleſiaſticis negotiis, neceſſe eſt illa huic loco inſerere, licet haud ignari ſimus, familiariter in omnium manibus verſari. Quoniam enim hodie Epiſcopi eliguntur poſtulanturvè ad eorum normam, utique hanc noſſe oportet, ut recte actio inſtitui poſſit. Circumferuntur autem variæ editiones, ut Beſoldus ex Triſmegiſto Canonicali rectè monuit. Nos eam hſc ſequimur, quam Coloniæ apud Gymnicum anno 1597. impreſſam Goldaſtus nobis in (a) *Statut. & reſcript. Imperial.* omnium mundiſſimam exhibuit hoc tenore.

Concordata Nationis Germanicæ cum S. Sede Apoſtolica.

Pro ipſius Eccleſiæ Unione ac Pace & Tranquillitate inter eandem & Nationem prædictam, perpetuo fovendis, inita, concluſa & accepta.

Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam: Ad Sacram Petri Sedem divina diſpoſitione ſublimati, ſingulis, quæ pro univerſalis Eccleſiæ unione ac pace & tranquillitate profutura conſpicimus, Apoſtolicæ providentiæ ſollicitudinem libenter intendimus, & ad felicem illorum proſecutionem & conſummationem opem & operam impendimus efficaces. Nuper ſiquidem cariſſimus in Chriſto filius noſter Fridericus Romanorum Rex illuſtris

(a) P. 207.

illuſtris & nonnulli alii dilecti filii, Eccleſiaſtici & ſeculares Principes inclytæ nationis Germanicæ ex una, ac dilectus Filius noſter, Johannes, S. Angeli Diaconus Cardinalis, in partibus illis Apoſtolicæ Sedis de latere Legatus, per nos ad dictas partes miſſus, ſufficienti deſuper à nobis, & Sede Apoſtolica Auctoritate ſuffultus ex alia partibus Romanæ Eccleſiæ & dictæ nationis (†) *nominibus, pro ipſius Eccleſiæ unione, pace & tranquillitate inter Eccleſiam & nationem prædictam perpetuo ſolidandis & conſervandis diverſa, rationabilia & utilia ordinationes & ſtatuta, à partibus ipſis hinc inde approbata, laudata, concluſa, acceptata & concordata fecerunt ac ediderunt, nobisq; humiliter ſupplicari fecerunt, ut illis pro firmiori eorum ſubſiſtentia robur Apoſtolicæ firmitatis adjicere, nec non auctoritatem potiorem & decretum interponere dignaremur. Nos itaque, qui ſtatuta, ordinationes & concordata prædicta per nonnullos ex venerabilibus fratribus noſtris, S. R. Eccleſiæ Cardinalibus magnarum maturitatis, autoritatis & literaturæ viros diligenter examinari & diſcuti fecimus, eaq; rationabilia & ſalubria tam Eccleſiæ quam Nationi præfatæ fore, comperimus, de dictorum & aliorum venerabilium Fratrum noſtrorum, prædictæ Eccleſiæ Cardinalium conſilio & aſſenſu, apoſtolica authoritate & ex certa ſcientia approbamus, ratificamus, laudamus, & acceptamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus juxta modum & formam ſubſequentes.*

1. Pla-

(†) à l. nomine.

1. *Placet nobis, ſuper proviſione Eccleſiarum & beneficiorum Eccleſiaſticorum quorumcunque, juris ſcripti reſervatione, &* Execrabilis *&* Ad Regimen, *conſtitutionum modificatis, ut ſequitur. Ad regimen Eccleſiæ generalis, quamquam immeriti ſuprema diſpoſitione vocati gerimus in noſtris deſideriis, ut debemus, quod per noſtræ diligentiæ ſtudium ad quarumlibet Eccleſiarum & Monaſteriorum regimina & alia beneficia Eccleſiaſtica juxta divinum beneplacitum & noſtræ intentionis affectum Viri aſſumantur idonei, qui præſint & proſint committendis eis Eccleſiis, monaſteriis, beneficiis prælibatis. Præmiſſorum itaque conſideratione inducti, & ſuadentibus nobis aliis rationabilibus cauſis, nonnullorum Prædeceſſorum noſtrorum Rom. Pontif. veſtigiis inhærentes, omnes Patriarchales, Archiepiſcopales, & Epiſcopales Eccleſias: & etiam monaſteria, prioratus, dignitates, Perſonatus & officia, nec non Canonicatus, Præbendas, & Eccleſias, cæteraq; beneficia Eccleſiaſtica cum cura vel ſine curâ, ſecularia & regularia, quæcunque & qualiacunque fuerint: etiamſi ad illa perſonæ conſueverint ſeu debuerint per electionem ſeu quemvis alium modum aſſumi, nunc apud Sedem Apoſtolicam quocunque modo vacantia & in poſterum vacatura: nec non per depoſitionem vel privationem ſeu translationem per nos ſeu autoritate noſtra factas & inantea faciendas ubi libet: Nec non ad quæ aliqui in concordia vel diſcordia electi ſive poſtulati fuerint, quorum electio caſſata ſeu poſtulatio repulſa vel per eos facta*

facta renunciatio & admiſſa autoritate noſtra extiterit, ſeu quorum electorum vel poſtulatorum & inantea eligendorum ſeu poſtulandorum electionem caſſari, ſeu poſtulationem repelli, ad renunciationem admitti per nos aut autoritate noſtra continget apud Sedem prædictam vel alibi, ubicunque, & etiam per obitum Cardinalium ejusdem Eccleſiæ Romanæ, aut officialium dictæ Sedis, quamdiu ipſa officia actualiter tenebunt, (videlicet Vice-Cancellarii, ſeptem Notariorum, Auditoris literarum contradictarum, & Apoſtolici palatii cauſarum auditorum, Correctorum, centum & unius ſcriptorum literarum Apoſtolicarum, & viginti quatuor pœnitentiariæ præfatæ Sedis, viginti quinque Abbreviatorum nec non verorum commenſalium noſtrorum, & aliorum viginti quatuor Capellanorum, Sedis ejusdem in Epitaphio deſcriptorum:) & etiam quorumcunque legatorum, ſeu Collectorum, ac in terris Romanæ Eccleſiæ Rectorum, ac Theſaurariorum deputatorum, ſeu miſſorum hactenus, vel deputandorum, aut mittendorum in poſterum, nunc vacantia, & inantea vacatura, ubicunque dictos legatos vel Collectores, ſeu Rectores & Theſaurarios, antequam ad Romanam Curiam redierint ſeu venerint, rebus eximi contigerit ab humanis, nec non quorumlibet, pro quibuscunque negotiis ad Romanam curiam venientium, ſeu etiam recedentium ab eadem, ſi in locis à dicta curia ultra duas dictas legales non diſtantibus jam forſan obierint, vel eos inantea ab hac luce tranſire contigerit, & etiam ſimili

modo quorumcunque curialium peregrinationis, infirmitatis, ſeu recreationis, vel alia quacunque cauſa ad quævis loca ſecedentium, ſi eos, antequam ad dictam Curiam redierint, in locis ultra duas dictas ab eadem Curia, ut permittitur, non remotis, (dummodo eorum proprium domicilium non exiſtat ibidem,) jam forſan deceſſerint, vel in poſterum eos contigerit de medio ſubmoveri, etiam tunc per obitum hujusmodi vacantia, vel in poſterum vacatura: rurſus Monaſteria, Prioratus, dignitates, Perſonatus, Decanatus, adminiſtrationes, officia, Canonicatus, Prabendas, & Eccleſias, cæteraq; beneficia Eccleſiaſtica, ſecularia & regularia, cum cura vel ſine cura, quæcunque & qualiacunque fuerint, etiamſi ad illa perſonæ conſueverint vel debuerint per electionem ſeu quemvis alium modum aſſumi, quæ promoti per nos ſeu autoritate noſtra ad Patriarchalium & Epiſcopalium Eccleſiarum, nec non monaſteriorum regimina obtinebant tempore promotionũ de ipſis factarum, nunc quocunq; modo vacantia, aut in poſterum vacatura nec nõ etiam per aſſecutionẽ pacificã quorumcunq; prioratuum, perſonatuum officiorum, Canonicatuum, præbendarum, Eccleſiarum, & beneficiorum aliorum, per nos ſeu autoritate noſtrarum literarum immediatè collatorum ſeu conferendorum in poſterum, præterquam ſi virtute gratiæ expectativæ aſſecutio fiet, nunc vacantia & inantea vacatura, plena ſuper præmiſſis omnibus & ſingulis cum fratribus noſtris collatione præhabita, & mature deliberatione ſecuta, ordinationi, diſpoſitioni

ſitioni & proviſioni noſtræ de ipſorum fratrum conſilio autoritate apoſtolica reſervamus. Decernentes ex tunc irritum & inane, ſi ſecus ſuper præmiſſis & quolibet eorum per quoſcunque quavis autoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

2. Item placet nobis, quod in Metropolitanis & Cathedralibus etiam immediate non ſubjectis Eccleſiis, & monaſteriis immediate ſubjectis, Sedi Apoſtolicæ fiant electiones canonicæ, quæ ad dictam ſedem deferantur, quas etiam ad tempus conſtitutum in Conſtit. felic. recor. Nicolai III. quæ incipit, cupientes, expectabimus, & elapſo dicto tempore, ſi non præſentatæ, vel ſi præſentatæ minus canonicæ fuerint, providebimus, & ſi canonicæ fuerint, eas confirmabimus, niſi ex rationabili & evidenti causâ ac de dictorum fratrum conſilio de digniori & utiliori perſona duxerimus providendum: proviſo, quod confirmati prædicti, & per eos proviſi Metropolitanis ſuis & aliis præſtent debita juramenta & alia, ad quæ de jure tenentur; Et in monaſteriis dictæ Sedi immediate non ſubjectis, & aliis regularibus beneficiis, ſuper quibus pro confirmatione vel proviſione ad dictam Sedem non conſuevit haberi recurſus electi, ſeu illi, quibus providendum eſt, pro confirmatione & proviſione hujusmodi ad Curiam Romanam venire non tenebuntur, ipſaq; regularia beneficia ſub expectativis gratiis non cadant; Ubi autem pro manaſteriis ad dictam Curiam venire ſeu mittere conſueverint, non aliter confirmabimus vel providebimus, quam

ſuperius de Cathedralibus Eccleſiis eſt expreſſum. Et de Monaſteriis Monialium non diſponemus, niſi ſint exempta, & tunc per commiſſionem ad partes.

3. De cæteris verò dignitatibus & beneficiis quibuscunque ſecularibus & regularibus vacaturis, ultra reſervationes prædictas, (majoribus dignitatibus poſt Pontificiales in Cathedralibus & Principalibus in Collegiatis Eccleſiis exceptis, de quibus jure ordinario provideatur per illos inferiores, ad quos alias pertinet) placet etiam nobis, quod per quamcunque aliam reſervationem, gratiam expectativam, aut quamvis aliam diſpoſitionem ſub quacunque verborum forma per nos vel autoritate noſtra factam vel faciendam non impediamus nos, quo minus de illis, cum vacabunt, die Februarii, Aprilis, Junii, Auguſti, Octobris & Decembris menſibus libere diſponatur per illos, ad quos eorum collatio, proviſio, præſentatio, electio ſeu quavis alia diſpoſitio pertinebit: reſervatione aliave quavis diſpoſitione autoritate noſtra factis vel faciendis non obſtantibus quibuscunque. Quotiens vero aliquo vacante beneficio in Januarii, Martii, Maji, Julii, Septembris & Novembris menſibus, ſpecialiter diſpoſitioni dictæ Sedis reſervatis, non apparuerit infra tres menſes à die notæ vacationis in loco beneficii, quod alicui de illo Apoſtolica auctoritate proviſum fuerit, ex tunc & non antea Ordinarius vel alius, ad quem illius diſpoſitio pertinebit, de illo libere diſponere poterit. & ad finem, ut hæc ordinatio collationum beneficio-

ſioiorum non reſervatorum per alternos menſes poſſit per dictam nationem publicari, & omnes, qui ea gaudere voluerint, tempus congruum habeant eam acceptandi; tunc quoad dictam Sedem à Kalendis Junii proxime futuris ipſa currere incipiet, & durabit deinceps, niſi in futuro concilio de conſenſu dictæ Nationis aliter fuerit ordinatum.

4. *Placet ſimiliter nobis, quod circa proviſionem dictæ Sedis ordinandam modus Annatarum hoc modo currat. De Eccleſiis Cathedralibus omnibus & Monaſteriis Virorum duntaxat, vacantibus & vacaturis, ſolvantur pro fructibus primi anni à die vacationis ſumma pecuniarum in libris Cameræ Apoſtolicæ taxatæ, quæ communia ſervitia nuncupantur, & ſi quæ exceſſivè taxata ſint, retaxentur: & quod provideatur ſpecialiter in gravatis regionibus ſecundum qualitatem rerum, temporum & regionum, nec nimium prægraventur, ad quod petentibus dabimus commiſſiones in partibus, qui diligenter inquirant, & retaxent. Taxæ autem prædictæ pro media parte infra annum à die habitæ poſſeſſionis pacificæ totius vel majoris partis ſolvantur, & pro alia media parte infrà annum ſequentem. Et ſi infra annum bis vel pluries vacaverint, ſemel tantum ſolvatur, nec debitum hujusmodi in ſucceſſorem in Eccleſia vel monaſterio tranſeat. De cæteris vero dignitatibus, Perſonalibus, Officiis & beneficiis ſecularibus ac regularibus quibuscunque, quæ autoritate dictæ Sedis conferentur, vel de quibus providebitur, (præterquam vigore*

gore gratiarum expectativarum aut cauſa permutationis,) ſolvantur annatæ ſeu medii fructus juxta taxam ſolitam à tempore poſſeſſionis intra annum, & debitum hujusmodi ſimiliter in ſucceſſorem in beneficio non tranſeat. Sed de beneficiis, quæ valorem viginti quatuor florenorum auri de Camera non excedunt, nihil ſolvatur: duretq́ hæc obſervantia deinceps, niſi eam ſimiliter in futuro Concilio de ipſius Nationis conſenſu contingat immutari.

5. In aliis autem, quæ per felicis record. Eugenium Papam IV. etiam Prædeceſſorem noſtrum pro dicta Natione usq́ ad tempus futuri generalis Concilii permiſſa, conceſſa, indulta & decreta, ac per nos confirmata fuerunt, in quantum illa concordia præſenti non obvient, iſta vice nihil volumus eſſe immutatum, & per hoc, quod in Concordatis hujusmodi ſive quibusvis aliis eorum occaſione conficiendis literis propter compendioſiorem deſcriptionem Alemania ſpecialiter appellatur, Natio ipſa cenſeri non debet à Germanica Natione diſtincta, ſeu quomodolibet ſeparata.

6. Et præterea, quia difficile foret, præſentes literas ad ſingula, in quibus de eis forſitan fides facienda fuerit, loca deferri, eadem apoſtolica auctoritate decernimus, quod ipſorum transſumpto, Metropolitanorum dictæ Nationis ſigillo munito tanquam præſentibus, ſi exhiberentur, literis plena fides adhibeatur, & perinde ſtetur, ac ſi dictæ præſentes literæ forent exhibitæ vel oſtenſæ: & inſuper quoque irritum & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis

autori-

autoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ approbationis, ratificationis, laudationis, acceptationis, commutationis, reſervationis, conſtitutionis & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurrere. Datum Romæ apud S. Petrum anno incarnationis Dominicæ milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo ſeptimo Kalend. April. Pontif. noſtri anno ſecundo.

§. 34. Hæc ſunt concordata illa, quæ Fridericus tota Germaniâ reclamante cum Nicolao V. iniit. Et verò non ſine maxima ratione imperii Proceres cum Eccleſiis ſuccenſuiſſe Imperatori, tam prodigali transactione Reipublicæ & Eccleſiarum libertatem privati affectus cauſâ ſummâ ignaviâ prodenti, vel ipſa pacta oſtendunt, quæ minimè omnium ita comparata ſunt, ut juſtis Ordinum deſideriis per ea ſatisfieri poſſet. Quid enim relinquitur Eccleſiis quam invalidum aliquod electionis jus Pontificis arbitrio ſemper ſuſpenſâ confirmatione aut proviſione ex inhabilitatis capite ſibi retenta ſufflaminandum? Neque illo ipſo tamen in ſolidum & omni anni parte liberè frui licet: Sed partitus eſt Pontifex cum ordinariis collatoribus ex æquo menſes, ut fortunæ ludibriis ſæpius interpellata poteſtas quotidianæ injuriæ ſenſum obducto callo aſſueſcat non ſentire. Extra hanc li-

bertatis Eccleſiaſticæ ſpeciem ſuperbè ubique dominatur Romana Curia. Ad illius enim diſpoſitionem proviſionemque reſervantur omnes Cathedrales aliæque Eccleſiæ, in Curia vacantes: imò vero ubilibet, modo per depoſitionem vel privationem ſeu translationem autoritate Pontificis factam, itemque ejusdem auſpicio caſſatam electionem ſeu poſtulationem repulſam admiſſamque renunciationem Eccleſiam orbari contigerit. Quid nunc impedit, quin Pontifex in ſua manu totam electionis vim habeat? Cum Eccleſiæ in Curia vacant, expedita res eſt, nam ita ordinarii collatores religioſè manum de tabula, niſi propediem ſuſpendi à collatione & indignationem Dei & ſuorum Apoſtolorum velint incurrere. Quod ſi verò extra Curiam, & tamen oporteat Romanam Sedem metuere, ut minùs idoneum ſibi gratumque aliena ſuffragia ſubſtituant, quot arietes habet ad electionem ſeu impediendam ſeu ſubvertendam? Deponere, privare, transferre ex præparatis cauſis priorem Præſulem, caſſare electionem, poſtulationem repellere ad renunciationem vel cogere vel perſuadere quid niſi artes ſunt & præſentiſſima ſubſidia, quibus & antevertere electionem, & jam factam cum reſcindere, tum intentato metu ſibi innoxiam facere licet? Nam dum confirmatio omnis etiam in canonica electionis Roma petenda eſt, dum fas eſt Pontifici, ſi canonicos ducat inhabiles, vel ex alia aliqua rationabili cauſa de digniore & utiliore perſona providere, quando, per Deum immortalem! deerit luſciniolæ ſua cantio, ut non electionem

in ſuum forum transferat, aut recens electum qua promiſſis qua minis in ſuas partes? Nihil eorum latuit imperii Status, nec occulta murmura fuerunt quiritantium Rempublicam in prædam dari; præcipuè verò exempto humanis rebus Nicolao vellicantur aſſiduis æſtibus imperatoriæ aures annitentium Principi perſuadere, *ne Pontificibus amplius obtemperaret*, verba ſunt (*a*) Platinæ, *niſi quædam ad pragmaticam tendentia ab ipſis prius impetraſſent. Quod dicerent Germanis longè pejorem conditionem eſſe quam vel Gallis vel Italis, quorum ſervi, Italorum imprimis, nî res mutarentur, merito dicebantur. Nec certè procul abfuit, quin Imperator tumultuantibus obſequeretur, quo minus autem id fieret, graviſſima Æneæ auctoritas interceſſit, cujus hæc fuit apud Cæſarem ſententia. Inter Principes etiam de magnis rebus inter ſe diſſidentes pacem aliquando & amicitiam componi poſſe; At inter Principem & populum immortale odium ſemper interveniſſe: quare dicebat ſatius ſibi videri cum Pontifice ſentire, quam eorum cupiditatibus obtemperare, quorum mentes non ratione, ſed appetitu & cupiditate ducuntur.* Vides quam pernicioſe & veteratorie ad publicum bonum homines illi conſulere ſoleant, qui abdomini & ambitioni ſuæ metuunt. Totius imperii Senatum, hunc pene Regum conſeſſum, tot ſapientiſſimos patriæ patres, tot proceres & columnas Reipublicæ leviſſimi & infimi populi ingenio adſcribere, Principib⁹ ſuis perpetuo livore infenſo,

(*a*) In Pio II.

quæ hæc calumnia eſt & ſacrilega audacia? quod illud boni civis & Conſiliarii officium, caput à membris artificioſâ obtrectatione dividere, & illud extraneo homini devincire præpoſtero obſequio, ne æquas & neceſſarias populi ſui preces audiat ſub duriſſimo jugo gementis? Et verò cur melius Imperatori ſit cum Pontifice ſtare frequenti nundinationum ac plus quam cauponaria arte imperii & ipſius cæſarei fiſci theſauros expilante, quam civibus ſatisfacere, conſilium opemque ad ſubactæ patriæ liberationem certatim promittentibus? cur ſatius ſit cum vitæ ac fortunarum periculo piratas ſequi, quam amicam claſſem? cur Sirenibus auſcultare prima cantus ſuavitate inexpertis auribus imponentibus, quam maturè monentibus, ut adhibita cera blandientem peſtem effugiamus? O impudens & durum os! tune igitur audes juſtiſſima Statuum deſideria in ipſis Comitiis legitimo ordine expoſita improbas cupiditates dicere, tu Principum mentes, quas Deus propiore Spiritus ſui numine afflat, non ratione ſed appetitu & cupidate duci. Ecce autem quam defuit Pontifici tuo ratio! quam pridem ipſe exuto omnis honeſtatis & juſti æquivè ſenſu depuduit. Ante Gregorianos tumultus & Sacræ Scripturæ indubiâ auctoritate, & ex vi ſummi imperii, & priſco cùm fere omnium gentium tum Chriſtianorum more Imperatorum fuit creare ſacrorum Pontifices. Hæc humanæ conſuetudinis & juſtitiæ vincula Gregorius primò impugnavit: Calixtus diſſolvit & rupit. Sed ſpecioſus titulus & ſolidæ pietatis plenus, Eccleſiarum ſcilicet libertas

divino

divino jure imperata, adeoque ſubtrahenda Principum ambitioni, principio obtendebatur. Et jam in eo videbatur ſibi Romana Curia ſatis magnum victoriæ præmium poſuiſſe, ſi ereptis ſeculo electionibus Eccleſias pateretur ſuo jure & naturali libertate frui. Sed nunquam animus noſter præſenti felicitate contentus eſt, cum prima conſequitur, ulteriora appetit, in infinitum progreſſurus, niſi mors aut adverſa fortuna modum faceret cupiditatibus. Pellæus juvenis in Aſiam cum exercitu trajecturus laudem & famam viſus eſt quærere: ſed cadentibus ex animo rebus intra Perſarum imperia Indiamque plus æſtuavit, quam Romana pubes Caudinis furculis incluſa. Ita Pontifex cum adhuc ancipiti fortuna confligeret, augendis viribus totum ſacrum ordinem ad pileum vocavit, inſita dominandi libidine & avaritia haud impigrum aut ineptum ſeditionibus: dementata interim plebe cœli indignatione, quod ferret illius vates tam indigne mundanis ſordibus premi, & qui ad imperium deliciasque nati felicem mitram divino munere haberent, alienis ludibriis ſubactos velut è terra naſci electione in profanas manus collata. Hanc fabulam prima ſcena expoſuit, plauſibili argumento clero plebique acceptam, cùm interea de utriusque capitibus clandeſtina comitia haberentur. Quamvis enim recenti adhuc fœdere per Calixtum electiones populo & Eccleſiis reſtitutæ ſint, ne divina & humana jura, quæ nefarie infandis rebellionibus prætendebantur, ſubita mutatione perirent: temporale tamen id beneficium fuit, nec alia mente conceſſum,

ceſſum, quam ut meliore occaſione revocaretur, jurium peritia, quæ tunc liberali modo omnibus non tam admenſa eſt, quam affuſa, ex poſteritatis memoria ſenſim evaneſcente. Quid igitur de his hominibus dicemus, quibus divina oracula & ipſa legum ſanctiſſima præſes juſtitia ad libidines ancillantur & parricidia? Heinricorum ætate Clero plebique omnia jura electiones addixere, & id pene in religionis articulum tranſiit, ut continuò fulmine afflaretur, qui meliores partes defenderet: deinde mutata facies & antiquatæ ſunt ejusmodi leges, Romana Sede totius Catholicæ Eccleſiæ univerſalem dominatum ad ſe rapiente, cui adverſum erat, ſi cum plebe ſacer ordo nimium poſſet. Hæc Prothea in varias formas mutatio ægerrimè quidem omnibus bonis accidit, & vel jam ſimplicioribus patuerunt ambitioſæ curiæ conſilia: ſed jam ſerum erat nodoſam arborem flectere neglecta ramuli teneritate: & præterea Concilii Baſileenſis opportunitate omiſſa, qua feliciter antiquum vulnus ſenſim potuiſſet ſanari. Quam parum enim Concordatis noſtris & Reipublicæ & temporum neceſſitati proſpectum ſit, ex adverſo quam omnia in gratiam authoritatemque Pontificis expenſa, vel ex ipſa pactorum inæqualitate conſtat rerumque eventu. Itaque Procerum noſtrorum mentes ratione, conſilio, ſapientia & juſtitia imbutæ, non affectibus aut libidine correptæ ab Imperatore Friderico malorum finem præſenti & robuſto remedio exorarunt. Itaque ſatius fuiſſet honeſta civium deſideria ſequi, & animorum alacritate ad parandam liberta-

tem

tem uti, quam unius hominis improbis cupiditatibus ſervire. Sed inevitabile fatum eſt, & nihil adverſus rerum eventuumque neceſſariam ſeriem humana conſilia poſſunt.

§. 35. Utcunque autem Germanicæ Nationis concordata perniciosa nobis ſint, & favorabilia Romanæ Eccleſiæ: experientia tamen docuit, non ex omni parte à Pontificibus bona fide ſervata eſſe, occultis cuniculis ad ſubruendas infelicis libertatis reliquias ſubinde actis: adeò inexplebilis eſt avaritia & ambitio, ut inter totius mundi divitias afflictim eſuriat. Teſtes ſunt ejus rei, non tantum gravamina, quæ Ordines Maximiliano Imperatori anno milleſimo quingenteſimo decimo adhuc ante Lutheranorum auditum nomen exhibuerunt: ab eis deinde repetita auctaque in Noribergenſi conventu. Sed & imprimis imperatoriæ capitulationes, quæ omnes & ſingulæ de informibus gratiis, reſcriptis, annatis, multiplicatione Officiorum in Romana Aula, diſpenſationibus, reſervationibus, reſignationibus, aliisque modis in fraudem Concordatorum & juris Patronatus uſurpatis indignabunde conqueruntur, & opem Imperatoris diligenter implorant. Adhæc (a) Gregorii XIII. declaratio de menſibus relictis potius quam reſervatis idoneo argumento eſt, quantis artibus ipſa concordata ſoleant impugnari. Multa enim ibidem in præjudicium noſtræ Reipublicæ innovari & ſubverti contra contrahentium primã intentionem, nullum dubium eſt, devolutionibus tam

(a) Apud Gold. Conſtit. Imp. p. 210. & Limn. Mantiſſ. VII. ad Capit. Caroli. V.

tam arcte in ordinem redactis, ut eis vix amplius locus aliquis eſſe poſſit, præparatis cavillis non eludendus. Sed non ſicut concordata, ita & hanc declarationem, quam preterea uni Pontifici non licuit pro imperio facere, publica fide recepimus: quare bona Apoſtolorum Petri & Pauli venia, quibus alias nihil de his rebus innotuit, imò integra Dei gratia repudium mittimus artificioſæ extenſioni.

§. 36. PræterConcordata autem iſta Cæſareæ Capitulationes & aliorum pactorum mentionem faciunt, quæ Romanum Imperium dicitur cum Pontificia Sede feciſſe. Quænam vero illa ſint, & quid ſibi velint, ex publicis actis, quæ proſtant, non potui diſcere.

§. 37. Quibus modis autem hodie Epiſcopi conſtituantur: alio loco à nobis exponetur: Nunc ultimum argumenti eſt, quod ſummum jus Imperatoris de ea re tractat, ut hoſtibus arma detrahamus, quibus contra veritatis aciem utuntur. Et verò æternam naturæ legem cum divinis imperiis ac primæva conſuetudine Eccleſiæ Chriſtianæ, adhuc viduatæ Principum præſidio ſupra excuſſimus. Reſtat igitur, ut ſi quid aliunde jejuna fiducia objicitur, eadem dexteritate repellamus. Nihil metuimus Nicænum Canonem, de electione per Epiſcopos facienda, cui Conſtantinus & alii Imperatores vim legis publica receptione tribuere: quos poſtea imitatus eſt Carolus M. capitulo *de electionibus per Clerum & populum faciendis.* Quis enim neſcit legibus ſuis non obligari Principem? Quis non ex ipſa lege lata ſuperius aliquod jus agnoſcit? Res ſimi-

lis & aliis civilibus actionibus, quas majeſtas cum ſubditis communicat auſpicio ſuo & nomine exequendas: non quod ipſa tale quid non poſſit facere, ſed quod vel nolit, vel agendarum rerum multitudine diſtracta alieno adjutorio laborum exitum quærat & levamen. Quemadmodum ex eo, quod à municipiis eligi Decuriones permittuntur, vel quod univerſitati fas eſt Syndicum creare, nemo ſummum Principis imperium in Decurionum Syndicive conſtitutione in diſcrimen vocavit: ita abſurdum & pertinax profectò poſtulatum eſt, rivulos à ſcaturigine ſua dividere, & hauſtâ ſemel aqua obſtructis facibus fontem abjurare, unde potare licuit. Impoſſibile ſummo Principi eſt, toto ſuo regno, quod plerunque latiſſimum, ſingulos Epiſcopos, ne dum ſacrificulos nominare: adeoque vices ſuas populo mandavit & ſacro ordini: Sed noluit tamen utrumque propria quæſiti juris auctoritate oblito beneficii auctore dominari. Sanctione publica canones antiquos confirmavit: ſed noluit confirmationem illam ſibi & Reipublicæ præjudicio eſſe: quare exempla electionum per Epiſcopos factarum id tantum oſtendunt, electionem à ſumma poteſtate etiam aliis poſſe permitti: nec ab ea neceſſario fieri debere. Canones hoc ajunt, nolentibus illis, aut negligentibus, apud quos in civitate rerum ſumma eſt, poſſe Eccleſiam ita ſibi relictam de idoneis inſtrumentis ad finem conſequendum proſpicere. Sed neutrum horum nunc quæritur. Verùm illud potius an ſummo imperio liceat, ſi quando ex civilibus cauſis libitum fuerit, ſaltum facere &

inter-

intervenire ordinariæ electioni? Ac id ſibi licere illi ipſi Imperatores optima interpretatione docuerunt, qui legum auctores fuiſſe dicuntur. Ut enim omittam Græcorum imperium, indubitatum eſt Carolum M. aliquando uſum eſſe jure eligendi Epiſcopos, quanquam id rarius ab eo factum (*a*) Genebrardus regii juris infeſtiſſimus hoſtis fateatur. Nec alii propugnatores pontificiæ ambitionis inficias ire poſſunt, Romanã Eccleſiam ab eodem Principe accepiſſe ſuos Præſules, aut decretum eſſe, ut idem Archiepiſcopos & Epiſcopos inſtitueret. Unde Lupus Ferrarienſis à Pipino Caroloque M. hunc regiæ electionis morem propediem deducit. Nec id mirum cuiquam videri debet, cui integrum cerebrum nec læva mens eſt. Quid enim leges & jura jactitant? Nulla lex civilis eſt, à qua non liceat interdum Principi recedere: ac id forte ſibi vult JCtorum axioma: *verbis generalibus in lege poſitis nunquam cenſeri excluſum jus ſummæ poteſtatis.*

§. 38. Quod autem nonnulli ad divitias illisque annexam temporalem jurisdictionem recurrunt, de quâ Imperatores Epiſcopos inveſtiere, imbecillas tenebras faciunt tantæ luci. Conſtat enim Eccleſias Ottonum liberalitate opibus & poteſtate demum creviſſe, ut ſub Francorum Regum imperio quod nihil eſt, nec effectum aliquem potuerit producere. Quamobrem ſi ante Ottones in rerum monumentis frequens mentio Epiſcopatuum inveſtituræ occurrit, à Regibus aut Imperatoribus factæ: id neceſſario de colla-

(*a*) De Sacr. elect. jur. c. 1.

collatione non juriſdictionis aut temporalis juris, ſed ipſius loci capiendum, in quem ſolita electione Princeps ad obeundum paſtorale munus eam perſonam ſubſtituit, quam dignam judicavit ſacris functionibus.

§. 39. Qui canonum auctoritate nituntur, non attendunt, illos etiam ſub regio imperio eſſe, & proinde in externis rebus contrariis edictis poſſe abrogari, ut ſupra vidimus. Cum enim adhuc Eccleſia extra tutelam Reipublicæ infelix fluctuaret, ipſa neceſſe habuit ſui corporis commodam, qua licuit, ordinationem ſuſcipere, non æternis, ſed temporalibus nec amplius duraturis decretis, quam deſerta vidua inter ſummas poteſtates nullos procos inveniret, qui eam ambirent. Et verò quicquid etiam antiquiores canones, nec ſequioris ſeculi corruptelis ſuſpectos perſcrutemur, longe majore modeſtia eos loqui nullum dubium eſt, quam qui hodie in Romanæ Curiæ officina cuduntur. Vetuſtiſſimus canon, qui eſt trigeſimus in eorum ordine, quos *apoſtolicos* perhibent, non tam juri ſummi imperii aliquid detrahit, quam ambitum & machinationes eorum coërcet, qui non legitimè examinati, non ut decet ordinati, violentis intruſionibus Eccleſias invadunt, favore auxiliove Magiſtratuum, intempeſtivam interponentium auctoritatem. Sed quàm diverſa ſunt, monere eos, qui paſtorale munus affectant, ut ſibi ab ambitu caveant & ſordibus, & cum ſummis poteſtatibus, de jure electionum contendere? Inde quod in canone habetur ἐγκρατὴς τῆς Ἐκκλησίας γένηται, oppoſitum eſt ambientium & ſibi indignis modis

Tt patro-

patronos quærentium moribus & invitis Eccleſiis obrepentium. Hoc increpat & damnat canon, quod ita ab antiquo uſu ſervatum ſit, creditumque expedire, ne quis invito populo eccleſiam occupet: non verò Principes de electionibus in jus vocat, aut ſiquid etiam per ſummos Magiſtratus forte peccatum ſit, irritum facit, ſubditis ad ſeditioſa arma vocatis. Idem inſtitutum tenuit Pariſienſis Synodus, qua tantopere gloriantur. Præterquam enim quod non tam de electione loquatur, quam ordinatione, quæ peculiare donum Eccleſiæ eſt, ſub imperio niſi obſequii ratione non comprehenſa: ſaltem perſtringuntur, qui venalem Principis gratiam muneribus aucũpantur, ſumma poteſtas intemerata relinquitur; & fac tamen ea in re Chariberſtum Regem, ſub quo habita Synodus eſt, paſſum eſſe imperio ſuo modum dari, ſimile negotium erit illis legibus, contra quas Principes noluere reſcripta ſua in gratiam partium data aliquid valere: quas tamen nihilominus licet mutare contraria volũtate: nec ſibi temperaſſe poſteà Reges in electionibus experientia docuit, ipſo illo Chariberto Paſcentium ad Epiſcopatum Pictonum promovente, qui nulla Synodi habita ratione à provincialibus, ut legitime electus, receptus eſt. Plurimæ Synodi in Gallia ſunt habitæ, quæ ignavos Principes officii ſui in hac re admonuere: ſed nulla reperitur, quæ eo nomine Regem repræhendat, quod electionum jura ſibi vindicet: Multo minus vero rejiciat publicæ confirmationis auctoritatem, quam & hodie ereptum ivere Rei-

publicæ

publicæ, omni ejus vi in unum Pontificem derivata cœco & pernicioſo ſtudio.

§. 40. Nec ſibi quisquam facile imponi patiatur, ſeu electionem ſeu arbitrandi jus, quod Principibus olim in electione populari competiit, cum eo conſenſu idem eſſe, quo urbis cujusque Magiſtratus ſecundum leges aut canones juxta clerum, & interdum cum populo in electione concurrunt; adeoque ſummas poteſtates partem feciſſe electionis in concurſu cum reliqua Eccleſia, non propriis auſpiciis totam abſolviſſe. Plurimum enim hæc inter ſe diſtant. Magiſtratus enim majoribus calculis vinci potuit, Princeps non potuit, cujus voluntas etiam ſupra ipſam electionem populi erat, & ſolo nutu omnes obligabat ad obſequium. Differentiæ ratio in eo conſpicua eſt, quod imperanti electio competat, qua imperans eſt & imperium habet; Magiſtratus vero eligat non qua Magiſtratus, ſed qua honorata pars urbis, cuj⁹ ſuffragia nec provinciæ ſuæ terminos excedunt, Principis imperio omnes totius regni angulos actuosâ efficacia pervadente. Ad hæc Magiſtratus poteſtas ex lege poſitiva eſt; Principis, ex imperio, ſeu ipſum potius ſummum imperium, quod civili legi dominatur.

§. 41. Multo minus Baronio fidem habemus, novo commento accenſam ubique in hiſtoriis veritatis facem emungenti: quaſi Pontificis conceſſione & auſpiciis actum ſit, quicquid olim circa electionem ſibi Reges viſi ſunt tribuere: & ut oportunum mendacium citius fidem inveniat, cum acri bile in eos invehitur, qui tardius

ſibi tanto viro credunt. *Illud non ignorandum* (a) inquit, *conceſſam fuiſſe à Zacharia Romano Pontifice Pipino Regi Francorum nominationem quam vocant, ſeu poſtulationem Epiſcoporum pro Eccleſiis vacantibus in regno ſuo, ut intelligas, cum legis, à Regibus Eccleſiis eſſe datos Epiſcopos, totum id factum non jure proprio, quod nullum penitus in Eccleſiaſticis rebus Reges habent, ſed conceſſione Apoſtolicæ Sedis. Unde erubeſcant mentientes politici novatores, cùm Eccleſias ſubjiciunt Regibus.* O homo Parthis mendacior! ſiccine lubet bonorum authorum mentem adulterare, turpiſſimoque plagio in tui Domini gratiam venenum ex floribus colligere. Quantum conſtat ex Lupi verbis, unde Baronius hæc recitat, non conceſſio alicujus juris, ſed conſilium fuit, quod Zacharias ad Pipinum dedit, qui forte conſuluit, annon recte id jus pro neceſſitate Reipublicæ ipſe Rex exerceret: & præbuit Pontifex aſſenſum expenſa diligenter re, non conceſſit demum Regi poteſtatem, quâ non opus habuit, cùm jam ea uſus legatur, quando adhuc Major domus ſine regio nomine Rempublicam Gallorum adminiſtraret. In Sueſſionenſibus Comitiis quam longe alia Childerici & Pipini Franciæ Principum oratio? *Idcirco conſtituimus*, inquiunt, *per conſilium Sacerdotum & optimatum noſtrorum & ordinavimus per civitates legitimos Epiſcopos, & conſtituimus ſuper eos Archiepiſcopos Abel & Ardobertum.* Adhæc Pipini Frater, Carolomannus, *Ego* agit, *Dux & Princeps Francorum Synodum congregavi, & per conſilium Sacerdotum & Optimatum meorum*

(a) Annal. ad Ann. 752.

rum ordinavimus per civitates Epiſcopos, & conſtituimus ſuper eos Archiepiſcopum Bonifacium, miſſum S. Petri. Nulla hîc mentio pontificiæ conceſſionis, quæ ipſo Baronio auctore; his temporibus poſterior eſt, nimirum in Pipinum Regem collata, ut omninò aliquid condonandum ſit quærentibus, quanam auctoritate freti Reges & Principes Francorum ante Pipinum, ducentis pene annis retro numerandi, tam libero jure Epiſcopos conſtituerint? Ad quid vero, ais, Pipinus conſuluit Zachariam, ſi deciſa jam cauſa fuit regii juris, & innumeris præjudiciis ſtabilita? Scilicet quid novum eſt exquirere ejus ſententiam, à quo injuriam poſſumus metuere? ſperare beneficium? Magna erat in toto occidente Zachariæ illius auctoritas, imprimis Bonifacio Præcone, intercedebat Pipino cum hoc Pontifice arctiſſimum ſingularis amicitiæ vinculum, mutuis officiis colligatum, dum Pontifex Pipini viribus ſe defendit à Longobardorum armis; & hic illius judicio Franciæ regnum cum purpura conſecutus eſt. In Italia vero Romana Eccleſia ſub Gregoriis novos aculeos excluſerat, quibus majeſtatem Principum in Eccleſiaſticis rebus confoderet. Quid mirum igitur ſi recenti adhuc memoria non ſine injuria regiæ domus correptæ potentiæ bona Pontificis venia Pipinus imperare voluit, cùm ejus amicitia & auxilio ad firmandum in ſua ſtirpe regnum porro non perfunctorie uſurus eſſet? Cum enim nollet tanti momenti jus continua ſerie in regno Francorum ad ſe devolutum turpi facilitate prodere, & tamen noſſet Præſulis illius ambitionem,

qui de omni re cuperet certior fieri, præſertim ad Eccleſiaſticum ſtatum pertinente: expeditiſſimum erat ejus conſilium explorare, ut vel libero aſſenſu amicum agnoſceret, vel contrario ſtudio hoſtem latentem diſceret cavere: & magna ſpes erat, non difficilem ſe in tam juſta & luculenta cauſa Pontificem præbiturum, quam nec eventus deſtituit, Zacharia antiquum regni morem novo judicio comprobante. Cæterum aut ratio Baronium hic fugit, aut pudor, qui alio loco muliebriter deplorat humilem Eccleſiæ ſtatum, & propter hujus juris exercitium ſummas poteſtates latrocinii raptusque accuſat. *Iſta temporum calamitate ferente*, inquit, *prodiere, ut Principes prædatorie, ut latrones in ſylvis, in Eccleſias ſibi jus injuſtè vendicarent, in earundemq́; perſonas dominium tyrannicè exercerent.* (*a*) Alibi interdicto de vi publica utitur, ſcilicet *à regibus præſumptum eſſe jus præficiendi Eccleſiis paſtoribus deſtitutis Epiſcopos hoc ſeculo, tum in occidente, tum in oriente.* Quid nunc iſta ſibi volunt, ſi Principes poteſtatem illam per modum delegationis à Romana Sede habuerunt? ergò hæc prædones, tyrannos contra ſe ipſam armavit? ergo violenter præſumptum dicitur, quod ex Pontificum conceſſione & liberalitate eſt? Quod ſi autem Principum poteſtas in tyrannicam abit & prædatoriam, qualis erit Romanæ Eccleſiæ, ex qua ſuam Principes conſecuti ſunt? Effectus agnoſcitur ex ſua cauſa, & imperium delegati naturam indolemque delegantis ſapit. Commiſimus nos hæc inter ſe, alii, quibus volupe eſt, explicent nodum. Nam videor

(*a*) Ad Ann. 559.

videor mihi jam nimis diu cum illo homine conflictari, qui ad omnium ſatyrorum ſtuporem exuto pudore calida frigidis in uno ore confidenter permiſcet.

§. 42. Præterea Florum proferunt, antiquum ſcriptorem, cujus fragmentum aliquod in appendice ad Tomum XII. Baronius conſervavit, negantem, neceſſarium Regum & Principum conſenſum eſſe in electione Epiſcoporum. Nihil verius hoc ipſo dici poteſt, niſi veteratoria explicatione corrumpi ſoleat. Nec enim Florus intolerabile & indignum exclamat, Epiſcopos à ſummis poteſtatibus conſtitui, non ſubditos ad arma convocat adverſus injuſtos uſurpatores capienda: non parricidiis, vi, dolis, perjuriis, & furiarum omnium concurſu ex profanis manibus venerabile & ſacrum jus extorquet: ſed contradicit abſolutæ neceſſitati, quaſi non mereantur Epiſcopi nomen illud niſi Principum ſuffragiis, quod ipſum neſcio annon ſit pro nobis potius telum in adverſarios remittendum. Fortasſis enim Flori ætate mos ille conſtituendi Epiſcopos regiis auſpiciis tam late ubique invaluerat, ut aliqui potuerint in ea opinione eſſe, nullos niſi publica auctoritate eligi poſſe: dum igitur illis errorem eximit, nec tamen ulla verborum aſperitate coævam ſibi conſuetudinem increpat, agnovit quidem legitimum utilemque conſtituendi Epiſcopos modum: ſed non ſolum.

§. 43. Artificioſius commentum enixa eſt Hildebrandi temporibus Romana Curia, neſcio quo Ludovici Pii dono in lucem protruſo, per

quod Hadriani Decretum Paſchali Pontifici renunciatum dicitur. Extant variæ ejus conceſſionis tabulæ, ſed ipſa multiplici differentia ſuſpectæ. Alias enim ex Vaticana Bibliotheca Raphael Volaterranus recitat: alias Baronius, & adhuc alias Sigonius. Et vero plurimis argumentis ſuppoſitum fœtum illuſtris Conringius detegit, ut operæ pretium non ſit alienis mendaciis immorari: ſaltem hîc rationes ejus transſcribere lubet, quæ falſi accuſationem continent. *Verum omne hoc merum eſſe figmentum*, (*a*) inquit, *Paparum, & quidem Hildebrandiorum, multa ſunt, quæ docent. Primo enim ejus doni nec vola nec veſtigium extat in omnibus ſcriptoribus, etiam pontificiis, & ut rerum Curiæ gnaris, ita illi addictiſſimis ante Hildebrandum. Imò ne ipſe quidem Hildebrandus iis epiſtolis, quibus confirmare pontificia ſua, quæ vocat, jura, contra Cæſarem nititur, donationem hanc memorat: ſed demum Paſchalis II. dominante jam Hildebrandino Spiritu. Deinde diplomata ſeu tabulæ hujus donationis variant plurimum. Ex Vaticana Bibliotheca alias Raphael Volaterranus l. 3. Geograph. alias Baronius depromit ad annum 817. alias recitat Carolus Sigonius l. 4. de regn. Ital. quod figmenti ſignum alterum eſt. Ad hoc illo anno 816. quo id factum creditur, in Aquisgranenſi conventu nullus adfuit legatus Papæ, ſed dudum remiſſus Romam. Nec ille legatus aliud retulit domum quam conſenſum Imperatoris circa electionem Paſchalis Papæ, quod diſerte docent Annales & auctor vitæ*

(*a*) De Germ. Rom. Imp. c. 7.

vita Ludovici: quod maximum eſt, adminiſtratio tum urbis tum patrimonii petrini per omne illud ævum uſitata repugnat illi dono directâ fronte: nec tamen vel leviſſimum indicium obſervare eſt, contra quicquam Pontifices ſibi producto privilegio tum arrogaſſe. Merito itaque omne hoc explodimus cum aliis Hildebrandinis commentis. Hæc Conringius. Equidem Platina donationi fidem auctoritate Anaſtaſii conciliare vult, fere coætanei ſcriptoris. Sed in ejus vitis nihil tale habetur. In Eccleſiaſtica autem hiſtoria ſiquid reperitur, furtiva manus ſubrepſit, quod ſcriptori multis locis accidit. Certè dum hiſtoria illa tam prolixa cunctatione deſtituit expectantium deſideria, haud immerito ſuſpicioni obnoxia eſt, oportuna adhuc ſpongia egere, qua vel inviſa deleantur, aut adliniantur recens inventa.

§. 44. Demum quicquid abuſos Principes ſuo jure clamitent, cur nos magnopere moveat, ut timeamus revocatorium judicium, quod nunquam inter pares eſt? Si rem abuſu & luxuria perdimus, omnium primus, ita me Dii ament, eſt ipſe Pontifex Apoſtolica Sede exturbandus, cujus priſtinam ſanctitatem & juſtitiam immenſis vitiis proſcripſit. Igitur deſcendat ſolio, tot monſtris fœcundo, valedicat dignitati tot criminibus conſpurcatæ: deſerat lucem tot nubibus obvolutam, ut exemplum habeamus, quod ſequamur. Aut ſi agnoſcit quidem ſcelera, purpuram vero retinet: jam patiatur ſecum eodem jure agi, nec ægre ferat ab aliis ad ſui tutelam objici, quo ſe ipſum inverecunde tuetur. Res

quæ bona ex ſe eſt, nullis ſordibus immunditiem contrahit: Perſonarùm ſunt vitia, quæcunque abominamur, bonum ipſum intemeratum manet. Ut lutum ſolari radio nullam labem imprimit, ut ignis inter fuligines & nigrantem fumum ſplendide ardet, ut gemma non pretioſior eſt auro incluſa: ita virtutes domeſtica pulchritudine emicant, quamvis utroque vitiorum confinio infeſtè premantur. Deus vitam hominibus malis, qui judicem in civili vita non habent, producit: nos ne alia fortunæ bona invideamus. Non in id conſtitutus eſt à cœlo Pontifex, ut violentis remediis totum mundum ab improbitate & injuſtitia purget. Niſi enim à ſua Curia suſpicetur emendationem, avaritiam ſuam & libidines, non rem Chriſtianam curare cum ſuſpicio eſt.

ANNOTATA.

Ad

CAPUT VII.

§. 16.

Φρὺξ ἀνήρ.] *Vir ex Phrygia vapulans melior fit & diligentior.*

[§. 26. Acerbis & pungentibus literis.] Earum hîc tenor eſt apud *Lehmannum Spirenſ. Chron. l. 5. 34. Accepimus dudum ſanctitatis veſtræ literas, hoc continentes, quod vos in Synodo Romana decreviſtis, quatenus in noſtris partibus conventus omnium Epiſcoporum & laicorum Deum timentium fieret ad diſcutiendum hoc, cui illorum, qui de regni gubernaculo certant, juſtitia magis faveat, in qua re primum hoc miramur, quod prudentia veſtra ſtatuit, quod nullo modo poſſe fieri conſtat. Quid noſtra intereſt, ut jam dudum finitam Synodi Romanæ ſententiam retractemus, & denuo ad rationem pœna-*

ponamus? Quid ad nos, ut diſcutiamus, ſi illi juſtitia faveat ad regnum obtinendum, cui vos regni gubernacula ante triennium Synodo judicante interdixiſtis? Nonne magis oportuit, ut judicium illud diſcuſſio praecederet, quam nunc tandem ſubſequatur? Novimus intelligentiam veſtram, quod nunquam de re indiſcuſſa Synodus vobis praeſidente judicavit. Quid ergò neceſſitas ſecunda diſcuſſionis? Si autem praedictus ille nondum diſcuſſus eſt, ſed ſicut vos dicitis, adhuc diſcutiendus, quae ratio fuit, ut homini indiſcuſſo regalis dignitas ex dignitate apoſtolica ſine ullo conditionis additamento interdiceretur? Si nondum diſcuſſus, ſed adhuc diſcutiendus, quare regi alteri obedire ex veſtra autoritate juſſi ſumus, priusquam certum fuiſſet, iſtum non poſſe regnare? Si autem illa apoſtolica indulgentia pro rato habenda non eſt, quid erit de illis Epiſcopis & aliis, qui propter praedictam abſolutionem juramenta Heinrico facta infregerunt: nonne manifeſtè perjurii convincuntur? ſi enim ille juſte regnare poteſt, iſti injuſte fecerunt, qui promiſſae fidelitatis jugum à ſe projecerunt. Adhuc aliud. Quid de illis ſacramentis erit, quae poſtea regi Rudolpho facta ſunt, cujus ditioni veſtra autoritate ſubjugati ſumus? Ecce qualis rerum perturbatio! Attendant & videant omnes, qui ſanum ſapiunt, ſi factum eſt hujuscemodi! ſi audita eſt unquam confuſio ſimilis huic confuſioni!

[Quae longo ordine cauſas explicabat.] Inter has primo loco objectum Pontifici, *quod omnem haereditariam dignitatem, quae Imperatori à ſede apoſtolica debebatur, ſuperbo auſu rapuerit.* Secundo, *quod longius inde progrediens regnum Italiae peſſimis artibus alienare tentaverit.* Ad quae ſecuta condemnatio. *Quae omnia cum ego quadam patientia diſſimularem, inquit Imperator ad Gregorium, tu hanc non patientiam, ſed ignaviam exiſtimans in ipſum caput inſurgere auſus es, mandans, quae noſti, ſcilicet ut tuis verbis utar, quod aut tu morereris, aut mihi animam regnumque tolleres. Hanc inauditam contumaciam ego non verbis, ſed re confutandam dijudicans generalem conventum omnium regni primatum ipſis ſupplicantibus habui, ubi quae hactenus metu & reverentia tacebantur, in medium deducta fuiſſent veris aſſertionibus illorum, quas ex ipſorum literis audies, palam factum eſt, te nullatenus in Apoſtolica Sede poſſe conſiſtere. Quorum ſententia, quod probabilis coram Deo hominibusque videbatur, ego quoque aſſentiens omne tibi papatus jus, quod habere viſus es, abrenuncio,*

cio, atque ut à Sede urbis, cujus mihi patriciatus Deo tribuente & jurato Romanorum aſſenſu debetur, deſcendas, edico.

[Inter ſummam egeſtatem.] *Heinricus ex rege opulentiſſimo ac potentiſſimo*, inquit Otto Friſingenſis *l. 7. c. 12. miſerabile mortalibus relinquens exemplum egens factus ad inferiores partes Rheni in Belgos ſe contulit.* Spiræ, ubi magnificum templum extruxerat, non beneficium ab Epiſcopo potuit aſſequi, quem ipſe tamen Eccleſiæ Spirenſi præfecerat, ita omnes à ſupercilio pontificis pependere. Recenſet Helmoldus, antiquiſſimus hiſtoricus, mutua Imperatoris & Epiſcopi hæc verba. *Erat illic Epiſcopus Spirenſis Cæſari quondam dilectiſſimus. Nam & templum ingens Dei genetrici apud Spiram conſtruxerat: præterea civitatem & Epiſcopum decenter promoverat. Dixit ergo Cæſar ad Epiſcopum amicum ſuum de Spira. Ecce deſtitutus regno decidi à ſpe, nihilq; mihi utilius eſt, quam renunciare militiæ, da ergo mihi prabendam apud Spiram, ut ſim famulus Dominæ meæ Dei genetricis, cui devotus ſemper extiti. Novi enim literas, & poſſum adhuc ſubſervire choro. Ad quem ille, per matrem, inquit, Domini, non faciam tibi quod petis. Tunc Cæſar ſuſpirans & illacrymans ad circumſtantes ait. Miſeremini mei, miſeremini mei, vos ſaltem amici mei, quia manus Domini tetigit me.*

[§. 28. Et alia.] Adde delicias illas in colloquio ad Surenam à Lugdunenſi præcipue appoſitas. Pontificem eſſe *Chriſtianorum Prophetam & Angelum Dei, ejusque Spiritum plenum*, eſſe *numen ipſum*, ejus decreta eſſe *ſententias ſupremas Spiritus* S. apud Thuan. Hiſtor. l. 106.

[§. 29. Conſultius duxit generoſus Princeps.] Ejus verba apud Lubecenſem hæc ſunt. *In veritate compertum habemus, quod prædeceſſores noſtri antiqui Imperatores hoc juris habuerint, ut defunctis Epiſcopis inveſtituram pontificalem ſine alicujus præjudicio probatis perſonis liberrime locaverint. Sed quia hoc ipſorum voluntate mutatum invenimus, ratum habemus. Hanc vero minimam ſcintillam juris noſtri, quam invenimus, nequaquam mutari permittimus. Sufficiat vobis juſtitia veſtra, quam inveniſtis, quod permittitur vobis electio Epiſcoporum, quam vos canonice fieri dicitis. Sciatis tamen, quia dum pro voluntate imperatoris iſta diſpenſarentur, plures juſti ſunt inventi Sacerdotes, quam hoc tempore, dum per electionem inthronizantur. Ipſi enim ſecundum vitæ meritum*

Sacerdotes inveſtiebant, nunc autem per electionem non ſecundum Deum, ſed ſecundum favorem eliguntur Chron. Sclav. l. 3. c. 17.

[§. 30. Si pro amicis intercederet.] Gobelinus Perſona in Coſmodromio. *Friderico*, inquit, *Archiepiſcopo Colonienſi in Lombardia defuncto Imperator promovit Reinoldum Cancellarium ſuum ad Epiſcopatum Colonienſem, quoniam ſcripſit Eccleſia pro eo,& ſic ad preces ejus electus eſt, ætat. 6. cap. 60.*

CAPUT VIII.
DE SYNODIS.

SUMMARIA.

1. *Synodi vox explicata,*
2. *Et oſtenſum, earum neceſſitatem naturali & divino jure non præcipi.*
3. *Synodi definitio.*
4. *Et diviſio in œcumenicas & τοπικὰς & quid ſit œcumenica Synodus.*
5. *Alia diviſio topicarum in diœceſanas & provinciales & quid Synodus diœceſana.*
6. *Quid provincialis.*
7. *Finis Synodorum.*
8. *Earum convocandarum poteſtatem Imperatoribus competere rationibus & exemplis probatur.*
9. *Idem jus & ab aliis populis uſurpatum.*
10. *Adverſarii breviter perſtricti.*
11. *Facultas nominandi perſonas, tempus, locum ejusdem eſſe principis argumentis probatur.*
12. *Et exemplis.*
13. *Qua adhuc Carolus V. ſequi voluit.*
14. *Jus præſidii Imperatoris eſt.*
15. *Quid illo contineatur.*
16. *Porro imperatori judicium competit: tam in ipſa actione diſcretivum.*
17. *Quam confirmativum poſt actionem finitam.*
18. *Sed in modo utendi aliquando variatum.*
19. *Hoc vero Imperatoris jus tam circa totam eſt religionem quam ſingulas ejus partes.*

20. Altud

vis conventus hominum, ſed talis, quem multi ex diſſitis locis coeuntes facerent: idque Conſtantini M. ætate potiſſimum autumant obtinuiſſe, quando conventus civilis diœceſeos in principe urbe agi ſolitus concilium pro diœceſi cepit uſurpari, quod poſtea in occiduas quoque Romani imperii partes translatum, ubi Ordinum regni conventus frequenter Synodi aut concilii nomen induit. Carolus M. Patricius Romanorum declaratus eſt *in Synodo*, hoc eſt, ut optime Goldaſtus exponit, Ordinum conventu. Apud Francos, Gothosque conſtitutam Synodum ipſa Decreta oſtendunt *ex Epiſcopis, Abbatibus, Judicibus*, i. e. Comitibus, *& legum Doctoribus*, quos nimirum civitates miſerunt. Hinc factum etiam, ut harum Synodorum argumenta nullo diſcrimine de profanis ſacrisque rebus permixtim definirent, ſicut ex Francorum Capitulis & Tomis Conciliorum clarum eſt. Ex hac ſignificatione deinceps adhuc perhibent ſpecialiorem ortam, Synodi vocabulo ad illum cœtum reſtricto, qui aut ex ſolis Eccleſiarum paſtoribus, aut tamen his præcipue undiquaque collectus eſt communis actionis cauſa: Quod ſi enim paſtores in unum convocentur, ut imperata audiant, eorum congregatio Synodus non eſt: Sicut nec concilium populi concio, quam ad audiendam legem convocavimus.

§. 2. Ut autem non illibenter audio, quæ de ſumma utilitate Synodorum alii copioſè recenſent: ita earum habendarum neceſſitatem naturali aut divino jure imperatam haud facile mihi perſuaderi patiar. Quod enim eſt illud

naturæ

naturæ æternum decretum? quod ingenitum humanis mentibus lumen? quæ irrefragabilis conſcientiæ vis, quæ nos ſacrilegii arguat aut impietatis, ſi aliis decentibus modis religionis diſcrimina componimus; aut nos informari ſinimus de cœleſti veritate? Sane congruum eſt naturali rationi, ut expeditiſſimis certiſſimisq; viis de vero falſove inquiratur, ſed nec de omni re natura jus dicit, quæ rationi naturali convenit, nec lites & ſchismata per Synodū ſemper feliciter ſopita ſunt: nam eſt etiam tempus, cum Synodi plus nocere religioni poſſunt, quā prodeſſe, quod ex earum finibus mox apparebit. In ſacris autem literis & divino jure ſpeciali juſſione Synodos niti non magis quis dixerit. Ex veteri teſtamento ne quidem exempla videmus allegari. Turpiter enim errant, qui Synedrium Judaicum cum Synodo in ſtrictiore & receptiore ſenſu confundunt. Synedrium collegium erat conſtans certis perſonis uno in loco ac urbe commorantibus. Synodus nec collegium eſt, nec definitas perſonas habet, ſed confluxu paſtorum toto regno aut provincia coeuntium fit ejus actionis cauſa, qua deciſa iterum ſolvitur congreſſus, cum Synedrium perpetuo duret ad omnes cauſas præſentes & futuras, quarum nec multitudine temere augetur, nec inopia & paucitate dimittitur. Quod auté nonnulli Judæorum Reges, Ezechias Joſiasque ex diverſis regni partibus Levitas congregarunt religionis ordinandæ cauſa, id factum ut imperata audirent, non ut denuo conſultarent: quem cœtum Synodum non eſſe ſuprà à nobis eſt expoſitum. Expreſſe enim

enim Ezechias Sacerdotibus & Levitis in orientalem plateam congregatis dixit, (*a*) *auſcultate mihi ô Levitæ, jam ſanctificate vos.* Hic igitur Levitæ jubentur Regi auſcultare & mandata percipere, cum ex adverſo in Synodis plerumque Reges auſcultare ſoleant ſacro ordini conſilii habendi cauſa. Veniamus ad novum fœdus, quod Chriſto parario, hominibus cum Deo ad æternam memoriam pactum eſt. Ibi quæ de conventibus piorum ad preces fundendas, audiendum verbum, frangendumque panem traduntur, de Synodis perverſe intelligi, quivis non ignorat. Promiſſiones verò, quæ cœtibus fidelium dantur, Chriſtum ſcilicet in medio congregationis gremio habituris, ut non negaverim, Synodis quoque applicari poſſe, & hactenus ad cauſam impellentem referri, ita iis aliquid ſingulare præcipi de omnimoda Synodorum neceſſitate mihi non ſit veriſimile. Adhæc quod Paulus ſpiritus Prophetarum aliis prophetis ſubjicit, de prophetis unius Eccleſiæ proprie loquitur, ex qua nulla Synodus colligitur. Illud ſpecioſius eſt, quod ex Actorum libro de Apoſtolorum conſultatione proferunt in circumciſionis articulo. Sed primò exemplum id eſt, quod prudenter imitari licet absque tamen juſſione aut neceſſario decreto. Nihil unquam falſiùs dictum, quam quod Blondellus ad (*b*) Grotium in margine commentatur, *Apoſtolorum praxeos exempla divinum jus noſtrum eſſe.* Nam quàm multa olim Apoſtolorum tempore certo

(*a*) 2. Chron. 29, 5. (*b*) de Imp. Summ. pot. Circ. Sacr, 10. §. 26. p. m. 319.

conſilio ſuſcepta ſunt, quorum pene memoriam noſtra ætas amiſit? Si tam placet omnes primæ Eccleſiæ actiones pro norma & jure agnoſci: ſi omnia Apoſtolorum inſtituta ſequi: At placeat & omnia bona in commune conferri: Diaconiſſas reduci, preces haberi nocturno tempore, calice ligneo aut fictili uti, ægrotos ſanari ad probandam fidei Chriſtianæ veritatem, linguis igneis diviſiſque loqui: placeat idem Eccleſiæ regimen & cura, pœnaque in perfidos conſtituta mortis, ſacerdotalibus diris provocatæ. Deinde res nondum adhuc judicata eſt, illum Apoſtolorum conſeſſum Synodum recte dici. Quippe controverſia inter Paulum & Barnabam orta de gentium ad Chriſtum converſarum circumciſione Hieroſolymas itum eſt, ut Apoſtolorum ſententiæ exquirerentur, non Paſtorum omnium ex Aſia, Syria, Cilicia, vel Judæa ſaltem. Collegium itaq; Hieroſolymitani presbyterii conſulitur, non convocatur Synodûs. Sola Apoſtolorum auctoritate ſtetit cauſa, cum alii in eorum ſententiam pedibus irent. Sed non eſt ea Synodi ratio, ut convocentur patres ad decreta aliorum audienda, ſed libere & in commune conſultandum. Quamobrem ſi nullo rationis dictamine, nullo divinæ legis articulo de Synodis præcepta habentur, ſequitur eas ad illarum rerum ordinem pertinere, quæ indifferenti indole extra rempublicam cujusvis cœtus arbitrio ac diſpoſitioni ſubjacent: in illâ vero civili imperio.

§. 3. Ita definimus Synodum *Cœtum piorum hominum ac peritorum ſacrarum rerum, legi-*

legitimè ex variis locis convocatorum certa ac momentaneæ actionis cauſa. Cœtum recte dixi, qui eſt hominum multitudo in unum congregata, unde exercitus cœtus eſt, collegium, Senatus, imò ipſa Civitas materiali ſenſu, & abſtrahente à forma. Hoc latiſſimum genus propiori reſtringitur addito piorum hominum & in ſacris literis exercitatorum, qui præcipue ſunt Epiſcopi & Paſtores, domeſtica & propria arte inſignes: non contumaciter tamen aliis ſapientibus viris excluſis, quibus oracula divina noſſe datū. Quoniam tamen præter Synodos & alii ſunt cœtus fidelium, veluti Synedrium, ſeu ſacri ordinis Senatus in quavis Eccleſiâ; idcirco ſpeciali differentia opus fuit à congregationis actionisve communis modo deſumpta. Nimirum ut piorum hominum cœtus Synodus ſit, conjunctim hæc tria requiruntur: convocatio legitima: congregatio ex variis locis: actio certa & momentanea. Primum perſonis conſtat, quæ convocandi poteſtatem habent. Hæ ſunt in civili vita, quæ ſummo imperio fulgent, ad Eccleſiæ tuitionem non minus efficaci quam adminiſtrationem Reipublicæ. Naturaliter vero & ſepoſita civitate omnis Eccleſia, ut cœtus fidelium conſiderata, non ut collegium, quod Eccleſiam in certis cauſis repræſentat. Secundum abſolvitur congregatione perſonarum in unum cœtum, & quidem earum, quæ antea cœtus non erant, adeoque convocandarum ex variis locis. Sed iſta loca varia non tam ipſa diſtantia naturali metiri debent, quam morali aliqua, ne ſcilicet jam cœtus ſint, qui convocantur: aut mini-

mum, ſi certo reſpectu fuerint, ne convocentur ut cœtus, quemadmodum Senatus cogitur, ſed ut cœtus fiant, poſt mutuum congreſſum. Adeoque ſi Reſpublica aliqua una ſaltem Civitate includatur, ſuffecerit ad Synodum congregatio paſtorum, in illa duntaxat civitate conſiſtentium, modo non collegæ ſint, aut ex officio collegii ſui actionem inſtituant, nulla enim ratio eſt, cur ex provinciâ poſſit Synodus colligi, & non poſſit ex civitate, qua ſummæ poteſtatis menſura terminatur. Tertium ad finem pertinet, qui actio eſt cùm certa, cujus nimirum cauſa coiere, tùm momentanea, ut ſcilicet diſſolvatur Synodus peracta re & deciſa causâ, non perpetuo duret in omnes eventus: ne poteſtatem habeat de alio emergente caſu conſultare, niſi ſpeciali mandato prorogetur: Ratio eſt, quoniam abit à natura Synodi & in collegii rationem tranſit, quamprimum cœtus ille ad futuras cauſas cum permanente poteſtate incipit durare, finita conſultatione, quam principio juſſi ſunt peragere.

§. 4. Ex ſecundo requiſito, id eſt locorum menſura naſcitur frequentiſſima, ac neſcio an non fere unica Synodorum diviſio in Oecumenicas, ſeu Univerſales: & perticulares ſeu τοπικὰς. Concilium œcumenicum antiquitas olim dixit, in quo plurimæ Romani imperii Eccleſiæ publica auctoritate convocatæ ſententiam dixerunt. Nec enim crediderim ad ullum Concilium omnes totius orbis Eccleſias unquam confluxiſſe. Sane quidem de Nicæno (a) Euſebius teſtatur,

(a) De Vita Conſtant. l. 3. c. 7.

tur, *ex omnibus Eccleſiis, quæ frequenter in tota Europa, Africa & Aſia extabant, Dei miniſtros, qui facile primas ferre putabantur, convocatos.* Sed dubium tamen nihilominus manet, an nullius penitus Eccleſiæ conſenſus illic potuerit deſiderari, præſertim cum jam Thoma præcone in extremas usque Indiarum oras Chriſtiana fides penetraverit: ut alias occidentis partes, Germaniam, Galliam, quin ipſas Americas, diviſas à noſtro orbe, ubi ſuperiore ſeculo haud levia traduntur veſtigia extitiſſe cognitæ religionis noſtræ, taceam: adhæc non memorant hiſtoriæ, ex latiſſimo Abyſſinorum regno, in quod Æthiops ille, regius Cubicularius à Philippo baptizatus Chriſtum intuliſſe fertur, alicujus Eccleſiæ ſententias rogatas eſſe. Credibilius igitur eſt, œcumenicum concilium Romano imperio terminatum eſſe, quod infinitis provinciis in omnes tunc cogniti orbis partes latiſſime quaque dilatatum videri poterat ſolita figura totum commode trahere. Non ea loquendi ſcribendive ratio infrequens eſt apud optimos quosque Autores græcos & latinos: imò ſacris etiam literis uſitata. Nam quod (a) Caſſiodoro dicitur *Auguſti temporibus orbis Romanus agris diviſus cenſuq; deſcriptus*, id apud Lucam eſt ἀπογράφεσθαι πᾶσαν τὴν οἰκουμένην. Eodem vocis ſenſu apud Pollionem in Macriano legitur, *tantum bene agas, ut te Romanus orbis factum Principem gaudeat*; & interjectis paucis lineolis. *Juvenes aliqui ſunt quærendi, qui ex diverſis partibus orbem Romanum reſtituant:* ad quæ verba Salmaſius notat,

 in

(a) L. 3. variar. c. 52.

in optimis & antiquiſſimis Codicibus *humanum orbem* ſcribi pro *Romano*, veluti Romanis univerſum orbem pro ſuo, & genus humanum pro Romano venditantibus; quò ſine dubio & (*a*) Ulpianus reſpexit, dum ait, omnes homines *in orbe Romano ex Conſtitutione Imperatoris Antonini Romanos cives effectos eſſe.* Quid quod ipſa (*b*) Nicæna Synodus non taceat, ex quo orbe Patres ad eam convenerint, ſcilicet ἐκ πασῶν Ρωμαίου κόσμου ἐπαρχιῶν. Itaque ſuffecit ad œcumenici Concilii dignitatem ſolum Romanum imperium, quemadmodum etiam Epiſcopi ejus præcipui & inſigniores, Romanus, Conſtantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, Hieroſolymitanus καθολικοὶ dicti ſunt atque οἰκουμενικοὶ, eorumque Eccleſiæ καθολικοὶ καὶ οἰκουμενικοὶ θρόνοι. Illa quæſtio gravior eſt, an alia Reſpublica, tot latifundiis non æque dives, nec imperio in tot mundi partes producto conſpicua, convocatione omnium ſui regni Eccleſiarum poſſit œcumenicum concilium celebrare? Aut quod eodem recidit, an nomen œcumenici concilii mereatur, ſi Germania, Gallia, Anglia, Hiſpania, Polonia, ſingula nimirum imperia ſuæ tantum ditionis Epiſcopos conſcribant religionis cauſa, non invitatis extraneis; ſicut quondam ſatis fuit Paſtores coegiſſe Romano imperio ſubjectos? Ac quamvis primâ fronte pro affirmantibus haud parum valeat proborum ſcriptorum autoritas, qui minora quoque imperia, quam illud Romanum erat, per complexionem, exceſ-
ſum

(*a*) L. 17. ff. de Stat. hom. (*b*) Gelaſ. Cyzicenus in exord. l. b. 1. Act. Concil. Nic.

ſum atque excellentiam orbis aut telluris voce dignati ſunt: nimirum Hieroſolymis veteri Judæorum dicto in medio τῆς οἰκυμένης, id eſt, ſolius Judææ collocatis: & Delphis pro orbis umbilico acceptis, quod Græciæ medietatem teneret: Tamen ſi ad uſum accuratius attendimus, qui optimus eſt vocabulorum cenſor, tam parcè nunquam inveniemus œcumenica concilia eſſe dicta, imprimis recepto Nationalium nomine, quæ perperam ſubſtituerentur œcumenicis per ſingulas Nationes celebrandis. Ac profectò longe meliore jure conventum ex omnibus mundi partibus, eo quidem tempore notis, collectum œcumenicum vocari, quam illum, qui unius tantum partis gentem facit, extra dubium pono: Unde ſimul apparere arbitror, nullum hodie Chriſtianum Principem, ac ne Imperatorem quidem tam late imperare, ut propria auctoritate abſque aliorum concurſu & ope poſſit œcumenicum concilium indicere. Quod ſi enim pro imperio ageret, nationalis fieret Synodus, emanentibus aliis, Romani imperii poteſtatem non agnoſcentibus. Si vero precibus & literis quas hodie appellant, mutui compaſſus: jam non ſolius imperatoris ſed & aliorum auctoritate conſtabit Synodus. Deliria enim ſunt & abortus ocioſæ jurisprudentiæ, quæ mundi dominium neſcio qua adulatoria lege Imperatori vindicat. Solus adhuc eſt Turcarum Princeps, qui ſufficeret huic negotio imperiorum multitudine, niſi miſcellæ religionis infelici patrocinio contra cœleſtem veritatem ſtaret. Pontifici autem tantum poteſtatis inter Chriſtianos conce-

dere inconſultum eſt, jam aliquoties periculo facto, nihil conciliis ad Chriſtianæ rei utilitatem agi, quæ arbitrio Romanæ Sedis conſtituuntur. Quamobrem labente paſſim Romanorum imperio factum cenſeo, ut amplius nullum potuerit œcumenicum concilium congregari, quatuor ſolum tot ſeculis habitis, quæ quidem omnium conſenſu id nomen merentur, ut illa ex (*a*) Juſtiniani præcepto ſequi liceat ὡς τὰς θείας γραφὰς, καὶ ὡς νόμους. Equidem haud neſcius ſum, apud Græcos hiſce quatuor, Nicænæ I. ſcilicet, Conſtantinopolitanæ I. Epheſinæ I, & Chalcedonenſi tres alias accenſeri Synodos & ex œcumenicarum familia: ſed haudquaquam nec ratione congregationis nec materiæ ſeu argumenti dignatione cum prioribus comparandas. Quod vero alia decem Pontificiorum concilia attinet, quinque Lateranenſia, duo Lugdunenſia, unum Viennenſe, unum Florentinum, & ultimum Tridentinum, cum non tam ad gloriam Dei ac Chriſtianæ religionis ſinceram & incorruptam majeſtatem, quam Pontificis privatam ambitionem, habita ſint, omnia judicamus ampliſſimo honore indigna. Quando enim, per Deum immortalem, œcumenicum concilium priore ævo purioris fidei auctoritate Pontificis Romani, & non Imperatoris potius convocatum eſt? quando Præſuli ambitioſiſſimo eligendorum Epiſcoporum poteſtas data, ut quos ſibi maxime addictos crederet, ad concilium convocaret? quando permiſſum eſt ad nutum Pontificis continuo diſſolvi Synodum, forte aliquid monſtri

(*a*) Nov. 131. l. 3. & 4. C. de Summ. Trin.

ſtri tempeſtiva libertate parituram? Quando item de bello, ſubditis ſolutione fidelitatis ad ſeditionem & perduellia arma vocandis: de damnandis publico fulmine Imperatoribus & omnium furiarum ope ſolio exturbandis actum eſt, rebus maximè omnium à Concilii ſanctitate alienis? Quare merito abdicamus degeneres filios, qui proſtituta pietate & innocentia morum à ſanctiſſimis majorum inſtitutis tantum abiere.

§. 5. Concilia topica ſeu particularia iterum dividuntur pro ratione latitudinis ſuæ in Diœceſana ſive Nationalia; & Provincialia. Si Scriptores Græcos & Latinos infimæ ætatis ante Conſtantini M. tempora conſulas, διοίκησις minor inferiorque provinciâ ſignificabat ditionem aliquam, cui Prætor juriſdicundi cauſa præeſſet, pluribus nimirum foris aut conventibus, quæ Græci diœceſes dixere, per ſingulas provincias inſtitutis, quibus ſuæ cuique civitates partitim dabantur, quæ illic ſibi à Magiſtratu Romano jus dici poſtularent. Nec enim aliud apud Feſtum & Nonium Marcellum fora ſignificant quam loca illa, ubi Prætores conventum habuerunt, ut jus dicerent litigantibus. Et hoc ſenſu paſſim apud Ciceronem diœceſes legi dubium non eſt. Inſignis ejus locus extat decimo tertio libro Epiſtolarum, in (*a*) illis literis, quibus Servilio Proprætori Andronem Laodicenſem commendat, ibi enim diſerte ait, Provinciæ Ciliciensi tres διοικήσεις Aſiaticas attributas eſſe: & (*b*) alia rurſum epiſtola Helleſpontios in varias diœceſes diſtributos haud occulte eo innuit, quod Ther-

(*a*) Epiſtol. 67. (*b*) l. 13. Epiſt. 53.

mum Proprætorem rogat, ut ſi Genucilius, quem ipſi commendavit, cum aliquo Helleſpontio quid controverſiæ habebit, in illam *διοίκησιν* rejiciat. Itemque ad Appium Pulchrum (*a*) aliis tabulis omnium illarum diœceſium meminit, quæ cis Taurum ſunt. Nec aliud ſunt apud Strabonem illæ *διοικήσεις*, quas in Phrygia & cæteris minoris Aſiæ locis populum Romanum ordinatioris regiminis cauſa pro vetere more erexiſſe refert. * *τὰς Ῥωμαίους*, (*b*) inquit, *μὴ κατὰ φῦλα διελεῖν αὐτὰς, ἀλλὰ ἕτερον τρόπον διατάξαι τὰς διοικήσεις, ἐν αἷς τὰς ἀγοραίας ποιοῦνται, καὶ τὰς δικαιοδοσίας.* Atque priſca hac & antiquiore ſignificatione decepti quidam ex Theologis & Jure conſultis diœceſanas Synodos provincialibus ſubjecere, quod ipſa provincia major potiorque eſſet quacunque diœceſi. Sed incaute ſibimet imponunt, mutata jam Synodorum diœceſanarum tempore per Conſtantinum M. regiminis forma, cui alia ratio placebat partiendi imperii. Is enim Imperator ut multa nova in Republica auſpicatus, nec pauca lævo & ſiniſtro omine: ita abolerit etiam receptum morem, quem regendis ſingulis provinciis majores ſapienter excogitaverant, ampliato diœceſium nomine, ut multæ provinciæ in unam diœceſim redactæ à Præfectis Prætorio eorumque Vicariis regerentur, contrario penitus ſtudio, ac neſcio an utili Reipublicæ, cum olim plurimæ diœceſes ſecurius in una provincia Prætoribus parerent, annali auctoritate & modica potentia nec timendis Principi, nec ſibi ipſis tam ambitioſe placentibus. Quicquid ejus ſit, ab illo

certè

(*a*) L. 3. Epiſt. 8. (*b*) l. 13. Geogr.

certè tempore cepit diœceſana dignitas ſupra provincialem dominari, qualibet diœceſi ad unam gentem ſeu totam Nationem aliquam applicatâ, ſub qua demum provinciæ eſſent, per Præſides inferiores adhuc Præfectis Prætorio adminiſtrandæ. Diſerte id *Balſamon ad can. 17. Concil. Chalcedon* * διοίκησίς ἐστιν, ἡ πολλὰς ἐπαρχίας ἔχουσα ἐν ἑαυτῷ, & fere clarius adhuc *Zonaras ad can. 7. Conc. 1. Conſtantinop. Provinciam e. gr. Adrianopolim vel Philippopolim cum iis, qui in eo tractu degunt, Epiſcopis dicimus. Thraciam vero totam vel Macedoniam diœceſeos appellatione complectimur.* Unde etiam in Imperatorum conſtitutionibus illius ævi ita ſemper diœceſes diſtinctæ à provinciis,ut totum à partibus. *Sive integra diœceſis*, ait *l. 9. de legat. & decret. leg. C. Th. in commune conſuluerit, ſive ſingulæ voluerint inter ſe provinciæ convenire.* Earum diœceſium quinque tantum in orientali imperio Conſtantinus inſtituit, ſexque in Occidentali, in quas totum Romanum imperium diſtributum eſt. Singulis autem diœceſibus, ut dixi, Præfectus prætorio imperabat, vel Vicarius ejus, præcipua inter illas gentes civitate ad ſuam Sedem electa, in quam omnes provincias totius diœceſeos ad negotia publica explicanda oportuit concurrere. Hanc civilis adminiſtrationis publicam formam poſtmodum Eccleſiaſticum regimen imitatum eſt,ortumque Patriarcharum illuſtre nomen, Metropolitano illius civitatis, quam Præfectura aut Vicaria ejus præſentia ſua dignabatur,ad exemplum Præfecti ſemet indies evehente ſupra reliquos Metropolitanos,

litanos, & in ſuum forum rapiente res Eccleſiarum tota illa diœceſi exiſtentium, adeò ut nec Epiſcopis nec Metropolitanis quicquam agere licuerit, inconſulto vel invito Patriarchâ. Hic ſibi χειροτονίαν vindicare, hic jubere Metropolitanos à ſe veniam petere ad Epiſcoporum ordinationem; Hic tam abſoluta poteſtate judicare, ut nulla ab ejus ſententia, ſicut nec à Præfecti prætorio, provocatio eſſet, quod per (*a*) Concilium Conſtantinopolitanum I. initio ſtatutum deinceps expreſſa lege ab (*b*) Imperatore Juſtiniano confirmatum eſt: Hic deniqúe Synodos condicere ſuæ diœceſeos ſeu gentis, coactione omnium provinciarum, in quas tota natio diſtributa erat: rarius quidem illud, nec niſi pro neceſſitate totius diœceſeos, cum provincialia non ſufficerent decidendis cauſis; Sed hoc majore dignatione & autoritate, atque proximè infra œcumeniei ſanctimoniam ſtante, elogio etiam *univerſalis & plenarii concilii* cœtibus iſtis aptato: nec injuria, cum plerumq; latiſſima regna & veneranda antiqua majeſtate ut Thraciæ illud, & Africæ, Ægypti, Syriæque ac alia, diœceſin conſtituerent: quibus ut in civili regimine univerſales leges, id eſt, totius regni obligatorias condere licuit, ita & res Eccleſiaſticas definire univerſalibus decretis, communibus omnium Eccleſiarum ſuffragiis publicatis. Quamvis vero diœceſibus occidentalis imperii nullum concilium œcumenicum Patriarcham aliquem dederit, (ſicut orientalibus, (*c*) ubi Concilio Oecumenico ſecundo in ſingulis diœceſibus, quarum,

(*a*) c. 6. (*b*) l. 29. C. de Epiſc. Aud. (*c*) Socr. l. 5. c. 8.

rum, ut diximus, quinque Conſtantinus M. fecerat, duo vel tres Patriarchæ conſtituti ſunt, Thracica tantum & Ægyptiaca exceptis: quod iterum Chalcedonenſe Concilium mutavit, Conſtantinopolitano Patriarchæ, cui primum una tantum ſuberat diœceſis, Thracia nimirum, ut Alexandrino Ægyptus data eſt, duabus aliis, Aſiana & Pontica adjectis, ut trium diœceſium Patriarcha eſſet. Antiocheno vero per vim ad ſe trahente orientis diœceſin, velut concilio Nicæno jam illi commiſſam,) non ideò tamen deſitum eſt earum diœceſium Synodos univerſales, ſeu μείζονα σύνοδον ἐπισκόπων appellari: ut Concilia Gallicana, Hiſpanica, Romana, Germanica, quælibet univerſalis Synodi titulum apud ſuam duntaxat nationem adſumebant, œcumenicis tamen vel hac tantum conditione minora, quod in his Eccleſiarum ex pleriſque Chriſtiani orbis partibus congreſſus Eccleſiæ Catholicæ unionem ac conſenſum firmat: in illis vero unius tantum nationis circa religionem unitas probatur. Vere (a) Agobardus Lugdunenſis Epiſcopus de canonibus Synodorum Galliæ ſcripſit. *Illorum ſanctiones non eſſe paſſim æquali autoritate recipiendas, ut Nicæni, Chalcedonenſis, & cæterorum generalium ex totius mundi conſenſu congregatorum & receptorum. Sed quia congrua veneratione pro cauſis neceſſariis, quarum definitiones in illis generalibus non inveniuntur, fides ſit eis adhibenda religione debita.*

§. 6. Sicuti verò Patriarchæ eſt, diœceſanum

(a) Epiſt. ad Imp. de duello.

num concilium habere, ita provinciale Metropolitæ ſeu Primatis, qui ad illud provinciæ ſuæ Epiſcopos convocat. Nam ſingulæ Provinciæ ſub una diœceſi comprehenſæ dividebantur rurſus in plurimas παροικίας, ſeu Epiſcopales ſedes cum ſuis ἐνορίαις, id eſt, territoriis. Ex illis prima Provinciæ Civitas, Præſide provinciali nobilitata Metropolitam faciebat Epiſcopum ſuum, ſe ad exemplum Præſidis ſupra cæteras Eccleſias efferentem. Hic igitur in primariam ſui domicilii urbem cum Epiſcopos cogeret ad res Eccleſiarum totius provinciæ ordinandas, Synodum provincialem habere dicebatur, deſcriptam (*a*) alibi * τελείαν σύνοδον πάντων τῶν ἐν τῇ ἐπαρχίᾳ ἐπισκόπων, ᾗ συμπάρεστι καὶ ὁ τῆς μητροπόλεως. Aliis vero Epiſcopis vetitum erat propria auctoritate congregare Synodos, * ἄνευ τῶν πεπιστευμένων τὰς μητροπόλεις, canonicis pœnis per decreta Conciliorum in Metropolitas ipſos conſtitutis, qui in officio hoc ſuo obeundo ſegniores eſſent. Primo quidem juſſum (*b*) canonibus, ut hæc concilia bis quovis anno haberentur: ſed mox (*c*) in oriente ex ſemeſtribus annuæ factæ ſunt, addita cauſa, (*d*) *quod propter Barbarorum incurſiones non poſſet bis concilium haberi*, priſtino more per occiduas Catholicæ Eccleſiæ partes aliquanto diutius retento, apud Francos præcipuè, ubi Caroli M. & Ludovici Pii regia auctoritate in Francorum Capitulis publice in vim legis approbatus eſt. Materia agendorum

cauſæ

(*a*) Antioch. Syn. c. 16 & 17. (*b*) Can. Apoſt. 37. Concil. Nicæni l. c. 20. Concil. Antioch. (*c*) c. 8. Concil. Oecum. 6. c. 6. Concil. Oecum. 7. Nicæn. 11.

cauſæ fuerunt, ad ſalutem totius provinciæ, imprimis vero religionis & Eccleſiaſticæ diſciplinæ illic ruituræ vergentes. Compendioſius id ipſum in (*a*) Synodo Antiochena traditum, ſcilicet * διὰ τὰς ἐκκλησιαστικὰς χρείας, καὶ τὰς τῶν ἀμφισβητουμένων διαλύσεις. Adhæc querelæ etiam ſacri ordinis ibidem auditæ, & lites atque ſimultates inter ipſum exorientes compoſitæ, *recte habere viſum eſt, ut in his ipſis Synodis accedant Presbyteri & Diaconi, & omnes, qui ſe injuria affectos putant, ut à Synodo judicium aſſequantur*: provocatione tamen à ſententia provincialis Synodi ad diœceſanam parti gravatæ aperta per *ſextum canonem Conſtantinopolitani I. Concilii. Si evenerit, ut provinciales Epiſcopi crimina, quæ Epiſcopo intentata ſunt, corrigere non poſſint, tum jubet ipſos ſancta Synodus accedere ad majorem Synodum Epiſcoporum totius diœceſeos pro hac cauſa convocatorum*: canonibus *nono & decimo ſeptimo Chalcedonenſis Oecumenica IV. Synodi* idem admittentibus.

§. 7. Finis conciliorum duplex eſt, ordinanda religio, & probanda Eccleſiæ conſenſio. Religio ordinatur cum internè in fidei articulis ab aliena & ſpuria explicatione vindicandis: tùm externè, in genere morum, ac purganda à vitiorum ſcelerumque ſordidis fecibus eccleſiaſtica diſciplinâ: utrumque brevi compendio complexus eſt Zonaras ad can. 40. Concil. Laodicenaiens * αἱ σύνοδοι δὲ ἀμφιβολίας ἀναφυομένας περὶ δογμάτων, ἢ ἐπιτιμίων ἁμαρτήμασι προσηκόντων, ἢ κανονικῶν ἑτέρων ζητήσεων ὠρίσθησαν γίνεσθαι. Fluit ex

(*a*) C. 20.

ex hoc gemino ſcopo tertium aliquod, utriusque immediatum conſequens, conſilium videlicet, vel ab iis dandum, qui prudentia & rerum divinarum peritia alios anteſtant, vel accipiendum, qui pleniore adhuc informatione opus habent aut neceſſaria correctione: Sive ut Laodicena Synodus loquitur, * διδάσκειν καὶ διδάσκεσθαι εἰς κατόρθωσιν τῆς ἐκκλησίας καὶ τῶν λοιπῶν. Unde apparet eum finem, quem Epiſcopus Wintonienſis conciliis adſcribit, *ut ad veritatis & pietatis amplificationem conſilium Principi prabeant*, ex conditione demum naſci Eccleſiæ publico Principis præſidio fultæ, ác ab eodem de conſilio requiſitæ, nec proinde primum & univerſalem eſſe: Eccleſiarum conſpiratio Concilii ope ideò plerumque probari ſolet, ut inimicorum calumniis obviam eatur, quas artificiosè de mutuo diſſenſu in vulgus ſpargunt: Eſt tamen & tempus, cum ejus intereſt ſcire, ad quem cura Eccleſiæ pertinet, ubi & à quo in religione diſſentiatur, quod in Synodo poteſt facillime explorari. Hâc mente Ricaredus Hiſpaniarum Rex, cum ab Arianismi ſacrilega doctrina regnum ſuum cuperet liberare, concilium non in hoc indixit, ut ipſe de vera fide doceretur, ſed ut fautores & aſſeclæ tam infandæ religionis cognoſceret ex orthodoxâ confeſſione, quam à ſe conceptam Patribus exhibuit. Atque hi genuini ſunt Synodorum & domeſtici fines. Adventitium adhuc & ex aliena familia vocatum Grotius adfert, ut Synodus à Republica civilem quandam poteſtatem accipiat judicandi de controverſis atque litigioſis cauſis, præcipue vero ipſius

Eccle-

Eccleſiaſtici ordinis, quem, ut ſupra diximus, in civili foro agi & judicari, quodammodo videtur indecorum eſſe, ac neſcio annon adverſum reverentiæ debitæ iſtis perſonis.

§. 8. Quid Synodi ſint, & quales, pro inſtituti noſtri modo expoſitum eſt. Nunc, quod præcipuum hujus argumenti caput, videndum, quantum ſummæ poteſtati in ipſis illis Synodis liceat: Quæ quidem tractatio triplici conſideratione abſolvitur, Synodi ſcilicet convocandæ, convocatæ, finitæ. In convocandâ Synodo primas partes ſummæ poteſtatis eſſe rationibus facile probari poteſt & exemplis, per longum ſeculorum ordinem deductis. Cùm enim nulla divinæ aut humanæ legis perpetuitate certis perſonis jus quoddam immutabile ea in re ſit datum, adeoque Synodi ad claſſem illorum negotiorum pertineant, quæ ſua natura utrinque indefinita, nec ulla vel bonitate intrinſeca vel malitia diſtincta deſiderant utentis curam. In Republica vero ordinatio ſacrorum ſummi imperii ſit, ad quam concilia multum adferunt commodi, atq; dignitatis, id jam vel cœco apparet, injuria Principes inde arceri nutricios & defenſores Eccleſiæ, qui aptiſſimi omnium ſunt pro poteſtate divinitus conceſſa videre, ne detrimentum aliquod Eccleſia capiat. Adhæc quoniam, ut paulo ante diximus, Eccleſiæ tanquam cœtui naturaliter ineſt jus regendi ſingulas ſui partes, quod ſemper, civitate donatum, ab ipſo cœtu ad civile imperium migrat, cui ſubeſt, paternorum heriliumque, imò conjugialis poteſtatis exemplo, quæ primis poſſeſſoribus eripit Reſpublica, ſuique

facit auſpicii: Quis tam contumax & duræ frontis erit, niſi in verba alienæ ambitionis turpiſſimo obſequio juraverit, ut in religionis non diſſimili cauſa de ſeparatione cogitet? imprimis omni antiquitate perpetuo uſu tuente rationes noſtras adverſus novos & adventitios ſpiritus. Fruſtra hic occurrunt, primis Eccleſiæ annis nullam Synodum Imperatorum auctoritate habitam, nec à Chriſtianis veniam petitam, ut ipſis coëundi poteſtas fieret. Quid enim infelicia opponunt Chriſtianæ religionis tempora? quid gravia fata & per patientiæ ſpecimen probatam fidei conſtantiam? quid miraculoſam Dei manum per ipſas cædes & aſſiduam lanienam propalantis cœleſtem veritatem? Quid denique hoſtes Eccleſiæ & tyrannos, queîs ludus fuit & deliciæ ipſam peſſimè excruciari? Quis unquam à furioſo tutore ſolatium auxiliumque expectavit? aut patrono confidit inimicum profeſſo? Nec vero neceſſe fuit Chriſtianis ſpecialem celebrandi cœtus licentiam exorare, cum nulla Imperatorum edicta prohiberent. Quæ enim adverſus coitiones vetera Senatus-Conſulta facta ſunt, eos ſingulari gratia excipiebant, qui religionis cauſa coirent, quod novo beneficio Judæis ab Auguſto conceſſum Philo in legatione ad Caligulam narrat, quorum ſe privilegiis quoque Chriſtiani tuebantur, cùm legitima in Dei hæreditatem ſucceſſione, tùm fide & doctrina in omnibus, (a) *quæ in lege & prophetis ſcripta ſunt*: quod nec adeò gentiles latuit, quin ſæpe Chriſtianos Judæorum genti accenſerent, ſicut ex Suetonio patet.

(a) Act. 24, 14.

patet. Interea ardente perſecutionum publicarum incendio id prudenti moderatione obſervatum ab Eccleſiâ eſt, ut quantum integra Dei gratia licuit, abſtineretur cœtibus, ne frequentes & nimiæ coitiones gentilibus ſuſpicioni eſſent & calumniæ ac invidiæ Chriſtianis: Hinc etiamſi Eccleſiaſticos conventus ſacri faciendi cauſa indictos nunquam intermitterent, quamvis humanarum legum ſævitiâ prohiberentur: Deo nimirum præ hominibus ſibi honorem ſuum exigente, à conciliis tamen & Synodis ſibi temperare ſatius duxerunt, modo Eccleſiaſticus ſtatus illis ſine damno ſuo maximo carere potuerit: Neque enim occultum erat, hominum multitudinem ex diſſitis locis in unum cœtum coeuntem plus ab iniquis & ſuſpicioſis Principibus timeri, quam ſi pauci cives in urbe convenerint ad preces recitandas. Cyprianus ſane non uno loco auctor eſt, cùm quondam ſub gravi perſecutione de lapſis ad communionem recipiendis inter Eccleſias multum ambigeretur, ac omnes Concilium expoſcerent, quo communibus ſententiis aliquid definiretur in conſcientiarum ſolamen; nunquam auſos eſſe Epiſcopos inter ipſas irarum flammas convenire, expectantes ſcilicet melioris temporis opportunam occaſionem ſopita perſecutione, quæ & ipſis tandem accidit, ſerum quidem ſed utile patientiæ præmium. Hæc ſub paganis Imperatoribus ita ſunt obſervata: Hæreticis idem cultus ab orthodoxis exhibitus eſt, nolente Liberio Pontifice adverſus Conſtantii interdictum Romæ Synodum congregare; & Hiſpaniæ Epiſcopis non niſi

ex permiſſu Alarici Regis in civitatem Agathenſem convenientibus. Quamobrem hæ cauſæ cum fuerint naſcenti Eccleſiæ & diffiſi patrocinii, & non petitæ ſemper veniæ, quid in his tenebris opus eſt micare? cur non ad beatiora accedimus Chriſtianæ fidei tempora, & propiorem lucem, unde incalemus. Ex quo enim religio noſtra à caſis tuguriisque in Principum regias perducta eſt, & publico juſtitiæ lectiſternio triumphabunda ſedit, confeſtim utroque occidui & orientis orbis latere nulla Synodus celebrata legitur niſi auſpicio & auctoritate ejus, cui ſummum rerum judicium Dii dederunt, usque dum vergente pietate nova fundamenta robuſtioris Papatus Romæ jacta ſunt. Ut proinde veriſſimè ſcriptum ſit à (*a*) Socrate Hiſtorico, *ex eo tempore, quo Conſtantini eſſe ceperunt, Eccleſiæ negotia ab illorum nutu pependiſſe: atque adeò maxima Concilia de eorudem ſententia fuiſſe convocata.* Nec ſemper annuêre Principes Epiſcoporum deſideriis, deciſis aliquando cauſis ſummario judicio intra ſanctiores Sacrarii parietes, aut concilio in opportunius tempus prorogato. Poſſemus hîc per longos exemplorum circuitus & tantum non omnium Conciliorum ſeriem, qui ante corruptam opibus & avaritia pietatem habita ſunt, incedere. Sed ſatius erit delibaſſe paucula ex infinito numero, eaque nullo delectu, qui difficillimus eſt in tantâ copia. Ut verò à Nicæno initium faciamus, quod omnium primum ſub Chriſtiano Imperatore habitum eſt, Euſebio oculato teſte conſtat, juſſu auſpicio-

(*a*) in proœm. l. 5. Hiſtor.

ſpicioque Conſtantini Imperatoris indictum, ut eo Ariana hæreſis damnaretur. *Conſtantinus*, (*a*) inquit, *deinceps Concilium generale tanquam quemdam Dei exercitum inſtruens in unum locum coegit, & Epiſcopis undiq; per literas honorificè ſcriptas, ut eo maturarent, accivit*: cum quo (*b*) Socrates, (*c*) Sozomenus, (*d*) Theodoretus & (*e*) Nicetas conſentiunt. Nec ipſa Synodus (*f*) epiſtola ad Alexandrinam Eccleſiam turpe ſibi duxit imperatoriam auctoritatem fateri, convocata ſcilicet *gratia Dei & mandato Sanctiſſimi Imperatoris Conſtantini ex variis civitatibus & provinciis*, quam aliis literis ipſe Princeps ſuccenturians *ſe magnam Epiſcoporum turbam Nicæam accerſiviſſe* ingenue ſcribit, nullam exinde invidiam veritus, quod mentionem Pontificis omiſiſſet. Nec turbent hîc aliquem Ruffini verba, (*g*) ferentis, *Conſtantinum ex Sacerdotum ſententia concilium indixiſſe*: quæ tam acerbo ſtudio adverſus Pighium à (*h*) Bellarmino jactantur, quod ille (*i*) dixerit conciliorum generalium convocationem Conſtantini inventum: quid enim detrahitur ſummæ auctoritati, ſi ex prudentum virorum conſilio egerit, quod agere jure poteſt? aut quis Principem ob id increpaverit, quod legem ſuum inventum dicat, quam ex conſiliariorum ſuggeſtionibus, regio tamen jure latam conſtat? Nec enim aliud Sacerdotum ſententia apud Ruffinum ſignificat quam conſilii communicatio-

(*a*) De Vita Conſtant. l. 3. c. 6. (*b*) l. 1. c. 5. (*c*) l. 1. c. 16. (*d*) l. 1. c. 7. (*e*) In Theſauro. l. 5. c. 5. (*f*) ap. Socr. l. 1. c. 6. & Theodor. l. 1. c. 9. (*g*) l. 1. c. 1. (*h*) De Concil. & Eccl. l. 1. c. 13. (*i*) De Eccleſ. Hierarch. l. 1. c. 6.

nicationem, non ceſſionem ſummæ poteſtatis. Nimirum invaleſcente Arii doctrina Conſtantinus de remediis cepit ſeriò cogitare, quæ graſſanti malo modum ponerent. De hac re cum Epiſcopis contulit, & audivit eorum ſententias, ſuadentium generale Concilium, quod tamen Imperatorem, cum approbaret conſilium, oportuit ſuo auſpicio indicere. Sardicenſem Synodum, quæ à multis pro œcumenica habetur, ab Imperatoribus Conſtantio & Conſtante congregatam (*a*) Theodoretus, (*b*) Socrates, (*c*) Nicephorus perhibent: & diſerte Athanaſius Apologia ſecundâ: *Viſa audacia Euſebianorum Epiſcoporum ab religioſiſſimis Imperatoribus Conſtantio & Conſtante juſſi ſunt Epiſcopi Orientis & Occidentis Sardicam convenire*: Itemque (*d*) Oſius Cordubenſis epiſtola ad Conſtantium, *fui ipſe in Sardicenſi concilio*, inquit, *cum tu, tuusq; frater B. Conſtans nos omnes eo convocabat.* Idem Socrates refert, Conſtantinopolitanum I. auctore Theodoſio habitum. *Imperator*, (*e*) ait, *nulla mora interpoſita concilium Epiſcoporum ipſius fidem amplectentium convocat*: cui (*f*) Sozomenus & (g) Nicephorus adſtipulantur. De Epheſino I. autem apud (*h*) Evagrium & (*i*) Socratem extat, *Imperatoris*, (ſcilicet Theodoſii junioris) *mandato Epiſcopos ex locis omnibus conveniſſe*, quod nec ipſa Synodus diffitetur, cum iis canonibus, quibus ſe convocatam meminit: * (ἡ ἁγία καὶ οἰκουμενικὴ

(*a*) L. 2. c. 8. (*b*) l. 2. c. 16. (*c*) l. 9. c. 2. (*d*) Ap. Athanaſ. Epiſt. ad Solitarios. (*e*) l. 5. c. 8. (*f*) l. 7. c. 7. (*g*) l. 12. c. 10. (*h*) l. 1. c. 3. (*i*) l. 7. c. 33.

μενικὴ σύνοδος ἡ ἐν ἐφέσῳ συγκροτηθεῖσα ἐκ θεσπίσματος τῶν εὐσεβεστάτων βασιλέων,) tum epiſtola ad Cœleſtinum Romanum Pontificem ſcripta, qua præterito ipſo Pontifice, ad quem tamen ſcribunt, ſola agnoſcunt Imperatorum mandata, indignationem Papæ tam aperta libertate haudquaquam metuentes. *Secundum voluntatem*, inquit Concilium, *Servatoris noſtri omnium, & Sanctionem pientiſſimorum & Chriſti amantium Imperatorum in Epheſiorum Metropoli ex multis & variis provinciis plusquam ducenti numero Epiſcopi congregati — — cum univerſi conveniſſimus, propter Imperatorum denunciationes ac comminationes.* Et verò habemus Pontificum quoque Romanorum ingenuas confeſſiones & preces, quibus pro habenda Synodo apud Imperatorum ſacras aures modeſtiſſimè ſupplicarunt, nunquam profecto id facturi, niſi ex hoc fonte in concilium debuiſſet promanare omnis auctoritas & robur. Leo Romanus oraverat Theodoſium, ut intra Italiæ fines adverſus Eutychem juberet Synodum congregari, & utitur temperatiſſimis verbis, planeque dignis epiſcopali humilitate, *pro integritate fidei Catholicæ*, (*a*) inquit, *Chriſtianum Principem convenit eſſe ſollicitum, &c. Unde ſi pietas veſtra ſuggeſtioni ac ſupplicationi noſtræ dignetur annuere, ut intra Italiam haberi jubeatis Epiſcopale concilium:* Repulſam paſſus, indicta Epheſi Synodo, cui deinde ob funeſtum exitum ληστρικῆς nomen inditum eſt, non iraſcitur Pontifex, non ſacra

Xx 4 arma

(*a*) Epiſt. 9. ad Theodoſ.

arma expedit, non acuit ungues, licet graves cauſas habere videretur indignationis, perditiſſimis Eutychis amicis facilitate Imperatoris abutentibus: Sed acquieſcit auguſtæ voluntati, laudato etiam in Eccleſiam Catholicam ſtudio, quamvis ægre ipſum haberet, quod extra Italiam coacta eſſet Synodus, ut ipſe (*a*) Baronius non diſſimulavit. *Pietas veſtra*, (*b*) ita ait Pontifex, *quæ in honorem Dei religioſiſſima Catholicam diligit veritatem, apud Epheſum conſtituit Synodicalem Synodum.* Poſtea cùm eventus expectationi non reſponderet, Dioſcoro Alexandrino parata vi pro Eutyche contra orthodoxos Epiſcopos diſputante, ad repetitas preces confugit Pontifex, (*c*) aliaque epiſtola ad Theodoſium ſcribit, *omnes partium Eccleſiæ noſtrarum, omnes manſuetudini veſtræ cum gemitibus & lachrymis ſupplicant, ut generalem Synodum intra Italiam jubeatis celebrari:* Valentiniano etiam conſorte imperii pro efficaci ad Theodoſium interceſſione ſollicitato, ut facilius ſibi gratia ejus rei fieret. *Leo audiens*, verba ſunt (*d*) Liberii, *legatorum ſuorum ſuggeſtionem, literis Theodoſium Imperatorem & Pulcheriam Auguſtam rogat, ut fieret intra Italiam generale concilium, ut aboleretur error fidei per violentiam Dioſcori factus. Valentinianum autem Imperatorem & Eudoxiam uxorem ejus ad memoriam B. Petri cum multis Epiſcoporum genibus provolutis Romanus Pontifex deprecatus eſt,*

(*a*) Ad ann. 449. n. 36. (*b*) Epiſt. 12. ad Theod. (*c*) 74. Epiſt. (*d*) Breviarii c. 12.

tus eſt, ut Imperatorem Theodoſium hortaretur aliam fieri Synodum. Et interceſſit quidem pro Pontifice Valentinianus, aſſidua precum moleſtia victus. Sed in ſententia perſtitit Theodoſius contra omnium etiam bonorum vota: nec ſe vivente paſſus eſt unquam aliam Synodum fieri, ut diſerte (*a*) Antonius & (*b*) Leontius teſtantur. * Οὐαλεντινιανὸς ἀχλούμενος ὑπὸ Λέοντος τοῦ πάπα γράφει Θεοδοσίῳ τῷ μικρῷ, ἵνα ἐπιτρέψῃ σύνοδον γένεσθαι εἰς τὸ γνῶναι εἰ καλῶς ἔκρινεν ὁ Διόσκορος ἢ οὔ· ὁ δὲ Θεοδόσιος ἀντίγραφεν αὐτῷ, λέγων, ὅτι οὐ ποιῶ ἄλλην σύνοδον. Tam nullum concilium eo tempore absque venia Imperatoris haberi potuit: tam oportuit Pontificem illud conſilio, precibus & ipſa ante imperatorias pedes provolutione ſanctiſſimi corporis flagitare, & æquo animo ferre inexorabilem Principis animum, honeſtas & neceſſarias præcipui ſui civis petitiones non admittentis: tam piaculum ſemper & nefas exiſtimatum eſt, ut alia auctoritate, ne ſummi quidem Pontificis, Synodus coeat, etiamſi laboranti religioni ſummè neceſſaria. Quis verò ſpecioſior unquam titulus aut ſanctius propoſitum, quam Chriſtianæ rei, ignavia & culpa Imperatoris deſertæ, ſuccurrere cita curatione & ope? quam ſuppleri deficientem imperii majeſtatem ſuccedaneo judicio Catholicæ Sedis? Et tamen is fuit ille Leo, qui ex teſtimonio probatiſſimorum ſcriptorum nullam potentiæ ſuæ augendæ viſus eſt negligere occaſionem: qui omnium primus in omnes totius Chriſtiani orbis Epiſcopos

(*a*) Hiſtor. part. 3. tit. 22. c. 13.
(*b*) De ſect. act. 4.

dominatum ſuperbè affectavit: qui multa in fide etiam & Eccleſiaſtica diſciplina mutaſſe dicitur; nunquam medius fidius, ad iniqui Principis contumelioſam pervicaciam tam ſubmiſsè connicturus, ſi tunc bona fide licuiſſet commoda occaſione uti maximi juris lucrandi. Poſt Theodoſii obitum inſtante jugiter Leone Chalcedonenſis Synodus convocatur, ubi rurſus non tantum Pontifici negatum, quod ardentiſſimè ſemper petierat, ut in Italia haberetur; ſed nequidem id datum ſupplicanti, ut ſaltem ad breve tempus differretur ipſomet iterum tam ſtricta & pene inhumana imperia ſumma modeſtia ferente, nec ulla verborum aſperitate proſecuto: *Popoſceram*, (*a*) inquit, *à glorioſa Clementia veſtra*, (Martianum Cæſarem appellans) *ut Synodum, quam ad reparandam Orientalis Eccleſiæ pacem, à nobis etiam petitam, neceſſariam judicaſtis, aliquantiſper differri ad tempus opportunius juberetis, &c. Sed quia pio ſtudio humanis negotiis divina præponitis, ego veſtris diſpoſitionibus non renitor*: Tam artificioſe dolorem diſſimulat ex repulſa conceptum, ut magis laudare Martianum videatur pietatis ſtudio, quam de negata gratia conqueri, tantum abeſt de jure ſuo, quod nunc ſibi Romana Eccleſia in loco & tempore condicendo ſumit. Pleniorem in oriente apparatum deſino apponere, ne ipſa multitudo nauſeam creet: niſi enim id ſemper minus ambitioſa pietas olim credidiſſet, quam ineptè argueret Hieronymus Synodum hoc vitio habitam? qui tamen præcipuum telum ex hac

(*a*) Epiſtol. 43. ad Marcianum.

hac pharetra in eam vibrat. *Doce*, inquit, *quis Imperator hanc Synodum juſſerit congregari.* Ita profectò eſt, & ideò juxta Cedrenum œcumenica concilia vocantur, * διότι ἐκ κελεύσεως βασιλικῶν οἱ κατὰ πᾶσαν τῆς Ῥωμαίων πολιτείαν ἀρχιερεῖς μετεκλήθησαν. Tropicarum non alia ratio, Concilii Nicæni Decreto, quo ſemeſtres conſtitutæ ſunt, ſpecialis conſenſus locum ſingulis vicibus implente: mandatis quoque ad Præſides provinciarum datis, ut negligentiores ad officium debitis animadverſionibus compellerent, ne putes, pro ſuo lubitu ſemet Epiſcopos congregaſſe. Aliquando tamen re ſic ferente & tropicæ Synodi ab Imperatoribus ſunt habitæ, quod præcipue Conſtantinum feciſſe (*a*) Euſebius narrat, qui *Eccleſiæ Dei peculiarem curam gerens, ortis varia per loca diſſidiis ipſe tanquam communis à Deo conſtitutus Epiſcopus concilia miniſtrorum Dei indicebat.* Epiſcopi Aquilenſis Synodi Gratianum, Valentinianum & Theodoſium ita alloquuntur, *ad removendas altercationes congregare ſtuduiſtis Sacerdotale Concilium.* Bithyniæque & Helleſponti Epiſcopi Valentem rogarunt, ut ſibi in unum conveniendi poteſtas fieret.

§. 9. Poſt hæc barbarorum incurſionibus lacerato imperio, & occiduis plerunque partibus ab aliarum gentium dominatione correptis, cum deſitum eſſet œcumenica concilia celebrari, jam Imperatore deſinente tam latè imperare, proxima dignitate Nationalia ſucceſſere, unoquoque populo ſibi ipſi copiam faciente ſui cœ-

tus:

(*a*) De Vita Conſt. l. 1. c. 37.

tus: nec tamen illa ipſa minus Regum & Principum ſuorum auſpiciis indicta ſunt, quam olim univerſalia Imperatorum mandatis. Ut à Francis initium faciamus, quos inter primos recte ponimus imperii Romani carptores, ex quo Reges Chriſtianam fidem amplexi ſunt, nullum ibi Concilium eſt convocatum, ſine eorum permiſſu & auctoritate. Patet id cùm ex Conciliorum propria fide, ſubinde à Regum ſuorum imperiis, juſſibus, præceptionibus exordientium: tum hiſtoriarum teſtimoniis, quæ nec Pontificis aſſeclæ falſi accuſent. Ita Clodovæus (*a*) Aurelianenſem & (*b*) Clypiacenſem Synodos egit. (*c*) *Arvernenſi* Theodobertus *congregationis tribuit poteſtatem.* (*d*) *Duæ Turonicæ juxta conniventiam glorioſiſſimi Domini Chariberti annuentis ſunt coadunatæ.* (*e*) Aurelianenſem & (*f*) Pictavienſem Childebertus imperavit. (*g*) Matiſconenſis vero prima & ſecunda *ex evocatione Guntrami Regis coiit.* Tertiam (*h*) Clotarius celebravit. Hiſpania eodem jure diu uſa eſt, ut Toletana Concilia, præſertim tertium ſub Reccaredo Rege habitum, quod primo ſtatim canoni glorioſiſſimi Principis mandatum inſeruit, nihil relinquunt dubii. In Germaniam quidem ſerior pervenit Chriſtianæ religionis notitia, cum ea tamen per Francos plantata invaluit par conſuetudo, Carolo M. Francofurti propter Elitpandi novos & blandos errores omnium regnorum ſuorum celebrante maximum conventum, quo

(*a*) Tom. Concil. 2. p. 372. (*b*) Aimoin. l. 4 c. 41. (*c*) d. Tom. 2. p. 633. (*d*) Ibid. p. 642. (*e*) Ibid. p. 650. (*f*) Gregor. Tur. l. 10. c. 11. (*g*) Tom. 2. Conc. p. 678. (*h*) Baron. ann. 617. n. 8. 9.

quo illius hæreſis viriliter refutata eſt. Quid Vandalorum Principes in Africa, & Reges in Hungaria, Polonia, Anglia, ipſaque adeo Italia ante Pontificis oculos hſc ſibi licere cenſuerunt, nemine reclamante, quin probante potius Romana Eccleſia & collaudante ſtudium iſtud, ſuperſedeo prolixe ex hiſtoriis docere, quamvis facilis is labor eſſet & in parato, quod ajunt. Una ſufficiat Gregorii M. epiſtola ad Regem Theodoricum Franciæ miſſa, quâ illum ad exercitium ſui juris impenſe hortatur. *Veſtra,* (*a*) ait, *excellentia Dei noſtri mandatis inhærens ſtudium ad congregandam Synodum pro ſua mercede adhibere dignetur, ut omne à Sacerdotibus corporale vitium poteſtatis veſtræ imminente cenſura & concilii definitione tollatur*: jam dixerat præcedentibus literis paulo diſſertius, *iteratâ vos pro veſtra mercede adhortatione pulſamus, ut congregari Synodum jubeatis.* Sed vix aliquis hac pietate in unionem Chriſtianæ fidei per frequentia concilia conſervandam Carolum M. vicit, qui tota ſua vita ante & poſt adeptum imperium Romanum tot Synodos undique celebravit, quot profecto nemo alius Francorum Regum: quæ ſi quis omnia hic velit recenſere, nec locus ea capere poterit nec lectoris patientia. Eum filius Ludovicus imitatus (*b*) *Aquisgrani generalem ſanctum convocavit conventum.* Inde Ludovicus & Lotharius quatuor ſimul Synodos imperavere: Sicut & Carolus Calvus poſt eos Meldenſem, Lotharius junior Valentinam, Ludovicus II. Wormatien-

(*a*) L. 9. Epiſt. 94. (*b*) Tom. 5. Concil. p. 291.

matienſem, Arnolphus Triburienſem: ac in Germaniæ regno imperioque Romano Carolinam ſtirpem ſecuta Saxonum gens in Heinrico Aucupe Erfordienſem & Ottone I. Romanam, ubi Johannes XIII. judicatus eſt: in aliis alias.

§. 10. In tanta luce & totius antiquitatis conſenſu neſcio quid mortuum & elumbe adferant conducti paraſiti Romanæ Curiæ, certe nihil præter verba confidentiæ & ſpiritus plena, aut corruptiſſimam vel ſacrarum literarum vel bonorum authorum interpretationem, quorum narrationes exſcindunt mala fide, & ita divulſas ſpecioſè propinant, integro earum ſenſu in diverſiſſimum abeunte propoſitum. Paſtu ovium ſupremam jurisdictionem datam in omnia terreſtria: Petrum Vicarium Chriſti & primum Caput Catholicæ Eccleſiæ conſtitutum ſpeciali diplomate: & quod ut difficillimum probatu, ita potiſſimus totius ſcenæ apparatus, Romanum Pontificem huic Apoſtolo ſucceſſiſſe, qui tamen certiore fide Antiochiæ quam Romæ docuit, ubi eum aliquando vixiſſe adhuc (*a*) ambigitur, hæc talia ſunt, quæ facilius cogi poſſunt quam credi. Certe utcunque ſingula concedantur, tamen non adeò varias & monſtroſas ſequelas à puriore Eccleſia exinde fabrefactas ad ſubvertendam omnium Principum majeſtatem in ſacris rebus plurium ſeculorum praxis per exempla à nobis jam memorata oſtendit: ut proinde impudentius ferociusque mendacium ſol nullum aſpexerit, * quam per Franciſcum Burkhardum, ſi quidem is eſt libelli de Autonomia famo-

(*a*) Vid. Salmaſ. in apparat. ad Tract. de Primat. Pap.

famoſus author, evomitum incomparabili audacia legitur. *Nimirum Concilia, Synodos & colloquia à primis incunabulis Chriſtianæ rei à nullis aliis perſonis, quam Eccleſiaſticis convocata, habita & expedita eſſe: præſide tantum omni tempore ſummo Epiſcopo*, (qui ex ejus ſententia Pontifex Romanus eſt) *& judice, & confirmatore; Nec laicum unquam, ſive is Imperator, Rex, aut Princeps fuerit, auſum eſſe huic ſe negotio intrudere.* Quod enim jus convocandi attinet, docuimus jam illo ſumma libertate Imperatores & Reges uſos: monſtravimus ipſos Pontifices non tantum agnoſcentes ſine metu illam poteſtatem: ſed & pro ejus opportuno uſu ad genua Principis humiliter devolutos: diximus repulſam interdum paſſos modeſtiſſime tuliſſe: reliqua vero jam ſequens argumenti ſeries non diſpari certitudine de luculenta falſitate convincet.

§. 11. Igitur illud proxime his non parum videas in dubium vocari, an ſummæ poteſtati jus ſit, ut indicere Concilium: ita etiam ad idem perſonas nominare, quos & quot congregari velit: locumque, ubi, & tempus, quando coeundum ſit conſcriptis patribus, pro ſuo animo conſtituere? Et quidem nos id licere nihil ambigimus, ſive rationibus pugnandum ſit, ſive exemplorum acie. Sed ut res tota pateat, ab origine ſua repetenda eſt. In eo enim adverſarii plerumque inſidias ſuas ponunt, ut primæ Eccleſiæ tempora, publico legum & Principum favore deſtituta ac neceſſariam ſui corporis per ſe ipſum regendi praxim, quam poſt receptos Imperato-

res

res ſummo gaudio deſeruit altiore præſidio contenta, in præjudicium rapiant, & tantum non obligatoriam juſſionem divinæ legis. Naturaliter quidem & cùm pro cœtu accipitur Eccleſia vel abſtrahente à Republica, ſub qua eſt: vel derelicto, quemadmodum jus poteſtatemque habet ad univerſum corpus ſoſpes conſervandum: ſic etiam proſpiciendi de idoneis inſtrumentis, quibus ad propoſitam metam itur. Et quidem id Eccleſiæ licet non divina tantum auctoritate, quæ illam perpetuitatis promiſſo ad ſui curam obligavit: ſed communi omnis cœtus fœdere, qui tutelam & regimen ſui ipſius ſuſcipit, antequam in clientelam conceſſerit dignioris poteſtatis. Inter illas proviſiones, quæ felicitatem Eccleſiæ procurant, conſilia ſunt, in commune collata, prout res poſtulat. Communicatio autem cùm per ſcripta & literas fieri interdum ſoleat, tùm utiliſſimo invento viva voce in Synodis, ubi & melius ſententiæ expromi & ſimultates mutuis officiis ſopiri poſſunt: Hinc erit Eccleſiæ in iis, quæ ipſam tangunt, perſonas deligere, ad conſilia ituras; Paſtorum vero in negotiis, quæ paſtoralis muneris ſunt: alia determinandi perſonas ratio nulla inveniri poteſt, niſi extranea ope, de qua propediem dicemus: Ejus juris aliquam umbellam apud Antiochenos invenimus, qui cum Paulo & Barnaba quoſdam ex ſuo corpore Hieroſolymam ad Apoſtolos miſerunt, non quidem tanquam in libero conſeſſu Eccleſiæ Antiochenæ nomine ſententiam dicturos, quod in Synodis uſu venit: ſed audituros judicium Spiritus Sancti in ſuborto ſcrupulo de circum-

circumciſionis neceſſitate. Quamvis igitur non ad conſilium aliquod delegati iverint, tantum ex eo tamen percipimus, ab Eccleſiâ perſonas primævo more nominatas ſeu capiendi conſilii ſeu dandi cauſa: Nam & Hieroſolymitanum presbyterium eodem jure ex ſuis eligit, quos repenſa vice ad Antiochenos mitterent perferendi decreti causâ. Sed non diu illa conſuetudo duravit, nec, aucta paulum Eccleſia, deinceps omni ſequente ævo temere invenies illius comitia, ubi ex omnium voto perſonæ eligerentur, præſertim quos oportuit ad Synodos proficiſci: mox ſub Chriſtianorum Principum imperio penitus exſpiravit, cum Reſpublica jam non minus pro ipſa Eccleſia vigilaret, quàm civium bonis. Qui vitio id Imperantibus vertunt, quod ipſe Deus adeò ad eorum officium voluit pertinere, ut rationes etiam repetat adminiſtrati muneris, ii quidem jam mihi haud tolerabiliter videntur inſanire. Nam quod antiqui moris imperito ſtudio vetera laudant recentium incurioſi, & primam regiminis Eccleſiaſtici faciem æternitati ſacrificant, in eo turpiter decipiuntur, cum in quovis cœtu id uſuvenire ſoleat, ut facta ad majorem poteſtatem accretione deſinat naturale ejus regimen in alienam manum, & ſerviat ſublimiori imperio, non æmuletur. Quod cùm in actionibus & rebus etiam obtineat ipſi communitati propriis, (veluti religione ab erroribus purganda, conſtituenda diſciplina eccleſiaſtica, & conſenſione Eccleſiæ procuranda:) Ubi licet conſultius aliquando ſit electionem ab Eccleſiis fieri, ut omnes ratum habeant, quod

ab eorum delegatis actum eſt: & ne alieno emptoque judicio videamur libero conſenſu impedimentum creare, id tamen ad modum utendi juris prudentiorem pertinet, non quæſitum aliquod Eccleſiæ jus. Principis erit deliberare an expediat inſtituendæ concordiæ, omnibus relinqui in electionibus arbitrium & liberas linguas: aut è re potius ſit periculo ex tumultuante & ſuſpecta forte plebe opportuno juris uſu prævenire. (Nam & tempus eſſe poteſt, quando plus religioni & Eccleſiarum cōcordiæ nocituræ ſint plurium electiones, in ambitioſos & irrequietos homines, vel ipſis etiam erroribus & labe, quibus corrigendis indicitur Concilium, correptos deſituræ.) Quanto magis indicta Synodo ipſius imperantis causâ? ſive conſilium petentis in rebus ad religionem & mores pertinentibus, ſive mandata juriſdictione cœtum illum judicem conſtituentis quorundam diſcriminum. Tunc enim ut naturaliter cuique licet ſecum expendere, à quo inſtrui potiſſimum velit, ut peculiari jure Principem decet, ad belli paciſque negotia idoneos conſiliarios eligere: ut ſemper in arbitrio delegantis poſitum nominare delegatum judicem: ita in religionis etiam cauſa Imperans ſibi ipſi Theologicarum rerum peritos viros ſumit, per quos doceatur ubi hæret: firmetur, ubi nutat, juvetur ubi deficit. Probe (*a*) Marſilius Patavinus, ***ad ſolius humani Legislatoris fidelis,*** ait, ***ſuperiore carentis auctoritatem pertinet, aut ejus, vel eorum, cui vel quibus per jam dictum legislatorem poteſtas hæc commiſſa fuerit,***

(*a*) Part. 2. Def. Pac. c. 20.

fuerit, generale concilium convocare, perſonas ad hoc idoneas determinare, ipſumq; congregari, celebrari, & ſecundum formam debitam facere conſummari: rebelles quoque ad conveniendum tam Sacerdotes quam non Sacerdotes, Clericos aut non Clericos licite ſecundum divinam & humanam legem per coactivam arcere potentiam. Et præcedenti capite. *Legislatores ad hoc etiam obligantur, eligendo perſonas idoneas ad Concilium integrandum, eisque de neceſſariis temporalibus providendum, & venire recuſantes, ad hoc tamen idoneos & electos tam Sacerdotes quam non Sacerdotes propter utilitatem publicam, ſi oportuerit, compellendum.* Fundat vero aſſertionem ſuam veraciſſima & civili ratione ſummi imperii, in Sacrum Ordinem & res Eccleſiaſticas æquè validi & actuoſi ac reliquam Civitatis partem: ſcilicet, *jurisdictiones coactivas ſuper omnes indifferenter Sacerdotes & non Sacerdotes, perſonarum determinationes & approbationes, officiorum quoque inſtitutiones omnium ad ſolius legislatoris fidelis auctoritatem, minimè verò ad Sacerdotalis collegii ſolius (in quantum hujusmodi) pertinere.* Hæc tam clarè, nec ambiguo ſenſu Marſilius, ut mirum ſit, eum à Pontificiis advocari in ſuas partes, quas adeo gravi ſententia damnat, pro jure Principum latâ. Nam quod inanibus verborum argutiis conciliare ſibi nituntur iniquum, quem cupiunt, Patronum, & ſubtile effugium quærunt in *perſonarum determinatione*, ſive perſonis non includendo Sacerdotes: ſive determinationem ad ſolam approbationem reſtringendo, eo

ipſe Marſilius vim ſibi fieri clamat. Diſertim enim perſonas in Sacerdotes & non Sacerdotes diſtinguit, (non diviſione æquivoci in æquivocata: ſed generis in ſpecies) atque determinationis vocem electione explicat, ut luculenter apparet ex locorum, quos ſupra deſcripſimus, collatione. Quibus cum non pugnat, quod idem author alio loco adfert, *ad definienda dogmata Communitates notabiles eligant fideles Presbyteros, aliosq; ſecundum humani legiſlatoris determinationem.* Dum enim popularem hanc electionem auſpicio & conceſſioni ſummi Principis alligat, ejus partes in hoc negotio ſuperiores manifeſtò facit, & jus plebis ſubjicit majeſtati. Cùm enim idem videatur feciſſe, quod per alium quis facit, certe communitates, quæ ſecundum humani legislatoris determinationem, i. e. delegationem ſeu permiſſionem eligunt, alieno Imperantis nomine, non proprio jure in ſuffragia mittuntur.

§. 12. Si ad exempla veniendum ſit, & uſum Eccleſiæ quarto ſeculo ſub Chriſtianis Imperatoribus receptum, continuatumque per plurimas ætates, dormituriente adhuc ambitione Romanæ Sedis, nunquam forte inveniemus Principibus hac in cauſa diem eſſe dictam à ſacro ordine. Sed principio monendum eſt, nullum ſummæ poteſtati præjudicium eos facere, * quibus vices ſuas Imperator mandavit: nec magis objici cum ratione poſſe ea Concilia, quæ publica lege bis vel ſemel in anno haberi juſſa proprio motu & pro officio ſuo coiere non prævia electione Principis. Utrobique enim electio eſt,

quæ

quæ debetur ſummo imperio: illic quidem expreſſa etiam, ſed per mandatarium explicata, hic vero tacita, obligatione legis, quoties opus eſt, ſtante pro determinato ſemel conſenſu, & in ſingulis Synodis veluti nominante perſonas, quas oportuit congregari, quamdiu ex aliis cauſis Imperans non adhibuit propiorem curam. Inde quod ad diœceſanas aut metropolitanas Synodos Metropolitæ & Epiſcopi ſponte ſua confluxere, non expectato imperio, cur aliquid valeat, cum imperium ipſa lege contineatur, quam conſtat majeſtatis opus eſſe? Minus ambigere poſſumus de electione, quæ per alium ex delegatione fit: quod in majorum Synodorum indictione obſervatum, circularibus literis, quas ἐγκυκλίυς dixere, ad Metropolitanos miſſis, quibus illis imperaretur coepiſcoporum electio, uſque dum is numerus, quem Cæſares conſtituerant, impletus eſſet. Imperatores Theodoſius & Valentinianus, cùm Epheſinum Concilium celebrare in animo haberent, ad Cyrillum, Alexandriæ Epiſcopum aliosque Metropolitas in hunc ſenſum ſcribunt. *Curabit pietas tua, poſt futurum Sanctum Paſcha venire in Epheſum Aſiæ, ſub ipſam Pentecoſtes diem: efficietq; , ut unà adſint ſanctiſſimi ſuæ præfecturæ Epiſcopi, pauci, quos ipſa elegerit.* Iidem ſub Concilii Chalcedonenſis indictione jubent Dioſcorum, *aſſumptis ſecum decem Metropolitanis Epiſcopis, ſub ejus diœceſi, & aliis ſimiliter Epiſcopis ſermone & vita ornatis, proximis Calendis Auguſti Epheſum convenire, nullo ſcilicet alio præter prædictos viros Sanctam Synodũ moleſtante.*

In aliis literis Theodoſius expreſſa certa perſona *Barſumam Presbyterum & Archimandritam adeſſe vult Epheſina Synodo, & locum tenere cunctorum orientalium Archimandritarum.* Hujusmodi electiones, (quas Metropolitæ interdum ſeorſim, aliquando cum Synodo Epiſcoporum comprovincialium fecere,) non aliter ſunt habitæ, quam ſi immediata voce ipſius Principis judicatum eſſet. Nec tunc quiſquam eorum, quibus electionis poteſtas facta, oblitus conditionis ſuæ vel proprium Eccleſiæ jus jactavit: vel mandantis beneficium non publicè confeſſus eſt. Sed præterea non ſemper intra hos carceres ſubſtitit imperioſa poteſtas: aliquando reliquit ſolitam metam, & vel cum ſupercilio aſpernata ſacri ordinis ſubſidiarias vices auguſtali ore providit Conciliis de patribus ſuis, quo plures ſæpe efflavit una epiſtola, quam ille Monguntinus Elector unquam ex cornu venatorio Cæſares. Conſtantinus M. coacta Arelati Synodo ad cauſam Cæciliani Carthaginenſis judicandam non ſolum Chreſto imperavit, ut cum duobus comitibus compareret: ſed ad Miltiadem quoque & Marcum ſcribit, *(a) jubetq́ Romæ ad eandem Cæciliani cauſam decidendam Synodum congregari non ſolum ipſo Miltiade præſente, ſed & Rheticio, Materno & Marino.* Ab aliis Imperatoribus idem obſervatum eſſe non eſt dubitandum, cum Theodoſius ad Conſtantinopolitanam Synodum Macedonianos quoque Epiſcopos admiſerit, & rurſus in Chalcedonenſi vetuerit aſſumi Theodoretum, utrobique

bique

(a) Euſeb. Hiſtor. Eccl. l. 10. c. 5.

bique pleno & ſuo arbitrio, cui parendum eſſe Eccleſia æquum cenſuit: alibi inter laudes etiam Imperatorum eſt, quod ad Synodos vocaverint Antiſtites judicio & eloquentia claros. Nec dispar apud Francorum Reges conſuetudo & uſus regiæ poteſtatis, adjutus per ipſos Pontifices magis, quam impugnatus. Certè Stephanus Papa, ut ex Anaſtaſii bibliothecarii hiſtoria conſtat, legatos ad Pipinum, Carolum ac Carolomannum Francorum Principes miſit, *deprecans atq; hortans eorum excellentiam per ſuas Apoſtolicas literas, ut aliquantos Epiſcopos graves & in omnibus divinis ſcripturis atque ſanctorum canonum inſtitutionibus eruditos ac peritiſſimos dirigant ad faciendum in hac Romana urbe Concilium.* Iſta Stephanus, non undiquemoderati ingenii vir: Nunc quanta rerum & doctrinæ viciſſitudo? Quot comminationes, cenſuræ, fulmina in paria auſuros torquenda? tam nihil adeò ſanctum eſt & rectum, quod non improbæ mortalium cupiditates atque ipſa temporum iniqua fata corrumpere ſoleant. Furtum Deus, natura & pudor proſcripſit, inventæ tamē ſunt leges, quæ honeſtum ducunt & dignum bono viro alterius damno locupletari. Spartanus legislator, ut civium induſtriam in tuenda re familiari acueret, impunitatem tribuit clandeſtinis ſurreptionibus: & olim tota Græcia publicis latrociniis, quæ in pretio habuit & fortitudinis diſciplina, amico etiam receptu favit. Qui viribus præſtat, jure eſt potior, & ipſum jus tandem naſcitur ex iniquitate. Verſat aſſidue inſtabilis & infida ſors bona ſua: & cum nihil donat, repetit, religione,

amicitia, neceſſitate tegit ambitioſa conſilia: animo utilitatem: fas, juſtitiam, fidem violare pronum eſt commodi cauſa. Sed propter regnum laudabile etiam: raptare jus oportet, cum non ſponte ſequitur, pietatemque in ſervitutem ducere, quæ hoſtis noſtri patrocinium ſuſcipit, utrumque manſueſcet tecum aſſiduo uſu, nec æternum iraſcetur primæ violentiæ, expirat invidia diuturna conſuetudine, & odium lenitur contemptu: felix, qui lædere impenſe poteſt, & celare injuriam: injuſtitia naſcitur ex hominum dolore: hunc igitur ſi dementire licet, inane eſt illius nomen, & ipſa parricidia pietas.

§. 13. Iſta antiquiſſimi juris veſtigia * cùm à Carolo V. in Germania relegerentur, in publicis comitiis, quæ habuit, fere omnibus, Conciliorum mentione facta, continuo Pontifex, cui eo in Chriſtianam rem ſtudio atram bilem moverat, tanquam de ſacrilegio tædiosè nec ſine minis reclamavit: inde novæ difficultates generoſis conſiliis interjectæ, & ipſa conſcientiarum ſecuritas falſis criminationibus turbata deſtituerunt ſperatos fructus: Quamvis enim Imperator ſerio de reducenda ad concordiam Eccleſia cogitaverit, nec à ſententia ſe paſſus ſit dimoveri, ut univerſale & liberum haberetur concilium, quod Romani Præſules æqualiter odiſſe ſemper & timuiſſe feruntur, inæſtimabili tamen errore in eo peccatum eſt, quod uni Pontifici, quem inter reos oportuit eſſe, non ſimplici crimine deferendum, ſupremum regendi Concilii jus cum judicandi ampliſſima poteſtate relictum fuerit, melioribus auſpiciis ab ipſo Cæſare ſuſcipiendum:

piendum: atque non aliæ profecto fuerunt cauſæ irriti & infelicis exitus, quam ſuperſtitioſa Imperatoris ignavia, cui Romana curia metu Numinis veteratorie illuſit. Quippe Proteſtantes animadverſo, judicem ſibi dari, quem graviter accuſare conſtituerant, propediem deſeruere actionem, non niſi cum maximo eorum damno atque pudore exituram. Quod ſi vero Carolus æquius auſcultaſſet prudentum virorum ſuggeſtionibus, qui ipſum impenſe hortabantur, ut majorũ exemplo præſideret concilio, de utraque parte poſt diſceptatam liberè cauſam judicium laturus, procul dubio res in melius cecidiſſent, cum & nobis licuiſſet majore fiducia & ſpe pro veritate Auguſtanæ Confeſſionis perorare: & Imperator occupatum alienis calumniis animum purgata ſcelerum ſuſpicione in noſtram tutelam & præſidium vertiſſet.

§. 14. Jam Imperantis partes in ipſo concilio opus eſt exponere. Primum eſt * præſidii jus, ad reverentiam metúmque ſedentibus patribus faciendum, quos in præſentia Principis citius pudere poteſt plurima privatis affectibus dare aut alienæ gratiæ. Diſcrimen tamen aliquod inter Conciliorum genera habitum olim illud eſt, ut majoribus Synodis ipſa ſacroſancta Purpura præſentiam ſuam & ſplendorem communicaret, delegatis Magiſtratibus ad inferiora miſſis, qui vice Domini eſſent, niſi ex Reipublicæ neceſſitatibus & in illis aliquando ſubſtitutionem fieri oportuit. Conſtantinus M. in Nicænâ Synodo (*a*) *Epiſcopis in ſella ex auro fabricata*

Yy 5

(*a*) Vid. Euſeb. de Vit. Conſt. l. 3. c. 10.

cata ſummo loco aſſedit, ibiq; orationem hortatoriam habere cepit, quâ illos ad conſenſionem animorum & concordiam commoveret. Sed idem Imperator ad Tyrenſem Dionyſium Conſularem miſit, qui nomine ſuo præſideret, & (*a*) *omnium rerum eos admoneat; maximè verò ut idem animadverſor ſit & cuſtos conſervandæ æquabilitatis & ordinis.* Theodoſius junior cum Epheſino concilio Candidianum Comitem voluiſſet intereſſe, literis ad ipſam Synodum datis prolixe explicuit legati ſui officium, ſcilicet, *ut ſubmoveat ex Civitate inquietos, qui turbare poſſent Concilium, & proſpiciat, ne qua gravior diſſenſio ex mutuo repugnandi ſtudio coorta, & ſævæ tempeſtatis inſtar debacchata Sanctiſſimæ Synodi conſultationem, exactioremq; veritatis indagationem quovis modo obturbet, tum deniq; det operam ſedulam, ut omnibus & ſingulis, quæ dicuntur, ritè perceptis, ſinguli inoffenſè quod viſum fuerit, in medium proponere, vel ab aliis propoſitum, ſi opus fuerit, refutare queant.* Gemini cum his argumenti ſunt aliæ ejusdem Principis, de ſecunda Epheſina ad Elpidium Comitem Sacri Conſiſtorii, & Eulogium Tribunum Notariumque ſcriptæ, quibus ſeu mandati ſeu inſtructionis forma aliqua extat. *Vos elegimus ad miniſterium fidei*, inquit, *ſicut probatos. & valentes diligenter noſtris juſſionibus miniſtrare, & de iis, quæ à ſancta Synodo fuerint conſtituta, & nullum tumultum permittere. Sed ſi quem viderint conturbationibus & tumultui ſtudentem, ad læſionem ſanctæ fidei,*

(*a*) Euſeb. d. l. 3. c. 42.

fidei, hunc cuſtodiæ mancipare, & ad noſtram perferre notitiam: & cauſam quidem ordine provenire, intereſſe autem judicio, & operam dare, celerem & circumſpectam probationem à ſancta Synodo fieri, & nobis cognitam facere. Et ne ſubſidiariam tantum putes hic Imperatoris opem, ac miniſtrantem concilio in illis actibus, qui ad publicam ejus ſecuritatem liberumque judicium aut vivendi commodiorem rationem pertinent, non rectoriam ipſius cœtus, Marcianum placet in Chalcedonenſi prima audire, qui jus ſuum atque providentiam circa ipſos articulos fidei, ut ab Eccleſiæ piè doceantur, concilio audacter inſinuavit. *Nobis*, ait, *omne ſtudium adhibendum eſt, ut populum propter veram ſanctamq; doctrinam id ipſum ſentientem uni rectè applicare Eccleſiæ; & ideò veram fidem Catholicamq; etiam exponere veſtra properet reverentia*, ibidem vetat Patres de Nativitate Salvatoris aliter diſputare, quam id Nicæna Synodo definitum eſt. Plura teſtimonia ex ſequenti Conciliorum ſerie colligere, quamvis in promptu id eſſet, ſupervacaneum duximus, obvia cuilibet, quibusque fidem derogare nec adverſarii facile ſoleant. Cuſanus ſanè Cardinalis nihil diſſimulare veritatem potuit, ut non apertè (a) fateretur *in univerſalibus octo Conciliis, ubi Imperatores interfuerunt & non Papa, Imperatores & judices ſuos cum Senatu primatum habuiſſe, & officium præſidentiæ, per interlocutiones, & ex conſenſu Synodi, concluſiones & judicium feciſſe.* Nec abnuit Nicolaus I. Ponti-

(a) 3. de Concord. Cath. c. 16.

Pontifex, octava ad Michaëlem Cæſarem Epiſtola, etſi tum litem aliquam movere ceperit: *Quando legiſtis* ait, *Imperatores anteceſſores veſtros in Synodalibus conventibus interfuiſſe? Niſi forſitan in quibus de fide tractatum eſt, quæ univerſalis eſt, quæ omnium communis eſt, quæ non ſolum ad Clericos, verùm etiam ad laicos & ad omnes omninò pertinet Chriſtianos.* Hæc igitur olim ſic obtinuerunt vel Pontificiorum confeſſione. Deinceps in pejus mutatæ res ſunt, cum in locum & jura Principum Romani Præſules incertum majore noſtrum incuria & neglectu, an illorum audacia & ambitione, ſuccederent, qui priſtinos dominos poſſeſſione ejecerunt, in qua illis nidum facere opportunum viſum eſt.

§. 15. Cæterum ad præſidii jus, id omne quondam pertinuit, quod hodie ſibi Pontifices illo nomine vendicant. Unde moderari Patrum actionibus ac libertati, præſcribere agendorum ordinem modumque, ipſaſque adeò cauſas & argumenta proponere, quæ deſerere, & alienis occupari nefas erat, illo munere continebatur. * Præterea ſi lites & partium ſtudia ferverent, ſi factionibus Concio ageretur & inconditis clamoribus, non rationum perſpicua vi, commoda interlocutione auctoritate ſua uſus eſt Princeps, & inutiles moras imperiali oraculo abrupit: periculoſas ſimultates præſentia compeſcuit.

§. 16. Sed ne idolum aliquod aut immobile fatuumque lignum, regendum alienis nervis, Concilio præſideat, judicare Principem patimur

mur in ipsâ Synodo. Nimium ſuperba mortalitas eſt, & immiſericors ſuperſtitionis ingenium, quod Sacerdotum numero de ſacris rebus omne judicium metitur, & reliquam Eccleſiam faſtuoſo contemptu propemodum à ratione excludit, certe divinis beneficiis: quaſi conſolator ille ſpiritus ſolis ſacrificulis promiſſus ſit, aut non melius interdum oves, (ne ab exemplo abeamus, quo (*a*) Bellarminus nugari ſolet) de bonitate paſtus judicent, quam ipſi paſtores. Falſiſſima profecto eſt illorum aſſertio, qui neminem ad ſacra oracula interpretem admittunt, niſi ex revelatione aut ordinis privilegio in eo munere verſetur. Olim quidem, ut audio, apud Romanos Pontificum erat, ex Sibyllinis libris reſponſa dare, quos ipſum Senatum conſulere oportuit: aliis vel introſpicere ſuperſtitionis arcana vetitum. Sed Chriſtiana religio benignius egit cum ſectatoribus ſuis. Nam non obſequi tantum ducibus illis ad cœlum præcipit, aut ſuperſtitioſa deſidia attonitos alienam mirari ſapientiam: ſed in ipſa etiam aſtra attolli oculos jubet, & quemvis ſcrutari ſuopte ingenio ſacras literas, quas ſimplices mentes ex divino promiſſo capiunt, non ſuperba ſapientum ratio aut ſubtiles argutiæ. Adhæc ſive communes interpretationum regulas attendimus, ſeu mandata & leges Magiſtri noſtræ religionis, nihil eſt, quo damnari judicium non ſacerdotale poſſit: plurima, quibus confirmari & erigi. Nam ejusdem doctrinæ atq; inſtitutionis capaces ſunt laicorum animi, quâ imbui poſſunt divinam ſapientiam profeſſi, quic-

(*a*) l. 1. de Conc. & Eccl. c. 15. & l. 1. de Pont. c. 7.

quicquid Philoſophia in artem colligit, quicquid intra naturales receſſus abſcondit, id nullo diſcrimine mortalibus diſpenſatur, quorum pectora ex meliore luto Prometheus formavit: nullum hic ordinis aut diſciplinæ privilegium: ſolum ingenium eſt, cujus ſubtili felicitate aut penetramus nubes ad puriorem aëra igneasque ſedes: aut craſſo pondere terræ ac ſordibus affixi hæremus. Igitur omnibus in hoc naturæ judicio aditus patet, conſeſſus datur, ſententia dicitur: nec myſteria Chriſtianæ fidei mutant congenitam libertatem, ſed hortationibus & præceptis inflammant: ἐρευνᾶτε τὰς γραφὰς, *ſcrutamini ſcripturas*, (*a*) inquit ipſe Chriſtus; *ſcrutamini* vos omnes homines, vos laici etiam & plebei, non ſacerdotes ſolùm. Cauſa enim ſcrutaminis & veſtigationis, ὅτι δοκεῖτε ἐν αὐταῖς ζωὴν αἰώνιον ἔχειν, communis eſt utrique ordini, æternam illic vitam quærenti. * Ἀγαπητοὶ, ita (*b*) Johannes monet, μὴ παντὶ πνεύματι πιστεύετε, ἀλλὰ δοκιμάζετε τὰ πνεύματα, εἰ ἐκ τοῦ Θεοῦ ἐστιν. Qui ſunt autem illi, quos Apoſtolus jubet probare & judicare ſpiritus? ſcilicet ἀγαπητοὶ, τέκνια, id eſt; Chriſtiani omnes, quibus epiſtolam ſuam ſcripſit. Univerſalius adhuc (*c*) Paulus ad Theſſalonicenſem Eccleſiã, πάντα δοκιμάζετε, inquit, τὸ καλὸν κατέχετε, omnia probate, ſacra & profana: probate ipſi apud vos veſtro judicio, non vivite ex alieno arbitrio & inſtitutione: probate illos ipſos, qui docent vos; * exigite doctrinam eorum ad veritatem ſacrarum literarum, hoc canone, hac regula judicate ſpiritus, & ſic demum ex veſtra animi

(*a*) Joh. 5, 39. (*b*) 1. Epiſt. 4, 1. (*c*) 1. Theſſ. 5, 21.

animi ſententia τὸ καλὸν κατέχετε. Hæc probationis & judicii facultas cùm pateat omnibus hominibus in religionis & fidei cauſis: cur illam Principibus contumaciter ademptum imus, quibus tamen præter commune illud jus ſpeciali mandato, tueri Eccleſiam, curare religionem, & exemplum legis ſibi ipſis deſcribere, idq́ue penes ſe habere, ac legere omnibus diebus vitæ ſuæ ſtrictè injungitur? Non repetam hîc, quæ ſupra de judicio circa ſacra à nobis copioſe ſunt tradita; nec ſalutis & adminiſtrationis Reipublicæ partem facere religionis aſſiduam curam: ipſi Synodorum fines de injuria Imperantibus facta conqueruntur. Cum enim in id habeatur concilium, ut directivo judicio Principi præeat, ſive de fide ſollicito, ſeu externa Eccleſiæ forma, quid eum ab adminiculis excludimus, quorum ope diſcerni verum à falſo ſolet? quid decreta pro conſiliis damus? quid abductum à rationis uſu ad cœcum obſequium alligamus? Eſto enim, ſit ſacris literis, ſit Chriſtianæ religioni atque Eccleſiæ conſenſui undique amicum, quod conſcripti Patres cenſent: at permitte Principi id credere ſuo judicio, non ex aliena fide, profer oracula, teſtes, argumenta in probationis vim. Sine eum ſentiendi cauſas exquirere, diſcutere rationes & contrariis armis pugnare, ut demum glorioſè victus ſua, non mutuatitia luce agnoſcat veritatem. Maximo Chriſtianæ rei fructu hoc inſtitutum in Nicæna Synodo Conſtantinus tenuit, cui proinde τὴν ἀληθείας ἐξέτασιν Auctores tribuunt, illumq́ue ajunt in media Epiſcoporum fre-

frequentia ac congreſſu adfuiſſe, (*a*) * οἷά τινα κοινὸν ἐπίσκοπον ἐκ Θεοῦ καθιςάμενον: Sive etiam κοινὸν τῶν ἐπισκοπουμένων: inde Patres gravi oratione ad concordiam hortatur monſtratis inſtrumentis, quibus uti liceat ad certitudinem fidei ſtabiliendam. *Evangelici & Apoſtolici libri*, (*b*) inquit, *nec non antiquorum Prophetarum oracula plane inſtruunt nos de ſenſu Numinis: proinde hoſtili poſita diſcordia ſumamus ex dictis divini ſpiritus explicationes quaſtionum.* In ipſa actione *utriusque partis rationibus non attentas ſolum, verùm & patientes aures præbuit, atque ut his, qui benedixerunt, aſſenſus eſt, ſic illos, qui certandi ſtudio ducebantur, à contentione avocavit: cum ſingulis denique, quatenus eorum ſermonem aſſequi & intelligere poterat, (nam ne græca quidem lingua ignarus fuit) eatenus benigne & placide diſſeruit.* Major Theodoſius in Conſtantinopolitanâ primâ eodem compellationis exordio auſpicatus eſt actionem, & cum orthodoxis Epiſcopis modis omnibus laboravit, ut Eleuſium, Macedonianæ Sectæ, cum ſuis ad concordiam fidei adduceret, ut (*c*) Socrates narrat. In Chalcedonenſi Concilio, quod Martiano Imperatore habitum, luculentiora extant judicii laici veſtigia: (*d*) principio ejus ipſe Imperator interfuit, & pro more ſolito aliquoties publice peroravit. Mox abſentiam ſuam Principum & Senatorum ſubſtitutione correxit, qui mediâ inter Epiſcopos ſeſſione Principis locum & auctoritatem occupabant, conditionatis tamen

(*a*) Euſeb. in Vit. Conſt. l. 1. c. 37. (*b*) Ap. Theod. l. 1. c. 7. (*c*) l. 5. c. 8. (*d*) Evagr. l. 2. c. 4. & 18.

tamen ſuffragiis, & remiſſis ſubinde ad domini ſui judicium: quare ſingulis ſententiis, quas interloquendi modo ſæpius dixere, adjecta formula eſt, (*a*) * *φαίνεται ἡμῖν δίκαιον, εἰ παρασταίη τῷ θειοτάτῳ καὶ εὐσεβεστάτῳ ἡμῶν δεσπότῃ.* Ubi ad definitivam eſt ventum, & major Epiſcoporum pars nudam atque captioſam duarum naturarum in Chriſto confeſſionem admitteret, conſulto prius Imperatore tenuere Præſides, ut ad excutienda hæreticorum latibula adderentur particulæ explicativæ, *ἀσυγχύτως, ἀτρέπτως, ἀδιαιρέτως καὶ ἀχωρίστως.* Horum exemplo diu poſt Carolus M. in Francofurtenſi Concilio ſe *auditorem* ait & *arbitrum* aſſediſſe. Duorum finium, qui ſuperſunt, par eſt conditio. Etenim quærenti Eccleſiæ conſenſionem fides argumentis aut rei evidentiâ facienda eſt, non auctoritate & promiſſis. Quid enim ſi mentiretur Synodus concordiam? Si major pars erroribus obnoxia vinceret ſuffragiis miſeras Eccleſiæ reliquias? hic certe judicium adhibere Imperantem decet, quo fucos ab apibus ſeparet. At quando in Synodum poteſtatem aliquam confert civile imperium, nondum reperi, qua ſpecie ipſi poſſit judicium de illis actibus auferri, quos ſuo expediri nomine juſſit. Sic enim videre Principem oportet, an maneat concilium intra mandati terminos? an affectibus, amicitiæ, odiis nihil concedat? an publico judiciorum ordine cauſam diſceptet, num ſordibus aut avaritia occupatum non grave ſit juſtitiæ. Sume, quæcunque lubet, negotia, quibus conficiendis Synodus habetur,

(*a*) Niceph. l. 17. c. 4.

nullum erit, ad quod non Princeps, imò quivis homo, judicio ſuo & mutua ope conſiliove poſſit concurrere. Quod nec Marſilius Patavinus diſſimulavit, qui cuivis Chriſtiano in hoc cœtu libertatem dat ſententiam dicendi. *Ad hanc congregationem*, (*a*) inquit, *fideles omnes obligantur, licet diverſimode. Sacerdotes quidem, eò, quod eorum ſit, legem docere ſecundum ipſius verum ſenſum, & ea procurare, quæ ad ipſius ſinceritatem proficere poſſint, errores contrarios reprobare, ab ipſis quoque ſuis exhortationibus, arguitionibus, increpationibus homines revocare: propter quod in perſona omnium Apoſtolorum loquens Apoſtolus dicebat; Neceſſitas mihi incumbit: væ mihi ſi non evangelizavero. Obligantur autem Sacerdotibus conſequenter amplius reliqua multitudine, qui periti fuerint in lege divina, debent enim his aliquot excitare & convenire Sacerdotibus, præſertim ſi ſufficienter ad hæc requiſiti fuerint, vel mandati. Quoniam ſcienti facere bonum & non facienti peccatum eſt illi.*

§. 17. Finita actione, quæ cauſam præbuit concilio, exſpirat quidem, delegati judicis exemplo, Epiſcoporum poteſtas, & ſolvitur cœtus, ablatâ ulteriore ſubſiſtendi licentia: Sed ſupereſt tamen in ipſa Synodi acta ultimum & ſummum Imperantis judicium, quod ſingulis robur ſuum & vim legis publicæ communicat. Hoc decretis atque canonibus tam neceſſarium eſt, ut ſupra conſilii nudum nomen ea ad præcepti dignitatem & obligatoriam virtutem elevet: tam

pro-

(*a*) 2. Defenſ. Pac. 19.

proprium civili imperio, ut nec dirimi ab illo poſſit, nec abdicari. Utcunque toto ſeculo Patres ſedeant, ut in Eccleſiæ, quin ipſius Reipublicæ rem multiplici ſapientia plurima decernant, nihil eorum induit juris formam, obligationem ex ipſa juſſione elicientis, priusquam publica auctoritate adoptatum ſit. Quis verò legiſlatorem à judicio poteſt earum rerum excludere, quæ mox vult in legem valere? ideo enim explorat & ſeligit, ut bona à malis diſcernat, honeſta à turpibus, atque à noxiis ſalubria. Equidem & ante legem habent illæ Patrum ſententiæ aliquam obligationem, ſed toto genere aliam, quam quæ ex præcepto Superioris eſt. Neque enim canonibus ineſt obligandi principium, quemadmodum legi, quæ eo ipſo, quo lex eſt, obligat: Sed objecto & naturali rationi, quæ perſecutionem boni, & mali fugam omnibus injungit: Dum noſcimus, quæ officii noſtri ſunt, ſive domeſtica prudentia id fiat, ſeu aliorum inſtitutione, ipſa notitia exigit vivendi artem ad illam moralitatem compoſitam. Peccat ægrotus, qui ſub medicorum diſciplina poſitus indulget contrariis ſanitati cupiditatibus; ac judex litem ſuam facit, cùm adverſus conſulta Adſeſſorum injuſtè pronunciat. Sed peccat uterque magis neglectu quam inobedientia; magis quod monſtratum bonum non ſequitur, quam ducem ad illud; denique ſibi magis, quam aliis; ſic etiam quem periti divinarũ rerum viri in pietate & ſacris inſtruunt, cui ad cœlum viam deſignant ſalutari doctrina, ipſa certitudine ſalutis vincitur: nam & humana ratio, & conſcientia, & adeo ipſe Deus com-

mendant ſingulis ultimam beatitudinem, nec diſpar hic ſervorum à dominis conditio eſt, æquali utrobique obſequii neceſſitate. Diverſa in lege ſunt omnia, quæ nec tenet authores ſuos, nec aliunde vim obligationis quærit, jam in præcepto abſconditam; intelligere hoc vel ex eo licet, quod etiam in mediis rebus, nec debitis per ſe, nec illicitis, obſequendum ſit legi, ac per eam jubenti Principi, cùm ſine vitio ſit illic medico aut jureconſulto non auſcultaſſe. Hæc nova virtus adjicitur quoque Conciliorum monitis & decretis, ut duplici fortius vinculo ligent: nam quæ ante publicationem conſilia erant, poſt eam jus fiunt, relinquendum igitur eſt Principis judicio, qui ſolus in Civitatem legem fert, quid in illum cenſum cupiat acceptari. Tantum de judicio neceſſario in conſtituenda lege: eſt aliud adhuc, quo Princeps opus habet ad actus rectitudinem. Nempe quicquid Synodus conſulit, id eum non cœco impetu ſequi oportet, ſed determinato judicio & explorata fide. Nulla enim actio bona eſt atque expers vitio, quæ aliena auctoritate tantum nititur, niſi abſolutè infallibili, qualis eſt ſolius Dei: non ullius Concilii aut mortalis Hinc cui petere conſilium licet, cur non liceat explorare idem, an commodum ſit & utile rebus ſuis? annon ſub roſis ſpinæ jaceant, aut in herba anguis? præſertim in ſacris cauſis, ubi divina oracula regnant omnibus ad ſcrutandum propoſita. Quam multas habemus Synodos, quibus adulterata eſt fides? patribus aut affectibus abreptis, aut ignorantia vel conſpiratione victis. Quis ſuccurret hîc potius reli-

religioni, niſi Princeps ſuo judicio, & intellectu ſacrorum; neque enim fas eſt ſuppetias iniquitati ferre, aut nullo rerum delectu jurare in verba impietatis, quod aliquando neceſſe fuerit, Principe ad cruda imperia Synodi alligato. Atque hæc profecto cauſa eſt, cur olim Concilia ipſa Imperantium judicio & dogmata ſua ſubjecerint & canones, quamvis diverſo ſubjectionis modo. Dogmata quidem, juxta ſacræ ſcripturæ normam examinanda; canones vero ad prudentiæ regulas, ut comperta eorum utilitate transferantur ad eccleſiaſticum regimen, & effectum legis ex placito Superioris accipiant. Utebatur autem Concilium ſolemni quadam formula, quam προσφωνητικὸς ſeu dedicatoria Epiſtola Synodi Conſtantinopolitanæ I. ad Theodoſium Imperatorem ita exhibet. * Ἀποδιδόντες τῷ Θεῷ τὴν ὀφειλομένην εὐχαριστίαν, ἀναγκαίως καὶ τὰ γεγενημένα κατὰ τὴν ἁγίαν σύνοδον πρὸς τὴν σὴν εὐσέβειαν ἀναφέρομεν, καὶ ὅτι συνελθόντες εἰς τὴν Κωνσταντινούπολιν κατὰ τὸ γράμμα τῆς σῆς εὐσεβείας, πρῶτον μὲν ἀνενεωσάμεθα τὴν πρὸς ἀλλήλους ὁμόνοιαν, ἔπειτα δὲ καὶ συντόμους ὅρους ἐξεφωνήσαμεν, τήν τε τῶν πατέρων πίστιν τῶν ἐν Νικαίᾳ κυρώσαντες, πρὸς δὲ τούτοις καὶ ὑπὲρ τῆς εὐταξίας τῶν Ἐκκλησιῶν ῥητοὺς κανόνας ὡρίσαμεν, ἅπερ ἅπαντα τῷ δὲ ἡμῶν τῷ γράμματι ὑπετάξαμεν. Δεόμεθα τοίνυν τῆς σῆς ἡμερότητος, γράμματι τῆς σῆς εὐσεβείας ἐπικυρωθῆναι τῆς συνόδου τὴν ψῆφον, ἵνα ὥσπερ τοῖς τῆς κλήσεως γράμμασι τὴν Ἐκκλησίαν τετίμηκας, οὕτω καὶ τῶν δοξάντων ἐπισφραγίσῃς τὸ τέλος. Exprimunt illam Imperatorum ἔγκρισιν uſitatæ Græcorum voces, βεβαιοῦν, ἐπιψηφίζεσθαι, ἐπισφραγίζεσθαι, κρατύνειν, κρατεῖν, ἐπικυροῦν τὰ πεπραγμένα, quæ in Synodis

nodis & imperialibus actis frequentes ſunt. Exemplis pene opus non eſt, ubi res ipſa loquitur: pauca igitur ſufficient. (*a*) *Imperator Conſtantinus fidem in Nicana Synodo ſtabilitam veritatem in ſe complecti primus omnium teſtificatus eſt, ſeq́ eodem animo eſſe conſtanter aſſeruit, precepitq́, ut omnes eidem aſſentirentur, decretis ejusdem ſubſcriberent, effecitq́ ut vox conſubſtantialis adderetur, quam vocem ipſe quoque explicavit*, & ne dubites qualis illa confirmatio fuerit, Athanaſius apud (*b*) Theodoretum propiùs explicat, ὡς τὰ παρ᾽ ἐκείνων γραφέντα τῷ συνεδρίῳ κοινωνῶν ἐκράτυνε: confirmavit nimirum ſuperiore jure, & ex poteſtate in ipſam Synodum profluente. In Epheſina I. Patres à Theodoſio minore & Valentiniano III. robur & firmamentum actis ſuis petunt. * Καταφεύγομεν ἅπαντες, ajunt, ἐπὶ τὸ κράτος τῆς ὑμετέρας εὐσεβείας, δεόμενοι τὰ μὲν κατὰ Νεστορίου πεπραγμένα καὶ τῶν τὰ Νεστορίου φρονούντων ἔχειν τὴν ἰσχὺν τὰ δὲ περὶ τῶν ἐκδικούντων μένειν ἄπρακτα καὶ ἔργα. Martianus Imperator de Chalcedonenſi Concilio, *per noſtra præcepta ſtatuta ſunt*, (*c*) ait, *quæ de Chriſtiana fide à Sacerdotibus, qui Chalcedone convenerunt, definita eſſe noſcuntur.* Quid quod ipſe Romanus Pontifex, Felix III. ad Zenonem Principem Auguſtum Epiſcopos miſit Vitalium atque Miſinum, ἐφ᾽ ᾧ τὴν ἐν Χαλκηδόνι σύνοδον κρατεῖν? Menna autem Archiepiſcopus in Conſtantinopolitana Synodo laudatâ Imperatoris Juſtiniani egregia in religionem voluntate diſerte confiteatur, * καὶ προσήκει μηδὲν τῶν ἐν τῇ ἁγιωτάτῃ Ἐκκλη-

(*a*) Socrat. l. 1. c. 5. (*b*) l. 2. c. 4. (*c*) l. 4. C. de Summ. Trin.

Ἐκκλησίᾳ κινουμένων περὶ γνώμην αὐτοῦ καὶ κέλευσιν γενέσθαι? Patres Sextæ Conſtantinopolitanæ, ſub Conſtantino Pogonato habitæ, majorem auctoritatem & fidem ideò tribuunt ſuæ congregationi, * δι' ὧν ὁ εὐσεβὴς βασιλεὺς σφραγίσῃ τοὺς ταύτης τόμους καὶ ἠσφαλήσατο πρὸς τὴν ἐν τῷ παντὶ αἰῶνι ἀσφάλειαν. In occiduis Francorum imperii partibus ejusdem conſuetudinis certa ſunt veſtigia. Guntramus Rex, qui ſexto ſeculo vixit, judicio ſuo dubias Eccleſiæ cauſas in Matiſconenſi Synodo, definiſſe & præſenti auctoritate vulgare publico edicto ſcribit. Sed illuſtre ante omnes eſt Caroli M. ſtudium hac in re, qui in plurimis conciliis, quæ habuit, velut arbiter & judex definitivo judicio pronunciavit, *quid eſſet de hac inquiſitione firmiter tenendum*, ut in Francofurtenſi loquitur: nec id quidem absque Conciliorum laude & ſpontaneo aſſenſu, quæ ipſa magis leges ſe ſuaque committere judicio ſuorum Regum, quam illud cum indignatione & contemptu rejicere: maxime quod canones attinet, quibus in Eccleſiaſtico regimine ſacra diſciplina & probi mores conſtituuntur. Eorum enim examen & arbitrium abſolute permiſſum Principi, ut neminem obligarent, priusquam ipſe juberet. Unde in Turonenſi Concilio Epiſcopi, articulis quinquaginta & uno confectis validitatem eorum ſuſpendunt à Caroli M. probatione. *Hac nos,* (a) inquiunt, *in conventu noſtro ita ventilavimus. Sed quomodo deinceps piiſſimo Principi noſtro de his agendum placebit, nos fideles ejus famuli ad nutum & voluntatem ejus parati ſumus.*

(a) Cent. Eccl. 9. c. 9.

ſumus. Cabilonenſis Synodus damnatâ inter alias actiones peregrinantium ad ſacrum ſepulchrum pietate, ut peccata expiarent, ſummam emendationis Principi defert, cujus expectanda ſententia ſit. Itemque Arelatenſis quarta eâdem cataſtrophe conſtat: *Hæc igitur ſub brevitate, quæ emendatione digna perſpeximus, quam ſeveriſſimè annotavimus, & Domino Imperatori præſentanda decrevimus, poſcentes ejus clementiam, ut ſi quid hîc minus eſt, ejus prudentia ſuppleatur, ſi quid vero ſecus, quam ratio poſtulat, ejus judicio emendetur, ſi quid rationabiliter taxatum eſt, ejus clementia perficiatur.* Alibi eſt, *quatenus ejus prudenti examine, quæ rationabiliter decrevimus, confirmentur*[1]; *ſicubi minus aliquid egimus, ejus ſapientia ſuppleatur.* Item. *Quatenus ea, quæ paucis perſtrinximus capitulis à veſtra auctoritate firmentur, ſi tamen veſtra pietas dignum eſſe judicaverit, & quicquid in eis emendatione dignum reperitur, veſtra imperialis dignitas jubeat emendari.* Atque hoc ipſum eſt, quod eadem Concilia vocant, *Conciliorum capitula ad* SACRATISSIMUM JUDICIUM *referre.* Certè igitur perfide imponunt aliis, ſi non ſibi ipſis ſimpliciter, qui tantum approbandi jus, ad Conciliorum ſententias neceſſaria ſequela alligatum, ſine examinandi, addendi, demendi, corrigendive poteſtate Imperantibus largiuntur, quaſi eos hac in re oporteat vile mancipium ſequi aliena imperia, non propriis regnare. Præterquam enim, quod non patiatur ſana ratio libertatem conſenſus ſublato diſſentiendi jure: recte enim

Seneca:

Seneca : *ſivis ſcire an velim : effice ut poſſim nolle*, reclamant ipſa Synodorum verba, quæ ultra nudas conſiliorum rationes non aſſurgunt ante impetratum Principis conſenſum. *Hæc ita*, ajunt, *ventilavimus, ſed quomodo deinceps piiſſimo Principi noſtro de his agendum placebit, nos fideles ejus famuli ad nutum & voluntatem ejus parati ſumus.* Quid clarius eſſe poteſt, hac ipſa modeſtia & ſummiſſione? quomodocunque igitur placuerit Regi, ſive imperiale robur & firmitatem conſultis Patrum dare, ſeu definire alio & diverſo modo, parata eſt ad obſequium Synodus illius apud Plautum ſervi exemplo:

Sed ego ſtultus, qui cupiam hero moderarier:
Dicto emit audientem, haud Imperatorem ſibi.

Quid porro Concilii Arelatenſis ſibi Epiſcopi volunt? deſiderantes imperialem ſapientiam ad ſupplementum ejus, quod minus eſt conſultum: judicium ad emendationem illius, quod ſecus quam ratio poſtulat: clementiam denique ad perfectionem & ſtabilimentum rei rationabiliter taxatæ? Agnoſcit ſcilicet ipſa Synodus, minus à ſe poſſe agi, quam par eſt, poſſe contra rationem agi, in quo corrigendo non confugit ad infallibile illud & ſanctum Pontificis judicium, quod tamen non longum fuiſſet vel petere vel expectare: ſed regium, & tribunal ſeculare, ex quo ceu oraculo defectibus atque erroribus ſuis opem ſollicitat. Tam manifeſta hæc ſunt, & nulla arte eludenda, ut ipſe Baronius agnoſcat factum, ſed, ut mos eſt illius viri, nudum, & cum violentia conjunctum magis, quam æquo jure,

quaſi ſtatim ex juſtitiæ familia abdicendum ſit, quicquid parum rationibus & ambitioni ſervit Romanæ Curiæ, quamvis id veneranda & melior Eccleſia, nec tantis opum illecebris adhuc captiva pium juſtumque crediderit. Verba Baronii in Concilii Ticinenſis, quod Ludovico II. Imperatore habitum, recenſione hæc (*a*) extant. *Hac omnia rogatione Epiſcoporum, qui Concilio Ticinenſi interfuerunt, Ludovicus reſcripſit: cum Epiſcopi, quæ vellent in Eccleſia ordinari, atque diſponi, non ut olim conſuevere majores, ipſi ſacerdotali autoritate conſtituerunt, ſed ea per capita digeſta mitterent in palatium probanda ab Imperatore.* Sed ad quem morem majorum hîc Baronius provocat? Nam ex quo Imperatores Chriſtiani ceperunt eſſe, oſtenſum eſt, Conciliorum acta ex auctoritate & conſenſu imperantium pependiſſe. Si priora tempora repetit, & Eccleſiæ Naviculam ſine publico Nauclero, quid calamitoſam neceſſitatem cum jure permiſcet, aut imputat navigantibus, quod, parumper conſervata inter tempeſtates navi remittente malo ad gubernatorem redierint, cui permitterent ſui curam? Equidem quævis ſocietas aut communio concurrit ad cuſtodiam ſui corporis, quomodo poteſt, ſic tamen ut commodiſſimam vivendi rationem præferre periculis atque incommodis ſoleat: recte enim (*b*) Cicero *omnis natura ſibi propoſitum habet quaſi finem & extremum, ſe ut cuſtodiat in optimo ſui generis ſtatu*: ita Eccleſia etiam inter Tyrannos & publicos perſecutores veluti

(*a*) Ann. 856. n. 4. (*b*) l. 5. de Fin.

veluti jocularis pilus ſibi ipſi debuit de rebus proſpicere, ad regimen & ſalutem ſuam utilibus. Quam primum verò ex diuturnis cladibus auxilio Dei emerſit, atque receptis in gremium ſuum & amicum fœdus hoſtibus ſecurius vixit, ipſa protinus invitavit Principes ad imperium ſuum, illisque lætabunda clavum ceſſit, quem neceſſitate inter tempeſtatis ſævitiem tenuit. Quam melius igitur nobis licet præ Pontificiis antiquam conſuetudinem citare, & universè cum Bochello dicere? *Norunt optime, veteribus in uſu fuiſſe, quotiescunque Synodi haberentur, non prius rata eorum decreta extitiſſe, quàm à Rege in ejusdem ſanctiore Conſilio probarentur, & ſi qua in iis diſplicerent, explodetentur, quod ex Conciliis Turonenſi & Cabilonenſi ſub Carolo Magno ſuo loco demonſtravimus, & vir nunquam ſatis laudandus, P. Pithæus veteri Syngraphâ literis majusculis ad capitula Caroli Magni & filiorum ejus conſignata abunde teſtatum reliquit.*

§. 18. Idcirco jus illud ἐπικρίσεως, ſeu ſummi atque ultimi judicii in actaConciliorum nunquam non tributum, imò delatum Imperatoribus: Utendi modus pro conditione temporum & cauſæ aliquantiſper variavit. Interdum enim ſibi ipſi Princeps earum rerum cognitionem ſumpſit, quas delata eſt Synodus perversè judicaſſe, rarius id quidem, neque tamen ſine exemplo. Conſtantinus poſt duplex eccleſiaſticum judicium ipſe denuo Cæciliani cauſam de integro coram ſe agi juſſit, & poſtremo judicio finivit. Idem Epiſcopos, qui Tyri convenerant,

ad ſe vocat, omnium, quæ ab illis acta ſunt, rationem exacturus, *ut planum nobis fiat*, inquit in (*a*) epiſtola ad Synodum, *vos ne, qui ibi in unũ conveniſtis, ullam veritatis curam duxeritis: deq; rebus in diſceptationem vocatis neque gratia alicujus neque odio adducti ſententiam pronunciaveritis, opus eſt, ut omnes, qui ad Concilium Tyri actum conveniſtis, è veſtigio ad caſtra noſtra maturetis, req; ipsâ veſtrum judicium æquum ſincerumq; commonſtretis, me audiente, quem ingenuum Dei famulum eſſe vos ipſi non inficias iveritis.* Conſtantius imitatus parentem, eos, qui Nicæam conventuri eſſent, viginti numero ex ſuis ad ſe mittere juſſit, ut auditâ eorum relatione ſibi liberũ eſſet cognoſcere, (*b*) εἰ κατὰ τὰς ἱερὰς γραφὰς συνέβησαν ἀλλήλοις, καὶ περὶ τῶν πρακτέων, ὅσα ἂν ἄριστα δοκῇ ἐπιτελέσαι. Sæpius cognitio cauſarum aliis probatæ religionis & peritiæ Epiſcopis mandata, aut novo concilio, ex quorum rationibus Imperator judicaret, quod æquum & juſtum eſt. Ita Theodoſius animadverſis hæreticorum laqueis propriam ſuam ſententiam reſcidit, omniaque alteri Epheſinæ Synodo denuo permittit examinanda; *oportet omnia*, ait in literis ad Synodum, *juxta Dei beneplacitum omni contentione ſecluſa ſummoq; veritatis ſtudio adhibito excuti, ac tum demum à noſtra pietate confirmationem expectari.* Et hæc eſt cauſa multiplicatarum toties Synodorum de eadem lite, cum ſæpe poſteriores priorum decreta reſcinderent, non ulla quidem temporis aut numeri

(*a*) Ap. Socr. l. 1. c. 22. & Sozom. l. 2. c. 27.
(*b*) Sozom. l. 4. c. 16.

meri perſonarum, vel qualitatis prærogativa: nulla enim Synodus hac ratione ſuperior eſt altera. Sed tantum quod Imperatores magis his quam illis tribuerent.

§. 19. Cæterum ſtatuendi illud jus contra Synodi ſententiam, quod competere diximus ſummis poteſtatibus, adeoque Imperatori noſtro, non modo ad illas controverſias reſtringendum eſt, quæ fidei fundamenta & totam religionem evertunt: ſed admittendum quoque ad ſingula capita & articulos, imò & illas cauſas, quæ præter religionis ſummam de externo Eccleſiæ regimine & diſciplina aliquid conſtituunt. Vis enim ſummi imperii in ſacris rebus non ſic acquieſcit in univerſali totius religionis curatione, ut non ſingulis etiam partibus, quæ ſuis vitiis interdum laborant, inſpectione & oportuna ope poſſit ſuccurrere. Quod enim jus in toto eſt, idem & in partibus, quarum complexu & compoſitione totum conſtat. Nec ſunt aliæ rationes, quæ imperantibus ἐπίκεισιν in capitum religionis concurſu addicunt, quam quæ in quæſtionibus ſingulis, utrobique enim errare Concilium poteſt, quod proinde nec ſequi in ſceleribus Principem decet, nec ferre, ut improborum conſpiratione veritas opprimatur. Taceo nunc rectricis prudentiæ ingenium, quæ creſcentem in ſingulis membris peſtem non fovere, ſed matura correctione præcipit extingui, ne multiplicatum malum confuſum in unam maſſam ipſa virium conjunctione aut vincat ſeras medentium manus, aut utcunque adhuc ex-

expugnabile ſine maximo Reipublicæ periculo atque convulſione evelli nequeat.

§. 20. Præterea neque omittendum illud eſt, ſive imperans in eorum electione, qui ad Synodos ire debent, patiatur Eccleſiam nativo jure ac veteri conſuetudine uti: ſive ipſe aliis electionem mandet, manere ſemper in electos ipſi jus imperii, ſummumque judicium, quo vel idoneos ſibique gratos admittere, vel ſuſpectos aut ſeditioſos homines, nec non, quos propter imperitiam ignaviamque ineptos actioni cognoverit, repudiare atque in eorum locum alios ſubſtituere poteſt: accidere illud omnibus Collegiis videmus, quæ in Republica ſunt, ut naturalis libertatis uſum aut mandatam jurisdictionem ſummum imperium eminentiore virtute moderetur, & ſubinde in vitia atque corruptelas prolapſa auctoritate ſua emendet. Ad publicas deliberationes inviſus Principi nemo accedit, nemo in Senatum aliudve honeſtum munus adoptatur: nemo mercatorum aut artificum collegiis adſcribitur, ita nec Synodorum conventibus aliquem intereſſe fas eſt ab imperante prohibitum. Idem intelligi cupio circa Præſidis ac Judicis officium, quamvis cum decernendi jure dati; nunquam enim via præcludi poteſt ſummis poteſtatibus, ut non in miniſtrorum ſuorum actiones inquirant. Deficiat appellatio ex ſpeciali gratia in Præfecturam ſummam aut Patriarchatum collata: nunquam ſupplicatio deficit injuriam paſſis: nec inquiſitio Principi, ex officio inſtituta, cujus auxilio fidem & integritatem judicum explorat. Concidet propediem omnis ſum-

ſummi imperii vis, & ex altiſſimo majeſtatis vertice cadet in precarii aut ſubjectionis humilem ſtatum, quamprimum in Republica Magiſtratuum civiumque res imperantium juſſibus colla & faſces non ſubmittunt.

§. 21. Quicquid igitur majeſtati in ipſis licet conciliis, explicatum eſt nobis: poſſemus jam recto pede ad alia tranſire. Sed placet ſubſiſtere parumper, & diligentius quærere, an citra alienam conquiſitamque ſapientiam Princeps ex proprio ingenio ſuique animi ſententia poſſit ſtatuere, quod res ſacras attinet, non implorata Synodo? Et quidem cenſuiſſe id ſui juris Imperatores aliquos, qui extraordinario modo Synodorum acta ad ſacrarium ſuum revocarunt, inter ſanctiores & incorruptos parietes examinanda, jam ſuprà diximus. Verum exempla hæc ſunt, quæ factum oſtendunt, quod interdum juſtitia deſtituitur. Quamobrem ut res tota pateat, in hæc duo membra diſtribuemus quæſtionem. Quantum ſcilicet hic in jure ſit imperantis? & quantum in conſilio, & utendi juris modo? De jure ipſo nos nihil dubitamus, & hærentibus per illa abunde ſatisfieri poteſt, quæ prolixe in ſuperioribus de judicio, de legislatoria poteſtate & jurisdictione circa ſacra expoſita ſunt. Nam profecto ea eſt indoles ſummę poteſtatis, ut in ſacra & profana æquali virtute penetrabilis, nec patiens cõſortis ipſa ſibi ſola ſufficiat imperio, & quę illud ſequitur, obligatione ad obſequiũ. Suſpende operationes ejus ab alieno conſenſu: aut deme jubendi facultatem ante civium ſuffragia emendicata, ipſam ſummitatem tollis, quæ non parem in

Rep. non ſuperiorem in ordine humanarum rerum fert: quæ nullius concurſum expectat ad productionem effectus: denique cui adverſum eſt impedimentum, quod in debitis actibus & profluentibus ab ipſo imperio ejus libertati ponitur. Solus hic Deus eſt, cui ſubſunt Regum capita: omnes alios vel æquat paritas; vel peregrinitas excludit: vel ſubjicit obſequii conditio. Adhæc ſi neceſſaria eſt Synodi aſſenſio ad actionis productionem, quam omiſſa ſive inhibet, ſive vitiat: id fieri oportet aut ex jure aliquo, quod habet in imperantem collato, aut ex conditione ad rectitudinem actus debita. Cùm Synodus imperandi jus transferre dicitur, neceſſe eſt ut illud vel ex divino præcepto habeat: vel humana lege: alia acquirendæ poteſtatis ratio non poteſt excogitari. Sed deſunt interim idonea argumenta, quibus cœleſtis beneficii fidem facere liceat. Deus uxoris voluntatem marito ſubjecit, liberos parentum, ſervos Dominorum imperio ſubdidit, denique omnem animam vult ſupereminentibus poteſtatibus eſſe ſubjectam: quando Concilia imperiis inſtruxit, ab illis demum in Reges derivandis, nullo ratiocinio, nullis conjecturis aſſequor. Oſtendant locum in oraculorum Codice: notent librum, deſignent caput, ubi tanti depoſiti non dicam fundamenta, ſed levia ſaltem veſtigia extant: & properis pedibus in ſententiam ibimus, hactenus ignoratam nobis. Ex humano jure quæcunque imperia generantur, infra ſummum ſunt, cui ex ipſa ordinis natura non dominantur ſed, ſerviunt. Inauditum eſt in civili prudentia, Præſidis

pote-

poteſtatem jus Principi conferre imperandi Provincialibus. Nullus ex Regibus à Præfecto vel Duce ſuo imperium accepit in exercitum & milites ſuos; nec ab inferiore judice judicandi poteſtatem. Ex adverſo potius & Præſes, & Præfectus & Judex illas ipſas ſummas poteſtates fatentur ſuorum imperiorum & jurisdictionis originem atque terminos, illisque, quicquid dignitatis aut juris poſſident, acceptum ferunt: idem Synodo accidit jure magiſtratus imperanti. Abſurdum enim foret Principem nihil illic jubere poſſe, ubi omnia Synodus poteſt ex conceſſione Principis. Conditio ad actum neceſſaria pactis & mutuis conventionibus debetur, non ſuperiori poteſtati. Quærimus autem hîc non de fide placitisque ſervandis, ſed Synodi jure, quod ante contractum humanum ex ſe habet ad ſufflaminandos imperii actus, quibus neglexit Princeps præſentiam Concilii rogare. Hoc ſcilicet abnegamus: aliud, quod ex obligata Principis fide Eccleſiaſtico ordini de rebus ſacris, absque ſcitu illius & conſenſu non tractandis, quæſitum eſt, haud coacti admittimus, exemplo civilium cauſarum, ubi ejusmodi pacta fundamentalium legum nomine ſubditos ad regiminis publici communionem interdum vocant, (quatenus ſcilicet eam fas eſt civi participare) & firmiter promiſſorem obligant, quamvis ante ſolemnes illas publicæ formulæ ambages ipſum imperium libero arbitrio & ſocii regiminis impatienti ſubditis totique adeò Reipublicæ incumbat. Sed quid opus eſt anxia demonſtratione? ipſas ſaltem Synodos intuere, quæ dum inter agendi utendique

prudenter juris modum omnium ſaniorum calculo referuntur, jam præſupponunt jus Principi debitum, mox in actuali exercitio utiliſſima ratione adhibendum: non jus novum conſtituunt: quemadmodum in conſultatione de legibus ferendis melius eſt Principi & publicæ rei ſalubrius peritos jurium viros audire; non abſolute tamen ad validitatem actus neceſſarium, nec cauſa effectrix competentis juris. Ita non Principi author fuerim; ut in ſacrorum ordinatione ſive Conciliorum monita, ſeu ſacri ordinis peritiam temere aſpernetur: ſed neglectum tamen iſtum agendi juri nullum impedimentum dare, nec demum ex Synodorum auctoritate in Principem defluere illud ipſum jus pro comperto tenemus. Niſi enim ita eſſet, oportuit certè Deum in Veteri Teſtamento neglectæ religionis culpam Eccleſiæ imputare, quam toties Regibus exprobrat. Fuſiùs id Elienſis Epiſcopus perſequitur, cujus hîc verba placet adnotare. *Enimverò & de aliis*, inquit, *ſæpe & præcipue de ea, (quod populus adoleret incenſis) corruptela per Reges non ſublata toties tam clara voce de Regibus queruntur Sacræ literæ, ut locus nullus negationi ſit relictus. Non negat ergo Regi Tortus id ex officio incumbere, ut etiam qui in doctrina ſunt, abuſus & corruptelas tollat, ſed poſt Eccleſiæ declarationem. Nos vero citra declarationem omnem, ubi repurgatæ ſunt querelæ per Reges docemus. Tortus vero loca aliquot apponere debuit, ubi illa Eccleſiæ declaratio præceſſerit: quæ niſi præceſſit, Regis nullum tum erat, ut videtur, officium, ſed Regi erat in*

promptu

promptu excuſatio : non ſuſtuli : Eccleſia enim non declaravit. Eccleſia proinde culpanda, non Rex, qui nihil movere debet, nec excelſa diruere, niſi poſtquam id ita faciendum declaravit Eccleſia. Atque id Regi ſemper, Eccleſia nunquam, vitio datum legimus, quod excelſa ſteterint. Regi ergo, ſive declaret hoc, ſive non declaret, etiam ante Eccleſia declarationem id ex officio munus incumbit; deq; eo neglecto Deo rationem redditurus eſt. Tota igitur mentio declarationis Eccleſia præterquam, quod fictitia eſt, hîc etiam intempeſtiva.

§. 22. Conſtituto jure nunc proximè videndum an recte & prudenter aliquando Princeps ea, quæ religionis ſunt, ordinare poſſit absque Synodo? Non commendamus temerarium contemptum, neque penitus excludimus à captione conſiliorum: ſed una diſceptatio eſt de adhibendi modo: nam & cauſas dari non indigentes conſilii, & aliunde quam ex Synodis poſſe illud haberi pro comperto teneo. Tota igitur quæſtio exit in illam conſiderationem, non an ſine cauſa omittenda ſit Synodus, nemo enim ſanus id facile dixerit: ſed an cauſæ poſſint aliquæ eſſe, cur omitti debeat? Cum enim in publicis actionibus nemo ſe lubenter non neceſſario circuitu oneret, neque inutiles rationes amplexetur, apparet omittendæ Synodi cauſas univerſim has duas occurrere, vel quod neceſſaria non ſit: vel quod futura inutilis. Utrumque autem, ut plenius intelligatur, ad Conciliorum fines ſupra enumeratos exigendum eſt: cujuscunque enim intuitu actionem inſtituat imperans, cui

aut ſupervacanea ſit Synodorum auctoritas, aut nihil profutura, quamvis adhibeatur, compendio utetur, & breviore ratione expediendi negotii. Articulatim ſingula recenſebimus, ita enim luculentum erit, ex omnibus finibus nullum eſſe, vel ſimpliciter per ſe neceſſarium, nec Synodum ullam ſimpliciter neceſſariam ad illos fines. Conſilium neceſſarium non eſt in rebus, quæ infallibili certitudine mentibus noſtris illabuntur, ſive cognitio illa ſit ex naturali ratione, ſeu cœleſti aliquo & ſupernaturali lumine: in id enim, ut recte Ariſtoteles judicavit, conſiliarios adhibemus, quoties ipſi nobis diffidimus: non etiam, cum aperta & nuda veritas invitis oculis inſidet. Quis unquam audivit eos, qui rationem in poteſtate habent, de illo conſultaſſe, an æqualia maneant, quæ adjiciuntur demunturvè æqualibus? an claro die ſol liceat, vel aſtra illuni & ſuda nocte? aliarum rerum non minor eſt certitudo, licet diſpari probationis genere. Nam quæ ſenſibus percipiuntur, illis ipſis inſtrumentis capimus: alia venamur rectæ rationis indice. Qui negat urere ignem, admotione eſt convincendus: ille plagis, qui parentibus honorem, vel obſequium Magiſtratui: ita in ſacris quoque rebus eorum librorum fide, quibus ſumma noſtræ religionis conſtat, alia ſunt unica veritate certa, quæ propediem credere decet, non difficili conſultatione in dubium vocare: quædam vero abſcondita involucris ſuis aut verborum ambiguo ſenſu hærentia, non niſi docto & ſapienti ratiocinio eruuntur. Hinc Deum eſſe, ab eoque curari humanas res; eumque

eſſen-

eſſentia unum, ſed in perſonis trinum, Patrem, Filium, Spiritum Sanctum. Omne genus humanum ſapientia & ſanctitate divinæ æmula eximium ſtatim poſt conditi mundi principia ſe ipſum immenſis ſordibus, & ad omnem poſteritatem tranſituris obruiſſe, pro quo in integrum reſtituendo oportuit Secundam Deitatis perſonam ex æterno decreto incarnari & pati, adeoque tandem in tempore illum Dei Filium ex virgine hominem natum vixiſſe, docuiſſe, mortuumque in cruce eſſe, ac tertia die exeuntem ſepulchralibus tenebris & comparuiſſe ſæpius diſcipulis ſuis in teſtimonium ſuæ reſurrectionis, & viſibili motu in cœlum elatum illic Regem ſedere & Patronum Eccleſiæ: hoſtibus vero glorioſum Triumphatorem, certa nobis fiducia reſurrectionis noſtræ & æternæ vitæ, ſeu beatæ ſeu calamitoſæ facta; hæc omnia, & paria his æquali luce, manifeſtiſſimis conſtant fidei Chriſtianæ argumentis, quæ citra ipſius religionis everſionem nec inficiari penitus licet, nec ſalvo verborum ſenſu aliò torquere. Igitur ſi tam profanus homo & impius eſſet, qui ſub Chriſtiano nomine hæc ipſa cuperet fundamenta & ſubſtantiam religionis Chriſtianæ ſubruere, quis dubitare ampliùs poterit, quin velut ſummario proceſſu, non prævio judiciorum ordine, non Eccleſiæ declaratione, non ulla Conciliorum auctoritate ex ſolo Principis imperio fas ſit coërcere blaſphemum os, aut inſanabile civitatis finibus ejicere? Recte (a) Auguſtinus. *Aut vero congregatione Synodi opus erat, ut aperta*

(a) Adverſ. Epiſtol. Pelag. l. 4. c. 18.

aperta pernicies damnaretur ? quaſi nulla hæreſis aliquando niſi Synodi congregatione damnata ſit, cum potius rariſſima inveniantur, propter quas damnandas neceſſitas talis extiterit. Nec pejus (*a*) Leo, Epiſcopus Romanus: *Cum evidens eſſet fidei cauſa, rationabilibus cauſis ab indicenda Synodo fuiſſe abſtinendum.* Eſt & alius modus habendæ certitudinis, nimirum cœleſtis ac divina revelatio, quo lumine penetramus quævis abſcondita, ſuperamus ardua, nulla erroris aut dubitationis caligine, nulla conſilii alieni ope. Illuſtri hoc dono Paulus inſtructus nihil cum carne, nihil cum Apoſtolis reliquis communicans, proprio auſpicio, non ex alterius hominis inſtitutione fidem tradit ἐνώπιον τȣ̃ Θεȣ̃, (*b*) inquit, ὅτι ȣ̉ ψεύδομαι. *Fuiſſet* autem *extrema abſurditatis*, (*c*) ut Chryſoſtomi verbis utar, *eum, qui à Deo edoctus fuerat, cum hominibus communicare.* Et (*d*) Clemens Alexandrinus *quoniam ipſum verbum ad nos venit de cælo, non eſt amplius eundum ad hominum doctrinam.* In illis quæ conſilia & ſubſidiariam admittunt prudentiam, eſt quidem non exiguus Synodorum uſus, ſed ex eo non abſolute neceſſarius, quod vel judicata jam in alio Concilio cauſa ſuſtulerit dubium, vel peritiorum ſententiæ ſingulatim poſſint atque per literas nunciosque commodè explorari. Cum quæritur Eccleſiæ conſenſus, neque ſemper idonea tam ſancto propoſito Concilia, neque neceſſaria. Nam ſciſſis in æquales factiones Patrum

ſtudiis,

(*a*) Epiſt. 17. ad Theodoſ. Jun. (*b*) Galat. 1, 20.
(*c*) ad Gal. 1. (*d*) Orat. ad Gent.

ſtudiis, quod in Africa Donatiſtarum tempore contigit, quæ concordia ſperanda eſt, ipsâ contumaciâ & æmulatione utriusque partis impedienda? cum vero exploratur ſolùm conſenſio iſta, tantùm quisque ſcripto loquitur & edita fidei confeſſione, quantum ore ſuo, quare ſuffecerit mutuum quoque huic examini literarum commercium, aut legatorum ſanctitas per ſingula regna euntium, ut doctorum ſuffragia undique ſcriptis aut viva voce exhibita colligant. Ubi de unione unius ſolùm regni agitur, præcipi Eccleſiis poteſt, ut ad imperantis judicium vel ſcriptam profeſſionem mittant, vel ea in re ſatisfaciant publicis miniſtris, ad id delegatis. Præterea accidit aliquando, controverſam cauſam ita certæ Eccleſiæ eſſe peculiarem, ut abſurdum fuerit, rem omnium communem facere. Hoc ſenſu Romanus Clerus ad Cyprianum ſcribit, *tam grande petitur conſilium, quàm latè propagatum videtur eſſe malum.* Tandem, qui tertius eſt finis, quis neceſſitatem Principi impoſuerit jurisdictionis Synodo mandandæ. Dependet res illa ab alluvione illius maris, quod continuo imperiorum fluxu atque refluxu exæſtuat. Equidem ſervandi ordinis publici cauſa non facile præteriri ſolent inferiora tribunalia: tamen quando ſuſpecta judicia ſunt, aut alioqui res moram non fert, ſæpe evocatam ad regium arbitrium cauſam novimus. Nullum igitur tempus eſt, nullumque negotium, quod abſolutam commendet Synodorum neceſſitatem.

§. 23. Præterea inutiles ſunt aliquando & incommodæ Eccleſiæ rebus, aut metuentis iniqua præjudicia, ad judicii integritatem impediendam: aut factioſorum coitiones, ad oppreſſionem veritatis: quibus malis fieri poſſet, ut Synodus, quæ conſenſui teſtimonium præbitura ſit, fomitem & incentivum diſſenſionibus & odiis miniſtret. Homines ſunt Sacerdotes, obnoxii iisdem vitiis, quæ mortalium animos exedunt: familiarius tamen peccant ambitione & avaritia, corruptelis illis, quibus jam ſuo tempore Nazianzenus culpam imputat, quod ſperatos fructus plurima concilia infauſto eventu deſtituerint. Aliquando vis morbi feſtinatione opus habet, nec ſeris remediis ſine periculo expugnatur; interdum quiete & ipſa remiſſione ſanatur malum, quod adverſæ frontis pervicaci oppoſitu acerbius fit & intractabile: adeoque Principem decet utrobique prudentia ſua uti, ne vel deſide & noxia mora captare vires adoleſcentem peſtem ſinat: aut adultam jam ſibique fidentem intempeſtivo motu irritet. Quod ſi premendum eſt celeri pede virus, quid Synodos expectas, ubi communi multitudinis ingenio unus & alter dies, imò annus, coëuntium cunctatione abſumitur? ubi tardius adhuc conſultatur quam coitum eſt, quovis ferè privatis affectibus officiente publico bono: tandem ubi interdum triſti exitu & infecta re diſceditur. Veriſſimum enim eſt illud apud Guicciardinum, Carolo V. à prudenti quodam viro dictum, *havere ſempre dimonſtrato l' eſperienza, & lo dimonſtrare la ragione, che mai ſuccedono bene le coſe, che dependono da multi.*

Ubi verò indulgentia & lenitas commendabilior, nocere Concilia ſolent fervidis ingeniis, quæ, dum pietatis ardore intempeſtivè ebulliunt, nulla temporis ipſiusve mali habita ratione, præmatura ſectione vulneris cruditatem, antequam in pus ematuruit, nova & periculoſa febri accendunt. Hac rerum facie plerunque inutiles ſunt Synodi: eſt & tempus, cum metuendæ etiam ipſa multitudine & factioſis conſiliis. Nam quæ cautio in civili vita tenenda eſt Principibus, ne frequentibus ſubditorum coitionibus temerè indulgeant, in quibus plerunque illa cuduntur arma, quæ in ipſam majeſtatem mox vertenda ſunt: eadem hîc quoque aliquid valet; ut enim recte quidam judicavit, *Epiſcopos cogere non minus politicum eſt, quam alios hominum ordines cogere.*

§. 24. Atque hæ cauſæ cùm fuerint, cur optimi nonnunquam Imperatores vitatis Conciliis religionis diſcrimina compendioſiore judicio compoſuerint, immerito eorū actiones apud ingratam poſteritatem vapulant. Quid juvat enim in conficiendo negotio per circulum ire, ſi brevior eſt tutiorque ad propoſitam metam via? quid ſumptus in rem facere inutilem futuram? quid rempublicam in neceſſitatem adducere, ut timere debeat, cui expeditius ſuccurri poteſt? Non repetam hic Conſtantini M. exemplum, religioſè inquirentis in Epiſcoporum acta, qui Tyri convenerant, nec Conſtantem memorabo, domeſtico judicio Patres excutientem, εἰ κατὰ τὰς ἱερὰς γραφὰς συνέβησαν ἀλλήλοις. Illuſtrior eſt Theodoſii hiſtoria, qui medius inter

plurimas Epiſcoporum factiones cum judex ſediſſet, auditis ſingulorum cauſis quod rectum & juſtum erat, pronunciavit. Agitabatur autem controverſia connexa quidem Nicænæ fidei, ſed aliis tamen verbis concepta, quæque eos etiam fallere potuiſſet, qui ſe Nicænam definitionem ſequi faterentur: nimirum an ὁ λόγος habet ἀρχὴν ὑπάρξεως. Jam tum ferme ſexaginta anni effluxerant, ex quo Nicæna Synodus habita eſt, cui Conſtantinopolitana prima nihil in hoc articulo adjecit. Et tamen Imperator fretus divina ope tantæ molis curarumque rem ſuſcipit propriis auſpiciis expediundam. Accipit igitur omnium ſectarum confeſſiones, legit ſingulas, judicat, diſcernit Catholicos ab errantibus: inter ipſos hæreticos diſcrimina facit, laudatis Novatianis, quod tolerabilius inſanirent, denique latâ ſententia confirmat veritatem, damnat errores & prohibet: omnia in ſecreto, nec alio præter Deum, ad conſortium judicii admiſſo. Luculentior eſt in circumſtantiis facti tam memorabilis Socrates & Sozomenus, quàm ut locus relinquatur Pontificiorum artificioſo commento, qui Theodoſium non Judicem patiuntur controverſæ fidei, ſed Catholicæ Eccleſiæ diligentem auditorem, quem proinde dicunt confugiſſe ad divinum auxilium, ut ſibi propoſitam veritatem agnoſcere liceat, & fugere mendaces formulas, non ut de utroque judicare. Sed quantumvis ſibi placeant commodo effugio, ratio & ſeries totius actionis diverſum docet, unde noſtrates melius arguunt, *Imperatorem legiſſe ſcripta, Dei opem imploraſſe, non ad veritatem*

traditam agnoſcendam, ſed eam multis diſſenſionum anfractibus implicitam eliciendam: paulo id copioſius à Brentio explicatur, eandem hiſtoriam narrante, cujus hæc verba ſunt. *Quis hîc eſt in controverſia doctrinæ Eccleſiaſticæ judex? Primum Imperator non accedit ipſe ad Epiſcopos tanquam Dominos ſuos, ſed vocat eos, tanquam ſervos ad aulam ſuam: deinde accepto cujusq; Epiſcopi ſcripto non eſt contentus illius aut iſtius judicio, ſed proſternit ſe precibus coram Deo, Patre Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut gubernet Spiritu Sancto mentem ſuam, quo inter tot diverſas religionis ſententias eligat eam, quæ cum doctrina vere Apoſtolica conveniat.* Neque ſemper ad imperatorias aures omnes admiſſæ lites ſunt, quas oportuit absque Synodi auctoritate definiri; interdum ad delegatos judices itum, qui Principis vice judicarent. Donatiſtarum cauſam Conſtantinus Proconſuli cognoſcendam mandavit, ac quamvis Auguſtino diſpliceat modus agendi, quod optabilius fuiſſet Synodo controverſiam committi: ipſum tamen jus egregiè defendit. *Ait quidem Donatiſta*, inquit, *non debet Epiſcopus proconſulari judicio purgari: quaſi verò ipſe ſibi hoc comparaverit, ac non Imperator hoc quæri juſſerit; ad cujus curam, de qua rationem Deo redditurus eſt, res illa maximè pertineat.* In alia Donatiſtarum cauſa Honorius ac Theodoſius Imperatores Marcellinum *diſceptationi principe loco judicem voluerunt intereſſe*, ut verba mandati habent: ipſe Marcellinus de ſe pauca modeſtè præfatus imperialem ſanctionem recitari

juſſit,

juſſit, ut poteſtatem ſuam probaret, negotium verò iſtud non propter civilia crimina & latrocinia Circumcellionum, ſed ipſius edicti verbis *de veritatis ac religionis agnitione ſuſceptum.* Non enim niſi incidenter de Circumcellionibus ibi actum eſt: imò cum Donatiſtis Catholici extra accuſationem alia quædam objicerent, interlocutus Marcellinus eos officii ſui admonuit. *Libellus datus à vobis*, inquit, *evidenter oſtendit, ſchiſmatis ac hæreſeos crimen objectum, quod probare vos convenit.* Tandem excuſſis diligenter illis quæſtionibus, *quæ ſit Eccleſia Catholica? quæ vera ejus nota? quæ juſta ſecedendi cauſa? & an rebaptizandi ſint hæretici?* juſſa eſt declaratæ veritati detecta falſitas colla ſubmittere, ſicut Marcellini ſententia loquitur. Qui ſingulares circumſtantias in his factis adnotant, ob quas potiſſimum ſic agi debuit, irritam induſtriam exercent. Satis enim eſt agnoſci Principis jus, quod in utendi modo pro ratione temporis & perſonarum variare non inficiamur. Sed ille modus jus novum non facit, ſed ex competente jure juxta rectoriam prudentiam elicitur: interdum igitur melius eſt, cauſam religionis Conciliorum judicio finiri: aliquando unius Imperatoris auguſtali oraculo: jus ipſum ſemper Imperatoris eſt, quod per ſe aut alios juſſu ſuo exercet. Neque vero par eſt exiſtimare, Principem, qui ſic judicat, absque omni Eccleſiæ judicio ſententiam dicere: præit enim imperio ejus vetus Eccleſia judicio, ſive anterioribus Concililiis declarato, ſeu perpetuo conſenſu agnito, quod ſequi poteſt. Tum peritiſſimos theo-

theologicarum rerum viros circa ſe habet, ex quorum conſiliis religionem conſtituat: aut ſi deſtituitur tam præclaris ingeniis, aliunde petendi copia datur, nec eorum minor auctoritas eſſe debet, quam civium, præſertim in negotio, quod omnes tangit. Adde nunc ſacræ ſcripturæ non adeò obſcuram lucem, quin euntibus monſtrare rectum iter poſſit: tum præterea Regum pectora, quæ Deus propiore cura fovet & dirigit. Non opinio tantum hominum eſt, aut vitium noſtræ imbecillitatis, quod ad felicis purpuræ nitorem religiosè dirigimus, & videmur nobis illic ipſam ſapientiam magnificentius intueri. Profectò enim liberalius eſt donis ſuis cœlum in regium illud culmen, quod ſupra res humanas eximie collocatum repercuſſione illorum radiorum, quos excipit à majore ſole, occultam vim inſinuat infimis mentibus, ſeque virtutibus ſuis æquali cultu metuendum facit & venerandum.

§. 25. Conſpicuum ex his eſt, quæ diximus, plurimum errare illos, qui unam tantum omittendæ Synodi cauſam faciunt, ſcilicet collapſæ funditus religionis inſtaurationem. Nam plures adhuc præter iſtam eſſe, ac inter illas etiam civiles rationes, à religione maxime alienas, veluti factionum ſeditionisque metus, qui Galliam ſæpe confœderatorũ cœtibus ſuſpenſam tenuit, aut gravi aliquando afflixit plaga, paulo ante ſatis oſtenſum eſt. Igitur mirari deſinant aut pervicaciam majorum incuſare, qui petitas à ſacro ordine, ipſoque Pontifice Synodos non potuiſſe ab Imperatoribus impetrari queruntur:

juſtas

juſtas enim negationis & repulſæ cauſas Principibus fuiſſe dubitari non debet. Nota eſt Leonis ad Theodoſium ſupplicatio. *Omnes manſuetudini veſtræ cum gemitibus & lachrimis ſupplicant, Synodum jubeatis intra Italiam celebrari.* Sed nequicquam tam humiles preces pulſarunt imperatorias aures, averſas admodum ab iſto conſilio, vel incommodo rebus ſuis & Eccleſiæ: vel non neceſſario ad concordiam ſarciendam. Hinc oriens occidenti ſubſtitutus indicta Epheſi Synodo, quæ cruentum exitum habuit. Poſt eam nunquam amplius induci Theodoſius potuit, ut aliam conſcriberet. Succurrere tamen neceſſariis atque idoneis rationibus religioni non propterea deſtitit.

ANNOTATA
Ad
CAPUT VIII.

§. 5.

Τὰς Ῥωμαίυς] *Romanos non juxta nationes illos diſtinxiſſe, ſed alio quodam modo ordinaſſe diœceſes, in quibus fora & judicia conſtituerunt.*

[Διοίκησίς ἐςιν.] *Diœceſis eſt, quæ multas præfecturas in ſe continet.*

[§. 6. Τελείαν σύνοδον.] *Perfectam Synodum omnium in præfectura Epiſcoporum, cui adeſt & Metropolita.*

[Ἄνευ τῶν] *Sine Metropolitis.*

[Διὰ τὰς ἐκκλησιαςικὰς.] *Propter eccleſiaſticas utilitates, & definitiones rerum dubiarum.*

[§. 7. Αἱ σύνοδοι.] *Synodi aut propter dubia circa doctrinam enata, aut pœnas in peccantes ſancitas, aut alias canonicas quæſitiones fieri conſtitutæ ſunt.*

[Διδάσκειν. &c.] *Docere & diſcere ad emendationem Eccleſiæ & ſingulorum.*

[§. 8.

[§. 8. ἡ ἁγία καὶ οἰκουμενικὴ.] *Sancta & œcumenica Synodus, Epheſi congregata juſſu auguſtiſſimorum Regum.*

[Οὐαλεντινιανός.] *Valentinianus à Leone Papa ſubinde rogatus ad Theodoſium minorem ſcribit, ut juberet aliam fieri Synodum ad cognoſcendum, an recte Dioſcorus judicaſſet, vel non? Theodoſius verò reſcripſit illi, quod non ſit aliam Synodum convocaturus.*

[Διότι ἐκ κελεύσεων.] *Quod regiis mandatis omnes in Romana Republica Sacerdotes convocati ſunt.*

[§. 10. Quem per Franciſcum Buckardum.] Ejus verba ſunt. Eine gleiche Meinung hat es auch mit den Conciliis, Synodis und Colloquiis, daß ungeachtet dieſelben von Anfang der Chriſtenheit bis auf unſere Zeiten von niemand andern als von den Geiſtlichen Prælaten gehalten / beſetzt und erörtert worden / in denſelben allzeit allein der obriſte Biſchoff præſidirt / darinn geſchloſſen / und was beſchloſſen / durch ihnen / als den allgemeinen Hirten der Chriſtenheit confirmirt und beſtättigt worden ; und ſich deſſelben einiger Lay / er ſey gleich Käyſer / König / Chur oder Fürſt geweſen / niemals unterfangen. Ja daß auch wol die fromme gottsfürchtigen Käyſer / als ſonderlich Conſtantinus M. ſich ohne Geheiſſen oder ohne Erlaubniß der Biſchoffen in Concilio nur niederzuſetzen / deß Urtheilens zu geſchweigen / enthalten / *Anton. Part. 1. cap. 29.*

[§. 13. Quibus vices ſuas Imperator mandavit.] Ut Carolus V. Pontifici, quotiens illum voluit celebrare concilium. R. Noribergenſis, anno 1524. §. als auch vielgedachte. ibi. Eines gemeinen freyen Concilii, ſo durch Päbſtliche Heiligkeit mit unſerer Bewilligung verkündiget und ausgeſchrieben. Hujus delegationis cum incurius eſſe Pontifex timeretur, Imper. fidem dedit, ſe pro munere ſuo concordiæ Chriſtianæ proviſurum. Rec. Ratisb. anno 1532. rubr. Concilium betr. §. Und ſo fern wir von Päbſtlicher Heiligkeit daſſelbe nicht erlangen möchten. Daß wir alsdann von Amts wegen Vorſehung hierinn thun wolten / das uns von unſer Käyſerl. Gewalt gebühret / und wir zu thun ſchuldig ſeyn: ſonderlich in Sachen deß gemeldten Concilii.

[§. 13. Cum a Carolo V. in Germania relegerentur.] Oravere ſcilicet Ordines Imperatorem, ut Concilium ediceret. R. I. anno 1525. Auguſt. Vind. §. Wir haben auch zu

Wieder-

Wiederbringung: ibi Die Römiſche Käiſerl. Majeſtät unterthänigſt Fleiß bittlich erſuchet / daß ihre Käyſerl. Majeſtät angeſehen der Zerſpaltungen und Zwitracht unſers Heil. Chriſtlichen Glaubens gnädiglich verfügen wolle / damit ein gemein frey Concilium aufs aller förderlichſt/ſo es immer möglich/an gelegener Malſtatt teutſcher Nation / wie ſich gebühret/ verkündiget und ausgeſchrieben werde. Et id ſe facturum Imperator in ſe recepit. R. I. anno 1551. Wir ſind auch deß gnädigen getreuen Chriſtlichen Fürhabens/ was uns als Advocaten der H. Kirchen / und Beſchirmer der Concilien von wegen unſers obliegenden Käyſerlichen Amts zu thun geziemet und gebühret.

[§. 14. Præſidii jus.] Illud etiam imperii Status Carolo attribuere, precibus adhibitis, ut eo ad religionem uniendam uteretur. Receſſ. Spirenſ. anno 1529. §. Wo aber auf obbeſtimte ibi. Und daß ihre Majeſtät als das Haubt bey ſolcher Verſamlung in eigner Perſon ſeyn wolte/und ſolches alles dermaſſen fördern und in würckliche Vollziehung bringen. Et Imperator uſurum ſe illo promiſit. Rec. Imp. anno 1544. §. Derhalben. ibi. So ſeynd wir in Krafft unſers obliegenden Amts gnädigſt geneigt / auf dienliche Weg und Mittel zu bedencken / die Sachen zu einem general Concilio zu befördern/ denſelben auch in eigner Perſon beyzuwohnen.

[§. 15. Præterea ſi lites.] Item jus concedendi ſalvum conductum. R. Auguſt anno 1551. §. Wir ſeynd auch. ibid. Wollen aus Käyſerl. Macht und Gewalt alle die/ ſo auf dem Concilio erſcheinen / gnädiglich erſuchet haben / daß ein jeder frey und unverhindert dazu kommen/das jenige/ ſo er zur Ruh und Sicherheit ſeiner Conſcienz und Gewiſſens für gut und nothwendig achtet / fürbringen / und wiederum von dannen bis in ſeyn Gewahrſam frey ſicher abziehen und kommen möge.

[§. 16. ὅτι ζωὴν] *Quod videamini in illis vitam æternam habere.*

[Ἀγαπητοί.] *Dilecti, ne credatis omni ſpiritui. Sed probate ſpiritus, an ex Deo ſint.*

[Πάντα δοκιμάζετε.] *Omnia probate, quod bonum eſt retinete.*

[Exigite doctrinam ad veritatem S. literarum.] Recte Receſſus Imperii Spirenſis anno 1542. §. Ob aber mitler Zeit. ibi.

Zeit. ibi. Daß dieſelbe ſtreitige Religion zu einer einhelligen Chriſtlichen Vergleichung und Einigkeit dem Wort GOttes und wahren Chriſtlichem Verſtand gemäß gebracht würde. Qua in re abjectis affectibus, qui recto judicio obſunt, ad gloriam Dei ſolum & Eccleſiæ concordiam animi intendendi. R. Wormatienſis anno 1545. ſ. Und ſollen ſolche. ibi. Und hierinnen allein auf die Ehre GOttes und wahre Chriſtliche Union und Reformation der Kirchen ſehen & ibi. nach Göttlicher und der alten Vätter H. Schrifft und Lehr.

[Οἷα τινὰ κοινόν.] *Velut communem aliquem epiſcopum à Deo conſtitutum.*

[Φαίνεται ἡμῖν δίκαιον.] *Videtur juſtum nobis, ſi placeat diviniſſimo & auguſtiſſimo noſtro Domino.*

[ſ. Αποδιδόντες.] *Reddentes Deo debitam gratiam neceſſario quæ in Synodo acta ſunt, ad tuam majeſtatem deferimus. Nimirum quod congregati Conſtantinopolim juxta mandatum tuæ majeſtatis primò renovavimus inter nos mutuam concordiam. Deinde canones ſummatim repetivimus confirmantes patrum fidem, qui Synodo Nicææ interfuerunt. Præterea & de ordinatione eccleſiarum dictos canones edidimus omniaq; in ſcripturam redegimus. Precamur itaque clementiam tuæ majeſtatis, ut dignetur edicto confirmare Synodi Sententias, ut ſicut literis compellentibus Synodum Eccleſiam honoraſti, ita & decretorum obſignatione finem actioni imponas.*

[Καταφεύγομεν.] *Confugimus omnes ad imperium veſtræ majeſtatis, enixe rogantes, ut ea, quæ contra Neſtorium & ejus ſectatores acta ſunt, firma rataq; maneaat.*

[Καὶ προσήκει μηδέν.] *Et decet nihil eorum, quæ in ſanctiſſima Eccleſia moventur, fieri præter opinionem & juſſum illius.*

[Δι' ὧν.] *Quod plus Imperator ejus deciſiones ſuo ſignaculo muniit ad futuram ad omnia ſecula ſecuritatem*

[ſ. 18. εἰ κατὰ τὰς.] *An ad normam ſcripturæ ſacræ inter ſe conſenſerint. Et de negotiis, quæ neceſſe ſit agere, quomodo videatur expeditiſſimè illa finiri poſſe.*

[ſ. 23. Havere ſempre dimonſtrato.] *Conſtitiſſe ſemper experientia, & conſtare etiam ratione, nunquam bene rem cedere à multis gerendam.*

CAPUT IX.
DE EMINENTE DOMINIO IN SACRIS REBUS.

SUMMARIA.

1. Eminens dominium oſtenditur rebus tantum privatorum terminari, tam utilitatis quam neceſſitatis ratione.

2. Illud neque injuſtum neque abſurdum.

3. Sed omninò aſſerendum ad vitandam ἀκαταστασίαν, obiter Leiſerus refutatus.

4. Diviſio rerum in divini & humani juris.

5. In res divini juris dari dominium publicum probatur rationibus.

6. Et argumento privilegiorum.

7. Refutantur contrariæ rationes à donationibus Deo factis.

8. A rebus quæ nullius in bonis ſunt.

9. Sententia noſtra gentium & civili jure fundata.

10. Actus eminentis dominii diſtincti.

11. 1. Qui acquirendis rebus proſpiciunt.

12. Non ſunt contra Eccleſiaſticam libertatem.

13. 2. Qui conſervandis rebus.

14. Et damnis præcavendis.

15. De libertate Eccleſiaſtica.

16. De immunitate & privilegiis.

17. 3. Qui alienandis rebus.

18. Alii dominii actus conſpicui in uſucapione.

19. In detractione, multa, confiſcatione, repetitione prodigæ donationis.

20. In tributis exigendis.

21. Quod jus contra canoniſtas defenditur.

22. Et fecerunt id jam pontificii viri.

23. Eadem vectigalium conditio.

24. Ultimus actus occupatio Eccleſiaſticorum bonorum: omnium gentium exemplis defenſa.

25. Interdum tamen reſtitutio fit ipſius rei.

26. De modo utendi.

27. Et Compenſatione.

§. 1. Poſt

§. 1.

POſt actus imperii in perſonam validi ſequuntur illi, qui rebus reſpondent ſuperiore ac perfecta earum diſpoſitione atque uſu. Dominium eminens nunc vocant, initio nominis, quod creditur, per magnum Grotium facto: Definitio tamen ab eo latius objecto concepta, quam ut neceſſe ſit: & rurſum parcius utendi modo, quam ut æquitas id ferat & civiles rationes. Cùm enim præter res & jura civium ipſas etiam perſonas ſubjiciat eminenti dominio, imperio in perſonam detrahit, quicquid adjicitur illi: ex adverſo autem cum calamitoſis neceſſitatis publicæ temporibus metiatur omnem ejus virtutem, ordinariam privatarum rerum curationem, quæ tamen & ad Rempublicam ſuo genere pertinet, inique videtur jure ſuo & ſubſidio excludere. Bœclerus etiam, qui erudita diſquiſitione Grotium adverſus aliorum obtrectationes defendit in hoc argumento, *poteſtate in poſſeſſiones & bona privatorum ſicut dominium eminens non expleri, ita partem ejus indubiè conſtitui* ex mente Grotii tradit, *quem ut ad perſonas quoque & alia jura civium produceret, magna ratio potuerit permovere, cum videret, quadam hujus generis aliis ſummi imperii juribus neque recte neque ſubtiliter tribui poſſe: & minus Philoſopho dignum judicaret, imperii voce communiter defungi, ubi de partibus imperii in proprias appellationes diſcretis quæſtio eſt.* Idemq; de neceſſitatis caſu loquitur in hanc ſententiam. *Hinc probe intelligitur, utilitatem publicam,*

quæ ſubſidiariâ ope dominii eminentis explicatur, non illud ſignificare, quod ad pleraque omnia civilia inſtituta pertinet: quid enim eſt vel jure vel more civili introductum, quin utilitati publicæ ſervire dicatur, ſed exquiſitiori loquendi genere ad neceſſitatis imperioſas rationes adſtringi, ſicut neceſſitas morali definitione ad finem conſequendum citra fucum & cavillationem dirigitur. Sed rectius & ad civilis prudentiæ genium propius ſentire, qui eminens dominium ſolis rebus definiunt, nec tantum extra ordinem illi locum dant, facile probari poteſt. Etenim univerſa civitas ut in ſe præcipue perſonas & res complectitur, ita ſumma poteſtas quidem utrisque imperat, ſed ſub nominibus, quæ ad ſingulas partes docendi artificium ex natura objecti applicuit. Hinc majeſtas, ut à politicis vox illa explicatur, in duo ſumma jura tanquam brachia, quæ Rempublicam amplexu ſuo ambiant, diſpeſcitur, imperium in perſonam, ſcilicet, & dominium, ex quibus illud regendis civibus accommodatum eſt; Hoc autem directione & cura rerum conſtat expertium rationis atque conſilii: quæ cum rurſus vel publicæ ſint, vel privatorum, ipſum quoque dominium utrisque incumbens, ſed diverſo diſpoſitionis modo, vel bonorum publicorum dicitur, vel eminens, cui privata dominia ſubordinantur & cedunt. Igitur quicunque ſummæ poteſtatis actus perſonis imperant, nomine imperii quaq; latè pervadunt civitatem, & pro conditione agendorum vel in ſpeciales iterum appellationes abeunt, ut legum ferendarum jus, vel retento generis nomine,

mine, adoptionis exemplo, ſe, ex ipſis actionibus cognoſci faciunt. Alii, qui dirigendis rebus præſunt, contenti dominio, ſeu publico illo ſeu eminenti citra objectorum, quibus ſingula deſtinantur, confuſionem, nec proprio ſenſu affectant imperii nomen, nec illud ipſum imperium ad communionem ſui nominis admittunt. Ac quamvis extra artis inſtitutum haud difficiles ſimus aſſenſu noſtro, veterum exemplis dominos & dominia latius dicta eſſe, quam ut ſola bona & poſſeſſiones capiant: tamen cum in docendo habitu, ſingula, quantum fieri poteſt, technicis ſuis & diſtinctis vocibus explicanda ſint, & procul dubio vero homines, qui rationis, judicii & liberæ electionis capaces ſunt, pleniore ſenſu recipiant imperium, quod regulam modumque actioni ponit, quam dominii indeterminatam vim, ſine prævio mandato raptantis res ad ſuum finem: melius erit aliquam inter hæc nomina differentiam conſtituere, quando ex diſciplinæ ingenio loqui volumus: nam pro vulgari more neque nobis religio erit ſive iſta permiſcere, ſeu viciſſim ſubſtituere. Amplius ut ſingula majeſtatis jura non terminantur ordinaria & communi Reipublicæ adminiſtratione, ſed etiam cum neceſſitas ingruit & repentino malo civitas patitur, de remediis inſolito nec recepto ordine proſpicere poſſunt, ita peculiare aliquod & diſtinctū jus gravi neceſſitatis caſu ſingulis velut in ſupplementum mittere, quod clavum extra ordinem teneat, quaſi torpente ad ſubitum ictum aliorum virtute, non modo neceſſarium non eſt, ſed nec ad prudentiæ regulas

excogitatum. Quod ſi enim indignum Grotius Philoſopho cenſuit, *imperii voce communiter defungi, ubi de partibus imperii in proprias appellationes diſcretis quæſtio eſt*, tanto dignior profecto erit docendi ratio, quanto longius civiles actiones abducit à communi fonte imperii ad ſingulos ejus & debitos rebus actus, pro conditione objectorum propriis appellationibus diſtinctos. Hinc vocem imperii applicare illis actibus, qui perſonam obligant, dominii vero aliis, quibus res moderamur, ſicut communiter utile eſt ad partium imperii ſummi diſcretionem, ita etiam adflicta inſubitis caſibus Republica, quando receditur paulatim à receptis inſtitutis, ac fortius imperatur, nulla neceſſitas nos cogit velut æmulatione confuſæ civitatis etiam ordines confundere, quos accuratior philoſophia diſcriminandis ſummi imperii partibus ſancivit, & deſerto in perſonam imperio, omnia dominio tribuere, cum tamen ratio dari non poſſit, cur hoc ipſum magis exciri ad auxilium debeat, quam illud, quod perſonarum regimini præſidet, quibus res ſaltem acceſſorii loco ſunt, neque præterea in expediendis negotiis improviſæ ac magnæ neceſſitatis dominii eminentis voce communiter nominatâ quis diſtinctè ſatis defungi cenſeri poteſt. Cum enim illa neceſſitas omnibus ſummæ poteſtatis partibus interdum ſic accidat, ut oporteat eas extra ordinem perpetuumque morem Reipublicæ inſolitis modis ſuccurrere, aut iterum dominium eminens in certas & ſeparatas functiones diſtribuendum erit, aut quod expeditius & propius naturæ, illis

ipſis

ipſis laborantibus partibus illa vis & efficacia tribuenda eſt extraordinarii remedii. Si quid aliud adhuc ſupereſſe videtur, ſic penitus abdicatum à majeſtatis juribus, quæ frequentiori uſu & rato legitimoque regimine Rempublicam curant, ut in nullius familiam id accenſere liceat, neque ei quidem ſufficit dominii eminentis nomen, ſed pro objectorum diverſitate aut ad rationes imperii in perſonam, cum obligatio ad civem dirigitur, vel dominii bonorum publicorum, ſi inſolito nec recepto more illa convenit adminiſtrari: vel denique eminentis dominii, in pleniore uſu privatarum poſſeſſionum fundati, referendum eſt. Ut proinde non cauſam aut rationem ullam videam, quæ permovere Grotium potuit, ut eminentis dominii limites in perſonas usque civium proferret, quibus regendis imperium aptius eſt, non quidem commune illud & totum, quod omnes partes poteſtativas complectitur, ſed præcipua hujus & dignior portio, objecto perſonarum determinata: de juribus perſonarum haud difficilis ſum, quæ rectius quis retulerit inter privata patrimonia. Nam privilegia, honores, immunitates, quæ revocare aliquando Reſpublica ſolet, accidunt perſonis, & in earum bonis ſunt, adeoque in rerum privatarum cenſum haud abſurdè veniunt. Alligato ſic ad privatas poſſeſſiones eminente dominio, liberius ei ſpatium dandum eſt, quam ut ſe patiatur intra carceres neceſſitatis publicæ includi. Videmus enim illud ordinarias quoque functiones in Republica obtinere, per quas inferiora privatorum dominia non moderetur

ſolum, ſed etiam aliquando ad ſe trahat ablatis rebus prioribus dominis. Fit illud inter alia, cum tributa imperantur, quæ & ab invitis atque renitentibus exigere Principem poſſe conſentiunt ſapientes viri. *Qui naturaliter deberi Regibus ſtipendia diſputant, unde Reipublicæ regendæ intenti fortunam ſuam honeſte ſuſtineant*, optime ſentiunt de æquitate & ſubditorum officio: ſed nondum jus illud explicant, quod imperans habet ad cogenda à morantibus ſtipendia, & capienda pignora in ſolutionis vim. Ac ſane, quantus eſt, erravit Bœclerus, qui negavit jure eminensis dominii à ſubditis tributa exigi, quæ ſponte conferre nolunt. Cum enim bonorum capio, qua ſibi ſatisfacit Princeps in exſolvendis tributis, non tam illo jure fiat, quod naturâ quivis habet ad rem in ſolutum ejus capiendam, quod tuum eſt, vel tibi debetur: quam jure aliquo ſummi imperii, circa dominiorum privatorum ablationem occupato, nullum me hercule, aliud dabitur, quam cui ſubſunt & parent privata dominia, quod dominium eminens eſt. Æquitas ipſa collationis non ſufficit ad coactionis effectum, quia nemo præter imperantem in civitate exigere tributa poteſt, æquitate tamen omnibus ſe commendante aperta ratione. Nec facile dixeris, ſi quis alius adhoc ſuperioris mandato nondum inſtructus, ab illis, qui tardius publica ſtipendia ſolvunt, per vim res auferat, privari poſſeſſores dominiis, & in Principem illa transferri: ſicut migrant continuo, & fiſco accedunt, cum publicis auſpiciis res petuntur. Oportet igitur aliquem imperii actum reperiri

periri apud Principem, qui ſufficit transferendis dominiis: neque illum alium eſſe præter jus ſuperioris dominii: ſingulæ enim majeſtatis partes verſantur circa cōgruentia ſibi ſubjecta, nec relictis propriis in aliis exſerunt virtutem ſuam. Ut eminenti Dominio imperia paterna & herilia non ſubſunt, ſed ipſi in perſonam imperio: ita Dominia privatorum non hoc imperium ſentiunt, ſed eminentius dominium, idem natura & proprietatibus: ſed tantum ordine ſuperius adeoque moderandis inferioribus accommodatum. Haud quidem me latet, peculiare jus imperii eſſe, tributis donatū. Verum illud reſolvi in eminens dominium, ex eoque procedere pro comperto habeo. Enimvero relictis tributis luculentius exemplum ſubſtituam, quo locum eſſe eminenti dominio extra neceſſitatis quoque caſum in quieta & ordinaria Reipublicæ adminiſtratione, appareat. Cum ſubito hoſtium adventu munienda Civitas eſt adverſus præſentem vim, omnes agnoſcunt eminentis dominii actum in auferendis privatorum fundis, qui mœnibus proximi ducendo vallo inſerviunt, aut aliis munimentis. Sed non ſemper tam prope periculum eſt, cùm aggeres & propugnacula excitantur. Aliquando prævertitur metus tempeſtivo præſidio, ut civitas in pace firmata animos facere poſſit propugnatoribus inter arma & bellorum ſtrepitus: eſt etiam tempus, cùm ad ſplendorem atque oſtentationem magis, quam publicam ſecuritatem muniuntur Urbes. Nullus hic inſtantis neceſſitatis prætextus, nulla temporum excuſatio, quando in futurum periculo proſpicimus, aut

conſulimus dignitati famæque imperi : nam neq; ipſe Bœclerus *utilitatem publicam* in hoc argumento *illud ſignificare* tradit, *quod ad plerag, omnia civilia inſtituta pertinet: ſed exquiſitiore loquendi genere ad neceſſitatis imperioſas rationes adſtringit.* Et tamen cùm hoc modo Reſpublica agit, nec temerè culpare honeſtam ejus utilemque proviſionem licet, nec aliud jus majeſtatis nominare, quam eminens dominium, quod in occupandis privatorum fundis præſto eſt communi utilitati.

§. 2. Ipſum ejus nomen quibusdam ambitioſo & pleno injuriarum ſenſu ſuſpectum ſit, ſed ita me Dii omnes, Deæque ament, vano irritoque metu. Nam qui eminens dominium clamant ſubditorum res & avitas poſſeſſiones in prædam & direptionem Principibus dare, abuſum juris notant, non legitimam poteſtatem. Nec vidi tyrannum, qui ignorans nominis tam pernicioſi, ut creditur, ſanctiore imperii voce à legendis ſpoliis revocatus ſit: aut bonum juſtumque Principem, quem ampliores illecebræ eminentis dominii in malam mentem impulerint civiumque injurias. Tutorum quorundam perfidia diſtractæ ſunt pupillares rationes. Sed nemo inventus eſt, qui tutelæ id imputaret, vel publico juri, quod tutoribus poteſtatem facit regendi pupilli. Inviolabile & ſanctum nomen majeſtas eſt, quæ, etſi non tyrannos facit, tuetur tamen & defendit: ita nihil prorſus bonitate ſua & perfectione tutum eſt ab improbitate abutentium: Quod ſi alienam culpam exilio luere debet, ipſa juſtitia pietasque proſcribitur, quæ humanis

manis ludibriis expoſita videmus. Sed eminens dominium caſto ac ſobrio uſu ſe ipſum facile ab omni iniquitate & ſordibus purgat. Nihil in penitiſſimo receſſu habet alienum à juſtitia, vel quod hoſtes ſui non Reipublicæ largiantur, quamvis aliunde elicitum, ab inexplicabili ſcilicet illo & obſcuro imperio. Aperte calumniantur accuſatores ejus, qui lippiunt ad illam majeſtatis imperioſam lucem, & *turbari quietas privatorum poſſeſſiones* inepte vociferantur. Ab eis ſi tanti criminis probationem exigas, videbis oppido principium petere falſiſſima calumnia, *dum proprietates tolluntur, & in unum transferuntur Principem antiquari juris naturalis ſcitum, quod jubet ſuum cuiq; tribuere, dum nemo eſt, qui aliquid proprii habeat.* Pudet reſpondere propemodum tam improbæ maledictioni: proprietates tolli ab eminente dominio impudens mendacium eſt, quod miſerrimo ratiocinio ſibi confingunt: quaſi quæ ratione ordinis ſibi ſupponuntur, adverſa ſint invicem & pugnantia contrariis effectibus, quaſi patriam poteſtatem, aut maritale imperium evertant civiles leges, quæ moderantur illa & ordinant: ita nec eminentis dominii inſtitutum fert confundere privata dominia vel rapere: ſed conſervare in Republica, & tueri ſingulis familiaris rei poſſeſſiones: in eo enim munere magnam ejus virtutem admiramur, quod æquiſſimo jure per acquiſitionum amiſſionisve dominiorum modos civium bonis proſpicit, & prudenti adminiſtrationis præſcripto omnibus copiam facit utendi fortuna ſuarum rerum, modo damnoſa non ſit

liber,

libertas illa Reipublicæ, quam errores & vitia civium in patrimoniorum imprudenti curatione proxime tangunt. Qui ſupereſſe rebus ſuis poteſt, eum non impedit eminens dominium in debito uſu: aliter cum prodigo agitur, curatore bonorum dato, ne profuſis intemperanter opibus mox egeat, & ipſa mendicitate gravis ſit civitati. Ut accurate conſtet, quid in bonis quisque habeat, ſanciti ſunt acquirendi dominii modi, quibus ſecure licet poſſidentem confidere, ac oppoſitione eorum repellere injuſtos petitores, remque ab aliis detentam virtute legitimi tituli vindicare: adhæc ſicut reſpublica acquirere cives dominia patitur, ita amittere etiam, & in alios transferre, ne quis cogatur invitus rem tenere, rationibus ſuis parum utilem: aut impediatur alius opum comparatione augere patrimonium. Præterea caſtigatur merito damno contumax patrum familias veternus, qui negligentiores in bonis recenſendis ſunt, quam ut virum bonum deceat. Hoc fundamento uſucapiones introductæ, oppoſitæ dominiorum incertis vicibus: ne illud ſit ignaviæ præmium, rem aliorum ſtudio & opera conſervaſſe. Hæc omnia Princeps eminentis dominii virtute exſequitur, qua tolli proprietates quis integra mente dixerit, cum defendendis illis curatiſſimè laboretur? Certè ſunt alii etiam illius juris eximii actus, qui fortius privata dominia impetunt, cum aliquo in rempublicam commodo. Sed univerſi ejus generis inveniuntur, ut ne quidem damnari ab adverſariis poſſint; Detractionem ex bonis, quæ Princeps migrantem civem efferre ſinit,

ſinit, communi calculo probant. Tributis evidentiſſimè ſua neceſſitas conſtat: tum privatorum rerum occupationem ad Reipublicæ ſalutem culpare quis audeat? Nam & Theologi Achabo invaſionem Nabotheæ vineæ permittunt, ſi illam oportuiſſet inſ[illegible]eri ad civitatis præſidium. Igitur his actibus, quos multi vaniſſima ambitione ab imperio deducunt, ſi privatorum dominia non contigit turbari, cur dominio eminenti invideamus meritam laudem, cui familiarius illi propiusque accedunt, ut ejus odio tantùm diſpliceant, quæ publica utilitate magnopere commendantur. Quis probra nunc & convicia non palpat, quibus innocens poteſtas oneratur, *antiquari juris naturalis ſcitum, in diſtributione juris, quod cujusque eſt, ſanctiſſimè fundatum*, dum *nemo ſit, qui aliquid proprii habeat.* Imo vero relinquit eminens dominium omnibus ſubditis ſua dominia, & proprietates, eaque tuetur illis, defendit, conſervat, & ita cuique ſuum tribuit ex placito æternæ legis: fruſtra illud, inquis, & ſaltem verbo tenus, cum *ejusdem rei non ſint duo domini: adeoque aut Principi detrahendum dominium, quod privato permittitur: aut ſubditus excludendus ab eo, quod Princeps habet.* Argutum & ſubtile caput! quod forenſibus formulis, olentibusque prætorium tribunal, conficit ſapientiæ civilis majeſtatem. Lubet tamen paucis eximere ſcrupulum, qui dominiorum colliſione movetur: ac niſi regulam coerceas intra certos cancellos, peccabit nimium indefinita licentia. Duos ejudem rei dominos non fecimus in æquali dominio-

miniorum ſerie, ſeu in privatorum cenium illa veniant, ſive eminentioris juris: ita res, quæ ſubditi in ſolidum eſt, acquiri plene alii civi non poteſt, niſi cedatur à priori dominio: ita nec eminentior illa Principis poteſtas conſortium admittit aut multiplicari ſe patitur. Sed cum inter dominia ordo eſt, & diverſæ ſpecies ſe per gradus excipiunt, nihil prohibet concurſum plurium dominiorum, & ſic unius rei plures dari dominos, invicem ſubordinatos, evidentiſſimis exemplis evincitur. Deo dominium in res humanas negare, pene ſacrilegium eſt, nam creatori recte ſupremum jus tribuitur in creata ſua: at nemo hactenus humanis dominiis obſtare illud divinum dixit, quo minus unius rei ſint plures domini. Fortaſſe autem ut ipſe Deus extra comparationem aliarum rerum longiſſime ponitur, ita ſubſiſtendum erit intra mortalium conditionem? quamvis vero non neceſſarium id ſit, quoniam ſi ſemper & ubique ſibi adverſantur concurrentia dominia, nulla ratio divinum excipit: placent tamen limites civilium cauſarum: ibi dominia in directa & utilia diſtingui, quem latere poteſt? Non adferam uſusfructus exemplum, quia ſunt, qui jus illud excludunt dominiorum familia: confidentius prodeant feudorum jura, quibus ſalvis utile dominium Vaſallo nunquam negatum eſt: alii directo dominio relicto, à quo recognoſcitur feudum: vides hic duo dominia ſibi mutuo occurrere ſine pugna: vides unius rei, feudalis ſcilicet, poſſe duos eſſe dominos. Errant plurimum, qui Vaſalli jus ad ſpeciem aliquam uſusfructus referunt, diſtinctam ſaltim ab

eo,

eo, qui deſcribitur in Romanis legibus. Nam *facile deduci poteſt*, (*a*) inquit Struvius, *uſumfructum, ut denotat certam ſpeciem juris in re, à feudo genere differre; cum uſusfructus ſit ſervitus, ſive poteſtas in re omninò aliena competens; Feudum vero ſpecies dominii, ſive poteſtas in re quodammodo propriâ.* Quod ſi de plenis dominis regulam interpretaris, parata reſponſio eſt, * in dominiorum ſuccenturiatione ſemper inferiori decedere aliquid, quod ſuperius ſibi vindicat, ut pleni nomen habito ad alterum reſpectu non mereatur. Sed civilis jurisprudentia non videtur illud attendere, quæ ſatis habet dominiorum virtutes recenſere, quæ cadere in ſubditos poſſunt ſalvo majeſtatis jure: iis cum nihil decedit privatis pactis, plenum eſt civium dominium, quamvis inſtituta ratione ad naturales effectus, qui dominium extra rempublicam comitantur, jam aliquid decerpſerit respublica, quo plenitudini ejus & congenitæ libertati officiatur: quemadmodum comparatione inter ipſa privata dominia facta pro minus pleno illud exiſtimatur, quod efficaciæ ſuæ partem conventionib⁹ amiſit, quam eminens dominium intactam privatis reliquit: atque hæc confirmando exemplo diximus, ex jure feudali deſumpto: quia ſicut neque directum domini, neque vaſalli utile dominium plenum eſt, cùm ad plenius privatum refertur: ita neque hoc privatum plenum in ordine ad ſuperius; ut mirum non ſit, dominia, quæ ſibi non occurrunt in ſolidum & æquali vi, ſed compoſito ordine à ſummo ad inferius,

(*a*) Synt. jur. Feud. c. 2. §. 3. n. 3.

rius, compatibilia eſſe: quemadmodum imperia etiam, ſubordinata invicem, ut civili, maritale, patrium atque herile, ſe amice excipiunt & patiuntur, quamvis cùm actu ipſo concurrant, rationis ſit inferius concedere ſuperiori, quod & in diſpoſitis dominiorum gradibus accidit. Alia difficultas, quam objiciunt, ex his probe intellectis jam ſponte removetur. Nimirum *rei ſua nullam eſſe acquiſitionem, principem autem per donationem, teſtamentum, emptionem, acquirere ſatis conſtare: unde colligendum, Principem non habuiſſe dominium in res taliter comparatas & quaſitas.* Primo donari ab aliis rem poſſe, quæ ſua jam eſt, haud abſurdum à ſapientibus creditum. *Omnia Deorum ſunt*, inquit (*a*) Seneca, *tamen & Diis poſuimus donum & ſtipem jecimus:* nec incognita ſint legata juri noſtro, (*b*) *qua Deo relinquuntur.* Deinde quicquid videtur Princeps de privatorum bonis contractus lege acquirere, id eo ſenſu accipiendum eſt, quo Feudi Senior ſibi à Vaſallo utile dominium dicitur comparare, vel in re noſtra dos nobis legari uſusfructus, pignus, aliaque jura, quæ liberam domini ſuarum rerum diſpoſitionem atque arbitrium impediunt, ut enim donationibus illis & prædis domino non ipſæ res cedunt: nec utile earum dominium, aut pignus, dos, uſusfructus, ac ejusmodi jura inhærentia rebus; ſingula enim potentia ſua & effectu jam inſunt dominiorum virtutibus, nec datur propriæ rei pignus, dos aut uſusfructus: ita Principi civium contractibus non denuo quæruntur ipſæ res

(*a*) l.7. de Benef.c.4. (*c*) l.1. §.5. ff. ad L.Falc.

res devinctæ pridem eminentis dominii jure:nec privatum dominium, cujus omnem efficaciam & proprietates complectitur ſuperius illud Principis: ſed arcentur tantum cives ab uſu & exercitio illius juris, quod imperantis ac Reipublicæ indulgentia quæſitum in rebus habent: quemadmodum pignoris creditor, uſufructuarius, aut vaſallus non jus ſuum atque utile dominium, quod rebus ineſt, ad dominium rei transferunt, ſed velut emancipant rem onere ſuo, dominii libertatibus officiente. Quoniam enim Reſpublica ſemel interpoſita fide recepit, ſe in uſu privatarum rerum non turbaturam ſubditos niſi ex civili communis utilitatis ratione, aut neceſſitatis tempore, oportet Principem legem ſervare, quam ſibi dixit, & pati dominos privatis bonis ad eum modum frui, qui juri civili moribusque congruit. Ac licet eum aliquando contingat interrumpi per eminentis dominii præceptum, tamen evidentiſſima maximeque perſpicua utilitate opus eſt, ut Imperans nullo plebis rumore tam invidioſum opus incolumi fama perficiat. Hoc impedimentum nunc redimit Princeps refuſo pretio, eoque ſublato re ipſa utitur non ad utilitatem publicam tantum & pro neceſſitatis ratione, ſed etiam ad animi voluptatem aut domus ſuæ quotidianum commodum. Igitur expenſa diligenter re apparet non tam acquirere aliquid privatis contractibus Principem, quam removeri obſtaculum illud, quod eminentis dominii pleniſſimo exercitio publica fide & receptis moribus poſitum eſt, eoque remoto nihil aliud conſequi præter vacuam poſſeſſionem rei,

Ccc in

in qua paulò ante privatum dominium morabatur eminentioris continuum & liberum curſum: quare abdicandum illud à ſubdito fuit, ut Principi hoc uti liceat ad animi ſui ſententiam excluſis civibus. Interdum opponitur *rei vindicatio, quæ fundamentum habet dominium vindicantis, quod actori proprium ita eſt, ut rem à fiſco Principis poſſeſſam intra certum tempus extorquere poſſit, quod iterum tollit dominium Principis.* Mirari aliquis poſſet hominum imprudentiam, qui torquere telum in dominium eminens conantur, quod revera pro incolumitate ejus cuſum eſt. Dum enim inferiora dominia illud ſuperius Principis judicem patiuntur, & hoc auctore ſe ſibi vindicant, quo ſenſu tollere illud dicuntur? Nam profectò ſive imperans diſcuſſa lite reſtituendam rem privato juſſerit, ſeu in Fiſco retinendam, actus ipſe ab eminente dominio procedit, quod privatorum bonis directione illa & judicio proſpicit. Subditus vindicat à Fiſco dominium ſuum: ac licet in cauſa ſuperior ſit, nihil ultra intentionem conſequitur: neque enim animus ei fuit aſſerere ſibi eminens dominium, ſed privatum tantum, à fiſco detentum: qua actione quomodo tolli illud poſſit, de qua nihil actum eſt, me latet. *Vindicationis fundamentum*, verba ſunt clariſſimi (a) Hornii, *eſt dominium, ſed privatum, quod eminens haud tollit: & illa contra fiſcum admiſſa eſt, ne cives à rapaci Magiſtratu contra fas ſuis poſſeſſionibus ſpoliarentur, non ut negaretur dominium majeſtatis.* Tandem quæ

(a) Cit. loc. p. 307.

quæ ex ſacris literis advocant in auxilium expugnandi juris tam certi & neceſſarii, pene omnia vaticinio Ezechielis conſtant & Nabothi cæde. Sed Achabi Regis cauſam plenius diſcuſſimus in (*a*) obſervationibus noſtris ad Grotium, ne repetitione moleſti ſimus. Prophetæ autem locum myſtica profunditate involutum, quantum ſatis eſt huic argumento, (*b*) Hornius explicuit, unde, qui vult, haurire lucem affectatæ aliorum caligini poteſt.

§. 3. Sic multa ſunt, quæ eminenti dominio artificioſè inſidiantur: nihil penitus, quod noceat, cujus certitudinem invictæ rationes atque adeò ſacrarum literarum oracula exhibent. Neque hic omnia conquiram, quæ pro vindiciis ejus cumulari ſolent: acta jam feliciter eſt hæc cauſa Johannis Friderici Hornii auſpiciis, qui graviſſimis momentis probationum patrocinium ſuſcepit tam eximii juris, &, niſi me multa fallunt, apud æquos rerum cenſores obtinuit. A nobis etiam aliqua prò dominii eminentis tutela & indole, naturam veriſſimi dominii prodente, alibi dicta ſunt. Nunc ſaltem eum arguendi modum ſumam, qui citra hiatum & ἀκαταστασίαν in rerum diſpoſitarum ordine, quæ prorſus fugienda eſt, probet non poſſe dominium eminens negari. Neque enim ad ineptum Leyſeri jocum, quo adverſus clariſſimi Hornii celeberrimos cineres naturalis vacui metu venuſtus eſſe voluit, (nuperâ diſſertatione pro imperio, qua eminenti dominio neſcio quid exile frigidumque opponit) anxiè hæremus, cùm, etſi phyſicam vacui-

(*a*) l. 1. c. 4. §. 3. (*b*) de Civit. l. 2. c. 4. §. 13.

tatem in moralibus cauſis non extimeſcamus, civili ordine invicem per certos gradus ſuppoſita nec ſaltum admittant, nec politicum illud vacuum, ſi dicere ita licet. Etenim videmus ſicut omnes cives, ita & actiones eorum cum ipſis poſſeſſionibus ac tota familiaris rei bonorumq; fortuna, ſubjici ſummo imperio: neque minus omnia Civitatis negotia velut in unum faſciculum ſtipata integræ & toti poteſtati: quam ſingulas eorum partes congruis ſibi & reſpondentibus agendorum indoli majeſtatis juribus. Quem in finem majeſtas natura ſua diviſionis & compoſitionis neſcia, pro objectorum diverſa natura nunc has nunc illas appellationum formas adſumit, inter ſe nunquam citra ordinis & diſpoſitionis convulſionem confundendas. Quamvis enim haud mentiatur, qui imperium nominat in ſingulis civilium cauſarum momentis: non accurata tamen & digna Philoſopho defungitur partitione, niſi commune imperii nomen egreſſus poteſtativas ejus partes ſuis & domeſticis vocibus vi objectis compellet, illis partibus ſuppoſitis. Leges, bellum, pacem, fœdera, ſtipendia, imperium conficit, invitis etiam plerumque ſubditis, ſed propterea ceſſatum non eſt notionis cauſa diſtingui actus imperii pro conditione rerum, & propriis nominibus deſignari. Ita quidem iſtis omnibus unum imperium ſufficit: aliud tamen eſt jus ferendarum legum, aliud belli gerendi, aliud faciendæ pacis aut fœderum ineundorum; aliud tributi indicendi. Obſervatum id jam eſt ab illuſtri Bœclero, cujus hæc verba ſunt in argumento eminentis dominii. *At*

vero

vero Rex ſæpe legem invitis fert, milites ſæpe invitos conſcribit, Magiſtratus ſæpe invitos conſtituit, tributa invitis ſæpe indicit, atque in his omnibus, ut officium civitati debitum faciant, cives adigit: idq́ non neceſſitatis tantum tempore, quæ ſeorſim ſuo jure cenſetur, ſed in perpetua & ordinaria adminiſtratione Reipublicæ, neque tamen propterea, quod ſumma poteſtas hoc facit, nihil opus eſt exprimere, quæ pars ſummæ poteſtatis de conſtituentibus eam in illo vel illo genere verſetur. Cæterum inter jura ſubditorum quæ ſuperiorem imperii vim recipiunt, privata dominia ſunt, ex liberalitate Reipublicæ poſſeſſoribus aſſignata, ſed cum lege ſubjectionis & obſequii: ſunt fundi bonaque civium, per publicos acquirendi modos inter cives diſtributa, ſed cum exceptione potioris uſus, publica utilitate vel neceſſitatis ratione commendati. Equidem ſi Leyſero auſcultamus, nullæ gratiæ à privatis debentur publico ordini, quod aliquid in bonis habent, quod domini ſunt rerum, quas poſſident: ex divina manu & naturali jure ſua quemque habere cenſet: beneficium donumque imperantis ad conſtitutionem privati dominii cum ſupercilio excludit. At profectò argutiis ſuis non tam decipit, quam ut decipiatur. Quaſi verò, quæ datore Deo noſtra ſunt, aliquando mediam cauſam non admittant, aut novum ſit & prope monſtrum, divina munera per plures ad uſum dividi ordine gradibusque diſpoſitis. Non infrequens id quidem in totâ humanitate, ut facto ad rem concurſu alii præferri aliis ſoleant: in civili autem

regimine perpetuum, & penitus neceſſarium ad conſequendum finem. Ibi ſeu imperium immediatè à Deo credimus; quod nos infallibili certitudine civilis prudentia & ſacræ literæ docent, ampliſſima poteſtate & æmulâ divinæ Vicariis ejus proſpectum eſt: Sive vulgares & acerbæ animæ populo vaniſſima collatione blandiuntur, tantum quisque exiſtimari debet ceſſiſſe jure ſuo & in publicum impendere, donec ſufficiens haberetur ratio expediendorum negotiorum. Igitur civitatibus conſtitutis, ut ſinguli ab iis, quos regimini præfecerunt, paſſi ſunt ſibi ipſis juberi: ſic & eosdem in communionem miſerunt ſuarum proprietatum, præferendos etiam uſu & actuali directione, quoties id publica ſalus poſtularet. Adhæc non omnia privatorum dominia antiquiora ſunt illo, quod Respublica ſibi vindicat, adeóque beneficiorum exprobratione timenda. Eſt etiam tempus, cum civitas de ſuo liberalis eſt, & inter privatos diſtribuit dominia, non accipit. Contingere id ſolet, ſive deductis coloniis publici agri populo aſſignantur; ſeu bello quæſita regio militibus emeritis in præmium fortitudinis fideique cedit. Neque tamen facilitate illa ſua Respublica tantum ſibi nocet, ut penitus dominio rerum ſpolietur, quas aliis in fructum dedit: privatorum enim dominia cum exceptione ſuperioris ita conſtituta ſunt, ut aliquando ſuſpédi poſſint, aut eliquari, ſi ipſa civitas opus habeat bonis, in omniũ ſalutem impendendis. Et profecto hoc ſenſu ſapientes viri omnia Reipublicæ eſſe dixerunt, eminenti ſcilicet dominio, quamvis communiori privatorum

eſſent. *Sunt autem privata*, inquit (*a*) Cicero, *nulla natura, ſed aut veteri occupatione, ut qui quondam in vacua venerunt: aut victoria, ut qui bello potiti ſunt, aut lege, pactione, conditione, ſorte: ex quo fit, ut ager Arpinas Arpinatum dicatur, Tuſculanus Tuſculanorum: ſimilisq́ eſt privatarum poſſeſſionum deſcriptio*: Nec aliter (*b*) Seneca. *Fines Athenienſium aut Campanorum vocamus, quos deinde inter ſe vicini privata terminatione diſtinguunt.* Itemq́ue Dion Pruſæenſis Rhodiaca. Πολλὰ ἐςιν εὑρεῖν, ἃ κοινῇ μὲν ἀπογράψαι ἡ πόλις, διῄρηται δὲ εἰς τοὺς κατὰ μέρος, ὅλως δὲ οὐκ. Occurrit hîc quidem nimia ſubtilitate Leyſerus, & omnia abdicat à dominiorum ingenua familia, quibus pro lubitu uti & abuti non licet. Verum quam abſurda hæc ſit ſententia, & juri etiam communi adverſa, vix demonſtratione opus eſt: nam iſto dominiorum charactere poſito confidenter dixerim, citius Diogenem in foro homines reperturum, quam in civitate dominia tam libera & impedita virtute laxata. Quotusquisque enim civium eſt, quem Respublica permittit uti rebus ſuis ad privatum ingenium, & pravas cupiditates extra communis boni regulam vagantes? Cur igitur leges ad ſuum officium numerant, providere, ne quis re ſua malè utatur? cur prodigo, cur pupillo adminiſtratione bonorum interdicunt? Proprietarius rei, cujus uſusfructus alienus eſt, nonne dominus vero dominii genere? quis enim alius præter eum? iſte tamen quam parce utitur bonis illo onere afflictis, quam nihil pro lubitu agit?

Ccc 4 Neque

(*a*) De Offic. l. 1. (*b*) l. 7. De Benef. c. 4.

Neque vero unquam tam læva mens Hornio fuit, ut eminens dominium pleniſſima libertate & injuriis definiret, quod crimen eſt innocentiæ ejus grandi calumnia impactum. Etenim ipſe Principem decore, ratione civili & officio à rapinis & deprædationibus ſubditorum abſtinet. Veriſſimi dominii naturam eminenti tribuit, ſed nondum video, quibus argumentis poſſit obtineri, in dominiorum cenſum non eſſe illa referenda, quæ infinita licentia non procedunt, cum iſtis quoque à Romana jurisprudentia definitis exceptio legis addita ſit, ut intelligatur libera diſpoſitio, quatenus lege non eſt prohibita. Eam vero legem, quam Imperans ſubditis dicit poteſtatis obligatoria virtute, ipſi Principi ponit famæ regiæ cuſtodia, conſilium, pactiones, obſtrictaque ſubditis fides, denique patrius mos & rectoria prudentia, certiſſima remedia ambitioſæ avaritiæ, quæ ſumma protervia Leiſerus ridet. Itaque nefas ſit regi civium bonis pro lubitu violentas manus afferre. Sacræ ſint & inviolabiles eorum poſſeſſiones extra publicum uſum, nec unquam ſine ſacrilegio ad ludibrium invadendæ: nihil in hoc palladio deprehendo, quo dominium eminens evertatur. Satis eſt enim vim ejus manumitti publica ſalute, imò amplius concurrere cum ipſo privato dominio velut carcerum deſignatione, intra quos hoc ſe continere debeat. Quotidianum id eſt, dominiorum operationes pendere ex certis conditionibus, quarum defectu vitioſa ſit actio, licet excuſata dominii ſpecie; nec minus tamen rem noſtram eſſe, quæ illis anguſtiis circumſcribitur.

Appenſe

Appenſe (*a*) Seneca, *non eſt argumentum*, inquit, *ideo aliquid tuum non eſſe, quia vendere non potes, quia conſumere, quia mutare in deterius aut melius non potes. Tuum enim eſt etiam, quod ſub certa lege tuum eſt.* Et Dion Pruſæenſis Rhodiacâ, μυρίους γὰρ εὑρήσεις τρόπους, καθ' οὓς ἑκάστου τὶ φαμὲν εἶναι, καὶ πλεῖστον διαφέρονται, ὧν οὔτε ἀποδόσθαι τι ἔξεστι τοῖς ἔχουσιν, οὔτε ὅπως ἂν θέλοι, χρῆσθαι. Quem dominiorum modum & Strabo intellexit, cum ait de aliquo, κύριος ἦν, πλὴν τοῦ πιπράσκειν. Exempla multa & luculenta ex jure noſtro allegare poſſumus. Pupillus, minor, prodigus, omnium conſenſu ſunt domini ſuarum rerum, & pleni quidem dominii genere, non utilis tantum, non etiam nuda proprietate ſterilis. Sed nunquid hos pro lubitu adminiſtrare res ſuas animadvertis? num alienare poſſunt, num vendere aut pignori dare absque tutoris auctoritate? Quando ſuper dominio dotis lis marito eſt mota? at quando item fundus dotalis vendi oppignorarive eſt permiſſus? De proprietario nihil dicam, quem paulo ante nominavi. Feudi Senior nonne Dominus, nonne & Vaſallus ejusdem rei? ſed neuter abſoluto exercitio; uterque vero dominio. Ad hæc in illis bonis, quæ familiis hac lege addici ſolent, ne unquam alienari poſſint, perpetua eſt dominii facies reſtricto & limitato uſu. Tam univerſaliter verum, quod (*b*) alio loco Seneca dixit, *quadam quorundam ſub certa conditione ſunt.* Verùm hæc eò dicta ſint, ut intelligamus, eſſentiam veri dominii non deſtruere

(*a*) l. 7. de Benef. c. 12. (*b*) l. 8. de benef. c. 12.

reſtrictum exercitium, aut uſum pro lubitu domini non effrenem adnexum inſuper dominia, ſeu Reſpublica illa inter cives diſtribuit, ſive per illos in civitatem illata ſunt, recognoſcenda à Principe eſſe, etiamſi ex vulgi pernicioſo errore imperia conſtitutionem humanam faciamus. Interea illi, quibus adyta politicæ prudentiæ penitius ſcrutari licuit, non ignorant, quam omnis poteſtas immediatè à Deo ſit, nec cauſam ſubalternam patiatur. Hoc principio ut pene omnis majeſtas & ſecuritas imperantium conſtat, ita pulcherrimæ concluſiones oriuntur pro vindicatione eminentis dominii. Etenim ſi Deus, cujus permiſſu & auſpiciis privatorum dominia nituntur, Principi univerſam civitatem imperio regendam dedit, ſi nihil excepit, quod non poteſtati ejus ſubjecerit, non cives, non bona eorum & poſſeſſiones, ut ſcilicet ſibi imperans ſufficiens proprio jure eſſet ad emolienda ea media, quibus ultimus ille civilis felicitatis finis redimitur, non precario penderet ex alieno arbitrio, certe privatis etiam dominiis ſubjectionis neceſſitas impoſita, quibus nulla lex de libertate cavit. Interea ut perfecta ſubjectio eſſet, & καθ' ἕκαστα ordinata, nec imperium ulla parte objecti ſubjiciendi eliderctur, non ſatis fuit Principi Civitatem velut per averſionem ſubjici, & faſces regiminis confundi, ipſis rebus diſtinctos, in quas oportuit illos explicari, niſi etiam ſumma poteſtas ſingulis partibus ad obſequium expoſitis congeneri virtute imperandi reſponderet. Sed inprimis cautum eſt, ne civium jura, cum alicujus poteſtatis ſenſu conjuncta, ſive in perſonam illa

exi-

exirent, ſeu res alias, ordinis ſui derelictione ad heterogeneas majeſtatis functiones deficerent, ſibique ab illis ſinerent imperari mutuatitia virtute, nec capaci totius objecti. Huic vacuo ſupplendo nihil certius inveniri potuit, quam ut inferiora civitatis jura ſubſtituerentur ſingula partibus imperii ejusdem generis. Qua ratione minora imperia, patria ſcilicet, maritalia, herilia, ſummo in perſonam imperio ſuppoſita ſunt, quod cum illis objecto & modo regendi exacte congruit, & privata dominia illi eminentiori reipublicæ, ſimilis planè cum iſtis naturæ & qualitatis. Nam ſi in privatorum proprietates facultatem aliquam imperativam ſpeciali munere non admittis, imperio ſaltem univerſim nominato, quod Leiſerus facit, verbis quidem dicis aliquid, & incurioſis tenebras offundis: ipſo autem ſenſu imperii vim, quam dominium non niſi media aliqua facultate poteſtativa recipit, deſtruis, & infima dominia licentioſo ſaltu ad imperium, tanquam pileum vocas, mediis gradibus deſtituta ſcilicet, per quos ad illud aſcenditur. In moderandis perſonarum actionibus non ſufficit nominare imperium, niſi & particulares ejus functiones exprimas, quibus majeſtas ſingulis applicatur. Ita quidem obligationis fundamentum, quæ legibus in ordine ad ſubditos adhæret, in majeſtate quæritur, ſed velut remotiore cauſa: nam cum propius accedimus, legislatoria poteſtas occurrit, per quam majeſtas civibus jubet vetatque: in negotiis belli, pacis, fœderum idem ordo: omnia imperium conficit, ſed ſingula mediante illa virtute, quæ

belli paciſque argumento, aut ſanctitati fœderum deſtinata eſt, ubique enim particularia jura licet nominare. Ad eorum ſimilitudinem privata dominia parent imperio, ſed aliqua media facultate, dominiis congenere, quæ nulla eſt præter eminens dominium. Præclare hîc (*a*) Hornius. *Verum quia non vulgariter & confuſe tractanda ſunt majeſtatis ſacra, nominandum eſt jus certum, cujus virtute talia majeſtas expediat. Redit enim quæſtio, qualis ſit illa & quæ poteſtas, quæ propter imperium & majeſtatem Principi in ſingulorum bona conceditur? Ubi habemus actum aliquem particularem, ab aliis diſtinctum, non ſufficit imperium in genere, aut integram majeſtatem allegare cauſam, niſi jus armorum, leges ferendi, ſacrorum, cum reliquis titulo ſuo & diſcrimine exuere, & relegato diſtincto ſingulorum conceptu informe chaos velimus politicæ inferre. Sed oſtendendum eſt, quodnam proximum & genuinum principium determinata illa actio habeat*, & paulò poſt. *Non poteſt particularis quædam facultas majeſtatis objectum ſuum deſerere, & in aliud operari, quod ſingulæ circa congruam & propriam ſibi rem verſentur: poteſtas autem inferior non niſi ab analoga poteſtate inhibeatur & ſuſpendatur. In occupatione quippe privatorum bonorum id potiſſimum agitur, ut dominium privatum & ejus efficacia extinguatur, quod ut fiat neceſſum eſt, poteſtatem ſublimiorem aliquam & ejuſdem generis intercedere. Sic enim opus eſt, ut ſimilia in ſimilia*

agant.

(*a*) De Civit. l. 2. c. 4. §. 3.

agant. Imperium, quod pater habet in filium, maritus in uxorem, dominus in ſervum, Principis abſorbet excellentius imperium, in perſonam patris, mariti, domini: non aliter dominium privatum intercipi poteſt, quam per dominium aliquod ſublimius: non per imperium, circa dominia minime occupatum, niſi per intermediam conſecutionem. Nec in moralibus ſaltem iſta diſcrimina ratio conſtituit: nam & natura ſeparatos titulos voluit eſſe ſuarum qualitatum. Quando enim cauſam, quod creſcit, quod ſentit, quod intelligit homo, quærimus, anima quidem ea eſt, ſed virtute per intermedias facultates exertâ. Nam alia facultate augetur, alia ſentit, alia rationis eſt capax: iſta vegetativa, illa ſenſitiva, hac rationali. Pari modo cum imperio agitur, quod leges fert, bellum indicit, privatas poſſeſſiones moderatur, & aliquando intercipit: ſingula tamen ſuis propriis juribus inter ſe non miſcendis: videlicet legislatoria poteſtate, jure belli gerendi & eminente dominio.

§. 4. Tale eſt eminens dominium, ſupremum & ultimum jus earum rerum, quæ aliorum ſunt media quadam & inferiore poteſtate, ac prælatione in uſu munitâ, quamdiu Princeps non cogitur extra ordinem validius imperare. Cum enim ex neceſſitate vel publico bono receditur à ſolitis regulis, præferri eminens dominium privatorum utilitatibus æquum eſt. Sub privatis autem rebus intelligo omnia bona, quæ non ſunt in Principis atque Reipublicæ ſpeciali patrimonio, excludente aliorum concurſum ſed admittunt intercedens aliquod jus, cujus nomine

mine poſſint civium dici, aut cujusque communitatis in Republica poſitæ. Iſtas res, ſi quis exemplo Juriſconſultorum in duas claſſes diſtinxerit, unam earum, quæ divini juris ſunt & alteram, quæ humani, haud errabit mea quidem ſententia. Quamvis enim Romanæ leges videantur nullo certarum rerum reſpectu loqui, ſed ſummo & abſtrahente complexu res omnes in ſuos ordines digerere, ut *omnia mundi jura complectantur*, ſicut ait (*a*) Hahnius, unde etiam divini juris res extra patrimonium collocatas in nullius bonis eſſe perhibent: facta oppoſitione rerum humani juris, *quæ*, ut habet (*b*) Weſenbecius, *plerunque in alicujus ſunt bonis, & ad homines pertinent.* Sive ut (*c*) Hahnius, *quæ in hominum jure & poteſtate*: Nos vero diviſione earum tantum rerum hic occupemur, quæ duplice jure, ſummo & inferiore, invicem ſubordinatis, afficiuntur, nec appellationis rationem à poſitione vel negatione poteſtatis deſumamus, ſed fine & ex uſus modo, cui deſtinantur: Hactenus tamen ſequi nobis diviſionem liceat, quod ſufficienti partium diſtributione latitudinem objecti dividendi exhauriat, nec incommodâ vocum impoſitione luxetur. Etenim quicquid Univerſitatis alicujus civiumque eſt, ſeparatum à publicis ærarii Principis calculis, id vel in religionem impenditur & ad ſacrorum majeſtatem, vel humanis uſibus cedit. Quare ut hæc quis humani juris recte dixerit, quod utilitatibus hominum ac civilis vitæ commodis ſervi-

(*a*) Ad weſenb. de R, D. n. 1. in verb. ac ſumma quidem, (*b*) d. tit. de R. D. n. 3. (*c*) ad d. n. 3. ibid.

ſerviant: Sic iſta divina juris eadem conſideratione, dum profanis neceſſitatibus exempla divino cultui adjumentum parant, miniſtris alimoniam, & Eccleſiæ univerſæ ſubſidium atque ſplendorem.

§. 5. Enimverò in res illas divini juris, utcunque Deo dicatas concepto voto, non minùs, quam quæ hominum commerciis relinquuntur, Reipublicæ ſalvum manere dominium ſuum, eminentius illo, quod Eccleſia per donationem aliumve contractum adepta eſt, graviſſimis rationibus probari poteſt. Nam ſi, quod ſupra prolixe oſtenſum eſt, ſummo imperio tota ſacri ordinis corona, Patriarchæ, Epiſcopi, Sacerdotes, omniſque adeò Clerus ſubjacet: Si Principem pati debet, quantumque ringat Romanus Pontifex, leges ſibi de ſacris rebus ferentem: ſi jurisdictionem agnoſcit, omni cauſarum genere & ſuppliciis conſpicuam: ſi electiones ſuas auctoritatemque convocandæ Synodi ab hoc imperii fonte repetit; quis tam inſanus erit, ut acceſſoria perſonarum, res ſcilicet, quibus uti perſonas ex legum præſcripto decet, inverecunda exemptione ſublevet? res, inquam, quæ vel Reipublicæ libertate, vel munifica pietate civium in Eccleſias pervenerunt. Illa autem cum donat, & quidem iis, qui ſub imperio ejus ſunt, ſemper exiſtimatur excipere ſupremum illud jus, quod ad conſequendum finem publicæ felicitatis ordinatum eſt, eaque conditio ineſt omnibus beneficiis, etiamſi nihil expreſsè ſit dictum. Ita enim & in illis bonis, quæ ſingulis ſubditis in privatum patrimonium addixit, ſibi ſuperius aliquod

quod dominium his regendis tuendisq; aptum, & in ultimam lineam ſalutis publicæ deſinens, ſalvum eſſe juſſit. Hos vero, cives, largitionibus ſuis iniquum eſt poſſe præjudicium Reipublicæ facere, aut temeraria ſuperſtitione damno eſſe. Sed incumbit jam privatorum rebus eminens dominium efficaci providentia, quod proinde ſe invitum non patitur alieno facto exturbari avitâ poſſeſſione. Potius cum velut minorum gentium dominos malè re ſua, aut ad publicum diſpendium uti animadvertit, pro officio intercedit, & imperioſas rationes adverſus plebeias lubidines tempeſtive defendit. Adhæc Vicariatus Principis, quem à Deo habet, poteſtate divinæ majeſtati æmula inſtructus, non fert ſibi quæſtionem de ſacris rebus moveri, quas Deus procul dubio ſuppoſitas imperio ſuo committit Vicariis, ne poteſtas eorum ulla parte deficeret in civitatis adminiſtratione. Nec Eccleſiæ conditio abhorret, quæ pupilla, vidua, deſerta, expoſita in externis rebus regimine indiget, quod non apud Pontificem Romanum, ſed Reges & ſeculares poteſtates divina oracula collocant. Hi enim ſunt tutores Eccleſiæ, defenſores, ſcuta, ut eam ab omnibus malis immunem præſtent. Enimverò quamvis tutela talis vis & poteſtas ſit, quam imprimis regendo pupillo leges accommodant, per conſequens tamen & pupillares facultates comprehendit, tutorum fidei & periculo creditas: ita quidem Principi ſacri ordinis præcipua eſt cura altera: autem bonorum Eccleſiæ, quæ ad divinum cultum & ſuſtentationem miniſterii ordinata ſunt. Hucusque vero tantum

tum

tum inſtituenda comparatio, quam cave ſis ulterius protendas: genere enim & gradu poteſtatis decipit: quippe tutorum poteſtas in adminiſtrandis pupillorum bonis à lege eſt & ſub Republica. Principis verò dominium à Deo proxima cauſa atque collatore: adeoque ſummum, independens, nec ad tutelares rationes prodigiosè revocandum. Præterea illud vide, quam iniquum ſit & pene contra naturam, ut ſi quid privatis in illis rebus competit, quæ acquiruntur Eccleſiæ, id eis intemeratum maneat, re cum ſuo onere tranſeunte. Reſpublica ſpoliari jure ſuo debeat? Ad pias cauſas legatum, utcunque multis beneficiis ornatum, tamen tale relinquitur, quale ipſum eſt, nec plus per diſpoſitionem transferri poteſt, quam apud teſtatorem fuit: lega fundum jam alii hypothecæ vinculo obligatum: nunquam efficies, ut creditori ſoluto pignore minus ſit cautum: Dona nudam proprietatem in re, non conſolidabitur uſusfructus, quæ alterius eſt. Vende Eccleſiis bona feudali nexu affecta: non privabitur Senior directo dominio, in cujus recognitionem & Eccleſiam oportet inveſtituram renovare, ni cadere ſuo jure velit. Breviter nullum jus in re eſt, quo quem alieno facto privari æquum eſſe vel leges vel canones cenſuere piarum cauſarum favore. Quod malum igitur, quæ injuria, Principem illis juribus errore & ſuperſtitione civium exui, quæ in privatis facultatibus ſeu ex conditione ſummi imperii habet, ſeu ex finis neceſſitate, ſeu pacto? tributis ſcilicet, cenſibus, ſervitutibus, decimis, detractionibus, publicationibus ex delicto, occu-

pationibus ad Reipublicæ tutelam: aliiſque, quæ eminenti dominio inſunt. Forte autem privilegia obtendent, ſacro ordini imperiali auctoritate conceſſa; & aucta canonum indulgentia. Sed quamvis non inficiemur, olim Chriſtianos Principes in Eccleſias immoderatiſſimis donativis penè prodigos fuiſſe, nullam tamen legem temere invenies, quæ omnem ſuperioritatem in bonis Eccleſiæ quæſitis penitus abdicavit: id enim fieri non poterat niſi emancipato clero novam Sacræ Reipublicæ faciem in ſua civitate munirent, civilibus imperiis nec ſubjectam nec æquam: ſed ſtatus ratione & occultis conſiliis ad proprium emolumentum conceptis perpetuo obnitentem. Si quæ canones finxerunt peſſimè uſurpatâ poteſtate, iis confidenter obloqui nulla nobis religio: in propria cauſa teſtimonium dicunt, ſuis utilitatibus proſpiciunt: aliena jura cum ſacrilegio involant, naturæ & divino jure ſtolide ſuperbiunt: fabulis, jactationibus, mendaciis ſcatent: à ſummis poteſtatibus nec recepti nec confirmati ſunt in illis cauſis, quæ eorum majeſtati tam perniciosè inſidiantur. Alii Reges, Principes, Reſpublicæ penitus illis cum Romano Pontifice repudium miſerunt, antiquiſſimis tantum conſervatis, quando adhuc patres de ſe humilius ſentiebant: de Principibus vero dignius & excelſius. Deſinant igitur jactare privilegia, quæ aliunde habent: illis enim non ſatis eſt ipſis cautum. Quibus vero ſibi ipſis liberaliter proſpexerunt, quæſo ne tam inſano ſtudio confidant. nam neque id eis licuit citra conſenſum Reipublicæ, de cujus re agitur: nec forte audi-

auditum eſt, aliquem ſibi ipſi privilegium dare, quod ab alio datum eſſe oportuit, ut id nomen proprie ſuſtineat: in noſtris enim quantumlibet facere poſſumus: alibi venia eſt opus & conceſſione, ſi admittimur. Tandem vero ſuſcepta à magiſtratu civili Sacrarum rerum adminiſtratio, multiplici actuum genere celebris de vi & effectibus eminentis dominii teſtatur. Ac multi ſunt profecto inter eos, quibus nec hodie Pontificia turba dicam ſcribit. Certè omnes ſincerior olim pietas, neque divitiarum illecebris ad ſeculi ambitionem ſollicitata probavit. Tunc enim, ſive de bonis Eccleſiæ rectè ac ſobriè curandis per Sacrum Ordinem quædam Princeps pro jure ſancivit: ſeu adimendis transferendisque rebus legem dixit, non mediocri efficacia videtur concurrere ad ſacram œconomiam. Quicquid enim ad publicas illas regulas & præſcripta legum Eccleſiæ ita ſibi acquirunt, aut quæſita tuentur & colunt, potius alieno Principis nomine, lege lata jubentis rem gerere poſſunt exiſtimari, quamvis alio ſenſu atque habita ad concives ratione ſuas res procurare non abſurde dicantur. Sicut ipſi Principes coram Deo delegata poteſtate utuntur, qui apud homines proprio jure imperant. Sed clarior adhuc elucet eminentis dominii virtus in alienandis Eccleſiæ rebus. Ea alienatio contingit plerunque cum conſenſu Eccleſiæ, cujus ſunt bona: interdum citra illius conſenſum ablatio fit. Quæ cum conſenſu peragitur alienatio, modis conſtat dominii transferendi à jure præſcriptis: quos cum obſervat Eccleſia, valet actus, ſin negligit, in irritum

cadit: atque in eum finem præcipue diſtinctio excogitata eſt ſacrarum rerum in mobiles immobilesque, lege in illis plenius arbitrium liberæ diſpoſitionis Eccleſiis indulgente, in his arctius & reſtrictius ad ſolemnitatis conditionumque neceſſitates. At cujus dominium ita mihi tractare licet, ut meo unius nutu ſtet pendeatque, quis non in iſtud ſublimiorem vim agnoſcat? Cujus bona non ad domini ſententiam & utilitates, ſed auſpicio ac permiſſione mea in certos terminata alienari poſſunt tantùm caſus, quis in cõficiendo actu non potiores partes meas fatebitur? Ita cum ſacrarum rerum venditio ad tres tantum neceſſitatis ſpecies, captivitatis ſcilicet, famis, & æris alieni, eſt alligata, extra quas injuſta eſt & irrita alienatio, utcunque proficua futura Eccleſiæ rationibus, apparet profecto, Eccleſiam cum ſic alienat, magis nomine & juſſu Reipublicæ ſive legislatoris alienare, quam ſuo jure: ille enim poterat aperire terminos ad majorem libertatem: Eccleſia non poteſt egredi mandatum, aut ſibi ipſi poteſtatem facere extra deſignatos carceres palantem: adeò ut vix impletio per æquipollens, ac titulo æqui bonique adornata excuſetur. Neque verò tantum ad expreſſos jure caſus reſtringitur facultas illa alienationis, (quæ ex dominio reſultans ſuopte ingenio nec majoribus viribus impedita ex liberis animi motibus procedit,) ſed imminente neceſſitate cogunt etiam leges ſatisfacere proviſionibus, quas negligentius vident Eccleſias in illis miſerationis atq; pietatis officiis exſequi: ut de concurſu in directione ſacrarum rerum ne quidem amplius

plius dubitare liceat. Non igitur ideò ſaltem deſignati termini ſunt, ut ſcirent Eccleſiæ, quando juſta eſſet & licita alienatio: relicta tamen libertate ſecum ſtatuendi perficere eam, vel in medio relinquere. Sed ut ſcirent quando neceſſaria. Jura enim, cum negligitur, interponunt partes ſuas, & idoneis remediis promovent ad pios illos ac laudabiles fines. At quomodo id Principi jubere atque vetare fas erit, niſi in rebus eminenti dominio ſubjectis? quæcunque enim ab illo immunes ſunt, alienam & inofficioſam ſollicitudinem merito ſuo explodunt: id quod vel ex eo facile liquet, dum extra imperioſos Reipublicæ terminos nulla legum obligatio ſit: nullum iis obſequium debeatur, tam in ſacris quam civilibus cauſis. Alienatio, quæ ſine conſenſu Eccleſiæ fit, ablatione rerum conſtat ſeu in pœnam ſuſcepta, ſeu publicæ ſalutis neceſſitatisque ratione. In pœnam facta immediatè Reipublicæ prodeſt, ut mulctæ & bonorum publicationes: vel tertio: quod præcipue in uſucapione accidit, per quam ad negligentiam prioris domini corrigendam res definito tempore bona fide poſſeſſæ acquiruntur uſucapienti. Publica Salus ſe quidem variis tuetur modis: maximè omnium tamen uno ordinario, qui tributorum exactio eſt, quæque tributi nomen latius acceptum comprehendere ſolet, & alio extraordinario, cum res Eccleſiæ invaduntur, ut publicis neceſſitatibus ſerviant. Singula ſuis locis infrà plenius explicabantur: nunc ideò ſaltem compendio adduximus, ut evidentiſſimum ſit, nullam omninò eſſe dominiorum operationem, quam non in ſa-

cris etiam rebus illud eminens dominium ſibi poſſit jure vindicare.

§. 6. Adde nunc privilegia conceſſa Eccleſiis tam immenſa copia, ut religio & pietas ſub eorum pondere gemere magis videantur quam ovare: iis ſeu jus novum quæritur, ſeu removetur impedimentum, naturali agendorum libertati vetante lege oppoſitum, pro defenſione eminentis dominii haud verebimur uti. Beneficia enim Principum Chriſtianorum ſunt, ex ſtudio in religionem orta, quæ ingratum eſt ſuperba uſurpatione in peſtem Reipublicæ convertere. Jam multum erat Eccleſiam, quam pia & innocens egeſtas morum innocentia commendabat, donare fundis, agris, ædibus, penſionibus, tributis vectigalibus,ac pretioſo ſupellectile. Majus, poteſtatem facere, ut Eccleſiaſticus ordo ex civium bonis, quantum ipſi vellent, aut leges vel rationes publicæ ferrent, ſibi comparare poſſent. Sed horum omnium maximum, ut quicquid ita legitimo titulo acquiſiviſſent, id eximia immunitate liberum eſſet ab illis oneribus, quæ ad ſuſtinendam Reipublicæ majeſtatem privatorum bonis imponi ſolent. Sed nulla ſunt privilegia ejus generis, quæ penitus liberalem manum ſummoveant à dono ſuo. Quamprimum enim plena libertas datur cum renunciatione ſuperioris juris, non privilegium id eſt in ſubditos collatum, ſed manumiſſio abdicatiove è civitatis ſphæra: intra quam quamdiu perſiſtitur,imperium à quovis recognoſci debet, utcunque munificam Reipublicæ facilitatem experto. Nam cujus eſt conferre, ejusdem & adimere com-

communi bono : & qui impedimentum tollere poteſt, idem & reponere, cum uſus id poſtulat. Unde videmus alicubi Eccleſiaſticas poſſeſſiones ſubjici publicis oneribus, & ſacro Ordini modum deſignari acquirendarum rerum: ſæpius abrogari ex delicto privilegia, aut ſuſpendi ex civili ratione. Salus enim Reipublicæ ſuprema lex eſt, cui cedere omnes inferiores fines debent, illi etiam, quos Eccleſiæ quærunt in externis fortunæ rebus ſplendoris opumque cauſa.

§. 7. Objiciunt autem donationes Deo factas, quæ temerarium ſit & prope ſacrilegium humana auctoritate revocare: ſuperſtitioſum profecto & grave commentum, pietatis larva, ut ſolet, ceruſſatum : ſed detracta imagine ridiculum atque exile. Igitur accurate ſtatuendum eſt, quis ſenſus verborum ſit, cum Deo rem ab hominibus donatam dicimus, ambigua enim & multiplex locutio decipit ſpecioſo titulo. Eſt vero donatio propria ac genuina ſignificatione ejusmodi actus, quo rei noſtræ dominium in alium gratis conferimus ſaltem liberalitatis uſurpandæ cauſa: unde certum eſt nec ſibi ipſi aliquem donare poſſe, nec domino donari rem ſuam. Meum enim mihi inutiliter donatur, quia liberalitas propriis bonis circumſcribitur, in alieno furto peccatur: certe temerario errore. Jam vero Deus eſt, cujus res omnes ſunt, quas creavit, pleniſſimo & ſupremo dominio, nec pactis aut ullis conditionibus obnoxio. Certe quidem & hominibus indulſit aliquam circa eas proprietatem, ſed ſubjectam ſibi, nec ultra duraturam, quam Creatori placeret : non privative transtulit

tulit dominium, ut ſe ipſum excluderet ab omni jure, ſed multiplicando communicavit, ut infrà ſe plures eſſent domini conditarum rerum, ita tamen omnes compoſiti ad arbitrium ſuum nutumque, ut ſingulis temporum momentis Deo liceat nobiſcum revocatoria actione agere. Ac tales quidem divini dominii effectus quotidie intuemur oculis, percipimus ſenſibus. Fatales magnorum imperiorum circumvolutiones quid loquar? quid illam ipſam fortunæ inſtabilitatem? quid lubricas opum & honorum delicias niſi ampliſſima teſtimonia ac veluti oculares inſpectiones tanti juris. Iſte ſupremus mundi arbiter & judex Aſſyriorum divitias Babyloniis donavit, in quorum hæreditatem mox Perſas vocavit, eam ex aſſe imperii in totum orientem extenſi adituros. Mutato poſtea decreto Macedonem juvenem in ampliſſimas poſſeſſiones miſit, quas rurſus tamen vix ab eo occupatas diviſit in plures regulos, poſt mortem Alexandri exortos in ſingulis provinciis, quibus regendis præpoſiti erant ex amicis magni regis. Inde Romani ſubſtituti, qui cum Arſacidarum gente, felici exilii ſupplicio erectâ, pene terrarum orbem partirentur. Sed neque eorum majeſtas immortalis. Cum enim per decem ſecula & quod excurrit, feliciter imperaſſent, primò Germanorum virtute afflicti carptique ſunt, deinde inteſtinis diſſidiis & perfidia Saracenorum penitus deleti. Parthi etiam in Artabano magno per Artaxerxem Perſam cæſo exuti potentia. Ex tam opimis latisque ſpoliis nova iterum magnorum imperiorum incunabula. Saraceni cum Tartaris Orientem

entem occuparunt : unde Turcarum formidabile nomen & Perſis latiſſima regnandi occaſio facta. Omittam nunc Indias, in quibus ille circulus imperiorum perpetuo rotatur : Occiduas Romani nominis partes eadem mutatio pervaſit. Italiam aliquando Heruli, tum Gothi poſſederunt, & illa ipſa gentium domina, illa Regum fortuna aut exilium, illa populorum mater Roma barbari Reguli mancipium facta eſt. Nec poſtliminio ad Orientales Cæſares reverſa diu ſtatum ſuum ſervavit. Paulò poſt enim ad Francos defecit, mox Germanos, cum dote Romani Imperii, nominis quidem antiqua majeſtate ſplendidi, ſed potentia exilis, nec ad priſtinas fortunas exſurgentis. Demum ultimis temporibus Sacrificulo ceſſit, ſeu ſuperſtitionum ludibriis faſcinata, ſeu deſerta ambitioſæ pietati Principum ſuorum ignavia. Nunc in Germania infelices reliquiæ quieſcunt faſtigii Romanæ majeſtatis. Hæc fuit circularis œconomia Numinis in maximis imperiis clara gentium ſucceſſionibus. Quod ſi vero lubitum eſſet ſingula regna, in domeſticis, quos ſalvo imperio patiuntur, motibus contemplari, vix totus iſte liber, quem alieno argumento deſtinavimus, ſufficeret huic operi. Et nullibi tamen magis conſpicuum eſt divinum arbitrium in diſpenſatione humanarum rerum. In Gallia poſt Romanos expulſos ſe invicem regnandi ordine exceperunt Merovingi, Carolovingi, Capevingi, factionum primo nomina, poſt regiæ ſtirpes, ſacra purpura inviolabiles. Germaniam Saxones tenuerunt, Franci, Suevi, nunc, Deus det ut diu, Auſtriaci felici-

ter regnant. Omitto Hiſpanias, Angliam, Poloniam, Hungariam, Sueciam, Daniam, Italiam, omitto reliquas mundi partes, quas compendio tam narrare non poſſumus, quam nolumus prolixa excurſione excutere. Nimis enim jam ſatis hæc ſunt, ut probent, quam abſoluto jure, & humanæ interceſſionis impatiente, Deus res omnes gubernet, regat, diſpenſet, adeoque in dominio habeat. Ac forte in evidentiſſimo argumento, vixque niſi Epicureis negato diutius moras traximus, quam opus eſt: præſertim cum extet divina vox, quæ ſine circuitu teſtetur, transferre Deum regna atque imperia de gente in gentem, prout ipſi viſum eſt: nec unquam impune Regibus fuit, qui felicitatem ſuam domeſticum bonum ducerent, non alienum beneficium ex cœlo miſſum. Hinc Nabuchdonoſor ſolio depulſus, in rus adſcriptus pecoribus, non ex alia cauſa, quam ut ſuperbiæ ſuæ litaret acerbo ſupplicio, & (*a*)*agnoſcat in altiſſimi manibus poſita eſſe regna, & pro illius arbitrio diſpenſari poteſtates regales*. Circa privata bona idem Dei jus, eadem uſurpatio: non tam exercitio rarior quam obſcurior ipſa vilitate rerum, & actuum frequentiâ minus animadverſa. Scilicet cum meſſi pluviis, ardore, uredine nocet, cum ſegetes grandine conterit, agros inundat, naves mergit, divitias, opes, peculia incendio conſumit, ab ingratis poſſeſſoribus ſuum repetit: non alienum rapit. Pariter in humanis commerciis dum iſte ditatur, ille bonis cedit, divina œconomia inſtar alluvionis ſe habet, quæ quantum alteri adjicit, huic aufert, nam homi-

(*a*) Dan. 5, 18.

hominum imprudentia aut ſagacitate ſaltem ut inſtrumentis utitur,quibus ad propoſitum finem perveniat. Etenim impelli aliquando in utramque fortunam homines ab altiore principio, nec vincibili ingenio noſtro ſine peccato aſſeritur. Ægyptii id maximo ſuo malo experti, quos Deus à naturali odio cohibuit, quo in Iſraëlitas ferebantur: (Paſtores enim Ægyptiis abominationi ſunt) & animos eorum ad benevolentiam humanitatisque officioſas vices ita flexit, ut ipſo digito Dei impellente non potuerint non ruinas facere pretioſi ſupellectilis. Profecto enim ſi ſuis affectibus relicti eſſent, non ad inſolitos ſibique ipſis noxæ futuros abrepti, nullus dubito, quin Iſraëlitæ cum riſu etiam & ſubſannationibus repellendi fuiſſent: indicio eſt, quod Deus diffiſas Ægyptiis populi ſui mentes ſolatur efficaci promiſſo,ſe ita apud illos gratiam eis conciliaturum, ne repulſam patiantur, eam igitur proculdubio paſſuri, ſi neceſſitans iſte divinus influxus non ſuccenturiaſſet contemptibiles odioſorum hominum preces. Hic primus eſt actus juris, quo Deus in homines utitur in damna & familiaris rei jacturam conjiciendos,ut eorum ſpoliis alios donet. Sequitur nunc alter dominii, qui in auferendis addicendisque hinc inde dominiis humanis verſatur. Nimirum Iſraëlitæ commodato accipere juſſi auri argentique vaſa ad reſtitutionem obligabantur. Ea enim eſt commodati fides, ut rem ſpecie eandem nec deterius factam oporteat reddi: idque non civili tantum jure conſtitutum, ſed naturæ lege, ex divina juſtitia profluente, quam nec ipſi Deo mutare licet.

cet. Sane enim eſt quædam furti ſpecies commodati retentio: (*a*) furtum autem naturali jure prohibitum. Igitur cum Deus vetare non poſſet, ut commodatum reſtitueretur; vellet tamen populum ſuum auctiorem iſtis rebus reddere, ſive in compenſationem ſervitiorum, quæ quadringentis fere annis exhibuerant; ſeu ut haberent aliquid in deſerto ad tabernaculi fabricam cum ſufficienti majeſtate perficiendam, ipſi domini efficiendi erant commodatarum prius rerum, ut commodato expirante periret obligatio ad reſtituendum: adeoque ademptum Ægyptiis dominium & in Iſraelitas translatum, quo illis vindicatio ablata cum ipſo dominio, horum poſſeſſio juſta facta eſt. Sicut enim quis commodatam rem, quam mox à domino quocunque titulo acquirit, bona fide retinere poteſt, & repetentem commodatorem exceptione dominii repellere; ita etiam, cum dante Deo conſequitur proprietatem. Ridiculum enim eſſet & impium cogitatu, jus, quod mihi cedere licet, nefas eſſe in alium à Deo conferri, ſummo & abſoluto omnium ut creatore, ſic moderatore & domino. Nunc igitur, cujus tam eximio & pleno jure ſunt, quæcunque orbis complectitur, an eum exiſtimas ditiorem fieri humanis donis? an acceſſionem ſentire novi juris? Precario poſſidemus homines, ſi cum Numine contendimus, quod nos rebus eripit, quotiens ipſi lubet: & res nobis. Minus quam coloni ſumus, minus quam uſufructuarii, quibus ad certum tempus ſaltem de fructibus eſt cautum: quis nobis vero vel punctulo firmam

(*a*) §. 1. J. de Obl. quæ. ex. q. del.

firmam poſſeſſionem pollicebitur adverſus Deum? ſive enim divinis legibus ſeu humanis experiamur cum tam potente adverſario, ſuccumbere neceſſe eſt. Jobus patientiæ illud ſpeculum, liberis, armentis, ædibus & omni familiari re exut⁹ quid reliquum habuit niſi queſtuum libertatem? ſaltem enim conditionem ſuam deploravit, quod ipſe nec peſſimus hominum nec meritiſſimus tam acerba ſupplicia documentum ſit factus divinæ juſtitiæ. Deo nullam de jure ſuo litem movit. O ergo ſuperba mortalitas! O illiberale & temerarium munificentiæ votum! Quid miſeri donabimus de alieno? aut cui vero? Deo? cujus jam omnia ſunt, noſtrum nihil, ne confidamus noſtris muneribus, ne beneficium ſuperciliosè imputemus, audituri alias cum Judæis tempeſtivam Numinis exprobrationem, qua de victimis & holocauſtis velut ex proprio oblatis arrogantes ſeverè compeſcuit. (*a*) *Sacrificiorum cauſa*, inquit, *ne verbum quidem velim tecum commutare, nempe ut holocauſta alia ſuper alia mihi mactes: ut juvencos aut hircos accipiam de tuis ſeptis. Nam certe quicquid animantium per ſaltus paſcitur, aut per montes errat, meum eſt. In numerato habeo & volucres & feras, ita, ut ſi eſurirem, nihil opus eſſet mihi te convenire: mihi, inquam, cujus eſt hoc univerſum & quicquid in eo conſpicitur.* Certum itaque eſt, nihil poſſe Deo donari, ut dominus efficiatur alienarum rerum. Interea quid volunt iſta ſibi apud (*b*) Senecam, *Omnia Deorum ſunt, tamen & Diis poſuimus donum*

(*a*) Pſal. 50. (*b*) de Benef. l. 7. c. 4.

donum, & ſtipem jecimus ? quid (*a*) legata Deo relicta ? Quid Deorum nomina (*b*) ex permiſſu Senatus-Conſulti inter hæredes ſcripta ? quid ipſæ res divini juris ? Non illud, quaſi nunc novo titulo atque magis ſint Dei : ſed quod minus in hominum promiſcuo uſu. Nec quod non humani juris, ſive conſtituentis : nam definitio ſacrarum rerum ex civili lege eſt : ſeu conſtituti, quod itidem debetur humano præcepto tribuente ſacris rebus ejusmodi facultatem, à Magiſtratu in jure dicendo ſequendam. Sed quod divini juris, tum (*c*) loco, in quo reconduntur, tum fine cui deſtinantur, velut inſtrumenta & media ad cultum Dei & executionem actuum religioni propriorum ordinata. Nam divinum jus hic opponitur humano, non ut ſpecies juris jubentis aut competentis : ſed ut diverſæ qualitates rerum, quæ ſubjectum vel relinquunt commerciorum libertati : vel certo fine determinant, extra quem prohibemur uti rebus. Quam vero legem relictis ad ſacros uſus bonis priſtini poſſeſſores dicunt, eam confirmant publica jura & tuentur pœnalibus edictis : non de ſuo aliquid addunt, aut ſi id accidit interdum, intra immunitatis aut gratiæ modum conſiſtit beneficium, ubique integro imperio accipiendum, quod ſubinde modorum determinatione reviviſcit, quibus vel conceditur Eccleſiis alienatio ſacrarum rerum : vel ipſa Reſpublica ſibi licentiam ſumit eas transferendi ad alias utilitates. Neque, cum tali mutatione opus eſt, expectandum novum,

(*a*) l. 1. §. 5. ff. Ad L-Falc. (*b*) Ulpian. tit. 23. §. 6. Deos.
(*c*) arg. l. pen. ff de I. & I.

vum oraculum, ex pectorali Pontificis humiliter ſollicitandum. Sed Princeps conſulendus, miniſter Dei, ſummo imperio ad totam civitatem, ſub qua etiam Eccleſia in externo regimine, adminiſtrandam ſufficienter inſtructus, conſulendæ publicæ leges, genuinus civilis imperii fœtus & ſanctum robur, à quibus fata ſacrarum rerum, (de fortunæ bonis loquimur) unice pendent; ſive eas conſervari Eccleſiæ oporteat, ſeu reddi ſeculo, cujus aliquando fuerunt. Quantacunque enim in ſacris rebus permittitur Eccleſiis diſponendi libertas, ea à lege eſt, ſuis carceribus definita, extra quos piaculum eſt pedem ferre. Quemadmodum vero qui ad victoriam intra cancellos decurrere juvenes facit, non iisdem anguſtiis arcetur à liberiore ſpacio ad metam pertingente: ita quidem Princeps Eccleſiis in adminiſtratione ſacrarum rerum circulos deſignavit, ſemper irrito conatu temerandos, nec ſine contumaciæ crimine: at ſe ipſum non arctavit intra jugum tam ſeveræ neceſſitatis, ut pro re nata aut non amplius diſpenſare poſſit, aut non ſibi ipſi aperire clauſtra ad licentioſius erumpendum. Facile enim intelligitur, eum in negotio ſibi omnia permittere poſſe, in quo aliis præcipere quædam poteſt, alia vetare, niſi honeſtas impediat, vel pactum, vel mos patrius tacito conſenſu roboratus. Quod igitur Eccleſiis ſeu ad quaſcunque pias cauſas relictum eſt, Deo donare dicimur eo ſenſu, quo ipſe Chriſtus promiſit: ſe ſuam cauſam facturum, quicquid etiam viliſſimo ex ſuis boni aut mali aliorum opera accidit. Nam velut in eſurientibus ipſe Deus eſuriat,

riat, velut nudetur in nudis, ita paſcitur & veſtitur miſerante pietate. Mihi feceritis, inquit, quodcunque minimo ex his mei cauſa facitis, per manifeſtam imputationem, non quod indigens alicujus rei Deus humanitatis officiis ſublevandus ſit. Ferè ſicut Dominus ſervorum injurias ſuas interpretatur, vel dona ſibi data, quæ illis intuitu domini conferuntur. Ita ſiquid Eccleſiæ per benigna & liberalia ingenia accedit, ſeu ad ornandum eam prona, ſeu ditandam, verè acquiritur ipſi Eccleſiæ, ad quam etiam donatarum rerum dominium tranſit: imputative autem & per tropum aliquem Deo: is enim ita donatum ſuum reputat, non quod jam ante ſuum non ſit; ſed quod tanquam ſibi datum eſſet, mutuis beneficiis compenſare velit. Eccleſia itaque eſt, in qua donatur Deo, & quæ proprietatem rerum conſequitur. Sed illa ipſa civili imperio ſubjecta per divinam conſtitutionem: quod late ſupra probatum eſt. Quis nunc bona eximet ab illa ſubordinatione, & ſalutis publicæ neceſſitate & auctoritate divina commendatâ?

§. 8. Sed quomodo res Sacræ Principis eſſe poſſunt, porro inquis, quæ nullius in bonis ſunt? Quomodo eminenti dominio ſubjectæ, quæ extra omne patrimonium poſitæ? Eadem pene arte hæc vaniſſima ſcrupuloſitas disjicitur: nam quod illis vocatur divini juris res: id hîc nullius & extra bona eſſe. Eſt vero res nullius ex ſenſu Romanarum legum non una conſideratione, quod ante omnia evolvi debet. Jureconſulti quinque modos faciunt, diſticho comprehenſas: ſed

ſi quis

ſi quis recte judicet, ſubtilius, quam diſtinctius. Verſus ſunt.

Cenſura, facto, natura, tempore, caſu,
Res in nullius dicitur eſſe bonis.

Quos (*a*) Hahnius ad Weſenbecium ita explicat. *1. cenſura, ut hoc titulo res divini juris, quia ſunt nec in bonis, nec uſu hominum.* §. *7. h. t. 2. facto, ut ea, quæ pro derelictis habentur.* §. *46. 3. Naturâ, ut fera beſtia.* §. *12. h. t. 4. tempore, ut theſaurus.* §. *39. 5. denique caſu, ut hæreditas & res hæreditaria, antequam aliquis hæres exiſtat. l. 1. eod.* Hæc Hahnius Schneidewinum fortè ſecutus, eosdem modos alio ſaltem ordine numerantem. Nullius igitur eſt, quod à privatis non poſſidetur: nam horum reſpectu tantum loquuntur leges, non ut etiam Reipublicæ dominium excludant; quippe feræ beſtiæ, theſaurus, hæreditas jacens, pro derelictis habita utcunque in privatorum bonis non ſint, & ita res nullius, ſcilicet ex ſingulis civibus, manent tamen in jure civitatis, & eorum, apud quos ſummum imperium eſt. Hinc plerunque privati à venationis libertate publicis interdictis arcentur, theſaurus à quocunque inventus fiſco cedit, respublica illi ſuccedit, qui aut hæredem non habet, aut habere non poteſt, denique derelicta vel addicit aliis, ſicut per uſucapionem quodammodo fit, vel ſuum compendium facit. Quare nunc poſito hoc fundamento res nullius eſſe tantum, quod ad privatos non pertineant, eas quis brevius & accuratius ita diſtinxerit, ut res quædam, quæ nullius conſide-

Eee ratione

(*a*) Ad tit. de R. D. n. 1. verb. quæ in nullius.

ratione ad privatos reſtricta dicuntur, vel ita nullius ſint, ut ne quidem privatorum *ordinariè* fieri poſſint: aliæ vero, quæ per legitimos modos, puta occupationem, inventionem, aditionem, capturam, acquirantur. Prioris generis ſunt res ſacræ, ſanctæ, & religioſæ, divini juris dictæ: illæ enim nec inveniuntur in privatorum bonis, nec iis facile miſceri poſſunt: quoniam extra mutuum civium commercium poſita religioni & Eccleſiis ſerviunt. Conſulto autem *ordinariè* adjeci, quia ſunt caſus aliqui, quibus alienatio rerum divini juris etiam in privatos permiſſa: quod ipſum ſufficiens argumentum ſuperioris juris, quod Reſpublica in res nullius habet. Alterius generis ſunt reliqua exempla quatuor poſterioribus modis, ut ab Hahnio collocantur, comprehenſa: ſcilicet quæ res nullius ſunt facto; natura; tempore; caſu. Qui probè hæc expendit, facile deprehendet rerum nullius appellationem dominio eminenti non obſtare. Primò enim tam res divini, quam (*a*) humani juris nullius eſſe poſſunt: at in res humani juris oppido Reipublicæ jus ſuum ſalvum manet: ut in feras, theſaurum, hæreditatem jacentem, & cætera: non eſt itaque titulus rerum nullius ſufficiens ad probandam omnimodam exemptionem. Deinde nullius eſſe opponitur non ſimpliciter in bonis eſſe, ſed cum adjectione privatorum: quæ (*b*) cauta reſtrictio eminenti dominio ſatis cavet. Muri, portæ civitatis nullius res ſunt, ſed eadem nonne res ipſius civitatis? nullius igitur privatorum; alicujus Reipublicæ: dum

(*a*) l. 1. pr. ff de R. D. (*b*) l. 1. pr. ff de R. D.

dum arcentur ſinguli, ſubſtituitur univerſitas, aut is, qui regendi univerſitatem jus habet, in rebus ſacris eadem ratio, quæ non alia conſideratione nullius dicuntur, nam divini juris titulum pauló ante deteximus. Quod vero hominum commerciis exemptæ, non eo ſenſu accipiendum, quaſi penitus ſublatæ ab humanis uſibus nec ſummi imperii vim recipiant ad publicas utilitates actuoſam: ita enim ſunt adhuc velut in publico commercio; ſed quod arbitrium privatorum & diſpoſitionem excludant, nec per alios acquiri facile poſſint absque ope & veniâ legum. Pene ſicut res ultima voluntate in certam familiam addictas cum alienationis prohibitione mutare non licet, niſi ex imperantis permiſſu, tum ſupra jura conſtituti, tum privatas diſpoſitiones.

§. 9. Et vero neque jus gentium, neque civiles ſanctiones, ea quæ divini juris ſunt, unquam ab humanis uſibus prorſus arcuiſſe, res ipſa loquitur. Primò enim belli jure acquiri certum eſt. *Cum loca capta ſunt ab hoſtibus,* ait (*a*) Pomponius JCtus, *omnia deſinunt ſacra eſſe.* Et (*b*) Cicero. *Sacra Syracuſanorum victoria profana fecerat.* Atq; hunc morem Pauſanias Græcis Barbarisque communem vocat, ut res ſacræ arbitrii eorum fierent, qui urbes cepiſſent (*c*) Thucydides, τὸν νόμον τοῖς Ἕλλησιν εἶναι, ὧν ἂν ᾖ τὸ κράτος τῆς γῆς ἑκάστης ἤν τε πλείονος, ἤν τε βραχυτέρας, τούτων καὶ τὰ ἱερὰ ἀεὶ γίγνεσθαι. & (*d*) Tacitus etiam, *cunctas ceremonias Italicis in oppidis*

(*a*) l. cum loca ff. de Relig. (*b*) Verrina, 4. (*c*) Hiſtor. l. 4. (*d*) Annal. 12.

templaq́; & Numinum effigies juris atque imperii Romani eſſe. Quo gentium jure Marcellus uſus Syracuſanorum templa ornamentis ſpoliavit, Romæ in triumpho oſtendendis: *parta,* inquit (*a*) Livius, *belli jure.* Imperator etiam Germanicus, narrante (*b*) Tacito, *profana ſimul & ſacra, & celeberrimum illis gentibus templum, quod Tanfana vocabant, ſolo æquantur.* (*c*) Cicero de P. Servilio loquens, *Signa & ornamenta ex urbe hoſtium vi & virtute capta belli lege atque imperatorio jure ſuſtulit.* Ad hæc donaria Deorum, à victoribus capi ſolita interdum virtutis præmium fuere, ſicut illud apud (*d*) Virgilium.

Neptuni ſacro Danais de poſte refixum.

Imò ipſi Dii in prædam dati, ut Jovis Hercæi ſimulacrum poſt Trojam captam Steneleo conceſſum, & (*e*) ſignum Herculis à Fabio Tarenti captum, miſſumque in Capitolium, reliquis Diis Tarentinis relictis, ut iratis. Unde (*f*) Tertullianus. *Tot deinde de Diis, quot de gentibus triumphi, manent & ſimulacra captiva, & utique ſentiunt, quos non amant.* (g) Servius. *Dona oblata Numinibus tam diu ſacra ſunt, & dona poſſunt dici, quamdiu non fuerunt profanata:* eſt vero *profanum*, definiente (*h*) Trebatio JCto, *quod ex religioſo vel ſacro in hominum uſum proprietatemq́; converſum eſt.* Deinde cum ſe populus alii in fidem & ditionem dedit, & ſacra ſimul deduntur & omnia divina. Campani apud Livium, armis Samnitium oppreſſi in Senatu ajunt.

(*a*) l. 25. (*b*) Annal. 1. (*c*) Verr 3. (*d*) Æn. 5. (*e*) Plutarch. Fab. (*f*) Ad Nationes. 11. (*g*) Ad Eulog. (*h*) Ap. Macr. Sat. 3.

ajunt. *Populum Campanum, urbemq́ Capuam, agros, delubra Deum, divina humanaq́ omnia in veſtram, P. C. ditionem dedimus.* Cui par eſt apud Plautum formula.

Urbem, agrum, aras, focos, ſeq́ uti dederent. Item:

Deduntq́ ſe divina humanaq́ omnia.

Denique ſi placeat populo, ſeu Rectori Civitatis, ſacra in profanos uſus converti, poſſunt, ſive id publica utilitas exigat, ſeu temporum neceſſitate excuſetur. Sed hunc eminentis dominii actum inter alios illuſtriorem infrà plenius explicare decretum eſt: nunc id ſaltem notetur, nec Romano jure inter impoſſibilia eſſe, ut *res ſacra profana fieri*, & (a) *jus ipſum mutari* poſſit.

§. 10. Igitur eſſe aliquod Reipublicæ dominium in ſacris rebus, ſuperius eo, quod * communi titulo Eccleſiæ habent, hactenus probatum. Nunc reſtat potiores ejus actus nominare, quibus ſe maximè conſpicuum facit & dignum dominii nomine. Horum ſunt alii, qui cum effectibus dominii privati concurrunt, quos ordinant & regunt: alii conſortis impatientes ſoli imperant, interdum ad aliorum gratiam, ſæpius publico bono, ſemper cum poſſeſſorum damno. Qui moderantur privato dominio, legem præſcribunt acquirendis rebus, conſervandis, alienandis. Cæteri vim ſuam exerunt in rerum ablatione, pluribus caſibus ſuſcipienda. Singula percurremus.

§. 11. Quid quantumque acquirere Eccleſiis liceat, vix eſt quæſtio hujus loci. De rebus enim

(a) l. 83. §. 5. ff. de V. Obl. (b) l. 137. §. 6. Eod.

enim ſacris hîc agitur, quæ jam actu Eccleſiarum ſunt, quales non ſunt illæ, quæ denuo acquiri debent, & à ſeculo in pias cauſas transferri: adeoque interdictum de civium bonis ſine diſcrimine & publica auctoritate à Clero non acquirendis actus eſt eminentis dominii circa profanas res, non ſacras occupati, quod ſubinde Reſpublica Veneta Romanæ Curiæ objecit, ad illam libertatis Eccleſiaſticæ neceſſariam moderationem ſtolidè indignanti. Dum vero prohibetur ſacer ordo ab immenſis nundinationibus, imperium perſonas obligat, rurſus à Dominio toto objecto alienum. Cæterum hac ſaltem conſideratione hujus juris aliqua mentio facienda eſt, quatenus conſtare debet, quid legitime & bona fide ab Eccleſiis acquiſitum ſit. Olim quidem cum ſanctior pietas nondum divitias peperiſſet, quæ matrem devorarent, ipſa ſacri ordinis ſordida paupertas nullum Prætorem provocabat, qui propoſito interdicto modum faceret tam exiguis nec invidendis opibus. Pellicere potius exemplis, hortatibus, legibus homines oportuit, ut egentibus Myſtis, atque ex miſeratione populi viventibus ipſi liberali & munifica manu ſuccurrerent, quæ eos tantæ divinitatis majeſtate conſpicuos vindicaret ab inopiæ contemptu, præſertim cum devolutæ ad Eccleſias divitiæ ſanctiſſima œconomia ita diſpenſarentur, ut magis pauperum eſſe viderentur, quam eorum, quibus poſſeſſio & cura commiſſa, velut adminiſtratoribus alienæ rei. Hinc cuivis per (*a*) Conſtantinum Imperatorem poteſtas facta eſt, Sanctiſ-

(*a*) l. C. de S. S. Eccl.

Sanctiſſimo Catholico venerabilique Concilio bonorum quantum optaverit, donare, legare, aut quovis modo ex teſtamento relinquere: Eccleſiis præterea in acquiſitione & præſcriptione dominiorum privilegiorum honore munitis, ſicut (*a*) Bartolus tradit. Adhæc ut nemo facile à voto religioſæ vitæ prohibitus, ita (*b*) permiſſum eſt, bona monaſterium ingreſſi acquiri Eccleſiæ, cui ipſe ſe addixit, forte ne retro in ſeculum neceſſe habeat reſpicere, ex quo totus abiit nulla ſui parte relicta. Amplius exæquatæ Eccleſiæ minorum civitatumque juribus, quibus per ſtipulationem aut quemvis alium contractum licet meliorem conditionem ſuam facere. Denique cavit (*c*) Juſtinianus, ſi quis Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, vel Archangelum, vel Martyrem non deſignato oratorio templove hæredem inſtituerit, per quam Eccleſiam hæreditas aut legatum vindicari debeat. Poſtquam verò infinitis opibus, fundis, decimis & tantum non tributario omni orbe ad deſiderium expleta egeſtas, ſiſti iterum canales illi cœperunt publico aggere, qui perpetuo rapidoque fluxu in illud inexplebile barathrum cupiditatis provoluti Rempublicam tandem exhauſturi metuebantur. Etenim undiquaque rivulis ex omni Civitatis ordine in hunc oceanum ſe exonerantibus nulla unquam refluxus ſpe, velut res in orcum cecidiſſet, tandem publicas vires marceſcere & emori experientiâ compertum eſt.

(*a*) l. 1. C. de S. S. Eccl. (*b*) in l. fin. C. de SS. Eccl. n. 18.
(*c*) Auth. ingreſſ cum ſeq. C. de S. S. Eccl.
(*d*) l. ult. C. de S. S. Eccl.

Tum luxus, quem opes pepererunt, & artificioſè excultæ libidines, nec non habendi cupido, variis, iisque vetitis artibus indies adultior maturabant vulneri remedium. Acceſſit, quod eluſa pietate majorum illos ipſos Eccleſiæ theſauros ad ſuſtentationem pauperum & hoſpitum ſolamen religioſe dicatos jam totos Sacer Ordo ſibi imputaret, ut ventrem aleret, velut Diis inferis deſtinatam hoſtiam, ex cujus nidore illis aliquando adolendum eſſet. Lubet hic adſcribere (a) Barclai juſtam & gravem accuſationem, qua ſanctiſſimum religionis columen, miniſterium inquam, tantis divitiis queritur ad ruinam & ſcelerum omnium ſocietatem veniſſe. *Munus quondam*, inquit, *laboris pleniſſimum, & dum publicæ leges noſtra ſacra vetabant, etiam in extremum periculi excurrens. Mox domita extinctaq́; inimicorum ſævitia congeſtæ paſſim opes in tanti officii reverentiam pene cauſam reverentiæ extinxerunt. Nam additis, & addi quidem decebat, ad illa divina humanis opibus atque officiis tantum onus vergere in terram cepit, eorum vitio, quibus in hac utraq; rerum mixtura tellus potior cælo fuit. Triſte afflictæ probitatis argumentum eſt, quod tanti laboris curarumq; provinciam, quæ olim miniſtros quærebat, jam multo ambitu ſibi depoſcunt homines, nihil minus quam de pietate & laboribus cogitantes: ita hæc eximia cæleſtisq́; dignitas plerunq́; ſuis ipſa opibus & ornamentis concedit; & animum ad hæc munera applicare eſt ut plurimum in ſplendidæ illuſtrisq́; opulentiæ cupi-*

(a) Satyr. Part. 4. c. ult.

cupiditatem incumbere. Tum potiti tam ambitioſi nominis illas gazas in humanitatem hoſpitii & ſpem egenorum collatas permittunt privatæ laſciviæ, nunc inani picturarum ſtudio, nunc cumulatis variorum artificum laboribus indignè ludenti: Nam has opes prodigentem per pejora ſcelera nequitiam modeſti doloris verecundia omittit. Cujus autem dementiæ putes, non modo tantorum facinorum audaciam habere, ſed & ſæpe, quantum peccent, ignorare? Habent quippe præſcriptas ad Numen ſibi preces, quas effundant in quotidianæ pietatis officium: ſanctas has quidem, neque illis omittendas. Sed tantillo penſo defuncti credunt ſe nihil cœlitibus debere, opesq; ſuarum inſularum bono jure ſibi emptas. Larvæ illæ, & vecordium furor! quod munus aſſiduo labore ægre perficitas, id credere levi & perfunctoria opera ritè abſolvi. Quod ſi ſuas delicias, hac ſaluberrima cogitatione diſtinguerent, ſe in ſpecula poſitos diciq; paſtores, ſi quæ ovium ſua ignavia in prædam conceſſerint, in extremam ſui perniciem hoc futurum, fortaſſe interdum devoverent illam ipſam, qua exultant, ocii laſciviaq; licentiam.
Igitur cùm hoc genus hominum ſibi ipſi temperare à vitiis non poſſet, Reſpublicæ rem dignam cenſuerunt ſuo auxilio : inde leges iterum exortæ, vel revocantes ad juſtam ſalubremque medietatem immoderatas opes, velut luxuriantes ramulos, quos diligens agricola ad arboris ſalutem recidit: vel claudentes oſtia nimiæ alluvionis : ne ſcilicet dum hinc ablata ad alteram ripam perpetuo ejiciuntur, redeuntibus ſubinde

æſtibus, tandem neceſſe ſit fulmen alveum mutare. Alibi tamen plenior interceſſio, & efficax ad publicum bonum: interdum tepida & remiſſa, quem facile fraudes eludunt: ubique Clericorum luxurie malisque artibus impetrata. Imperatores Valentinianus & Gratianus, ſi non primi, certè inter primos illius licentiæ caſtigatores: ſed debili mitique ſeveritate, (*a*) prohibitum enim tunc à mulieribus aliquid acquiri quocunque nomine. Cauſa ipſe ſexus fuit, non fallaciis tantum obnoxius & lenociniis, ſed ipſi etiam ſuſpicioni. Lex Damaſo Pontifici Romano inſinuata poſt mandatam publicationem factamque longo tempore in Romano Imperio viguit: nec eam Hieronymus carpere auſus, ſed potius ſacri ordinis mores, libidinibus ſuis & dolis eam Reipublicæ providentiam excitantis. Sed quemadmodum Romanum imperium ſemper in religionem propenſo favore, ac neſcio an non ſuperſtitioſo benignum fuit: ita * non longe proceſſum eſt in cauſa adeò neceſſaria & utili. Alia regna propius ſibi meliusque caverunt. Portugallia ex teſtimonio (*b*) Molinæ legem habet, nullo titulo ad Sacrum Ordinem res immobiles ſive regni, ſive privatorum transferri permittentem: ne ſcilicet ad Eccleſiaſticæ ambitionis libertatem dimiſſæ ærario nocerent publicorum onerum recuſatione: additque autor, legem toti Hiſpaniæ communem eſſe. (*c*) In Arragonia certè Jacobo Rege ſancitum eſt, ne regni tributaria

(*a*) l. 20. C. Theod. de Epiſc. & Cler.
(*b*) De Contra. tit. 2. d. 140. l. 2. tit. 8.
(*c*) Petr. Bolog. in Spec. Princ. v. 13.

taria bona, (illi *de Realenco* vocant) abſque Principis permiſſu liceat in Clericos alienare: * quo eodem jure & Gallia utitur, lege per S. Ludovicum lata, & jugiter confirmata à Succeſſoribus Philippo III. Philippo Pulchro, Carolo Pulchro, Carolo V. Franciſco I. Heinrico II. Carolo IX. Heinrico III. Nec ignavior hîc Veneta Reſpublica, jam fere quadringentis annis ejusmodi conſtitutione uſa, quam irrito conatu Paulus hoc ſeculo, quamvis ſuperos inferoſque moveret, infringere moliebatur. Et profectò ſi cauſam Principum, in qua cum Pontifice hîc contendunt, ad juſtum rationis examen revocamus, oppido apparebit, illos de damno vitando ſollicitos eſſe; ambitioſum Præſulem, ut ſolet, de captando alieno lucro. Illis publica utilitate injungi neceſſariam & tempeſtivam proviſionem. His nulla pietatis nec religionis cura, ſed ſtimulante una avaritia, humanis ludibriis atque ampliſſimæ prædæ, quam petunt, obtendi ſuperſtitioſum neſcio cujus libertatis Eccleſiaſticæ nomen, atque ex ſacrilegio fieri Dei cauſam. Penè enim *ipſi*, quod inſigni prudentia à (*a*) Barclaio obſervatum, *in nulla re magis eruditione utuntur, quam aſſerendis illius, qua potiuntur, dignitatis prærogativis. In infinitam ſui libertatem argumenta inveniunt, facitq́; diſſimulata cupiditas eloquentes. Eo modo cum videntur unum cælum intueri, unius cauſam agere, tunc etiam à terrâ vix recedunt.* Igitur quid cenſes peccare Principes, ſi opulenta jam Eccleſiâ, & omni copia inſtructa neceſſariarum rerum,

(*a*) Satyr. Part. 4. c. ult.

rerum, ſuperfluos ipſiq̃ue pietati noxios humores coercent? ſi Rempublicam à tabe conſervant & lenta quadam febri? ſi de ipſis bonis ſuis, civiumq̃ue diſponunt: non Eccleſiaſticis beneficiis? Nam ſi nec natura per ſe, paucis contenta, nec ſacerdotalis verecundia, nec continens & modeſta pietatis imago modum avaritiæ cupiditatumq̃ue facit, cur non Reſpublica in ſuo modum faciat damnoſæ liberalitatis? cur non finem contemptæ ignaviæ? Scilicet Eccleſiis liceat captare * plusquam ſatis eſt ad conditionem vitæ ordinisq̃ue ſui inſtitutum, Principi nefas ſit ſubtrahere manum, nec bis peccare agnito errore? Illic alienis afflictim inhiare libertas vocetur; hîc ſui ſuarumq̃ue rerum conſervatio ſacrilegium? O audax & temeraria probitas! O ſacra opum & inexplebilis fames, quantam non exciſa Cereris quercus vindicavit! Privatis ſine culpa eſt eam rebus ſuis legem dicere, ut perpetuo in familia maneant & hominum commerciis. In Reges & Principes fulmen mittitur, quo non olim Jupiter.

— — (a) *excuſſit ſubjectum Pelion Oſſæ.*

Quod vero eſt omnium iniquiſſimum, Romanus Præſul licentiam ſibi arrogat diſponendi de bonis Eccleſiaſticis, nunquam absque ſua auctoritate alienandis, idque ſuopte, ut vult, jure, non impetrato Principum conſenſu. Et piaculum ſit Reipublicæ, vix ullo pretio expiabile, cum repenſa vice de laicorum rebus non temere in ſacros uſus convertendis, aut eripiendis publicis uſibus, aliquid jura ſtatuunt? Audite Vene-

(a) Ovid. Metam. l. 1.

Venetum Civem, non hæreticum veſtro judicio ſed obſequentem Romanæ Eccleſiæ matri filium in religionis ſtudio. Is ipſe tamen ſive Catholicus, ſive Pontificius, *Licuit vobis,* (*a*) inquit, ad Cardinalem Baronium, *ejusmodi legem condere, quæ nihil ad æternam beatitudinem conſequendam facit, ut bona quæ ad Eccleſias pervenerint, nunquam alienentur, niſi Pontifice maximo conſentiente: idq; in evidentem ut dicitis Eccleſiæ utilitatem: hoc eſt, cum aliquo fænore. Et Principi non licebit, quod ad conſervandam tuendamq; Rempublicam plurimum ſpectat, lege lata curare, ne diſtrahantur ea, quæ non ita multa ſuperſunt ex immenſis erogationibus & largitionibus, quæ vobis ſunt facta? Centuplo vos majores facultates & opes quam pro numero poſſidetis, & tamen iis non contenti, quæ adepti eſtis, pluribus comparandis adhuc inhiatis.* Juſtum igitur & tolerabile Principis interdictum ex cauſa, quod opes nimium congeſtæ in Eccleſiam detrimento ſint Reipublicæ. Sed juſtior adhuc & gravior illa, quod ipſi Eccleſiæ incommodo atque ſcandalo, quæ etiam ad revocationem usque valere poteſt, ut ne dum largiri deſinat. Furioſo gladium ſuum, puero cultellum eripimus: cur ergo damus ad noxam alienum? cur non abſcondimus iſtum potius, retrahimus, negamus? Si, quod eſt ſanctorum Patrum verbum, antiquitatis beneficia priſtinam pietatem & ſanctimoniam morum corruperunt, quid porro inſtrumenta ad luxuriem peſtemq; Eccleſiis ſuppeditamus? quid provocamus ad majo-

(*a*) Nicol. Craſſ. Antipar. p. m. 48.

majorem luxum jam vix ſe reſpicientem probitatem? quid non potius laſcivientem felicitatem redigimus intra juſtæ libertatis menſuram, quam novis libidinum irritamentis ad plurium ſcelerum audaciam acuimus? Querelæ ſunt de hac re (*a*) Severi Sulpitii ſuo jam tempore cum lachrymis effuſæ, quid medius Fidius dicturi, ſi noſtris vixiſſet? *Levitis in Sacerdotium aſſumptis*, inquit, *nulla portio data, quo libentius ſervirent Deo. Equidem hoc exemplum non tacitus præterierim, legendumq; miniſtris Eccleſiarum libenter ingeſſerim. Etenim præcepti hujus non ſolum immemores, ſed etiam ignari mihi videntur. Tanta hoc tempore animos eorum habendi cupido veluti tabes inceſſit, inhiant poſſeſſionibus, prædia excolunt, auro incubant, emunt venduntq;, quæſtui per omnia ſtudent. At ſi qui melioris propoſiti videntur, neq; poſſidentes, neq; negotiantes, quod eſt multo turpius, ſedentes munera expectant, atque omne vitæ decus mercede corruptum habent, dum quaſi venalem præferunt ſanctitatem.* Cæterum ſi ullibi publica in ſacrum ordinem prodigalitate abſtinendum, ſi licentia vecordis & cœcæ pietatis coercenda, id præcipue fieri decet, quum res agitur ædium & monaſteriorum, per nova opera in illis civitatis partibus indies exſurgentium, ubi vel publicæ ſecuritati nocetur, vel inſidiarum metus eſſe poteſt, in illo receptaculo latitantium. Etenim non eſt ea religionis Chriſtianæ pertinacia, ut etiam adverſus civilem felicitatem contendere velit, & inſano mentis impetu conſidere, ubi

(*a*) Sac. Hiſt. l. 1.

ubi ſacrificulis placet, plerunque ad aliam gentem & inimicam vergentibus. Locum prius ſibi à Magiſtratu patitur aſſignari, ubi ſecure agat; quam ut periculoſa invaſione alienum rapiat. Et ſciverint utique melius tot viri ad omnis humanitatis leges facti, qua urbis parte ſacrorum majeſtas ſplendidiore dignitate niteat, quam Fraterculorum quorundam inculta factio, ſæpe libidinibus ſuis & flagitiis noctem quærentium, non lucem probitati aut innocentiæ. Magnæ conſequentiæ hæc res eſt, quæ inſuper ab illis habita, qui clavum Reipublicæ tenent, magno malo ignavam lenitatem caſtigare ſolet. Ornamentis civitatis, commerciis, imò ipſi ſecuritati atque munitionibus officitur illa ædificandi æmulatione & ſtudio. Deformis imago ovilis eſt, quod ita totum mapalibus conſitum, ut locus non ſit ovium capax; prodigioſa ipſius Eccleſiæ facies, ubi plures ſuggeſtus & altaria, quam auditorum ſubſellia. Horret profecto domus, in qua omnium tricliniorum commoditatem privatæ larium ſedes occupant, & officia habitatorum ipſo numero impediunt: ita etiam ſuperſtitioſus eſt & prope lucum civitatis aſpectus, cujus infirmitatem, civiumque numerum ex illa ſacrarum ædium frequentia, quæ ſingulis vicis privatas habitationes ſuperant, conjicere ad contemptum licet. Fac nunc eas excitari prope arces aut mœnia urbis, vel hoſtis occupabit ad excurſiones & oppugnationem præſidium; vel ipſæ mutata & venali fide illum intra muros recipient prodita patria, quæ pleriſque advenis & emiſſariis illo nomine non æſtimatur. Sed ſint omnes iſtæ

familiæ

familiæ immota ſanctitate, num ipſa meliorum Urbis partium inſeſſio ædificiis tantæ molis non claudit publicas vias, & libertati commerciorum, in commodo euntium atque vehiculorum uſu ſita veluti projectis pomeriis intercedit? Non culpatur nobis religionis ſtudium, quo ſumptuoſis ſacrarum ædium operibus cupimus inclareſcere. Modo à * ſummo Magiſtratu ſit illi oſtentationi venia, & operi locus.

§. 12. Hic verò audies adverſarios magnis vociferationibus libertatem Eccleſiaſticam ingeminare, cui vim fieri illis interdictis ſubinde clamant; inepta, ita me Deus amet, accuſatio, ſed ambitioſa eloquentia ad aliquam juſti criminis ſpeciem provecta: cui tamen cum larva detrahitur ſimulati in Numen zeli, horrendum proſtabit monſtrum Cretenſibus hortis occultandum. Aperiemus paulò poſt tanti idoli arcana. Nunc ipſorum, qui Eccleſiam Romanam in fide ſequuntur, libero & veridico ore loquamur, quo infinitam avaritiæ ambitionisque illis licentiam devovent. *Velimus ediſſeras*, (*a*) inquit ille Venetus, *Eccleſiaſticæ libertatis nomine quid intelligas. Utrum parandi ea non modo, quæ ad victum neceſſaria ſunt, ſed etiam ad cultum & ornatum decenter apta: & Clericorum & Eccleſiarum facultatem quandam rationi congruam, & eo, quo decet, æquitatis modo ita temperatam, ut præterea non pauca ſuperſint, quæ commodè Chriſti pauperibus erogari poſſint? An verò effuſam & immoderatam licentiam, nullis locis*

(*a*) Nicol. Craſſ. Antipar. ad Baron. p. 26.

locis aut temporibus definitam opes coacervandi, nulla publici boni ratione habita, cum inſigni Reipublicæ privatorumq́ hominum detrimento? Hæc ſi à vobis Eccleſiaſticæ libertatis titulo inſignitur, cur non etiam tyrannus & injuſtitia æquitatis & moderati imperii nomine digna ſit, non videmus. Quid igitur hic (*a*) *canones & Eccleſiaſticas leges fruſtra obtruditis? quas quidem ſi in hanc ſententiam accipiendas arbitramini, à qua nos illas quamplurimum abhorrere perſuaſum habemus, haud veremur vos iis ipſis* (*b*) *Eſaiæ verbis affari, Veh, qui condunt leges iniquas: rurſusq; compellare vos illis, quibus olim* (*c*) *Chriſtus Phariſæos, quare & vos transgredimini mandatum Dei,* (*quod idem eſt cum præcepto naturæ hominum mentibus ingenito, & hoc Chriſti Domini, reddite, quæ ſunt Cæſaris Cæſari*) *propter traditiones veſtras,* (*id eſt, iniquas interpretationes & naturæ ipſi, & Chriſti mandatis plurimum infenſas & penitus adverſas*) Pari ſententia (*d*) Vendramenus, Sacerdos, Theologus, & parochialis Eccleſiæ S. Mauritii Venetiarum Rector, ipſe pars aliqua Sacri Ordinis, ſed felici mentis ſapientia infimæ aſſentationis ſervitutem eluctatus; *Contra quam libertatē, quæſo?* inquit, *an forſan libertas Eccleſiaſtica dicenda eſt, qua Eccleſiaſticis viris omnia expediant, omnia liceant. Eccleſiaſtica libertas propriè ac veriſſimè nulla alia putari deberet, quam quæ ſpectat ad animarū ſalutē, ita ut libe-*

(*a*) C.Suggeſtum. X.de Decim. (*b*) Eſai.10. (*c*) Matth.15.
(*d*) Contr. 2. p. 42.

rum ſit omnibus, in his, quæ animarum ſalutem concernant, vacare. Queruntur alii ſimulatis lachrymis, & prolixe injuriam ſibi factam deplorant, dum veluti deterrimæ conditionis homines arceantur ab humanitatis officiis & mutuo commerciorum uſu, quæ nec infames fugiunt aut viliſſimos ex plebe. Sed non omnia decent omnes in Republica ordines. Militibus armatis licet incedere; paſtores lituus ſuus & infulæ manent. Forenſibus jurgiis Jureconſulti aluntur. Medici pharmaca in ſalutem ægroti miſcent: at exaltata ab ambone vox & medicina ſpiritu promiſſionis efficax Epiſcopi eſt. Præterea cum expedit Reipublicæ, novum non eſt, aut ſemper cum injuriæ ſenſu conjunctum, acquiſitiones Dominiorum prohiberi etiam in dignitate conſtitutis, unde vulgus ignobile non arcetur. Nec eo nomine audivimus queſtus Præſidum provinciarum, quod illis negata illic poteſtas comparandi agros, quæ provincialibus facta, nec quod contractibus interdictum & muneribus accipiendis, quæ privatis inter ſe conferre licet. Civiles rationes, quæ iſthinc incorruptam vitæ & morum caſtimoniam exigunt; hinc nulla ſordium ſuſpicione onerantur, adeoque diverſum jus ab omni contumeliæ genere ipſa perſonarum conditio liberat. In Eccleſiaſtico Ordine par ratio eſſe poteſt maturandi interdicti: qui dum ſurrepto calore nimium ad totius corporis deformitatem creſcere animadvertitur, privari ſapienter poteſt alimento quo abundat; ut ſobria moderataque diæta intra decentem ſui menſuram, ſibi ipſi utilem,

lem, nec aliis membris gravem conſiſtere cogatur.

§. 13. Venio ad conſervationem ſacrarum rerum, pro quibus leges multa induſtria vigilant. Ut enim Eccleſia ubique indemnis ſervetur, nec ipſi fraudi ſit vel Præſulum ſuorum culpa, vel hominum fallacium ſubtilis improbitas, undique ſerio cautum eſt, primò ſtatu ſacrarum rerum, (nullo inter mobiles & ſoli diſcrimine facto) (a) *extra commercium, extra bona & æſtimationem* poſito, nec facile (b) *humanis nexibus illigando*, ita velut ex mundo ſurreptæ contemnunt fortunæ vices, per incertos commerciorum caſus ludentis: & firma perpetuaque ſede in æthere fixâ rident invidiæ doliique avidas manus, refugientem ſubinde prædam irrito cruciatu captantes. A prohibita alienatione id eſt, quæ niſi commodo ſuo vel pietatis cauſa nunquam ſuſcipi à Clero poteſt. Extra iſtos reſpectus quicquid Eccleſia detrimenti capit, ſive propria imprudentia lapſa, ſeu fraudibus inſidiantium circumventa, id utili & matura pœnitentia corrigitur: ita ſemper tuta, ſecura, inviolabilis, nec alterius damni capax, quam indeclinabilis fati & fortuitorum ictuum, quos jura ſicut avertere non poſſunt, ita nec ſolent reparare. Gradus tamen hic quidam ſunt ſacrarum rerum, & aliarum præ aliis ſeverior mitiorque conditio. Ex iis ſunt quæ prorſus alienari nefas: aliæ medii & velut equeſtris ordinis: ſuppoſitæ quidem interdicto, ſed cum temperamento aliquo: ultimi

 generis

(a) l. 1. pr. l. 6. §. 2. l. 9. §. ult. ff. de R. D.
(b) l. 21. C. de S. S. Eccl.

generis alienabiliori quadam indole, & utili tantum præſidio adverſus circumſcriptiones munitæ. Tam multiplici variaque circumſpectione eminens dominium pro Eccleſiarum incolumitate imperat, & liberæ diſpoſitionis naturaliter ex dominio reſultantis arbitrium intra debitos cancellos, ac pene tutelaris officii curioſam rationem redigit. Extra omnem alienationis caſum ponuntur (a) monaſteria & templa, ubi ſacra fieri ſolitum. Hæc vendita ne quidem prætenſa neceſſitas à peſſimo delicto excuſat: aliis, in quibus nullum miſſæ officium celebratum, (& fuiſſe hæc olim hinc (b) colligunt) juri de immobilibus rebus prodito annumerandis: (c) tum prædia, vel ab Imperatore donata Eccleſiis: vel à privatis etiam ea lege relicta, ne unquam alienentur. Res ſecundi loci primò ſunt immobiles, fundi, prædia, & quæ his accenſentur, coloni vel mancipia, annonæ & panes civiles: de quibus (d) ſancitum eſt, ut ſemel *ad religioſas Eccleſias devolutas ſub cujuscunque alienationis ſpecie ad quemcunque transferre non liceat*, (niſi ſcilicet caſibus expreſſo jure definitis: de quibus deinde,) (e) non totius Eccleſiæ conſenſu & voluntate: (f) non referendæ gratiæ nomine: (g) non titulo remunerationis erga eos, qui Eccleſiis ſervierunt: (h) non ex beneficio reſcripti ſeu pragmaticæ formæ, quam nulli ad circumventionem legis, neque impetrare permittitur, nec uti

(a) Nov. 7. c. 11. (b) Ritterh. ad Nov. part. 1. c. 8. n. 69.
(c) Idem Ritterh. d. l. No. 120. c 7. (d) in l. 14. pr. C. de S. S. Eccl & Nov. 7. c. 1. & 5. Nov. 120. c. 1. (e) dd. ll. (f) d. l. 14. C. de S. S. Eccl. (g) Bart. ad Nov. 7. præf. n. 10. (h) Nov. 7. c. 9. & 10.

uti impetratâ : (*a*) non aream aut ſolum ſacrarum ædium, vetuſtatis vitio aliove caſu collapſarum. Deinde inter res mobiles (*b*) ſacra vaſa, calices, infulæ, & quicquid ad expeditiorem divini cultus modum comparatum eſt. Hæc eodem jure, quo immobilia cenſentur, niſi quis hæc ideò velit ad illa referre, quod veluti partes templorum & inſtrumenta naturam principalis ſequantur : exemplo ſeminis in agro : arborum in ſylvis; fructuum pendentium, mancipii ruſtici : fimi pecorum agris deſtinati: Sigillorum, ſtatuæ affixæ : clavium : horologiorum affixorum : Venatorum & canum venaticorum, in fundo venatorio, granariorum : ſepulchralium & ſedilium in templis : inſtrumentorum domus coquinariæ : lectorum in publico diverſoriô, machinarum bellicarum in caſtris ; Sylvæ cæduæ & lapidicinæ : quæ omnia & multa alia per fictionem legis pro ſubjectæ materiæ conditione ſua natura moveri apta immobilium, quibuscum cohærent, jure perfruuntur. Ad ea ſi cui placeat & ſacra vaſa ſimili conſideratione numerare me non repugnante faciet. Sub latiſſimo autem alienationis nomine comprehendunt leges (*c*) *venditionem* ; quæ per Prælatum indebite facta irrita eſt & revocabilis, (*d*) ne quidem emptori reſtituto pretio niſi in rem Eccleſiæ converſo, imò quamvis legitimè perfecta ex cauſa alieni æris, tamen Venditoris culpa in irritum cadit, ut volunt, (*e*) ſi pretium creditori Ec-

(*a*) l. 37. ff de Contr. Empl. & §. ſacræ. I. de R. D. (*b*) Nov. 7. c. 8. (*c*) Nov. 7. c. 1. (*d*) Bart. ad Nov. 7. præfat. n. 4. (*e*) Bart. ad Nov. 120. §. quæcunque vero, n. 8.

cleſiæ ſolutum non ſit. *Donationem :* (*a*) gravem præcipue, & damnoſam Eccleſiæ rebus: etſi Epiſcopo totum capitulum conſenſerit (*b*) *Pignus & hypothecam,* (*c*) niſi generalem, aut (*d*) interdum ſpecialem, qua de re deinceps. (*e*) *Locationem* ultra viginti aut triginta annos: brevior enim non impermiſſa, quia minori Eccleſiæ periculo fit, & ſubinde interrupto uſu novis actibus excitat velut dormituriens dominium. (*f*) *Uſumfructum*, vel ultra tempus vitæ conſtitutum: vel abſque reciproca rei tanti uſus donatione, cum uſufructuario prædio poſt finitam ſervitutem *ex toto & ſecundum proprietatem & ſecundum uſum apud Sanctiſſimam Eccleſiam remanſura.* (*g*) *Libellariam* ſeu *colonarium jus* propter canonis aut penſionum exiguitatem, quam (*h*) huic contractui propriam lex in (*i*) emphyteuſi improbat, adeoque & contractum ipſum. (*k*) *Emphyteuſin* : in perpetuum contractam: aut (*l*) cum reditus diminutione (*m*) excepta tamen ſexta parte, qua Juſtinianus rigorem Leoninæ legis aliquatenus temperavit: qui idem poſtea conceſſit Eccleſiis perpetuam emphyteuſin conſtitui, (*n*) ſaltem illa facultate uni Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ & locis religioſis in

(*a*) Schurff Conſ. cent. 1. conſ. 48. n. 9. (*b*) l. 21. C. de S.S. Eccl. & Nov. 7. c. 6. (*c*) d. Nov. 7. c. 6. (*d*) Nov. 120. c. 4. (*e*) l. 24. §. 3. C. de S. S. Eccl. Nov. 120. c. 3. (*f*) l. 14. §. 5. C. de S. S. Eccl. Nov. 7. c. 4. Nov. 120. c. 2. & 9. (*g*) Ritterh. ad Nov. p. 1. ult. n. 51. l. 24. §. 1. C. de S. S. Eccl. (*h*) Vult. de Feud. l. 1. c. 10. n. 49. (*i*) Nov. 7. c. 3. (*k*) Nov. 7. c. 3. & l. 24. § 4. C de S. S. Eccl. (*l*) l. 17. §. 1. C. Eod. d. Nov. 7. c. 3. (*m*) d. Nov. 7. c. 3. (*n*) Nov. 120. c. 1.

in iſta regia urbe ſitis negatâ. Ad majorem vero Eccleſiarum ſecuritatem (*a*) jus tacitæ hypothecæ tributum in bonis emphyteutæ propter non ſolutum canonem; (*b*) dataque poteſtas expellendi cunctatorem, nec intra biennium ſolventem debitas penſiones. His omnibus Eccleſiarum incolumitati eximiè proſpectum. Sed parum eſt ferri bonas leges, niſi eaſdem publica juriſdictionis cuſtodia adverſus temeratores defendat: quod hoc loco etiam ſufficienter factum. Si quid enim adverſus ea, in commodum religionis conſtituta, factum ſit, & ad reparationem damni & facti exemplum prodita remedia. Hæc pœnalia, variis coërcitionum modis illuſtria: illa per actiones inſtituenda, cum reales, vindicationem ſcilicet rei, adhuc exiſtentis, competentem (*c*) Epiſcopo, Oeconomo, ſacrorum vaſorum cuſtodi & ipſis Clericis: non tantum ad rei alienatæ perſecutionem, ſed & *fructuum, penſionum & acceſſionum totius medii temporis:* neque elidendam ulla reorum exceptione, aut infirmandam contraria *actione eis relinquendâ vel ſuper recipiendo pretio, vel fænore exigendo, pro quo res pignoratæ ſunt.* Datur autem vindicatio rei, *tanquam penitus à nullo empta vel vendita: quia ea, quæ contra leges fiunt, pro infectis habenda ſunt.* Tum perſonales, (*d*) ad condictionem *vaſorum conflatorum, vel alio modo immutatorum, vel diſpenſorum* itemque aliarum rerum aut conſumptarum aut perditarum:

(*a*) Bart. ad Nov. 7. c. 3. §. 2. n. 1. (*b*) Nov. 120. c. 8.
(*c*) l. 14. §. 1. & l. 21. C. de S.S. Eccl. Nov. 120. c. 11. pr.
(*d*) l. 21. C. de S.S. Eccl.

rum: addita actione in factum, ad novorum caſuum ſubſidium comparata; *ſive exactio ad ipſa corpora; ſeu ad eorum pretia* inſtituenda ſit. Adhæc negligente Eccleſia, quæ alienavit, uti juris beneficio, admittitur tanquam in communi cauſa (*a*) quævis Eccleſiaſtica perſona, quæ invita etiam Eccleſia, cujus proximè intereſt, popularium actionum exemplo tuetur ſui Ordinis privilegia. Pœnæ violantibus legum ſanctitatem irrogatæ aliæ ſunt contrahentium perſonarum, aliæ adjuvantium contractum, ac per id participantium de crimine. Contrahentes ſunt, primò *alienans*: id eſt, vendens, donans, pignori dans, & cætera, deinde recipiens venditionem, donationem, pignus: emptor, donatarius, creditor. Uterque punitur amiſſione fructuum propriæ temeritatis: ſed quivis aliter pro conditione ſui ſtatus: Ille quidem, (*b*) Epiſcopus, *œconomus*, aut alius ex Clero, *qui hoc*, (i. e. alienationem, quocunque titulo, niſi legibus permiſſo ſuſceptam,) *fecerit, imò fieri paſſus fuerit, vel quacunque prorſus hujusmodi venditione, ſeu donatione vel commutatione, poſtremo in quacunque alienatione conſenſerit, commiſſa ſibi Epiſcopatus, Oeconomatus, vel muneris ſui adminiſtratione privetur, deq́; ejus bonis, quodcunque exinde incommodum Eccleſiæ contigerit, reformetur, hæredesq́; ejus & ſucceſſores ac poſteri ſuper hoc facto ſive conſenſu competenti ab Eccleſiaſticis perſonis actione pulſentur.* (*c*) *præterea ſubjicitur pœnæ viginti auri librarum,*

(*a*) Bart. ad Nov. 7. præf. n. 7. & 8. Conſ. l. 14. §. 1. in fin. C. de S.S. Eccl. (*b*) l. 14. §. 1. C. de S.S. Eccl. (*c*) l. 24. §. 2. C. de S.S. Eccl.

rum, qui rem dedit : (*a*) *Et pretia & munera, quæ ejus rei gratia data fuerint Oeconomo, ſive aliis quibuscunque perſonis; Eccleſiæ lucris & commodis acquirantur*, inſuper reddito duplo ab illo, (*b*) *qui accepit ob eam rem, quod curavit fieri contractum: & omnia acquiruntur Eccleſiæ.* Tandem ubicunque (*c*) * negligenter verſatus fuerit œconomus, aut minus idoneis in emphyteuſin dederit, ipſe agnoſcat damnum. Hic accipiens, (*c*) *qui quidem protervo auſu Eccleſiaſtica prædia donationis, vel emptionis ſeu commutationis titulo, vel cujuscunque contractus alterius nomine*, (extra licitos caſus) *acquirere vel habere tentarit, omnẽ ejusmodi fructũ propriæ temeritatis amittat.* Item, (*d*) *tam fœnerator, quàm emptor excidat ipſa re, & credito & pretio* (*e*) ET CONTRA *ſanctiſſimam quidem Eccleſiam aut venerabilem domum nullam omninò habeat actionem*, (*f*) ET HABEAT *lucrum, quæ mutuum accepit ſanctiſſima Eccleſia.* (*g*) SI QUIS *autem per donationem accipere præſumpſerit rem Eccleſiaſticam, & ipſo, quod datum eſt, omninò cadat, & aliud tantundem ex ſua ſubſtantia repenſet ſanctiſſimæ Eccleſiæ: ut quam niſus eſt agere contra eam novitatem, hanc ſibimet in propriis exhibens ſuam ſentiat malignitatem.* (*h*) SI AUTEM *permutatio in quibusdam perſonis fiat, & recurrat res ad vene-*

 nera-

(*a*) l. 14. §. 1. C. Eod. (*b*) l. 24. §. 2. C. Eod. (*c*) d. l. 24. §. 4. Eod. (*c*) l. 14. §. 1. C. Eod. (*d*) l. 17. §. 3. C. Eod. (*e*) Nov. 7. c 5. pr. Nov. 120. c. 11. (*f*) d. Nov. 7. c. 6. pr. (*g*) Nov. 7. c. 5. §. 5. l. 17. §. 3. C. Eod. Nov. 120. c. 11. (*h*) Nov. 7. c. 5. §. 1. Nov. 120. c. 11. l. 17. §. 3. C. Eod.

nerabilem domum, unde progreſſa eſt, & quod pro compenſatione dedit, maneat apud venerabilem domum. (a) Si Vero *perpetuam quisquam emphyteuſin accipere præſumpſerit, aut temporalem quidem, non tamen ſecundum hujus noſtræ legis obſervationem, etiam ſic cadat quidem ab emphyteuſi, & quod datum eſt maneat apud venerabilem domum, det autem continuo & poſt caſum emphyteumatis, quantum futurus erat ſolvere, ſi ſecundum legem ſubiiſſet emphyteuſin; nihil apud eum remanente ex rebus pauperum, quæ fruſtra per emphyteuſin datæ ſunt.* Peculiare id eſt, ut qui (b) *in actu Magiſtratus Conſtantinopoleos per ſe vel mediam perſonam à magna Eccleſia immobile accipit*, (puta ſponte oblatum, ſive ad vendendum ſeu donationis modo,) cum re ipſa & *æſtimationem ejus* reſtituere teneatur. *Si vero per alium modum perſuaſerit aut coegerit pervenire ad ſe Eccleſiaſticam rem; præterea ſubjiciatur pœnæ viginti auri librarum*, reſtituto inſuper duplo ejus, *quod dedit ob eam rem, quod curavit contractum fieri.* Præterea cum aliquando in fraudem legis per ſurreptionem à Principe reſcripta impetrari ſoleant, & his diverticulis obviam itum eſt. Supplicio quidem in impetratores (c) *Sacrilegii* conſtituto. (d) Quæſtore vero, qui vetitum reſcriptum obſignavit, *centum libris* multando: ut & (e) Judicibus, recipientibus inſinuationem, eadam multa plectendis. Partici-
pes

(a) Nov. 7. c. 7. (b) l. 24. §. 2. C. de S. S. Eccl.
(c) Nov. 7. c. 10. & ibi. Gott. (d) Nov. 7. c. 9.
(e) Nov. 7. c. 9.

pes criminis propter auxilium in contractu præſtitum Notarii ſunt & Judices. In illos *(a)* perpetuum exilium conſtitutum; nulla reditus ſpe, *(b)* ne quidem ex pragmatica forma obtinendi. *(c)* *His*, vero, *Judicibus, vel jus geſtorum habentibus, qui hujuscemodi donationum vel contractuum vetitorum geſta confecerint, dignitatis propria & bonorum omnium ſpoliatione damnandis.* Res infimæ conditionis, non tam difficulter alienabiles, quam indemnes à circumventione, ut mobilia, quæ ſervari non poſſunt, ſterilia, & alia, paulò poſt exponemus. Atque hic eſt ſtatus Eccleſiaſticarum rerum, extra humana commercia ideo collocatus, ut vetita alienatione perpetuo poſſint in Eccleſia conſervari.

§. 14. Hæc autem cum ſibi & aliis actibus, unde obligatio oritur, nocere poſſit, puta rerum damnoſarum acquiſitione, aut aditione obæratæ hæreditatis, hîc etiam experta eſt commodam legum providentiam. Unde generaliter comparata minoribus, Civitatibus, & Fiſco, utitur illorum jure, quo ipſis meliorem quidem conditionem ſuam conceſſum eſt facere, ſed haud æque deteriorem: inde rerum ſterilium fœnea poſſeſſio, ſeu tributorum debitis exhauſtarum inutilis & damnoſa, *(d)* nec enim nec donari permittitur Eccleſiis, *ſed contractus pro non facto erit, & recipiet omninò, qui dat, quod per circumventionem & fallaciam datum eſt. Oeconomus autem, qui tale aliquid egerit, de ſuo, ei,* *qui*

(a) l. 14. §. 3. C. de S. S. Eccl. (b) Nov. 7. c. 7. §. 1.
(c) l. 14. §. 4. C. de S. S. Eccl. Nov. 7. c. 7. §. 1.
(d) Nov. 7. c. 12. & Nov. 120. c. 9. pr.

qui dedit, ſalvabit ex hoc damnum. Si vero ſic cauſa figuretur, ut etiam aliquod aurum pro hoc detur, & hoc lucrabitur quidem venerabilis domus, quæ fœneum aliquod acceperit: Qui vero aurum dedit, habebit, contra eum, qui contractum celebravit, ex hoc actionem. In mutui ſumptione (*a*) idem privilegium; quod civitas habet, ut non obligetur ad ſolvendum, niſi pecunia ſit verſa in ejus utilitatem. Cum Fiſco parificari (*b*) Bartolus notat, cujus rei uſus eſt, (*c*) quod non tenentur ultra hæreditatis ablatæ vires, quamvis adeundo illam, oneratam debitis, inventarium non confecerit: quoniam (*d*) nec Fiſcus neglectu ejus ſibi præjudicat. (*e*) In ſumma minorum jure ubique contractum ſibi favorabilem utilemque poteſt celebrare: etiam non adhibito ſolennitatum circuitu, quas in dubiis negotiis jura alias deſiderant.

§. *15*. Pertinent ad hunc locum argumentorum, de Eccleſiaſticarum rerum conſervatione teſtantium, libertas Eccleſiaſtica, immunitas, privilegia; olim nomina, ſeu prorſus inaudita, ſeu reverentiæ cultusque in Principes illorum beneficiorum autores, plena: nunc infinitæ ambitionis & avaritiæ: & nova tela pro immanitate hierarchici Status inventa ad expugnandam Principum majeſtatem. Vox Eccleſiaſticæ libertatis priſcæ religionis temporibus incognita, nec

(*a*) Jaſ. in l. Civitas ff. ſi Cert. pet. n. 13. (*b*) in l. 4. C. de Fund. Patr. (*c*) Bart. in Auth. ſed cum teſtator. C. ad L. Falc. n. 13. (*d*) l. 5 1. l. 11. ff. de Jur. Fiſc. Conf. Bart. ad l. 1. C. de S. S. Eccl. num. 46. (*e*) Jaſ. in l. contra jus. ff. de Pact. num. 9.

nec ante ſeculum duodecimum eo ſenſu, quem ſequior ætas indidit, viſa uſurpari. Certe quidem Paulus (*a*) in epiſtola ad Romanos meminit cujuſdam libertatis, ſed Chriſtianæ, omnibus hominibus, Chriſtum fide amplexis, communis; non peculiaris ſacro ordini: nec ad ambitum dominationis, aut ocii laſciviæque licentiam effuſæ: ſed intra ſolam à peccato liberationem, in Chriſto expiatore factam, ſubſiſtentis: denique terminatæ ad juſtitiæ & ſanctitatis ſervitium: non illecebroſam vitæ ſecuritatem, liberæ à publicis judiciis, nec immunitatem onerum, Reipublicæ cauſa perferendorum. Aliam adhuc libertatem Chriſtianorum in (*b*) Epiſtola ad Galatas exponit, ſed oppoſitam tantum gravi atque rituoſo Moſaicæ legis jugo, à quo liberati velut filii liberæ non ancillæ jubemur perſiſtere in libertate, ᾗ χριςὸς ἡμᾶς ἐλευθέρωσε. Eodem ſenſu, ſi qui antiqui Patres Eccleſiæ libertatem vocant, intelligi volunt, tunc nomine Eccleſiæ omnium ordinum hominibus proprio, nondum vero, quod poſtea factum, in ſolam Myſtarum familiam mancipato. Sed quid hoc ipſum ad Eccleſiaſticam libertatem, qua nunc ſuperbe exultant? quid tam ſanctum & caſtum nomen ad peſſimi ſcorti turpitudinem velandam arreptum? quid illa ipſa libertas, immenſo pretio nobis per Dei filium redempta, ad Chriſtiani orbis probroſum ſervitium, pejusque omnium ceremoniarum tædioſis ambagibus, quæ Judæos quondam exercuiſſe leguntur? quid priſtini oneris levamen ad novum graviusq; cervicibus noſtris imponendum? Tandem quæ argumenti

(*a*) c. 6. (*b*) c. 4. ratio,

ratio,liberi à peccato ſumus,à figuratis ritibus judaicæ diſciplinæ, ergo ſacer tantum ordo, non omnes Chriſtiani? ergo ille à publico imperio & vindicis gladii metu, non ocioſè geſtati à ſummis poteſtatibus, ſed diſtringendi in ſupplicium facinoroſorum hominum: ergo à tributis, vectigalibus, oneribus: uno verbo,ab illa ſubjectionis & obſequii neceſſitate, cui velut glebæ (*a*) Divus Paulus omnem animam,etiam Pontificis, Epiſcopi, Sacrificuli addicit; *Si quis tentat excipere*, inquit Bernhardus, *conatur decipere.* Quid porro ſervi juſtitiæ? ergo Domini,Judices, Cenſores, Univerſi orbis, Imperatorum,Regum, Principum,ergo fulminatores Dii? qui: *quoties peccant homines, ſua fulmina mittunt.* Ergo velut Rerumpublicarum fiduciarii tutores,indirecta & ſubſidiaria poteſtate in civilibus etiam cauſis validi? Ergo deliciarum & luxus Ordinis ſui Ædiles,quem adverſus ſancta Principum inſtituta & antiquæ probitatis reſtitutionem defendere debent publicis vitiorum ſuorum laudibus? *Raro enim*, inquit (*b*) Barclajus, *qui ab eis ſic carpuntur, deeſſe ſuis vitiis videas, aut æquo animo pati cenſores. Sed flagitiis fucum inveniunt, vel quod pejus eſt, ea quoque importuno patrocinio tueri non dubitant: conanturq́; hos ipſos monitores, licet intra juſti officii pietatem compoſitos apud populum perpetrati ſacrilegii opinione evertere.* Hæc igitur eſt nunc forma Eccleſiaſticæ libertatis, putare omnia ſibi licere, aliis nihil, omnia loqui poſſe, cæteris ne quidem mutire auſis; Publicas & civi-

um

(*a*) ad Rom. 13. (*b*) Satyr. Part. 4. c. ult.

um opes artificioſè venari : Bonis viris, nec ad cupiditates illas vel ſacri myſterii ſplendorem muſſantibus exitium moliri Imperantibus, publicæ rei, imò ipſius veræ pietatis ſtudioſis, ſeditiones, motus, caſum & parricidia. Quid hoc monſtro deformius, quid damnoſius tanta peſte? quæ religionis integritatem ingenti malo afflixit, ipſamque Chriſtianæ libertatis divinitatem ſuppoſita turpitudinis larva in odium vertit & omnium terrorem. Nata primum fabula ignavia & errore Principum, plus illi hominum generi externæ felicitatis largientium, quam ut modeſtè ferre poſſet. Mitia tamen placidaque exorientis mali initia, nec exeuntis per multa ſecula ab officio ſuo humilitatisque ſimulatione. Quamdiu novum beneficium ſperare potuit, aut timere cenſoriam virgam, intra illud effictæ ſanctitatis inſtitutum conſtitit. Mox vero robuſtior facta ambitio, & laſſata magis opibus quam ſatiata violentius erupit, neque dubitavit ampliùs cum Patronis ſuis ſuper imperio certare. Cum igitur huic rei nova indies conſilia quærerentur, inter alia Eccleſiaſticæ libertatis fœtus prodiit, alius repente factus detracto ſchemate, & qui ſe ipſum ſuperciliosè miraretur. Adjutus deinde adulantium ingeniorum ſervitute ſubinde nova incrementa cepit, tandemque in eam, quam conſpicimus, majeſtatem conſurrexit. Putatur nomen ejus Honorio III. Pontifice primum auditum, qui hoc palladio cauſam ſuam adverſus Fridericum II. tutatus eſt, ipſique Imperatori perſuaſit, ut eodem uteretur. Quid vero tandem rei illo ipſo intellectum vellent,

lent, neque illic neque toto canonico jure definitum eſt; unde difficiles & tædioſæ inter Pontificios doctores lites, quantum Eccleſiaſtica libertas complectatur, quæque negotia objectum ejus conſtituant: præterea nec illud ſatis traditum, quibus regulis aut indiciis cognoſci & diſtingui ab aliis poſſit. Profecto nullibi diutius bellatum minore profectu, & ubi minus ſcias, cum omnia noveris. In altero quisque invenit, quod accuſet: quod ſe juvet nihil: ita ſe carpunt invicem, vellicant, proſcindunt: veritas indetecta latet. Nam ubique facilius eſt aliena reprehendere, quam ſua tueri. Sunt quidam, qui ad libertatis naturalis definitionem recurrunt, ex qua rimentur Eccleſiaſticæ naturam; tanquam hæc vis ſit & poteſtas ejus, quod cuiq; ex Sacro Ordine facere licet, niſi quid vi aut lege prohibetur. Sed hoc ipſo lex conſtituitur domina & moderatrix libertatis Eccleſiaſticæ, ſicut civilis, quod illi homines tam impenſe averſantur. Alias ab hac ſententia non longè videtur abeſſe Bonifacius Papa, in derogationem Eccleſiaſticæ libertatis interpretatus, ſi, qui temporale dominium obtinent, ſubditis ſuis interdicant, (*a*) *ne Prælatis aut Clericis ſeu perſonis Eccleſiaſticis quicquam vendant, aut emant aliquid ab eiſdem: neque ipſis bladum molant, coquant panem, aut alia obſequia exhibere præſumant.* Et vera eſt aliquatenus aſſertio. Sicut enim cùm quæ omnibus in civitate facere licet, mihi uni non liceat, libertas mea aliqua ſui parte detrimentum patitur: ita etiam coarctatur illa Eccle-

(*a*) Cap. cos, qui. de Immu. Eccl. in 6.

Eccleſiaſtica, quam non ſinimus ad omnes civium actiones, præſertim in commerciorum uſu & humanis neceſſitatibus occupatas adſpirare. Sed non ideo propediem ipſum edictum damnandum eſt, aut excommunicationis fulmine propellendum: quia poterit Respublica habere juſtas & neceſſarias cauſas, cur mihi certæ rei commercio interdicat: itemque cur Eccleſiaſticis perſonis nec immobilia emere permittat, nec civibus vendere. Libertati id officit, fateor, ſed laudabile eſt impedimentum, quod crimine vacat, & utilitate publica repenſatur. Adeoque quacunque vertatur illa libertas, manet in eam ſuperius legum arbitrium, quo velut compedibus vel conſtringitur vel ſolvitur. Hoc ipſum ſubodorantes alii nomine Eccleſiaſticæ libertatis eas ſolùm res notant, quæ divinorum atque humanorum privilegiorum indultu Eccleſiaſtico Ordini competunt. Verum divina privilegia caſta admodum ſunt & cœleſtia, nec inquinata humanis ſordibus. Illis igitur ſi ſuæ libertatis terminos metiuntur, nunquam cũ ipſis finiũ regundorum actione experiemur. Etenim prædicare verbum Dei, adminiſtrare ſacramenta claviumq́; poteſtate pro hominum ſorte uti, ac id liberè ubique & publica ſecuritate, velut ſacroſanctos & inviolabiles divinæ pacis nuncios, quis prohibere jure poteſt? addam alimenta & mercedẽ tantis operariis debitam, addã reverentiæ amorisq́; ſtudium, quo complecti docet illos ſalutis noſtræ præcones: dicam hæc omnia eſſe extra judicium Principum, nec ullam à legibus mutationẽ accipere: ſi ulterius non progrediun-

tur amice conſpirabimus. Sed non conſiſtit ambitioſa ſuperſtitio intra genuinas illas ſuæ libertatis anguſtias. Movendo termino Pontifices & Principes appellant, quorum beneficiis nituntur. At iſti quid olim de alieno donaverint, niſi Domini rem ratum habeant. Igitur horum eſt liberalitas & munificentia, quicquid Sacer Ordo poſſidet, aut quacunque prærogativa fruitur: donatum autem ſemper ſalvo imperio, ut propius privilegio ſit, quam libertati. Privilegio inquam, revocando ab ingratis, & ſuſpendendo ex Reipublicæ neceſſitate. Eſt tertium genus opinantium, quibus Eccleſiaſtica libertas omne id eſt, quod in gratiam Eccleſiæ fit, cui adverſantur illæ conſtitutiones, quæ comprimunt Eccleſiaſticorum ſpiritus: Secularium confirmant & erigunt. Dicitur hæc (*a*) Bartoli definitio, & ad faſtigium Sacri Ordinis conſolidandum maxime omnium utilis. (*b*) Conſequenter enim damnat omnes ſibi adverſantes leges, quia contra libertatis ſuæ dignitatem facta pro infectis habentur. Verum ut haud negaverim, mutari à Principibus non debere, quæ Deus in favorem & ſecuritatem Eccleſiæ ſuæ & Sacri miniſterii ſancivit: ita pauca hæc admodum eſſe, nec quibus noſtrorum Præſulum ambitio expleatur, pro comperto habeo. Cætera, quæ homines addiderunt, cur non ſint mutationibus obnoxia, quibus ipſæ humanitatis vices? Nec ſine multa abſurditate univerſim dicitur, quæ bono ſacri ordinis fiunt, ſi legibus repugnant, contra illas eſſe ſub-

(*a*) in l. 1. §. quæ onerandæ ff. Quar. rer. act. non dat. n. 3.
(*b*) c. noverit, X. de Sent. Excomm.

ſuſtinenda. Poterunt enim id privati feciſſe, poterunt extranei, quorũ voluntates, quî adverſus publica jura valebunt? De uno Pontifice ambigitur, quem ampliſſima poteſtate inſtruunt? Hic igitur ſi quos canones ſcripſerit augendis Eccleſiæ privilegiis idoneos, quod jugiter ſolet, adverſos tamen civilibus inſtitutis, perimenda hæc forte dicent, ut illa valeant. Quibus ut dicam non ſcribo in terris Pontifici ſubjectis: ibi enim quid intereſt, uter reſpectus in una iſtius Præſulis perſona alterum prævaleat? ita alia regna ſtultiſſimæ ignaviæ accuſaverim, quæ ſic patiuntur ſibi temerarie imperari. Nam licet conceſſerim, quod verum non eſt, in ſpiritualibus cauſis jubere aliquid legislatoria virtute Pontificem poſſe, quod omnes Chriſtianos teneat, nihilominus cavenda erit omnis licentia, & periculoſiſſima Rebuspublicis poteſtas intra fines rerũ merè ſpiritualium coercenda. Alias, ſi quicquid favorem aliquem habet, publicas leges ſuperare poteſt, à Romana Curia pendebunt omnium regnorum fata, cui certe pro ludicro erit hoc favoris Eccleſiaſtici nomine totum Chriſtianum orbem, quod pridem moliebatur, indigniſſima ſervitute prægrandibus bullis ſubigere. Habes ſententias Doctorum de re ipſis ignorata. Si, quid ſentiam, exquiras, nulla mihi divino jure alia libertas Eccleſiæ cognita, quam ut Chriſtianam religionem profitentibus liberum id ſit & ſine fraude. Hos enim audire, recipere, ſequi jubemur: hos alere, amare, venerari: his credere, obſequi, opitulari. Ab eis convicia abſtinere, moleſtiam, injurias, vim. Igitur qui hanc Ec-

cleſiæ ſecuritatem, divino ore promulgatam, violant, contra libertatem venire dici poſſunt: qui Chriſtianos cœtus habere prohibent, orare, ſacra facere: qui religionis noſtræ curſum impediunt, nec ſinunt præcones ejus de voluntate Dei omnes homines docere, illi, illi, inquam, ſunt, qui Eccleſiaſticam libertatem ſupprimunt, non qui facinoroſos homines & larvas ſacerdotum, ſubditos ſuos in legitimo foro, i. e. civili, (oppoſito ſpirituali) judicant: non qui tributa exigunt à ſacro ordine, vectigalia & publica onera: non qui poſſeſſione immobilium Eccleſiaſticis perſonis interdicunt: aut ædium ſacrarum extructione absq; venia Principis quovis locorum facienda: non qui officia Sacra conferunt, Epiſcopatus, præbendas, parochias: qui Synodos cogunt, leges ferunt de ſacris rebus, modo non adverſas divino præcepto: Deniq́ue non qui ſuper decimis, matrimonio, aut aliis, quas ſibi excogitarunt, ſpiritualibus cauſis jus dicunt. Hæc adeo non improbantur Deo, aut Eccleſiæ libertatem lædunt, ut ex adverſo primi religionis Chriſtianæ fundatores, Divi Apoſtoli ea omnia ſub civili poteſtate ad judicium boni & mali ſufficiente comprehenderint, nec invenies totis trecentis annis, quibus ſub inimicorum ſævitia Eccleſia gemuit, ſuper iſtis cauſis litigatum eſſe: imo multo poſt etiam, ubi victis patientia & precibus parricidis emerſit ex laniena & ſordibus, & ſecure lucem aſpexit, modeſtiam tenuit, diuq́ue oblivíſci non potuit eorum quorum favore erecta atque ditata præſenti felicitate frueretur. Demum enim ultimis ſeculis id accidit, cum jam

oppreſſa

oppreſſa opibus ſuis pietas Principum beneficia cepit divino juri adſcribere: & privilegia in debitum convertere. Tunc quicquid in rem ſacri ordinis eſſet, quicquid ambitionem, ſuperbiam, mollitiē, luxum, libidines foveret, Eccleſiaſticæ libertatis divino charactere ſignatū, & ſic paulatim tutiſſimo illo operculo tota colluvies vitiorum obruit Eccleſiæ ſanctitatem, quæ tot miraculis olim & ſignis reſplenduit, quot nunc iniquitatibus polluta velut inter lutum & pulverem lucem amiſit.

§. 16. Nudæ igitur & ſibi ipſi relictæ eccleſiaſticæ libertatis ſumma in divini cultus libero exercitio eſt & propagatione. Ornamenta quæ acceſſerunt, vel ſpolia ſunt ab invitis rapta: vel imperantium plumæ, ut plurimum, id eſt, immunitates & privilegia, quibus eam veſtire voluerunt: orta non ex divina aliqua & immutabili lege: ſed jure humano, quod plerique inter pontificios Doctores etiam ipſi agnoſcunt: adeoque infra arbitrium & voluntatem eorum poſito, quibus rogare & abrogare leges licet. Inter immunitatem & privilegium non invenio aliam differentiam, quam quæ eſt inter ſpeciem & genus. Quippe omnis immunitas eſt privilegium, ſed non eſt omne privilegium immunitas. Hæc enim in eo tantum conſiſtit, ut non teneamur aliquid facere, ad quod alii cives obligantur: Illud præterea comprehendit, ut poſſimus facere, quod cæteris nefas. Ita tributis extraordinariis non ſubjici, immunitas eſt & privilegium: ſed judicare ſui ordinis perſonas, non raptandas ad civile forum: privilegium

tantum. Sed de privilegiis Eccleſiarum tam perſonis quam rebus indultis alio loco prolixius dicendum. Nunc ſatis eſt ea notaſſe, quæ conſervandis rebus proficiunt: qualia ſunt, vacuitas à (*a*) ſordidis muneribus, (*b*) ab extraordinario & ſuperindicto, (*c*) â capitatione. Item quod contra Eccleſiam non niſi (*d*) centum aut (*e*) quadraginta annis præſcribatur: quod ipſa (*f*) non teneatur edere Fiſco: neque (*g*) majores uſuras ſolvere: nec creditori electionem permittere rerum in ſolutum dandarũ: quod prædium ex cauſa alieni æris venale, ſi emptorem non inveniat, poſſit ipſi creditori in ſolutum dare decima parte plus æſtimatum, quam revera valet: & cætera. Iſta privilegia qui violant, tenentur (*h*) ſacrilegii, perpetuæ deportationis exilio damnandi.

§. 17. Ne vero Eccleſiam neceſſe ſit immota ſteriliq́ue ſuarum rerum cuſtodia officia pietatis deſerere, aut ſibi ipſi deeſſe incommodo vitæ genere vel honeſta invitantis fortunæ occaſione: permiſſum eſt fieri alienationem duplici caſu: ſcilicet neceſſitatis & perſpicuæ utilitatis. Neceſſitas vel eſt ipſius Eccleſiæ, vel Reipublicæ, vel denique privatorum, maxime Chriſtianæ proximitatis & fraternitatis contemplatione ſublevandorum. Neceſſitatem Eccleſiæ (*i*) æs alienum facit, cui ſolvendo ſi reditus aliaque bona non ſufficiunt, vaſa etiam ſacra & res ad Divinum

(*a*) l. 5. C de SS. Eccl. Nov. 131. c. 5. (*b*) d l. 5. C. de SS. Eccl. & ibid Bart. (*c*) l. 8. de SS. Eccl. (*d*) l. 23. pr. & §. 1. C. de SS. Eccl. (*e*) Nov. 131. c. 6. (*f*) Jaſ ad l. Si legatum §. ne quisquam ff. de edend. n. 5. (*g*) Ritersh. ad Nov. part. 1. c. 8. n. 71. Nov. 120. c. 4. (*h*) l. 5. C. de SS. Eccl. (*i*) Nov. 46. & 67. & 120.

num cultum conſecratas licet vendere, vel creditori in ſolutum dare. Cum (*a*) Republica ex cauſa communis utilitatis inſtituenda permutatio, re, quam cedit Eccleſia, æquivalente aut etiam meliore compenſata. Igitur ſi quos agros aut loca habent Eccleſiæ commoda civitatis rationibus, ea non impediuntur publico bono impendere, recepto alio. Neceſſitatibus proximi miſeratione ſubvenitur tum ex Magiſtri noſtri præcepto: tum recordatione humanæ ſortis, quæ incertis vicibus inter omnes ludit, & dum nemini à cœcis ictibus fortunæ ſecuritatem promittit, omnes vocat ad humanitatis officia, ſibi etiam exhibenda, cum laborare incipit. Hinc ad (*b*) captivorum redemptiones, (*c*) ſuſtentationem pauperum, famelicorum alimoniam, denique (*d*) humanda fidelium reliquia prodigam eſſe ſuarum rerum Eccleſiam, pars eſt eximiæ pietatis, cui nec indignari leges poſſunt, nec impedimentum ponere: imò applaudunt publicis laudibus & exquiſita argumentorum efficacia, removentium abſurditatis opinionem, cum (*e*) *animæ hominum quibuscunque vaſis vel veſtimentis præferuntur*. Tum intercedunt ſua auctoritate, & Clerum negligentius verſantem in hoc officio tempeſtivis admonitionibus accendunt, aut ſuccedanea ope caſtigant. Unde non modo annonæ deficientis tempore fas eſt Eccleſiis vendere frumentum, ſed ſi velut flagellatores retinent, ad divulgationem (*f*) cogi poſſunt.

(*a*) Nov. 7. c. 2 (*b*) l. 21. C. de SS. Eccl. Nov. 120. c. 9. (*c*) d. l. 21. (*d*) Ambroſ. de Offic. l. 2. c. 28. (*e*) d. l. 21. in fin. C. de SS. Eccl. (*f*) Bart. in l. 1. C. Ut nem. lic. empt. ſpec. n. 6.

Evidens utilitas eſt altera cauſa permiſſæ alienationis. Non enim ex lucri invidia, ſed circumſcriptionis dolive metu adminiſtrationi rerum limites poſiti ſunt. Hæc ratio legis cum ceſſat, nulla eſt amplius ejus obligatio, nec quæ dubiis contractibus adhibenda ſcrupuloſitas, in plano faciliq; emolumento deſideratur. Examen vero luculenti commodi vel ex conditione rerum ſumitur, vel conventionis fine. Prima rerum diviſio corporalium eſt & incorporalium; Illarum aliæ mobiles, ut frumentum, pecuniæ, animalia, fructus & ſimilis generis res, ex reditibus, penſionibus, decimis collectæ. Earum haud eſt difficilis alienatio, conſumptibilium præcipue, & quæ ſervando ſervari non poſſunt. Quippe non minor utilitas exonerari ſuperfluis & perituris, quam ad vitam neceſſaria comparare. Hæc igitur ut haberi poſſint, illorum jactura facienda eſt. Nam ut totum humanum genus, ita & ſacer ordo non ex aere paſcitur veſtiturque, ſed opus habet quotidianis neceſſitatibus ad imbecillitatem naturæ fovendam. His parandis liberæ manus eſſe debent, & explendis humanitatis deſideriis ſufficientes. Quid enim inter congeſtos auri & argenti montes eſurire juvat aut frigere? Iſta naturæ deficientis ſubſidia ſeu permutatione compares, ſeu pretio emas ex venditis aliis rebus collecto, nihil intereſt. Atque propterea in quatuor velut claſſes diviſæ ſunt Eccleſiarum opes, quæ ex rerum aut redituum fructibus percipiuntur. Una pars epiſcopi eſt, altera miniſterii, tertia pauperibus deſtinata: quarta ædium ſacrarum ruinis: Quicquid ſingulis çedit ex hac

opum

opum erogatione, recedit ab Eccleſia, & fit ejus, qui portionem ſuam accipit, in quoscunque iterum uſus ab illo impendendam. Si quæ ſunt adhuc aliæ res mobiles, magis idoneæ, ut inter divitias in fundo lateant, velut gemmæ, uniones, & ſuperflua vaſa, illæ quidem tam crebris motibus non obnoxiæ, quia velut peculia in receſſu aſſervantur: * tamen cum utilitas apparet, injectio manus fit, & citra religionem ex recondito ſinu in lucem eruuntur: (*a*) etiam ante immobilium diſtractionem. (*b*) Nec inſtrumentis quidem parcitur ad cultum divinum dicatis, ſi ſuperflua ſint, vel minus neceſſaria. (*c*) Unde forte conjici poteſt, hæc mobilibus accenſeri: alia vero intra juſtam uſus menſuram conſiſtentia immobilibus. Aliæ res ſoli firmius incumbunt ſuo pondere, ſed quas tamen eodem utilitatis vecte movere licet. Nam generalis eſt exceptio legis, (*d*) *niſi utilis ſit venditio.* Quare ſi quæ bona Eccleſia habet, ipſi ob ſterilitatem damnoſa, forte quod prædia tributorum onere exhauſta, unde nulli in Eccleſiam reditus, quos ipſe fiſcus conſumit, ea (*e*) donari & concedi, nedum vendi poſſunt: (*f*) nulla habita ſolennitatum ratione, quas in immobilium alienatione jura exigunt. Incorporalia, velut jura, quæ in rebus ipſis conſtituuntur, ut ſunt quædam alienationum ſpecies, ita ex liquida utilitate metiuntur. Qui ſibi uſumfructum vult ab Eccleſia da-

 ri,

(*a*) l. 17. §. 5. C. de SS. Eccl. (*b*) Nov. 120. c. 10. (*c*) Gotorf. ad d. c. 10. lit. g. (*d*) l. 17. §. 1. C. de SS. Eccl. (*e*) l. 17. §. 1. C. de SS. Eccl. Nov. 120. c. 4. & 7. §. 1. (*f*) Jaſ. in l. mandata ff. de Offic. Ep. cui mand. eſt juriſd. n. 9.

ri, (*a*) eum redimere debet alia re non minoris æſtimata, nec pauciorum redituum. Emphyteuſin conſtituere licet, (*b*) ſed ſine canonis diminutione, niſi, (*c*) quod poſt additum, ſexta parte: nec (*d*) olim aliam quam temporalem, non ultra tertiam generationem durantem. (*e*) hodie etiam perpetuam. Cum Eccleſia credito opus habet, plerunque (*f*) generale pignus permiſſum, ſpeciale prohibitum: niſi (*g*) *fiſcalium, tributorum, aut alterius cujuslibet ſupervenientis neceſſitatis nomine.* Quæ vero illa ſuperveniens neceſſitas? forte neque hic extra omnem utilitatis conſiderationem poſita, quippe ſi (*h*) *mutuum, quod ſub hypothecâ ſumitur, profuturum eſt ad liberationem debiti ex ſucceſſione contracti: aut ad uſus alios neceſſarios loco venerabili impendentes, aut ad aliam magis neceſſariam rem redimendam: aut ad imminentem venerabis domus reſtaurationem.* Pignori cohæret antichreſis, quæ ex iisdem cauſis conſtitui ita poteſt, ut (*i*) *creditor poſſideat rem, & ejus fructus colligat, & reputet ſibi tam in his creditis pecuniis, quam in uſuris.* Conventionis finis aut eſt utilitatis fortuitæ, nec primo intentæ, ſed inopinatò reſultantis: (*k*) quomodo ad exemplum minoris, alienatio convaleſcit ſine debitis quoque ſolennitatibus facta, ubicunque Eccleſia conditionem ſuam meli-

(*a*) l. 14. §. 5. C. de SS. Eccl. Nov. 7. c. 4. Nov. 120. c. 2. & 9. (*b*) l. 17. §. 1. l. 24. §. 4. C. de SS. Eccl. (*c*) Nov. 7. c. 3. (*d*) d Nov. 7. c. 3. (*e*) Nov. 120. c. 1. & 6. (*f*) Nov. 7. c. 6. (*g*) Nov. 120. c. 4. (*h*) l. 17. §. 1. C. de SS. Eccl. (*i*) Nov. 120 c. 4. (*k*) Jaſ. in l. cum hi §. cum tranſactionem ff. de Tranſact. n. 2.

meliorem facit. Aut propoſitæ & deſignatæ: velut in permutatione, quæ facienda (*a*) *cum re magis neceſſaria, & reditum non minorem eo, quod datur habente.* In venditione, (*b*) *quando pretium ejus, quod venditur, profuturum eſt ad liberationem debiti ex ſucceſſione contracti, aut ad uſus alios neceſſarios, loco venerabili impendentes, aut ad aliam magis neceſſariam rem redimendam: aut ad imminentem venerabilis domus reſtaurationem.* Ut paulo ante de pignore dictum. (*c*) In rebus, quas Eccleſiæ minores invicem commutant, modo ne donum ſint imperatoriæ domus. Denique introductæ legibus quædam ſolennitates, in alienatione immobilium obſervandæ ad id, ut contract⁹ valeat. De iis videri (*d*) jura poſſunt & (*e*) Doctores. Minoris æſtimamus, quæ jus canonicum pro ſe excogitavit, niſi quantum ſunt publicis moribus recepta. Tradunt ea prolixè Jure-conſulti, & inter eos (*f*) Schurffius. Bartolus Panormitanus, Felinus, & infiniti canonum Doctores: plerique mancipia Romanæ Curiæ, &, quod ſequitur, adulatoriâ abſurdiſſimarum ſententiarum ſtrue, quæ æmula placendi contentione immenſum excrevere, Reipublicæ graves. Atque his actibus eminens dominium cum effectibus dominii privati ordinatione & regimine concurrit.

§. 18. Sequuntur nunc, qui extra conſortium ſoli imperant, hoc ſpectabiliores, quo minus

(*a*) l. 17. §. 1. C. de SS. Eccl. (*b*) d. l. 17. §. 1. (*c*) Nov. 120. c. 7. (*d*) l. 17. §. 2. C. de Eccl. Auth. Hoc jus porrectum. ib. (*e*) Rittersh. ad Nov. part. 1. c. 8. n. 43. (*f*) Cent. 2. Conſ. 7. & Dec. 3. Conſ. 30.

nus videntur famulari alieno commodo, ſed in proprio regno eſſe, ſuisque auſpiciis res gerere non ingratiis modo veterum poſſeſſorum, verum etiam damno. Semper enim detrahitur illis aliquid, ſæpius Reipublicæ commodo & lucro: aliquando etiam privatorum cauſa, quibus tantum adjicit diutina alienæ rei poſſeſſio, quantum incurioſa familiaris rei recenſitio veteri domino abſtulit. Uſucapio hoc præſtat publico bono introducta, ne dominiorum incertitudines litium moleſtias perpetuent. Quare fatales temporum ordines definiti, intra quos leges unumquemque jubent non modo cenſum habere bonorum; ſed etiam de amiſſis diligenter inquirere. Sic autem conſtituta illa ſpacia, ut nec temporis anguſtia diffuſam latèque regnantem Patrisfamilias opulentiam ab exacta cognitione rerum excludat, nec præmium ſit ſupinæ ignaviæ. Tot anni indulti ad habendam quæſtionem qui ditiſſimo civi ſuffecerint, ut detrimentum ſentiat & reparet. Hoc vero cùm elabi patitur, tam indignum auxilio jura cenſent quam dignum, qui damnoſam deſidiam experiatur: tum præterea auctoritas legum iſta pœna aſſeritur. Etenim non parum intereſt Reipublicæ, quo quisque animo rem ſuam curet. Nam vix utilis patriæ eſſe poteſt, qui domi torpet. Ob eam cauſam præcepta ſingulis gnavis & induſtriis bonorum curatio, eaque excitata propoſito commodo, ut gravis veternus merita pœna coercitus. Quippe tam facile eſt provido domino lucrum ex alieno facere, qui ſcilicet profutura ſedulitate favorem legum meritus uti

uti tempore & publico beneficio noverit: quam alter ſomnolenta incuria ſe ſuaque perdiderit: cujus ſeu vitio ſeu errore fit, ut leges res ejus neglectas ac velut pro derelicto habitas diligentiori addicant, notæque virtutis homini. Quod autem de præſumpto domini derelinquentis conſenſu pro transferendo dominio afferunt, fictio juris eſt magis in contumeliam deſidiæ concepta, quam ut explorata voluntate, quæ nunquam eſt proclivis in proprium damnum, nitatur. Totum igitur negotium dominio eminente conficitur, quod res à priore poſſeſſore ignavè habitas induſtria & labore vendit, Deorum exemplo, eodem pretio omnia ſubhaſtantium. Nec quidem hic omnino Eccleſiis parcitum, quamvis negari non poſſit, ignaviam eis diutius impune eſſe. Cum enim alibi decem, viginti, aut, quod longiſſimum eſt, triginta annorum decurſu præſcribi res & jura poſſint, cum ſacro ordine mitius actum longiore termino indulto: primo quidem (*a*) centum annorum, quantum vix hominum ætas capit: additaque legi ratio, *ut inter divinum publicumq́; jus & privata commoda competens diſcretio ſit.* Poſt contractum rurſus ſpacium, & (*b*) quadraginta annis incluſum, ne quidem Eccleſia Romana excepta, cujus nulla mentio in illis Novellis fit, quæ anteriora jura corrigunt. Quare ſi error non eſt, certe falſi crimen Irnerii, qui authenticæ ſuæ, *quas actiones*, novam exceptionem admiſcuit, deinde à (*c*) Fachinæo non majore adulationis

(*a*) l. 23. C. de SS. Eccl. Nov. 9. (*b*) Nov. 111. & Nov. 131. c. 6. (*c*) l. 8. Contr. c. 3.

tionis ſtudio defenſam, quam ſtu.ta & moleſtâ eruditione: quod poſt alios multos & (*a*) Rittershuſius notat.

§. 16. Nunc ad actus eminentis Dominii pervenimus, ipſi Reipublicæ utiles. Veluti *detractionem ſeu decimationem bonorum*, cum migrantibus ſedes religioſorum familiis, certâ bonorum portione, quæ plerunque decima eſt, venia redimitur transferendi fortunas in aliam civitatem. Nam quæ hic eſt aliorum civium conditio, ut abſque imperantis permiſſu nulli liceat â Republica exire, & aliam ſibi quærere patriam, eadem quoque ſacro ordini dicta, quem neque naturæ lex, nec divini juris ſanctio ullâ civilis imperii parte exemit. Interim humanitatis laudem Princeps habet, qui innoxiæ libertati favet, & niſi magnæ rationes diſſuadeant, patitur civem illo diſceſſu ſibi conſulere: ſed admonitum prius accepti beneficii, ne, quod gratiæ ac lenitati debetur, jure factum putet. Hæc recognitio facile impetrabitur, ſi portio bonorum, quæ exeuntē ſequuntur, intra regnum maneat, tanquam liberi commeatus merces. Videmus hunc morem publicum eſſe, & receptum omnibus gentibus, plerunque tamen ita temperatum, ut minori conſtet Eccleſiis ſua libertas. Sæpius enim gratis dimittuntur, niſi invidioſæ opes publici boni cauſa delibandæ. Sed illud in arbitriô Reipublicæ poſitum, quæ ſi jure ſuo uti vult, aut omnino negato tranſitu claudit oſtia civitatis, aut quantum ſatis eſt veniæ pretium de perituris ſibi rebus ſervat. Eſt alius in *multa* actus, quæ peccan-

(*a*) Ad. Nov. part. 11. c. 1. n. 11.

peccantibus irrogatur ad ærarii augmentum. Facto periculo comperimus, iisdem delictis Eccleſiaſticas perſonas obligari poſſe, quibus alii tenentur. Unde pœnarum paritas utrobique poſſibilis, & quando fert caſus, etiam neceſſaria. Illæ autem in pecuniariam multam interdum terminantur, ubi erratum expiari tantillo ſupplicio poteſt. Id cum accidit, dictam judicio multam exequitur eminens dominium, & ſacrum ordinem ad ſolvendum cogit. Eſt autem multa pars quædam *Confiſcationis bonorum*, quâ virtualiter ut ſpecies comprehenditur. Hâc graviora peccata luuntur, & proxime infra mortem poſita. Oportet autem, ut huic ſupplicio locus ſit, totum collegium deliquiſſe, aut ſingulorum delicta participaſſe univerſitatem, ſcientem, nec prohibentem, Idem enim eſt morali æſtimatione facere malum: & non avertere quod poſſis debeasque. * ὁ δυνάμενος παῦσαι, inquit (*a*) Thucydides, ἀληθέστερον δρᾷ. Et (*b*) Cicero. *Neq; vero multum intereſt, præſertim in Conſule, utrũ ipſe pernicioſis legibus, improbis concionibus, Rempublicam vexet, an alios vexare patiatur.* Inde apud (*c*) Livium, *Propinqui Regis Tatii legatos Laurentium pulſant: cumq; Laurentes jure gentium agerent, apud Tatium gratia ſuorum & preces plus potuerunt: igitur illorum pœnam in ſe vertit.* Atque hoc eſt, quod Agapetus ad Juſtinianum ait, ἴσον τῷ πλημμελεῖν τὸ μὴ κωλύειν τοὺς πλημμελοῦντας. Ita verſum ab Arnobio. *Par eſt delinquere, & delinquentes non prohibere: quisquis patitur peccare peccantem, is vires ſub-*

(*a*) l. 6. (*b*) in Piſon. (*c*) l. 1. c.

ſubminiſtrat audacia. Geminum illud Auguſtini, *qui deſinit obviare, cum poteſt, conſentit:* Et Salviani. *Poteſtas magna & potentiſſima quæ prohibere ſcelus maximum poteſt, quaſi probat debere fieri, ſi ſciens patitur perpetrari:* Et Philonis in Flaccum: * ὁ γὰρ ἐπιπλήττειν ἢ τὸ πανύςαλον ἐπέχειν ἂν δυνηθεὶς, εἰ μὴ κεκώλυκε, δῆλος ἦν ἐφιεὶς καὶ ἐπιτρέπων αὐτός. Ex hoc jure Chryſoſtomus omnes Antiochenos ſtatuarum crimine involvit. * δι' αὐτὸ οὖν τοῦτο κολάζῃ, δίδως δίκην τὴν ἐσχάτην, ὅτι μὴ παρῆς μηδὲ ἐκώλυες, μηδὲ τοὺς ἀκοσμοῦντας κατεῖχες, μηδὲ ἐκινδύνευες ὑπὲρ τῆς εἰς τὸν βασιλέα τιμῆς. οὐ μετεῖχες τῶν τετολμένων; ἐπαινῶ τοῦτο, καὶ ἀποδέχομαι. ἀλλ' οὐδ' ἐπέσχες τὰ γενόμενα, τοῦτο κατηγορίας ἄξιον. Tali igitur ſenſu illud Heſiodi accipiendum. *πολλάκι καὶ ξύμπασα πόλις κακοῦ ἀνδρὸς ἐπαυρεῖ. Quod eximiè à Proclo ita expoſitum, * ὡς ἐξὸν κωλύειν, μὴ κωλύουσα τοῦ ἑνὸς πονηρίαν. Nam extra hanc ſcientiæ & neglectus culpam nemo alieno crimine reus eſt, ſed ſuo periculo quisque peccat. Rhodii apud Senatum publicam cauſam à privata ſeparantes, (*a*) *nullam eſſe Civitatem*, inquiunt *quæ non improbos cives aliquando, & imperitam multitudinem ſemper habeat.* Hinc cautio fœderibus adjecta: *ſi defexit publico conſilio:* qua Zeno niſus, pro Magnetibus deprecator apud Quintium oravit, (*b*) *ne unius amentiam Civitati aſſignarent: ſuo quemq; periculo facere.* Bene Auguſtinus. *Aliud eſt, quod in populo quisque habet peccatum proprium, aliud quod commune, quod uno animo fit, & una voluntate ad aliquid multitudine comparata committitur.*

Iſtud

(*a*) Liv. l. c. (*b*) Liv. l. 45. c.]

Iſtud tamen inde colliges, ſi ex ſcientia & permiſſione delicti, quod impediri poteſt & debet, communicatur pœna ſingulorum, & in totam univerſitatem transfunditur, id multo magis fieri ex juſſu & mandato, ex conſenſus requiſiti præſtatione: ex ope & auxilio, ſive ſubſiſtente intra conſilium, ſeu propius accedente ad vitioſi facti impletionem. Denique ex receptu, laudibus atque aſſenſu. Ejusmodi ſeu factis ſeu imprudentia & neglectu ſi aliquod Sacrum Collegium ſingulorum culpam recepit, aut proprio & communi crimine peccavit, ipſum pœnâ ſentit, dignam delicti atrocitate; igitur aliquando etiam ultimam & ſummam, quæ in univerſitatem cadere poteſt: id eſt bonorum publicationem cum diſſipatione corporis conjunctam, & hinc morti naturali adæquatam. Sicut enim hominis ultimum ſupplicium mors eſt, ita πόλεως θάνατος ἀνάστατον γένεσθαι: quod fit diſſolutione vinculi communitatem copulantis. Cæterum punita univerſitate non ſemper ſingulos proprie puniri verum eſt. Etenim tam diſtincta delicta ſunt ſingulorum & Communionis, quam ſupplicia. Adeoque ſi publicatione bonorum Univerſitas punitur, communia tantum bona & publica in fiſcum rediguntur, ſingulis, quod privatum eſt, illibatum manet: ſicut ex adverſo non tangit Collegium privati patrimonii adnotatio: *(a)* niſi vel univerſitatis crimen ſinguli participaverint, vel ſingulorum culpam univerſi: fieri utrumque poteſt: illud, cum habito conſilio omnes in idem ſcelus conſentiunt. Nam ſi quidam teſtentur diſſen-

Hhh

(a) Vid. Obſerv. m. in Hug. Grot. l. 2. c. 21. §. 18.

diſſenſum, victi majoris partis improbis cupiditatibus, privatim eis ſine fraude eſt plurium inſania. Hoc iis modis, quos paulo ante expoſuimus. Verum iſta Singulorum ab Univerſitate ſeparatio in criminis & innocentiæ quæſtione vix locum apud Eccleſias habet, ubi Sacer Ordo, præſertim religioſæ Societates proprii nihil habent, fere autem omnia communia, & ad rationes totius Collegii referenda: quibus publicatis quomodo ſinguli religioſi, etiamſi aliqui innocentes, ſua ſervent ex naufragio, quæ nulla ſunt, nondum video. Adhæc inſignis efficacia dominii eminentis cernitur *in repetitione prodigæ donationis* errore majorum Eccleſiis factæ maximo Reipublicæ incommodo. Ejus juris illuſtre exemplum Otto III. Imperator dedit, qui ipſius Pontificis Sylveſtri conſilio, (non auctoritate) anteriorum Imperatorum donaria Romanæ Eccleſiæ facta ſive ut commenta & mendacia explodit, ſeu ut vitioſa & prodiga revocat. Extant ejus Tabulæ apud (*a*) Baronium, à Marquardo Frehero erudito commentario illuſtratæ, quas fruſtra Baronius ſubleſtæ fidei arguit. Nec enim ipſe diſſimulare potuit, tempore Benedicti XII. *in ipſo theſauro Eccleſiæ Romanæ inventas*, & Pontificem authenticum exemplar juſſiſſe in lucem vindicandum. Quin Cardinalis fretus earum tabularum autoritate Johannem Diaconum primum auctorem facit Conſtantinæ donationis tam longo tempore creditæ, nec aliud habet, quo falſi crimen innocentibus literis impingat, niſi diſſonas ab Ottonis I. & Heinrici II. dona-

(*a*) Ad Ann. 1191.

donationibus voces, dubiis illis & incertis, & multo evidentius convincendis ſuppoſiti partus. Saltem enim à Nepote mentio fieri debuit avitæ liberalitatis, ut recentis adhuc nec incognitæ, ſi unquam Magnus Otto imperii opes tam inſane prodigere voluit. Quibus autem vetuſtioribus uſi Pontifices, ut bonam Italiæ partem occuparent, ſive ad veritatis ſpeciem effictis, ſeu vere & reapſe datis, omnes Imperator inducit, bonaque poſtliminio ad imperium reducit, à Sede Romana mala fide & mendaciter poſſeſſa: is actus eſt eminentis dominii, ad ſe trahentis ſubditorum res extincto privatæ proprietatis jure. Lubet autem ipſum Ottonem audire in revocatoria actione. *Confuſis papaticis legibus*, inquit, *& jam abjectâ Eccleſia Romanâ in tantum quidam Pontificum creverunt, ut maximam partem imperii noſtri Apoſtolatui ſuo conjungerent, jam non quærentes, quæ & quanta ſuis culpis perdiderunt: non curantes, quanta ex voluntaria vanitate effuderunt, ſed ſua propria, utpote ab illis ipſis dilapidata dimittentes, quaſi culpam ſuam in imperium noſtrum retorquentes ad aliena, i.e. ad noſtra & noſtri imperii maxime migraverunt. Hæc ſunt enim commenta ab illis ipſis inventa, quibus Johannes Diaconus, cognomento digitorum, munitus præceptum aureis literis ſcripſit, ſub titulo Magni Conſtantini longa mendacii tempora finxit. Hæc ſunt etiam Commenta, quibus dicunt, quendam Carolum Sanctum Petro noſtro publica tribuiſſe. Sed ad hæc reſpondemus ipſum Carolum nihil dare jure potuiſſe, utpote iam à*

Carolo meliore fugatum, jam imperio privatum, jam deſtitutum & annullatum. Ergò, quod non habuit dedit. Sic dedit, ſicut nimirum dare potuit, utpote qui male acquiſivit, & diu ſe poſſeſſurum non ſperavit. Spretis igitur commentitiis præceptis & imaginariis ſcriptis ex noſtra liberalitate S. Petro donamus, quæ noſtra ſunt, non ſibi, quæ ſua ſunt, velut noſtra conferimus. Enumerat deinde dona ſua Imperator, octo Comitatus, quos Sylveſtro largitus eſt, non aliquo compenſationis jure, ſed ex imperiali munificentia, & amoris cauſa, in Præceptorem ſuum concepti. Nam & ſine remunerationis neceſſitate licuit Ottoni prodiga munera revocare, ſi melius judicaſſet, ingentem bonorum jacturam, etſi merito à Romana Eccleſia ſentiendam, non aliquo munuſculo ſolari. Præterea nec Imperator ſine exemplo tam invidioſum opus ſuſcepit, nec ipſe fuit ultimum exemplum. Nam in aliis regnis crebræ extant ejusdem conſilii imitationes, & utiles publico bono.

§. 20. Sed præ aliis duo ſunt actus dominii noſtri, virtute ſua digni, qui ſeorſim nominentur. Unus ſcilicet, ordinarius, *Tributum*, etiam ab Eccleſiis pro numero poſſeſſionum exigendum. Nomine tributorum hic laxiore utimur, ut vectigal etiam includamus, imò quodvis onus, Reipublicæ cauſa ferendum: Nam adſtrictiori notione tantum eam penſionem notat, quæ ex cenſu privatæ rei colligitur. Hoc ſolum tamen eſt, quod ſemper eminente dominio imperatur, & contribuentis ſubjectionem arguit.

Niſi

Niſi enim Principi competeret facultas in fortunas ſubditi, (*a*) verba ſunt Clariſſimi Hornii, *nec ullum tributum indicere, nec quantitatem ejus definire, nec quicquam poſtulare à ſubditis poſſet.* Aliorum onerum injunctio poteſt diverſam cauſam habere, nec indubitatam de ſubjectione fidem facit. Satis id vectigalia docent, (*b*) *quæ etiam à peregrinis ſolvuntur ob tranſitum per vias publicas, pontes, fora, aut diſtractionem mercium, cum lucro. Tributa autem à ſolis ſubditis præſtantur propter bona ſua.* Sed de his quoque meminiſſe aliquid debemus tum propter materiæ nominisque vicinitatem, tum quod par ſit ubique Sacri Ordinis conditio. Naturali & divino jure Eccleſiaſticis perſonis nihil de immunitate cautum eſſe, jam ſupra diximus: ex quo ſequitur illa jura fruſtra ad probandam à tributis exemptionem allegari, quæ omnes ſubditos nulla ordinis differentia relinquunt civili imperio; imò ad obſequii & præſtationum debitam neceſſitatem, inter quas præciſe & tributa & portoria referunt, adſtringere videas. Divus Paulus, cum dixiſſet Romanis, πάση ψυχὴ ἐξουσίαις ὑπερεχούσαις ὑποτασσέσθω, (*etiamſi Apoſtolus ſit, etiamſi Evangeliſta: etiamſi propheta*, ut ait Chryſoſtomus, ad hunc locum. itemque Bernhardus ad Archiepiſcopum, *ſi omnis & veſtra, quis vos exemit ab univerſitate?*) propediem effectum ſubjicit, per officia de illa ſubjectione teſtantem; quæ nam? tributa, vectigalia, timorem, honorem διὰ τοῦτο γὰρ, ait, καὶ φόρους τελεῖτε: λειτουργοὶ γὰρ Θεοῦ εἰσιν εἰς αὐτὸ τοῦτο προσκαρτεροῦντες: ἀπόδοτε

Hhb 3 οὖν

(*a*) De Civit. l. 2. c. 4. §. 17. (*b*) Joh. Frid. Horn. de Civ. d. l.

οὖν πᾶσι τὰς ὀφειλὰς, τῷ τὸν φόρον, τὸν φόρον, τῷ τὸ τέλος, τὸ τέλος. τῷ τὸν φόβον τὸν φόβον, τῷ τὴν τιμὴν τὴν τιμήν: ergò quæcunque anima ſubjecta eſt, ea tributum ſummis poteſtatibus debet, vectigal, timorem atque honorem. Sed ex Chryſoſtomi, Bernhardi, omniumque piorum patrum ſententia ſubjectæ ſunt animæ etiam Apoſtolorum, Evangeliſtarum, Pontificum, Archiepiſcoporum: nemo enim excipitur à Paulo, ut omnes includat: igitur ad eosdem pertinet etiam tribuẽdi obligatio: rurſus ſi tributum ideò pendendum eſt, quia Magiſtratus miniſtri Dei ſunt, in id incumbentes, ut ſcilicet ſervandæ Reipublicæ cauſa ex poſſeſſionum modo definiant ſtipendia, quæ ratio Clerum exemit, prædia civitatis, quibus ineſt illud publicum onus, uſurpantem? Bene (*a*) D. Hilarius, *ſi enim nihil ejus*, (i. e. Cæſaris) *penes nos reſederit, conditione reddendi ei, quæ ſua ſunt, non tenebimur. Porro autem, ſi rebus illius incumbimus, ſi jure poteſtatis ejus utimur, & nos tanquam mercenarios alieni patrimonii procurationi ſubjicimus, extra querelam injuriæ eſt, Cæſari reddi, quod Cæſaris eſt. Deo autem, quæ ejus ſunt propria reddere nos oportere corpus, animam, voluntatem, ab eo namque hæc profecta & aucta retinemus. Si* (Chriſtus ſcilicet) *non habuit imaginem Cæſaris, cur dedit cenſum?* inquit (*b*) Ambroſius, eodem ſenſu *non de ſuo dedit, ſed reddidit mundo, quod erat mundi: & tu, ſi vis non eſſe obnoxius Cæſari, noli habere, quæ mundi ſunt: ſed ſi habes divitias, obno-*

(*a*) Comm. in Matth. cap. 23.
(*b*) Comm. in Luc. l. 10. cap. 20.

obnoxius es Cæſari; ſi vis nihil Regi debere terreno, relinque omnia, & ſequere Chriſtum. Ad Paulum redeo, qui denique illo ad Romanos loco jubet omnem animam reddere id, quod cuiq; debetur: tributum, cui tributum, vectigal, cui vectigal, timorē, cui timorem, & cętera. Debetur autem tributum ſummis poteſtatibus, quod dum omnis ſolvere jubetur, includitur & ſacer ordo, illis animabus à Chriſtiana & orthodoxa Eccleſia ſemper accenſitus. Idem ante Apoſtolum jam Magiſter ejus docuerat Chriſtus, præcipiens reddere Cæſari quæ Cæſaris ſunt, quod dictum, ut ex Hilarii & Ambroſii adſcriptis locis patet, hoc ſenſu explicavit antiqua pietas. (*a*) Ejusdem Ambroſii hæc quoque ſunt. *Si cenſum Dei Filius ſolvit, quis tu tantus es, qui non putas eſſe ſolvendum? & ille cenſum ſolvit, qui nihil poſſidebat, tu autem qui ſeculi ſequeris lucrum, cur ſeculi obſequium non recognoſcas? Cur te ſupra ſeculum quadā animi arrogantia feras, cum ſeculo ſis miſera cupiditate ſubjectus?* Et ne de Laicis ſolum loqui putes ſanctum virum, idem de ſe, ſuiq́ue ordinis hominibus, *ſi tributum Imperator petit,* (*b*) ait, *non negamus:* AGRI ECCLESIÆ SOLVUNT TRIBUTUM. Et id oneris Chriſtiana Eccleſia, quamdiu jugum & ſervitutem infidelium Principum toleravit, ſine querelis ſubiit, felicem ſe beatamq́ue arbitrata, modo exſoluto debito licuiſſet ipſi jure & ſecuritate aliorum civium uti. Poſtquam vero proſcripta gentilium ſuperſtitione ſuos Imperatores vidit, tum rurſus illis privilegiis atque immunitatibus

Hhh 4 obrui

(*a*) Comm. in 2. ſuc. l. 5. c. 5. (*b*) Orat. in Auxent.

obrui cepit, quorum ſupra meminimus: nunquam tamen ante noviſſimas Pontificum artes ita prorſus libera ſuique juris, ut ad tributa aliasque publicas neceſſitates nullo modo potuerit compelli. Nam ſeu Orientis imperium ſpectes, ſeu occidentis, in Carolo M. inchoatum, manſere aliqua priſtini oneris veſtigia in ſuperioritatis recognitionem & boni publici cauſa. Græci Imperatores Eccleſiam ſubjecere (*a*) ordinariis tributis, & (*b*) collationibus: itemque impenſis ad (*c*) itinerum, (*d*) pontium, & (*e*) mœnium inſtructiones: denique ſervitiis Reipublicæ exhibendis, qualia ſunt, (*f*) quod Eccleſiæ naves ſacras, ultra duorum millium capaces, nulla exceptione admiſſa commodare debeant ad publicarum ſpecierum transvectiones, (*g*) quod angaria, parangaria, plauſtra, vel quodlibet munus ad felicem expeditionem imperatorii Numinis præſtare. Francorum leges nulla prædia tributaria imperio permittunt eo nomine immunitatem conſequi, quod poſſideantur à ſacro ordine, nec rem aliter niſi cum onere ſuo tranſire patiuntur: *Ut de rebus*, ait (*h*) conſtitutio quædam, *unde cenſus ad partem Regis exire ſolebat, ſi ad aliquam Eccleſiam traditæ ſunt, ut reddantur propriis hæredibus, aut qui eas retinuerit, illum cenſum perſolvat.* Et (*i*) alia. *Quicunque terram tributariam, unde tributum ad partem noſtram*

(*a*) l. 8. C. de S. S. Eccl. (*b*) l. 5. C. Eod. (*c*) l. 7. C. de S. S. Eccl. (*d*) d l. 7. (*e*) Bart in d. l. 7. n. 2. (*f*) l. 10. C. de S. S Eccl. (*g*) l. 11. C. de S. S. Eccl. l. 1. C. de Curſ. (*h*) Ang l. l. 13. c. 15.. & 73. Capit. Franc l. 3. c. 85. & 86. (*i*) Angeſ. l. 4. c. 14. Capit. Franc. l. 4. c. 37.

noſtram exire ſolebat, vel ad Eccleſiam, vel cuilibet alteri tradiderit, is, qui eam ſuſceperit, tributum, quod inde ſolvebatur, omnimodis ad partem noſtram ſolvat: ejusdemque ſenſus (*a*) tertia; *Qui ad Eccleſias ſuas remanent Epiſcopi, ſuos homines bene armatos nobiscum, aut cum quibus juſſerimus, dirigant, & ipſi pro nobis & cuncto exercitu noſtro miſſas, litanias, oblationes, eleemoſynas faciant.* * Præterea contigit aliquando Eccleſiis imperari extraordinarium tributum, ſi reſpublica laboraret temporum neceſſitate. A Carolomanno Rege id factum nullo reclamante. *Hoc quoq; conſenſu myſtarum & populi Chriſtiani ſcivimus,* (*b*) inquit Princeps, *ut propter crebra bella, & ferociſſimarum gentium, quibus undiq; cingimur, aſſiduas in nos incurſationes pars eccleſiaſtica pecuniæ, nempe duodeni denarii, quem ſolidum vocamus, contribuantur mihi, quo militibus noſtris præmia condigna laboribus ſolvantur.* Arida eo tempore admodum & humilis libertas Eccleſiaſtica: immunitate perſonarum terminata, tum decimis, oblationibus, habitationibus, hortis, prædiisque, quantum ſingulis annis jugo boum araretur: cætera in cenſum redacta. *Sancitum eſt,* (*c*) ait lex, *unicuiq; Eccleſiæ manſus integer absque alio ſervitio attribuatur, & presbyteri in eis conſtituti non de decimis, non de oblationibus fidelium, non de domibus neque atriis vel hortis juxta Eccleſiam poſitis, neque de præſcripto manſo aliquod ſervitium faciant, præter*

(*a*) Capt. l. 7. c. 103. (*b*) Cent. Eccl. 8. cap. 9.
(*c*) Capt. l. 1. c. 91.

Eccleſiaſticum: & ſi aliquid amplius habuerint, inde Senioribus ſuis debitum ſervitium impendant. Poſt hæc cum ambitione papali ingruentibus decretis paulatim totus Sacer Ordo ſicut à ſuprema Principum jurisdictione, ita etiam à cenſu liberari cepit, cum Pontifex ſubinde horribilibus bullis adverſus eos fulminaret, qui tuerentur publica jura, nec novis imperiis cederent. Hâc ratione paulatim orbis ſub jugum miſſus eſt, antequam ſe victum ſentiret. Nam accenſi Romanæ Curiæ, i. e. canonum recentiorum Doctores ſuſcepto novi operis patrocinio tota volumina implevere fumo & fatuis ignibus inauditæ libertatis, quam non amplius dubitarunt naturæ & divinis legibus conciliare: in ipſa tamen diſputationis arce & inter ſe plurimum diſcordes, & cum ſe ipſis. Modo enim quod excludunt janua, poſtico admittunt: modo refellunt ſe invicem magna verborum acerbitate. Semper enim, qui propius à vero abſunt, ab aliis ſervili & ſordida adulatione Romanæ Eccleſiæ favorem captantibus ita carpuntur, ut hæreticorum & ſacrilegii nomina fere ſint inter vulgarem accuſationis vehementiam: Bartolus fortis hyperaſpiſtes noviſſimæ libertatis Eccleſiæ agnoſcit tamen in ea debitum (*a*) ordinarii canonis, (*b*) tributorum & (*c*) realium onerum: dicit (*d*) amitti dominium propter non ſolutum canonem: (*e*) committi feudum & emphyteuſin niſi

(*a*) in l. 5. C. de S.S. Eccl. n. 1.
(*b*) ibid. n. 2. & in l. 10. C. de ann. & trib. n. 4.
(*c*) in l. fin. C. de Exact. trib.
(*d*) in l. 5. C. de S. S. Eccl. n. 2, (*e*) ibid. n. 3.

niſi cenſus exſolvatur. Inde communis ſententia, *quod bona Eccleſiarum & Clericorum habeant immunitatem ab oneribus, collectis & exactionibus Laicorum*, cum iſta limitatione accipitur, *niſi ſcilicet hujusmodi bona Eccleſiæ & Clericorum, antequam eorum dominio ſubjicerentur, eſſent obligata ad hujusmodi tributa, & certas quasdam & perpetuas præſtationes:* tunc enim etiam ex juris canonici præcepto tranſire cum ſuo onere rem, nec aliqua immunitate gaudere (*a*) docent. Panormitanus aliquanto clarius, *quod ſi poſſeſſio ſeu fundus*, (*b*) inquit, *perveniens ad Eccleſiam habeat certum onus annexum, ad illud tenetur, ſive habeat ex privata diſpoſitione illud onus*, SIVE EX DISPOSITIONE PUBLICA, PUTA PRINCIPIS, *antequam perveniret ad Eccleſiam :* quod porro exemplo illuſtrant, (*c*) *quod ſi* v. gr. *Eccleſiæ adquirunt rem feudalem, tenentur ad onera, ad quæ tenebantur Vaſalli, ex quo erat feudalis, antequam pervenerat ad Eccleſiam.* Eodem ſenſu alibi (*d*) Bartolus, *quando bona, antequam pervenirent ad Eccleſiam erant tributaria & obnoxia pro collectis, Eccleſiæ, ad quas poſtea pervenerunt, tenentur etiam ad collectas* : dato ibidem conſilio, ut Princeps, ſi Eccleſias nimium excreſcere divitiis animadvertat, cum Reipublicæ incommodo, cujus oneribus & impenſis perferendis Laicorum bona & poſſeſſiones non amplius ſuffi-

(*a*) Vid. Schurff. & ibi all. Conſ. cent. 1. Conſ. 44. n. 7.
(*b*) in can. Non minus. (*c*) Hoſtienſ. in ſumm. tit. de immun. Eccl. (*d*) in l. placet. C. de S. S. Eccl. & l. reſcripta. §. fin. ff. De Muner. & Honor.

ſufficerent, lege publica caveat, ne ullum prædium tributis vacet: ita enim, ſi quid porro ad Eccleſias illas per veniendum ſit, cum onere colle&ctandi tranſiturum. Cæterum (*a*) alio loco ſui ipſius deſertor, cum ait. *Si aliqua poſſeſſio æſtimata & allibrata pro collectis, in libro communis deveniat ad aliquem Clericum, ex quacunque titulo, quod non teneatur ſolvere collectas, ſicuti ſui anteceſſores debebant: niſi in fraudem poſſeſſionum clerici fecerunt poſſeſſiones in ſe transferre:* quod ergo ſupra de oneris inhærentis rei tranſitione dixerat, id hic turpiſſima inconſtantia delet, & ſaltem ad caſum fraudis Reipublicæ factæ determinat ſententiam; mox idem mutaturus, ſi vel ſibi commodum noverit, vel gratum Romanæ Curiæ. Et poſterius hoc Bartoli judicium pro anteriore cautela magis placuit, cui, velut in fraudem Eccleſiæ & ejus privilegiorum conceptæ (*b*) illi ſequiores pontificii juris Doctores facto impetu dicam ſcribunt, penitus obliti, privilegia Eccleſiæ, quæ velut ſordidos abortus juniorum canonum infelix ætas male uſurpata auctoritate enixa eſt: prius Reipublicæ fraudi fuiſſe, quam ullæ querelæ eſſent de fraude Eccleſiis factâ. Ipſe Schurffius anxie inter ſaxum & ſacrum pendens, dum ſcilicet ex una parte cunctatur deſerere veritatem, ex alterâ Doctorum Canonum autoritate faſcinatur, non ſatis invenit, (*c*) quo ſe vertat. Etenim cum ante reale onus cum ipſa re pervenire ad Eccleſias

(*a*) Conſ. 180 (*b*) Panormitanus, Felinus, Immola Ludov de Roma. & alii: à Schurffio d. Conſ. allegati. n. 9.
(*c*) n. 7. d. Conſ. 44.

ſias ſcripſiſſet, (*a*) nunc periculoſum ratus intempeſtivo veritatis ſtudio Juriſconſultis obſtrepere, qui gratioſam auram mancipiorum more occupantes propediem expirare illud onus ajunt, *poſtquam res pervenit ad perſonam privilegiatam*, ambigue trepideque aſſentitur. *Quare concluditur*, inquit, *in puncto juris verius, etiam non attentis conſiliis Bartoli, videlicet quod res, quæ conſueta erat collectari, ſi perveniat ad Eccleſiam, amittit hoc onus; & ideò reſponſio ſupra à me data ponitur non aſſertivè, ſed ſubdit limitationem fortaſſe, per verbum ſcilicet* vielleicht. Sed ut ipſi aliqua excuſatio eſſet prioris aſſerti, nec videatur uno ore calidum & frigidum ſpirare, inepta cautione redit ad vomitum, *tamen crederem*, inquit, *talem reſponſionem, per adducta pro ea, in principio eſſe veram, ſi prædia fuiſſent vel eſſent, priusquam venirent ad Eccleſiam, obnoxia certis perpetuis & invariabilibus collectis.* Eſt adhuc neceſſitatis caſus, quo exhauſtis Laicorum bonis nec ſufficientibus ad ſumptus publicos quidam ſupplementum ex Clericorum bonis mittunt, tam incertum tamen & conciſum, ut vix ſentire opem Reſpublica poſſit. Nam ex vinculo tantum caritatis (quod plerunque laxum eſt atque ſolutum apud illud hominum genus * plus ſibi ipſi benevolentium, quam proximo) nulla obligationis vi, paratam executionem habente, determinant officium: quod cum recuſant, Principi nulla coactio datur, ſed ſuppliciter ad Epiſcopum eundum eſt, ut ſcilicet cornix cornici oculos

(*a*) n. 3. ibid.

oculos effodiat: etenim nec ipſi diſſimulant, *(a) difficile eſſe hoc impetrare ab illis, ut conſtat hactenus etiam, hoc ſuo officio non reſpondiſſe.* Et certum eſt hac ratione per circulum iri, & vanis ludibriis deludi publicam auctoritatem. Quando enim ſperari poteſt, Epiſcopum, qui imploratur, ſeriò de remediis cogitaturum, ſibi ipſi præjudicio futuris: aut finge ferentem auxilium, in inopes ſacrificulos & ad plebem Cleri derivabitur onus, Optimatibus & purpuratis impune dimiſſis, qui tamen divitias Eccleſiæ tenent, unde neceſſitatibus noſtris poſſet ſatisfieri. Sunt eâ de re querelæ Craſſi, Veneti Civis, dignæ, quæ in hunc locum deſcribantur. *Duo ſunt adhuc, (b)* inquit ad Baronium Cardinalem, *qua niſi omnem penitus rationis & humanitatis ex animo ſenſum amiſiſtis, retinere memoria & aſſidue cogitare debetis. Alterum, ea, quæ ſunt Cæſaris, à vobis poſſideri, proindeq́, ubi publica res ferat, & neceſſitas exigat, æquiſſimum eſſe, ut Cæſari, quæ ſua ſunt repetenti, ſatis omnino fiat: quæ tamen in re multipliciter peccatur à vobis, qui vix unquam Cæſari perſolvitis id, quod eſt perſolvendum, tenuioribus Sacerdotibus duntaxat imperata pecunia, qui, quoniam pauca tenent, pauca etiam conferre poſſunt. Locupletiſſimis quibusque, hoc eſt vobis ipſis, qui ampliſſima & opulentiſſima quæque invaditis, parcendum omnino dicitis. Atque ita Cæſarem maxima ſuarum rerum parte fraudatis, qui ſi jure ſuo velit uti, & pro imperio, quod ſuum eſt, accipere, illico turbæ & minæ & clamores illi;*

(a) Schurpf. Conſ. 44. n. 15. (b) Antipar. p. m. 24.

illi; quæ ſacra ſunt attingere nefas eſſe, quaſi vero privati homines non tantum ſua, quam Reipublicæ jura donare, & conſecrare potuerint, aut ipſe Deus, qui à rebus alienis abſtinere præcipit, ejusmodi dona rata velit habere, & ea, quæ ſunt Cæſaris, reddenda Cæſari jam pridem non ſanxerit. Sed utcunque hac tenui nec invidioſa ope demerentes Rempublicam non potuit (a) Panormitanus ſine reprehenſione ferre, qui niſi utilitatem vel neceſſitatem Eccleſiæ directo & principaliter res tangat, præfractè omne ſubſidium negat, interim ſumma negotii cum cæteris ad magiſtratum Eccleſiaſticum miſsâ. Hæc ipſa jam ſatis inter ſe adverſa fronte pugnantia qua porro ratione cum illis concilies, quæ videntur pro jure Principum dicere? Scilicet (b) *tempore bellorum præſentium, vel quæ veriſimiliter poſſunt timeri, ita quod pariter bona Clericorum & Laicorum in diſcrimen & periculum ducuntur, cogi conferre, & etiam ad refectionem murorum viarum & pontium ad requiſitionem Magiſtratus laici contribuere.* item, *poſſe clericos propter iſtam ſocietatem, quæ venit in Comitatum deprædando, currendo & occidendo gravari ad datia, collectas, & alia onera ſordida, ut contra dictas gentes reparetur*: item *teneri ad cuſtodiam civitatis, murorum tempore imminentis belli.* A quo enim cogi poſſunt? à quo gravari? an à politico Magiſtratu? certe id (c) ſubjuncta ratio ſuadet, *quod privi-*

(a) in c. non minus. cit. à Schurf. d. Conſ. 44. n. 18.
(b) ap. Schurpf. d. Conſ. 44. n. 18.
(c) n. 17. dict. Conſ. 44. ap. Schurf.

privilegium generaliter indultum non includit caſum publicæ neceſſitati contrarium, & ſi includeret, non valeret: ergò ſi non includit, ſi non valet, cum includit, res redit ad primũ ſuum ſtatum, quo olim Sacer Ordo ſubjectus civili imperio: adeoq́ue ceſſante privilegio (à civilibus legibus aut canonum arrogantia datum id ſit, nunc non diſputo, quia utrumq; cum neceſſitatis & utilitatis publicæ exceptione intelligitur) incipiunt reſpirare priſtinæ eminẽtis dominii vires, & nullo ordinis vitæq́ue diſcrimine, ſublato jam externo impedimento, ſubditis æquali virtute & efficacia incumbere. Habes circa hoc argumentum opiniones Doctorum canonum, diſcordi concordia ita impeditas & implexas, ut vix ſciveris, quid unusquisque prætulerit; nedum electionem autorum feceris inter ſe hoſtiliter præliantium.

§. 21. Sed quid intereſt, quomodo potiſſimum ſe illud hominum genus perdat, qui quamcunque elegerint diſciplinæ ſuæ ſemitam, errabunt; in præſentia curæ nobis ſit, quid reſponderi ad argutias poſſit, quas pro ſua cauſa excogitarunt. Profecto fere nihil, quod ſerii nihil afferant aut digni expenſo judicio. Nugas, gerras, fabulas de plauſtris ſpargunt: dubiaq́ue pro compertis accipiunt, falſa pro veris. Primò enim, quanta vanitas eſt & impudentia quod de jure divino gloriantur, Exprimant igitur librum, numerent caput, deſignent verſum, quo tanta libertas nitatur: aut ſi hærent hic & ad majeſtatem divinæ lucis, (quæ, quod ſupra oſtenſum, ſacrum ordinem non minus quam reliquam tur-

turbam ærarium facit) expalleſcunt, quæſo ne ſuccenſeant nobis, quod aſſenſum ſuſpendamus, donec de idoneo teſtimonio conſtiterit. Forte autem ad traditiones ſuas recurrent, illud ignorantiæ ac improbæ cupiditatis aſylum? Nihil in univerſum inclementius contra illas dixerim, ſaltem de traditione illa fidem faciant ex prima & ſanctiore Eccleſia. Concilia requirimus & Patres, qui plusquam ſexcentis primis annis de hac cauſa cum Principibus litem conteſtati ſunt: niſi enim origines traditionum ad Apoſtolorum tempora liquido recenſuerint, nunquam nos eas ex ſcrutinio Pontificis demum erutas amplexabimur. Ut tacem nihil ſacris literis adverſum inter oralem Apoſtolorum doctrinam eſſe poſſe. Verum quid fruſtra ad teſtes antiquitatis provocamus, quos tamen paulo ante pro nobis ſtare comperimus, Chryſoſtomum, Ambroſium, Hilarium, Auguſtinum? illos quanta lumina Chriſtianæ Eccleſiæ? quantæ ſanctitatis & ſapientiæ viros? Ut nihil diſſimulemus, nondum mille ſunt anni, ex quo erigêre criſtas Pontifices, & inter alias firmandi ſui ſtatus rationes illam immunitatis licentiam adſcribere divino juri. Poſt duos Gregorios ſecundum & tertium tandem coercitos violentius exarſit ſeptimus ejusdem nominis, & ut eſt religio ad dementandos ſuperſtitioſæ plebis animos oportunum veneficium, tantum non exemplo Numæ Regis congreſſum cum Deâ ſimulavit, ita omnibus verbis, concionibus, actisque, publicis illa nomina Dei, divini juris, libertatis Eccleſiaſticæ, pietatis, religionis juſti zeli inſerta. Equidem haud ierim inficias,

jam ante hæc turbarum flamina Pontifices aliqua per vices tentaſſe: nunquam tamen id tam pertinaci æſtu, nec quod meliore ſenſu accipi non potuerit. In cauſa ſunt ipſi Principes, qui maximis privilegiis perſonas Eccleſiaſticas & earũ fortunas cumularunt: inter alia fuerunt jurisdictio mandata Epiſcopis in ſui ordinis homines, nomine tamẽ auſpicioq; Imperatorum exercenda: Et libertas ſacrarum poſſeſſionum, immunitate à plerisque civilibus oneribus dotata. Hæc initio cum magnis gratiis à Clero accepta, ultro tantorum beneficiorum authores profeſſo. Mox paulatim rationes conquiſitæ, quibus jura ſua vel adverſus violatores defenderent, vel occaſione temporis uſi in majus proveherent. Accidit aliquando ipſos Principes interveniſſe negotio eccleſiaſtiæ jurisdictionis, ut longinquum poteſtatis uſum aliqua uſurpatione interſecarent: id ſicut modeſti Pontifices & ad antiquæ pietatis imaginem facti ſine querelis tulerunt, ita cum res in inquietos illos & jam ambitione calentes incidit, vociferationes auditæ ſunt clamantium lædi privilegia Ordini ſuo à majoribus erogata: & hæ ipſæ tamen querelæ propius à ſupplicantiũ more abfuerunt, quam ut jure agerent. Acrius interdum cum inferiore Magiſtratu eſt litigatum, verùm nec id alibi quam Imperatore judice, cui ſacer ordo ex inſtrumentis & teſtibus de ſua immunitate fidem fecit. Sed ut ſpecioſius orarent ſuam cauſam, ab eloquentia petitum auxilium, fecitque diſſimulata cupiditas diſertos: Inter alia exquiſita induſtria multisq; ambagibus munificorum Principum laudata pietas, & quod

opus

opus non erat, oſtenſum, quam gratum id fuerit Deo, myſtis bene cupere. Si qui ulterius progreſſi ſunt, plerumque ſimultates cum Imperatoribus exercuerunt, ut inter factiones acta & compenſata meliorum interventu non meruerint ulli homini præjudicio eſſe. Nemo tamen inventus eſt, qui ſe jure divino expreſſe fundaret. Imo, ſi, quæ ex jure canonico deſumuntur, ante gloſſarum ineptiſſimarum corruptelas, probe expendas, certe reperies, iratos etiam & tumidos præſules mitius & tolerabilius loqui: nam multum injuria per intermediam demum perſonam Deo facta ab actione diſtat directa facie juri divino adverſâ: tum multi injuriam interpretati ſunt, quod Principibus licuit ſuo jure facere. Qui enim dare privilegia poteſt, idem repetere, ſi ex bono publico ſit. Videamus interim canones eorum, quos maxime jactant. Etſi enim domeſticos teſtes & ab ipſa Eccleſia ſæpius propter faſtum rejectos non teneamur recipere, tamen ut appareat jam per ſe non ſinceros magis depravari à ſuccincta Doctorum ſuorum turba, ſalvo jure admittere placet. Johannes Papa (*a*) inquit, *Si Imperator catholicus eſt, filius eſt, non præſul Eccleſiæ:* nihil repugno, ſi univerſam Catholicam Eccleſiam, (non Romanam, aut quamvis perticularem tantum) accipias, cujus caput, ſponſus & maritus Chriſtus eſt: Eccleſia omnium fidelium mater, quos per traditam fidem genuit. Alia ad externum particularis Eccleſiæ regimen habita conſideratione Imperator eſt etiam Præſul Eccleſiæ, tutor, pater, paſtor,

(*a*) in c. Si imperator. diſt. 96.

ſcutum, ut hæc nomina in ſuperioribus ex ipſa ſcriptura deprompſimus. Ait porro, *quod ad religionem competit, diſcere ei convenit, non docere*: utique ſi ignorans ſit rectæ diſciplinæ: ſed ita à jureconſultis etiam diſcit, quæ juſtitiæ munera: qui eo nomine nullam divino jure exemptionem ſibi cudunt. *Habet privilegia ſua poteſtatis, qua adminiſtrandis legibus publicis conſécutus eſt, ut ejus beneficiis non ingratus contra diſpoſitionem cœleſtis ordinis nil uſurpet.* Id ultro admittimus, quæ igitur illa diſpoſitio cœleſtis ordinis. *Ad Sacerdotes enim Deus voluit, quæ Eccleſiæ diſponenda ſunt, pertinere, non ad ſeculi poteſtates: quas ſi fideles ſunt, & Eccleſiæ ſuæ Sacerdotibus voluit eſſe ſubjectas.* Nec recuſamus hanc conditionem, ſi res, quæ ſunt in Eccleſia diſponenda, miniſterium verbi intelligunt, cum adminiſtratione Sacramentorum & clavium uſu. Hæc enim Deus peculiaria voluit eſſe ſacro ordini. Illis privilegiis & cœleſti poteſtate ſi pie & ſobrie utuntur, agnoſcimus omnes divinum Imperium, & etiam Imperatores ſubjicimus Eccleſiaſtico regimini, ſed directivo, obligationem ex re ipſa & Dei præcepto habente; non imperativo, quod imperii humani vi obligat. Sin vero dignitatis ſuam divinitatem in tyrannidem convertunt, & humanis ſordibus polluunt, tum jam ipſe Deus ad Principis ceu Vicarii ſui officium voluit pertinere, proditam Eccleſiam in lupeſcentibus myſtis vindicare. His utriusque poteſtatis deſcriptis finibus, utique nunc Imperator, *non ſibi vindicet alienum jus & miniſterium, quod alteri deputatum eſt, ne contra*

cum

eum tendat abrumpi, à quo omnia conſtituta ſunt, & contra illius beneficia pugnare videatur, quo propriam conſecutus eſt poteſtatem. Eadem cautela veriſſima ſunt, quæ ſubſequuntur: *Non à legibus publicis, non à poteſtatibus ſeculi, ſed à Pontificibus & Sacerdotibus omnipotens Deus Chriſtianæ religionis clericos voluit ordinari, & diſcuti, recipiq́ de errore remeantes.* De ordinatione enim nemo ambigit. Sed eam non ignoramus diverſam eſſe ab electionis jure. Diſcuſſionem adæquatam poteſtati traditæ intelligimus, quanta ſcilicet pro clavium uſu ſufficit: quam ſequitur deinde in gratiam ſeu gremium Eccleſiæ receptio, ſeu durante pertinacia continuatio factæ excluſionis. Vides caſtum & ſimplicem canonis ſenſum propediem adulteratum captioſa inſcriptione, *Imperatores Pontificibus ſubeſſe debere, non præeſſe*, quam nemo juſta & proba conſequentia elicuerit: à gloſſa deinde corruptiorem factum ad verbum *diſcuti* veteratoriè iſta notante. *Ergo antequam eſſet aliqua conſtitutio, etiam clerici non erant de juriſdictione ſeculari. Unde omnes conſtitutiones, quæ emanaverunt, quod Clerici non ſunt judicandi, niſi ab Epiſcopis, non ſunt niſi juris declaratio.* Inde, quod forte Pontifex animo texerat, aperte, profiteri non auſus, aperuit myſterium gloſſa, & facile totius Canoniſtarum aciei aſſenſum impetravit, apud quos jam hæc dogmata implent utramque paginam, Clerum jure divino à juriſdictione, &, quod poſt additum eſt, tanquam utile & neceſſarium conſequens, oneribus Reipublicæ liberum eſſe. Habent quidem

& aliam (*a*) conſtitutionem ex Epiſtola Gregorii ad Mauritium Cæſarem collectam, in qua Pontifex nomine Deorum Sacerdotibus autoritate ſacrarum literarum applicato & Conſtantini M. exemplo vult probare, ut habet inſcriptio, Sacerdotes à Regibus honorandos, non judicandos. Verum ſi eſt ea Gregorii candida mens, (quem alias novimus omnium maxime abhorruiſſe ambitioſa Romanæ Sedis conſilia,) oppido falſa eſt & contra ſanam rationem. Dii enim ſunt illic Sacerdotes, non officii ſui proprii ratione, ſed qua Magiſtratus, iidemque ante introductos Reges ſummi in Iſraelitica Republica, quos eo ſummitatis charactere inviolabiles quid mirum non potuiſſe judicari? Regno autem conſtituto ut ſubditos ſæpius Regum tribunal ſubiiſſe, indubitatum eſt. Interea quantus ille nominis Deorum abuſus, pene in ἀνθρωπολατρείαν verſus, quod (*b*) *manifeſtum ſit, non poſſe Deum ab hominibus judicari?* Nam dixerit ita olim M. Conſtantinus, per ambages figurarum cauſam tantum nominavit, cur ipſi conſultum ſit viſum, Epiſcopis jurisdictionem mandare in Eccleſiaſticas perſonas. Tam pronum eſt ſuperbiæ & ambitioni captare inconſiderata floridaque verba ad ſuum compendium! Verum quid iſta pene extra oleas differimus. Dato enim, quod non debet dari, perſonas clericorum aliqua divina conſtitutione ab omni humana jurisdictione exemptas, eandemque legem ſoli Pontifici oraculo intimatam, ut demum ſuis canonum decretis propalaretur: an etiam bona eorum ab one-

(*a*) C. Sacerdotibus II q. 1. (*b*) Satis evidenter diſt. 96.

oneribus & publica penſione, præſtari ſolitâ, antequam ad hoc genus hominum pervenirent? Nulla hujus conſequentiæ neceſſitas, nec forte agnita canonibus, quam tamen interpretes eadem confidentia diſſeminant, vaniſſima ratione, (a) *quod bona & poſſeſſiones, quæ dantur Eccleſiæ, dantur Deo, & ſic efficiuntur ſancta ſanctorum.* O impudentiam, quæ tantis fabulis ſibi fidem molitur. Donaria Deo in Eccleſia poſita manere Reipublicæ ſupra luculenter eſt dictum, quid ergo ſunt iſta ſancta ſanctorum? aut qua tradita autoritate? niſi magna & barbara canoniſtarum factione, ſe invicem fideliter exſcribentium. Etenim quod unusquisque in favorem & gratiam Romanæ Curiæ excogitaverit, alii certatim ſecuti ſunt, quibus non modo religio, verum & metus fuit, illic diſſentire, quod Pontifici placiturum ſit: aut ſi aliquando diverſum abeant, tam tacito id fit & claudo pede, ut tamen rem omnem judicio unius Præſulis ſubmittant. Atque hinc fit, quod ſi illam voluminum barbariem perſcrutaris, nullibi non juris divini ſententiam poſſis legere. At cum altius ex tanta lacuna in meliorem lucem antiquitatis emergis, evaneſcunt paulatim cum ipſis ſcriptoribus, velut leporum, quæ canes fugiunt, veſtigia, nec niſi tenuiſſima & rara in canonibus medii temporis ſervantur: donec, aliquot ſecula emenſus, penitus diſpereunt, & quod ſolet rumoribus incerto autore publicatis accidere, condunt ſe in turbam. Hæc nunc ſufficiant contra immunitatem, jure divino ſubnixam. Nam quod ſuper-

(a) Scharpf. Conſ. 44. n. 6.

pondii loco quidam addunt, ipſum Principem prohibere bona clericorum ſubjicere exactionibus: *ideoq́ peccare transgreſſores tanquam non obedientes Principi, & alias ſubditum, qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtere*, huc non pertinet: quia quæſtio eſt de jure immunitatis per Deum immediate promulgato. Illo enim argumentandi modo omnes civiles leges facile poterunt in jus divinum mutari, etiam illæ, quæ Sacri ordinis poſſeſſiones in cenſum redigunt. Neq; enim hæc minus ordinatio Dei ſunt, quam illæ, quæ non amplius ordinatio manent, cum eas Princeps mutata voluntate abrogat, quod ei facere licet, ut licuit condere. Igitur ad alias rationes, ſi quas habent, tranſeamus. Interdum defectum poteſtatis objiciunt. *Nam cum clerici,* (*a*) ajunt, *non ſint ſubjecti laicis, ergo laici non poſſunt eis imponere collectas pro rebus.* Quis neſcit principium peti, & oppido falſum fundamentum ſubſterni cauſæ. Sunt enim, ſunt omnino ſubjecti clerici ſeculari poteſtati, quia omnis anima, etiam Apoſtoli, Evangeliſtæ, Prophetæ. Quod alio capite prolixe declaratum. Ita eripimus vobis ſcutum, veſtra tela in vos jacimus, vos veſtro gladio confodimus. Si Princeps omnibus ſubditis imperare tributa poteſt, ergo & Sacerdotibus, in tribum animarum ab Apoſtolo collocatis, quæ ſubordinantur. Ex quo etiam obtunditur Bartoli acumen, (*b*) *collectam eſſe munus, quod imponitur perſonæ pro patrimonio: ſed tale munus non poſſe niſi ſubjectis tantum, hoc eſt civibus & incolis, imponi. Item,*

Ad

(*a*) Schurpf. Conſ. 44 n. 7. (*b*) Conſ. 180.

Ad ſolutionem alieni debiti neminem poſſe urgeri. Sed ſi diceres Clericos debere ſolvere collectas, jam poneres eos cogi ad ſolutionem alieni debiti, cum civitates non poſſint imponere collectas niſi pro earum neceſſitatibus. Quod ſi enim civibus & incolis, ut Eccleſiaſticos non comprehendunt, metitur totam civitatis parentem partem, quæ imperium recipit, falſus eſt, cum Sacer Ordo ejusdem parentis partis pars aliqua ſit, propemodum meliore jure, quam incolæ non tantum de Republicâ participantes. Cur enim ſi nulla eſt noſtri corporis portio, non expellimus eum civitate? cur in alieno dominari ſinimus? Aut ſi eſt aliqua, certe ſubdita & parens. Imperantem enim partem illi ſuſtinent, quibus cum imperio rerum ſummam Deus dedit. Collatione tributorum non alienum, ſed ſuum debitum Clerici ſolvunt, quia ſua etiam in Republica bona poſſident, obnoxia illis oneribus; neq; periculum eſt, cum aliquid Eccleſiaſtici pendunt, id publicis neceſſitatibus non ceſſurum. Igitur aut agros & poſſeſſiones relinquant civibus, aut ſi his perfrui volunt, ſubeant etiam civilia munera. Res omnis cum onere ſuo tranſit, nec privatam quidem ſervitutem rei impoſitam Eccleſiis acquiſitæ licet devitare: quanto minus publicam perpetuam illam & ex ipſo civili imperio tum ultimo & ſupremo fine manantem. Nam benè Cerealis apud (*a*) Tacitum. *Neq; quies gentium ſine armis, neq; arma ſine ſtipendiis, neq; ſtipendia ſine tributis haberi queunt.* Quid ad hæc Bartolus? frigidum quid & verticoſum: ſcilicet

(*a*) Hiſtor. 4.

illud onus ſolvendarum collectarum non inhærere rei, ratione ipſius rei: ſed ratione ipſius perſonæ: quando ergo res non eſt talis perſona, quæ ad collectam tenetur: neq; ipſam rem teneri nec obligari. Sed per circulum ſic itur: eſt enim res perſonæ, quæ jure cogi ad tributum poteſt: eſt ſacri ordinis, ſubditi civili poteſtati, adeoque oneribus publicis, quæ ſubditos manent obligati. Deinde non perſonæ eſt onus, ſed ipſius rei: facile id apparet, quando in extraneum, non civem, adeoque perſonam tranſit, per ſe illi Civitati nulli tributa debentem, quæ peregrinis non poſſunt imponi. Sed nihil tamen ea alienatione decedit ærario: nam poſſeſſor, quisque ille demum ſit, ſolita munera præſtat: cujus igitur intuitu? non certe ſuæ perſonæ: quæ libera à ſubjectione & obſequio: ergo rei, cum ſuo onere tranſeuntis.

§. 22. Hæc cordati in medio Papatu viri conſiderantes nullam Eccleſiarum immunitatem aliam nobiſcum agnoſcunt, quam quæ eſt ex conſtituto jure & beneficio Principum, adeoque obnoxiam civili imperio & ipſi mutationi, ut omnes humanæ leges ſunt. Certe, ſi unquam, hujus ſeculi initio penitus diſcuſſa eſt hæc cauſa, & ambitioſorum hominum, qui non procul ab independentibus abſunt, fraudes detectæ. Ut ille Euphormionis Venetus hoſpes cum ratione (a) dixerit: *ſed nec impune pertulimus ſævientem: & ut amicis fœderibus coeamus, durabit ad poſteros atrox memoria vulnerum, quibus Gephyriorum cauſam hæc contentio afflixit.*

Quot

(a) ap. Barcl. Satyr. part. II.

Quot volumina per orbem diſſipata excuſſere Gephyrii vires, & hanc vanitatem imperandi deriſerunt? nec ab iis quidem ſparſi, quos religio iniquiores fecit, ſed ab illis, qui ſacrorum participes tamen docent, graviora ſceptra eſſe, quā ut illa inanes ſcholaſtici argutiis moveant. Inter illos eſt etiam Hieronymus Vendramenus, cujus jam ante memini, qui cum Paulo Servita eximio & fideli in patriam ſtudio Venetorum partes eruditiſſimis ſcriptis tutatus eſt. Placet igitur ejus quædam verba huc transferre, ipſius ſcilicet Theologi & Sacerdotis, ut conſtet, non omnes pro Catilina adverſus Rempublicam ſtetiſſe. *Silentio certe,* (a) inquit, *iſta præterire decreveram, tamen quoniam divi Ambroſii, Eccleſiæ Sanctæ Doctoris graviſſimi, doctrina eſt, nihil me novum aut inuſitatum putabo dicere. Expreſſe enim hoc ipſe docet, in oratione de tradendis Baſilicis ſi tributum, inquit, petit Imperator, non negatur, agri enim Eccleſiæ ſolvunt tributum: & infra. Tributum Cæſaris eſt, non negatur. Eccleſia Dei eſt, non debet addici. Accepit hæc D. Ambroſius ex D. Pauli doctrina, qui capite decimo tertio ad Romanos juxta expoſitionem D. Johannis Chryſoſtomi omnes homines, cujuscunque ordinis ac ſtatus ſint, tam ſeculares, quam Eccleſiaſticos poteſtatibus ſublimioribus ſubjectos eſſe dicit: non ſolum quoad correctionem, de qua infra: verum etiam quoad tributa: ideoq, inquit, neceſſitate ſubditi eſtote, non ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam: ideo enim & tributa præſtatis. Mini-*

(a) In disquiſ. contr. Bar. p. m. 30.

Miniſtri enim Dei ſunt, in hoc ipſum ſervientes: reddite ergo omnibus debita, cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal, cui timorem, timorem, cui honorem, honorem. Ad quod tributum D. Paulus omnes adſtringit, neminem excipit, nullum abſolvit. A quo certe nec Chriſtus Dominus abſolvi voluit; habemus enim Matthæi decimo ſeptimo expreſſe Chriſtum ſolviſſe tributum. Eccleſiaſtici igitur, qua ratione, ab hoc tributo liberos ſe eſſe debent gloriari ſatis probabile argumentum adhuc non apparet. Illud eos ignorare nolo, quod ſi alicubi liberi á tributo eſſe videntur, SCIANT ID ILLIS NON CONTINGERE DIVINO ALIQUO VEL NATURALI PRÆCEPTO, SED, *ut D. Thomas exponit in hunc D. Pauli locū ſupra,* PRINCIPUM PRIVILEGIO, *quibus ſi libuerit non eximere, poſſent non eximere. Quod & ratio ſuadet. Nam ſicuti Principū beneficio bona temporalia Eccleſiaſticis poſſidere eſt conceſſum, ita eorundem Principum beneficio vel privilegio ab oneribus & tributis, quib⁹ ejusmodi bona ſunt obnoxia, poſſunt eximi & non eximi. Eccleſiaſtici certè, ſi tributa & cætera, quæ de jure Principibus ſolvere tenentur, præſtare ratione bonorū temporalium, quæ poſſident, nec ea, quæ mera Principum benignitate ac privilegio ſemel acceperunt, nunc jure hæreditario ex Chriſti ſucceſſione ſe accepiſſe ac poſſidere tuerentur decretis ſummorum Pontificium, libera ab omni hujusmodi ſolutione & tributo, & quod forſan pejus eſt, niſi furtim paulatimq; ſummam Principum ſecularium auctoritatem ac dominium affectare, atq; ad orbis univerſi monarchiam temporalem*

aſpi-

aſpirare viderentur, contra Chriſti domini inſtitutum, non eſſet, cur tantopere Principes fere omnes timendum ſibi judicarent. Experientia enim compertum habent, ſummos Pontifices ac reliquos Romanæ Eccleſiæ aſſeclas à paupere Chriſti, Petri ac priorum ſummorum Pontificum vita eò dignitatis, honoris, opum ac potentiæ deveniſſe, ut imperii Romani Sede Roma, orbis univerſi domina, neſcio qua ratione potiti, hanc forte ob cauſam extra Italiam & Imperatoribus reſidere coactis, ibidem nunc cum melioribus ac ditioribus ejusdem imperii prædiis ac reditibus, nec non cæterorum Principum Chriſtiani orbis, imperatoriam majeſtatem, non Chriſti humilitatem exhibeant. Propterea fere omnes timent, verentur, expaveſcunt: ſed hæc ſilentio. Et paulo poſt: *In hoc certe Eccleſiæ Dei nulla videtur injuria irrogari, nulla libertas opprimi. Niſi forſan injuria dicenda eſt, ſe ſuaq; tueri, neve temporalia ſua commoda in Eccleſiaſticorum temporalia vertantur, quæ certe, à quocunque poſſideantur, ſemper temporalia nata ſunt eſſe, neq; ullo modo, id quod temporale eſt, ſpirituale fieri poteſt: niſi forte eo, quod à ſpiritualibus viris poſſideatur, qua ratione dicendum eſſet, omnia, quæ à ſpiritualibus viris poſſidentur, ſpiritualia eſſe, nulla temporalia, quod admittendum non eſt. Currus enim, lecticæ, canes venatici, equi, abaci, periſtromata, horti, prædia, & cætera hujusmodi, etiamſi ab Eccleſiaſticis ſpiritualibus poſſideantur, nullo modo dicenda ſunt ſpiritualia.* Tantum Vendramenus.

§. 23. De vectigalibus conſulto hucusque

ſilui

ſilui, à quibus tanta pertinacia & contentione non ſolent ſe ſubtrahere: Quamvis enim generalibus ſuis immunitatum & privilegiorum regulis (*a*) telonia etiam includant, tamen cum ad rem ipſam veniunt, vix debitum recuſant. Nam (*b*) communiter cenſent, Eccleſiaſticos *teneri ad ſolutionem gabellæ deputatæ ad refectionem viæ, ſi Clerici via utuntur, quam plauſtra & currus deſtruunt*. Eodem ſenſu apud (*c*) Jaſonem iſta legi. *Eccleſia ſi in ſuis prædiis ferrum fodiat, & portet in Civitatem, ut vendat, tenetur ſolvere gabellas*. Hæc ſi quis nunc à regula communi exceptionem faciat, ſeu cum ea pugnam, quod magis videtur: parum curo. Hactenus de eminentis dominii ordinario actu, qui circa tributa occupatur.

§. 24. Sequitur alter extraordinarius, idemque ultimus, ſed qui dignatione & actuoſa virtute facile omnes ſuperet: ſcilicet occupatio Eccleſiaſtici boni, ex utilitatis & neceſſitatis publicæ cauſa. Sunt interdum Reipublicæ tempora, quibus, ſi ſalva civitas eſſe velit, non licet trita veſtigia ſequi, illudque quotidianum & civile regiminis inſtitutum, ſed gravius incumbendum eſt ſceptro, magnumque illud exemplum ſtatuendum, quod dum aliquid ex iniquo habere videtur, adverſus ſingulos publica utilitate rependitur: ſive atrocitas mali fortem atque audacem manum deſideret, ſeu perſpicua & vigil publici boni ratio opportuna maturaque circumſpectione

(*a*) Schurpf. Conſ. 44. n. 1. (*b*) Bald. Felyn. Jac. Butr. & alii citati à Schurpf. d. Conſ. 44. n. 19. fin. (*c*) ad l. ut inter divinum C. de SS. Eccl. n. 24.

one caveat, ne locus ſit improviſæ neceſſitati. Magna quidem cauſa eſſe debet tam invidioſi operis incolumi fama conficiendi: ſed ea non ex ſolo diſcrimine prementis jam aut percutientis fortunæ metienda. Satis enim eſt, ſi metui probabili judicio periculum poſſit, & velut ex altâ ſpeculâ provideri, ut in tempore occurratur longinquis neceſſitatibus, & nondum ſe cum terrore explicantibus. Quippe conſultius facit, qui prævîſo ictu objicit ſcutum, nec demum poſt acceptum vulnus de remedio laborat. Trepidatur plerunque ingruentibus malis, & non animi non conſilii ſatis expediendæ ſalutis: igitur dum impercuſſa adhuc mente viribus noſtris nobisq; confidimus, ita ad omnes iniquioris fati ſtrepitus nos componere decet, ut, quod periti pugiles facere ſolent, ſemper longe projectis brachiis ſtemus, nec cavendis ictibus nobis defuturi, nec inferendis. Indigeat munimentis Civitas ad vim hoſtilem ſuſtinendam, an in pace incurioſi expectabimus, donec mœnia miles circumſideat: noſque demum excidii metu ſecuritatis noſtræ recordetur? an libertate temporis omiſſa nos iis anguſtiis includemus, ut jam ſerum ſit de defenſione cogitare? an quietis rebus cogemur ut perpetuo metuamus: ab hoſte docebimur nobis conſulere? Nihil igitur imprudentius, nihil iniquius hâc Politicorum ſententia, *Majeſtatem poſſe neceſſitatis tempore invadere privata bona*, ſi neceſſitatem circumſtrepentibus armis definiunt, non publica utilitate aut ex futuro metu æſtimant. Eſt tamen aliquando ea negotiorum, conditio, ut niſi calamitate præſente

præ-

præpoſterum ſit tam violenta medicina ut, velut crudo adhuc & immaturo malo, quod ſe nondum tractari patitur: aut quod indecorum ſit & ſervile, ad omnes rapacium hominum minas faſces ſubmittere: tandem cum de perdenda magis re noſtra agitur, quam tuenda. In hac enim nullum tempus eſt, quando non vigilare nobis & in ſtatione eſſe liceat: illic tam diu protrahenda neceſſitas, donec irreſiſtibili vi deſolationem Reipublicæ minatur, niſi eam velut objecta offa mitigemus. Tunc enim melius eſt quarundam partium jacturam ferre, quam præfracte totius corporis ſalutem exponere: ſed antequam nos urgeri ſentiamus, tam ſtultum erit & probroſum ſtationem deſerere: quam poſtea excuſabile & prudentiæ plenum munus referre pedem, nec iratæ fortunæ pernicioſâ luctâ obniti. Sed hæc imperantis inſpectio eſt, civibus hic nullum arbitrandi jus, niſi ſtipulati illud ſint, & Princeps promiſerit, ſe illorum ſententias ſuper neceſſitatis utilitatisque puncto rogaturum: Extra hoc mutui pacti vinculum nullas civibus ſuffragiorum partes damus, omnes Principi. *Nam qui univerſæ Civitatis ſalutem procurat*, inquit (a) Hornius, *& ſingula momenta civilia expendit: cujus arbitrio decernuntur omnia magnarum rerum conſilia, eidem ſola hæc decretoria ſummi imperii portio cum judicio definiendi tempus invaſionis relinquenda eſt. De hoc judicio Principis non niſi præclarè ſperandum ſubdito, & ubi ſe aperuerit, eximiè ſentiendum eſt.* Interea plerunque tardius properatur ad ſacra-

(a) de Civit. l. 2, c. 4. §. 18.

ſacrarum rerum invaſionem, nec penè aliter niſi in ſubſidium deficientium aliorum bonorum: tamen cum uſus poſtulat, nulli parcitur. Cum Eccleſia circa Civitatem vallo & propugnaculis nudatam agros, hortosque poſſidet, inſidentur à Republica, aggeribus atque foſſis cedunt. Si ædificium obſtiterit; Baſilica, templum, fanum, vel extra muros hoſti receptaculum futurum in oppugnanda urbe: vel intra mœnia civibus impedimentum in defendenda, propediem diruitur, loco operibus aſſignato: quicquid redituum, decimarum, frumenti vinique in rure Eccleſiis eſt irruenti hoſti in prædam caſurum, quod velox nec expectata irruptio prævenerit transvectionem ſpecierum ad munita loca, injicitur ſacris oblationibus ignis, & ſæpe cum proventibus integræ Provinciæ conſumitur omnis ſacri ordinis alimonia. Aut ſi in belli ſumptus Reipublicæ pecunia opus ſit, commeatu, ſtipendio, aut area, munitionibus idonea: ubique moris eſt excuti Eccleſias, & ad ferendas laboranti publico ſuppetias hortari: renuentes onus cogi imperio. Apud omnium religionum gentes, Ethnicos, Judæos, Chriſtianos illuſtria ſunt pro hoc jure competente ſapientum virorum ſuffragia: pro exercito & in actum deducto exempla. Tiberius Gracchus apud Plutarchum, * ἱερὸν καὶ ἄσυλον οὐδὲν οὕτως ἐςὶν, inquit, ὡς τὰ τῶν Θεῶν ἀναθήματα· χρῆσθαι δὲ τούτοις καὶ κινεῖν καὶ μεταφέρειν, ὡς βούλεται, τὸν δῆμον οὐδεὶς κεκώλυκε. Ejuſdem ſenſus eſt illud (a) in controverſiis Senecæ Patris. *Pro republica plerunque templa nudantur, & in uſum ſtipen-*

(a) In Excerpt. 4, 4.

dii dona conflamus. Nihil frequentius apud Græcos, quam ſigna & theſauros templorum ſuorum ad belli ſumptus computare. (*a*) Egeſtæi Siculi in armorum Societatem contra Syracuſanos Athenienſes tracturi, inter alia opes offerunt καὶ χρήματα εἰς τὸν πόλεμον ἱκανὰ: quæ illa? non profana tantum, reditus ſcilicet & divitias civitatis ærariique publici opulentiam, ſed Deorum etiam donaria & ornatus. Mox enim Legati, Athenis Egeſtam miſſi, * περὶ δὲ τῶν χρημάτων σκεψόμενοι εἰ ὑπάρχει ὥσπερ φασὶν ἐν τῷ κοινῷ, καὶ ἐν τοῖς ἱεροῖς, ad populum referunt, * τά τε ἄλλα ἐπάγωγα, καὶ οὐκ ἀληθῆ, καὶ περὶ τῶν χρημάτων, ὡς εἴη ἕτοιμα ἐν δὲ τοῖς ἱεροῖς πολλὰ, καὶ ἐν τῷ κοινῷ. Eodem conſilio Pericles obſtupeſcentes ad ſuas calamitates Athenas erexit, numeratis ſcilicet opibus divini & humani juris, quibus tueri rempublicam adverſus Lacedæmonios poſſent. Nam poſt recenſitos annuos reditus fundoque ærarii excuſſo ad res ſacras ipſumque adeo mundum Deæ pergit, eum ſimulacro detrahendum ſervandæ patriæ cauſa nihil dubitans. (*b*) * Χωρὶς δὲ χρυσίου ἀσήμου, καὶ ἀργυρίου ἐν δὲ ἀναθήμασιν ἰδίοις, καὶ δημοσίας, καὶ ὅσα ἱερὰ σκεύη περὶ δὲ τὰς πομπὰς καὶ τοὺς ἀγῶνας καὶ σκῦλα μηδικὰ, καὶ ἐν τὶ τοιοῦτο τρόπον οὐκ ἐλάσσονος ἦν ἢ πεντακοσίων ταλάντων: ἔτι δὲ καὶ τὰ ἐκ τῶν ἄλλων ἱερῶν προσετίθει χρήματα οὐκ ὀλίγα, οἷς χρήσεσθαι αὐτοὺς: καὶ ἢν πάνυ ἐξείργωνται πάντων, καὶ αὐτῆς τῆς Θεοῦ τοῖς περικειμένοις χρυσίοις: ἀπέφαινε δ' ἔχον τὸ ἄγαλμα τεσσαράκοντα τάλαντα σταθμὸν χρυσίου ἀπέφθου καὶ περιαιρετὸν εἶναι ἅπαν ἐπὶ σωτηρίᾳ. A Syracuſis tempore Timoleontis idem factum: idem à Magone in Hiſpania. Chii mulctam ſibi

à Mi-

(*a*) Thucid. l. 6. (*b*) Thuc. l. 2.

à Mithridate dictam inopiâ ærarii etiam ex ſacris vaſis conficiunt. Portius Cato *arbores religioſas lucosq; ſuccidi permiſit, ſacrificio prius facto, cujus rei rationem quoque eodem volumine tradidit*, inquit (*a*) Plinius. Sulla bello Mithridatico donaria ab Olympia, Epidauro, Delphis abſtulit, in belli impenſas. Judæi quoties eodem jure uſi? quoties ad redimendam pacem Syris Aſſyriisque magna auri & argenti vis appenſa, & inter illa etiam exhauſtis regni bonis maximi templi opes? præcipue à Regibus, neq; malis, neq; ob id à Deo increpitis, ſed quod tam probroſo obſequio à fiducia defeciſſent, quam ſibi ſummum Numen voluit exhiberi. (*b*) Joas Haſaëli Syro muneris nomine dedit, quicquid in cõſecratis bonis reperit. Tantundem (*c*) Hiskias ille Optimus & religioſiſſimus Princeps Sanheribo Aſſyriorum Regi mittit, regias ſcilicet omnes & ſacras opes. Apud Chriſtianos eximia eſt Divi (*d*) Ambroſii ſententia. *Si agros deſiderat*, (Imperator ſcil.) *poteſtatem habet vendicandorum, nemo noſtrum intervenit: poteſt pauperibus collatio populi redundare. Non faciant de agris invidiam, tollant eos, ſi libitum eſt. Imperatori non dono, ſed non nego*: quid efficacius pro eminente dominio dici poſſet? quid civilius & modeſtius pro jure Principis? Ubi hodie illud tam eximiæ patientiæ & obſequii ſpecimen? non certe inter æſtuantes minas, fulmina, ſeditiones. Vendicandi agros poteſtatem Imperator habet, at ea ſemper legitima eſt, juſta eſt: quia ſemper

(*a*) l. 7. c. ult. (*b*) 4. Reg. 12, 18.
(*c*) 4. Reg. 18, 15. (*d*) Orat. in Aux.

à Deo: quicquid vis intervenit aut injuriæ, non ipſi poteſtati imputandum, ſed oppoſito vitio, tyrannidi & injuſtæ uſurpationi. Sicut liberalitas ſemper virtus, cui nullum ex prodigalitate devio à ſe vitio opprobrium. Non faciant de agris invidiam, ita Ambroſius jubet; at ſuperiore ſeculo fecere, recalcitravere, clamavere mera ſacrilegii, furti, raptus, parricidii ac neſcio cujus non impietatis crimina: fecere invidiam apud populum in concionibus, arcanis confeſſionum, ſcholis atque conviviis: ignaram rei & credulam plebem ſecreta & horribili juramenti religione obſtrinxere pro ſui ordinis defenſione contra legitimos Dominos. Denique quod ultimum eſt meditatæ ſeditionis, fulmina uno impetu in Principes cuſa jaculataque; ſubditi liberati ab obſequio, tum toto regno improviſo ad arma conclamatum, ſigno primum ex ambone & in Eccleſiis, ubi minimè decet, dato, moxque per pridem comparatas factiones tubis atque tympanis in omnibus imperii provinciis juſto belli claſſico excepto: His artibus Gallia ſuperiore ſeculo à parricidis debellata. His Anglia pene abſuit, ſubmerſa. Sed aliud antiquæ pietatis inſtitutum fuit: ibi agnita poteſtas vendicandi agros, nemo Præſulum intervenit, nemo invidiam fecit; tollere ſi libitum eſt licuit: non donantur imperatori, quia jam ſua ſunt eminentis dominii jure: ſed non negantur, non retinentur aliena, cuique jus ſuum tribuitur ex præcepto naturæ legis. Hac diſciplinæ ſanctitate imbuti Chriſtiani, Pontifices, Epiſcopi, Sacerdotes, nemo Agapeto nemo Heraclio obſtitit Eccleſiæ

vaſa

vaſa in gravi neceſſitate ſeu oppignoranti ſeu in nummos convertenti auro & argento omni conflato. Quamvis vero inundante ſequioris eccleſiaſticæ libertatis æſtu obruta priſtini juris majeſtas, & primæ innocentiæ lenitatisque Numen in generoſos vaniſſimæ ambitionis ſpiritus tranſiit, emicuere nihilominùs hujus poteſtatis interdum aliquæ ſcintillæ ex denſa illa tenebrarum caligine, ſed transeunte brevique ſcintillatione, ſubinde celeri concurſatione eorum reſtincta, quibus mundum decipi lucro fuit. Certe Æneas Silvius, nondum ille Pius Pontifex, adeoque incorrupta adhuc & recta indole, quam mox inſperata dignitas in deterius mutavit, eximie cauſam egit eminentis dominii & imperatorii juris. *Dicendum eſt etiam aliud*, (a) inquit, *quod aliquibus fortaſſe durum videbitur, & abſurdum: ſed non debet taceri quod verum eſt, dictuq; utile. Nempe liberum eſt Imperatori non ſolum homini nequam, ſed etiam viro bono ac de Republica bene merito proprium agrum, proprias domus, propriasq; poſſeſſiones auferre, ſi Reipublica neceſſitas id expoſtulat. Hinc videmus prædia ruſtica, quæ bellis imminentibus damnoſa ſunt civitati, cum ædificiis incendi, agros effodi, vineas amputari, frumenta ex privatis horreis pecuniasq; arcis ad publicum uſum deduci: quamvis hoc ſingularibus hominibus videatur eſſe damnoſum, minus tamen malum eſt, privatos viros quam Rempublicam peſſumdari.* Nullum hic ab Ænea Ordinis vitæque diſcrimen factum, bonorum virorum, & qui de

(a) De ort. & auth. Imp. c. 17.

republica bene meriti ſunt,agros,domus, poſſeſſiones in prædam Imperatori dat : at tales etiam viri procul dubio videri omnis clerus vult : permittit ruſtica prædia cum ædificiis incendi,agros effodi, vineas amputari : at hæc certe Eccleſiarum eſſe poſſunt. Eo enim neceſſitatis tempore non poſſeſſorum habetur ratio, ſed conditionis ipſarum rerum, an ſcilicet relictæ commodo hoſtibus eſſe poſſint : aut dum mature occupantur, uſui Reipublicæ. Sed quid ex antiquitate teſtimonia atque exempla conquirimus ? Quantum ſatis eſt patria habemus, & in ipſo ſinu noſtræ Reipublicæ aſſervata. Cùm Imperator ferme intra unius ſeculi complexum pacis cauſa bis opulentiſſima prædia,totos Epiſcopatus,Præbendas, Abbatias, Canonicatus, aliaque olim ſacro Ordini propria huic ablata Principibus Imperii addixit, ſeu in uſum ſuæ religionis à mendis repurgatæ, ſeu fiſci incrementum. Hoc ultimum imprimis nupera pacificatione Oſnabrugenſi aliquorum Statuum gratiæ datum, quibus vel compenſationis loco, vel ſub titulo ſumptuum belli damnorumque refundendorum *plures Archiepiſcopatus* : ut lachrymosè & miſeranter Innocentius Pontifex, (Zelo ſcilicet domus Dei animum ejus commovente, verius avaritiâ & ambitione ſeu πολυπραγμοσύνη dixiſſet,) conqueritur, *Epiſcopatus, Monaſteria, Præpoſituræ, Ballivia, Commendæ, Canonicatus & alia beneficia & bona Eccleſiaſtica Principibus*, (ut quidem bono Patri viſum) *hæreticis eorumq; hæredibus etiam ſublata denominatione eccleſiaſtica in feudum perpetuum ſub dignitatis ſecularis*

tularis titulo conceſſa ſunt. Primò Sueciæ regno pro locorum diuturno illo bello occupatorum reſtitutione Imperator omnium ordinum conſenſu inter alia bona imperii Pomeraniam citeriorem Rugiæque Principatum in perpetuum & immediatum feudum conceſſit (*a*) *una cum ditionibus locisq́ annexis, omnibusq́ & ſingulis ad ea pertinentibus territoriis, præfecturis, urbibus, caſtellis, oppidis, vicis, pagis, hominibus, feudis, fluminibus, inſulis, lacubus, litoribus, portubus, ſtationibus, antiquis vectigalibus, & reditibus, &* QUIBUSCUNQUÆ ALIIS ECCLESIASTICIS *& ſecularibus bonis, nec non titulis, dignitatibus, præeminentiis, immunitatibus, & prærogativis, cæterisq́* OMNIBUS AC SINGULIS ECCLESIASTICIS *juribus ac privilegiis. Quicquid etiam juris in collatione Prælaturarum & Præbendarum Capituli Caminenſis antehac habuerunt Duces Pomeraniæ citerioris, habeat in poſterum regia Majeſtas, regnumq́ Sueciæ perpetuo,* ET CUM POTESTATE EXTINQUENDI REDDITUSQUE MENSÆ DUCALI *poſt modernorum Canonicorum & Capitularium deceſſum* APPLICANDI. Porro, (*b*) *Imperator de conſenſu totius imperii* CONCEDIT *regno Sueciæ* ARCHIEPISCOPATUM BREMENSEM ET EPISCOPATUM VERDENSEM *cum oppido & Præfectura Wilshuſen,* OMNIQUE JURE, QUOD ULTIMIS ARCHIEPISCOPIS BREMENSIBUS COMPETIERAT IN CAPITULUM ET DIOECESIN HAMBURGENSEM, *cum omnibus & ſingulis ad eos pertinentibus, ubicunque ſita ſunt* ECCLESIASTICIS *& ſecularibus bonis & juribus quocunq́*

(*a*) Inſtr. Pac. §. 10. (*b*) I. P. ibid.

nomine vocatis terrâ mariq; IN PERPETUUM ET IMMEDIATUM IMPERII FEUDUM *ſub ſolitis quidem inſigniis*, SED TITULO DUCATUS; CESSANTE CAPITULORUM CÆTERORUMQUE COLLEGIORUM ECCLESIASTICORUM ELIGENDI ET POSTULANDI OMNIQUE ALIO JURE, *adminiſtratione & gubernatione terrarum ad hos Ducatus pertinentium.* Deinde Electori Brandenburgico pro compenſatione ceſſæ Pomeraniæ, in quam ipſum extincto antiquorum Ducum ſanguine oportuit ſuccedere, (a) *à ſacrâ Cæſareâ Majeſtate de conſenſu Statuum imperii & præcipue intereſſatorum traditur* EPISCOPATUS HALBERSTADIENSIS *cum omnibus juribus, privilegiis, regalibus, territoriis & bonis ſecularibus &* ECCLESIASTICIS, *quocunque nomine vocatis, nullo excepto* IN PERPETUUM ET IMMEDIATUM FEUDUM: *ita ut Epiſcopatus Domino Electori totiq; ſuæ Domui & agnatis maſculis cum eorum ſucceſſoribus & hæredibus maſculis, ordine, quo ſibi invicem ſuccedent*, HÆREDITARIUS MANEAT, *atque Capitulo nullum jus in eligendo & poſtulando vel etiam regimine Epiſcopatus, & iis, qui eo pertinent, reliquum ſit. Sed modo dictus Dominus Elector & juxta ordinem ſucceſſorium reliqui ea poteſtate in hoc Epiſcopatu utantur, qua reliqui Principes imperii in ſuis territoriis utuntur.* LICEATQUE QUARTAM PARTEM CANONICATUUM, *excepta Præpoſitura in hanc computationem non numeranda, decedentibus ſucceſſu temporis modernis eorum poſſeſſoribus*, EXTINGUERE, EORUMQUE REDITUS MENSÆ EPISCOPALI, (ſeu

(a) *Inſtr. Pac.* §. 11.

(ſeu potius Principali : nomine enim tituloque Principatus, ut infra definitur, hic Epiſcopatus cum duobus ſequentibus datus eſt Brandenburgicæ Domui, ex quo ſe etiam Principes non Epiſcopos appellant) INCORPORARE. *Quod ſi tot Canonici Auguſtanæ Confeſſionis non ſunt, qui quartam partem totius corporis Canonicorum dempto Præpoſito conficiant*, NUMERUS SUPPLEATUR EX CATHOLICORUM DECEDENTIUM BENEFICIIS. Adhæc, *Eidem Domino Electori pro ſe & ſucceſſoribus ſuis traditur* EPISCOPATUS MINDANUS *cum omnibus juribus & pertinentiis pari ratione, ut ante memoratus Epiſcopatus Halberſtadienſis*, IN FEUDUM PERPETUUM *à Sacra Cæſarea Majeſtate de conſenſu Statuum imperii.* Amplius, *Dicto Domino Electori & Succeſſoribus ſuis* EPISCOPATUS QUOQUE CAMINENSIS IN FEUDUM PERPETUUM *ab Imperatore & imperio conceditur, eodem plane jure & modo, ut ſupra de Epiſcopatu Halberſtadienſi & Mindano diſpoſitum eſt : ſed cum hoc tamen diſcrimine, ut in Epiſcopatu Caminenſi integrum ſit Domino Electori Canonicatus poſt deceſſum præſentium Canonicorum extinguere & ſic* SUCCESSU TEMPORIS TOTUM EPISCOPATUM ULTERIORI POMERANIÆ ADJUNGERE SEU INCORPORARE. Denique, *Similiter conceditur Domino Electori expectantia in Archiepiſcopatum Magdeburgenſem, ita quidem, ut quandocunque eundem morte aut ſucceſſione in Electoratu, vel quacunque alia ſucceſſione præſentis Adminiſtratoris, Domini Auguſti, Ducis Saxoniæ, vacare contigerit, totus iſte Archiepiſcopatus cum omnibus eo pertinen-*

tibus territoriis regalibus & juribus, prout ſupra de Epiſcopatu Halberſtadienſi diſpoſitum eſt, Domino Electori, ſuiſq; poſteris & ſucceſſoribus hæredibus & agnatis maſculis, non obſtante ulla electione aut poſtulatione interea temporis, ſive clam, ſive palam facta, tradatur & conferatur In Feudum Perpetuum, *ſitq; eidem vel iisdem jus authoritate propria vacantem apprehendendi poſſeſſionem.* Poſt alia, ſtatum præſentem Archiepiſcopatus juraque Civitatis Magdeburgi tangentia additur: *Ratione tituli autem conventum eſt, ut jam dictus Dominus Elector cum totâ Domo Brandenburgica & in ea omnes & ſinguli Marchiones Brandenburgici Duces Magdeburgenſes & Principes Halberſtadienſes & Mindenſes appellentur & ſcribantur.* Tantum de bonis eccleſiaſticis, pro indemnitate Brandenburgico Electori præſtanda ſeculo redditis. (*a*) *Pro eo vero, quod Duci Megapolitano Suerinenſi, Domino Adolpho Friderico in alienatione Civitatis portusq; Wismarienſis decedit, competant ipſi ejusq; hæredibus maſculis* Episcopatus Suerinensis Et Razenburgensis, Jure Perpetui Et Immediati Feudi, *cum omnibus juribus, documentis literariis, Archivo, rationariis, aliisque pertinentiis*, Et Potestate Extinguendi Canonicatus, Utrobique Post Præsenti Tempore Residentium Canonicorum Decessum, Omnesque Reditus Mensæ Ducali Applicandi, *eoque nomine habeat ſeſſionem in Conventibus imperii & circuli Saxoniæ inferioris, cum duplici Principis titulo & voto.*

Et

(*a*) Inſtr. Pac. §. 12.

Et paulò deinde. *Pro majori vero dictæ Domus Meklenburgenſis ſatisfactione cedant ipſi Commendæ Ordinis equeſtris Divi Johannis Hieroſolymitani Mirovv & Nemerovv in iſto Ducatu ſitæ in perpetuum, donec de controverſiis religionis in imperio conventum fuerit.* Landgravii Haſſo-Caſſellani obtinuere, ut ipſi (a) *ejusque ſucceſſores Abbatiam Hirsfeldenſem*, (quæ dignitate principali clara, & ingentis opulentiæ à Mauritio ejectis Monachis occupata valdè Pontificiorum animos exuſſit,) *cum omnibus appertinentiis ſecularibus & Eccleſiaſticis, ſive intra ſive extra territorium, retineant, & eo nomine inveſtituram à Cæſarea Majeſtate toties, quoties caſus evenerit, petant, & fidelitatem præſtent.* Itemque, *jus directi & utilis Dominii in Præfecturas Schaumburg, Bükenburg, Saxenhagen, & Statthagen, Epiſcopatui Mindano ante hac aſſertum, & adjudicatum, plenarie, in perpetuum, citra ulteriorem dicti Epiſcopatus aut alterius cujusvè contradictionem aut turbationem.* Hactenus de Eccleſiis earumque patrimoniis, quæ expreſſa Imperatoris juſſione ſtatum ſuum mutarunt: in cæteros imperii Status multo pluris tacito quodam & indirecto fœdere collatum, jurium ſcilicet omnium & poſſeſſionum confirmatione ac reſtitutione, quæ quisque anno hujus ſeculi vigeſimo quarto, Calendis Januarii habuiſſe probare potuit. Quantum enim à Paſſavienſis transactionis tempore usque ad illa vigeſimi quarti fatalia ex mediatis immediatisque Sacri Ordinis fortunis comperti ſunt

(a) Inſtr. Pac. art. 15.

ſunt Principes delibaſſe? quod ſe longe rectius facturos judicarent, ſi ex ſuperfluis monaſteriorum proventibus ſui reique publicæ bono aliquid impenderent, quam ut paterentur immenſas opes ab ignaviſſimo hominum genere Diis Baccho Venerique immolari. Jam cum religioſa pax ſuperiore ſeculo conficeretur, de magno ſacrarum rerum numero actum erat, quas etſi Ordines Auguſtanæ Confeſſionis receperunt in alias pias cauſas, ſuæque religioni decentes conſumpturos, inito tamen calculo conſtitit, & laute religionem poſſe haberi, & in reſiduo adhuc aliquid eſſe, in publicas tabulas potius referendum, quam ut novis corruptelis ſuppeditata luxus materia occaſio detur. Poſt factam deinde pacem ſopitosque motus denuo cum mutatis ſacris ſubinde quædam tentata tractaque ſunt, fiſco incrementum futura, & ſubſidium publicis impenſis, ne totum id onus plebi incumbat, inofficioſis majorum ſuorum donativis deficienti. Ex hoc tot Pontificiorum querelæ & actiones, quæ tandem in acre atque inteſtinum bellum eruperunt, claſſico primum à Ferdinando per edictum ſuum dato, qui dum ruituris in Germania Romanæ Curiæ nundinationibus fulcrum quærit, cauſa fuit, ut excitato periculoſo incendio plura conflagrarent. Et vero aliquo injuriæ ſenſu tangi cepiſſe pontificios haud mirum. Nam tot exhauſtæ monachis ædes, tot deſerta Collegia, tot exulantes religioſorum familiæ, tot opulentiſſima prædia in cenſum & ærarium redacta cur non illos moveant, qui propediem ſuas quoque opes his obſtructis oſtiis minui conſpexerunt,

xerunt, adeoque ſe paulatim illo ipſo naufragio mergi. Fere enim nemo amplius ex iſto Statuum numero fuit, quibus divina Evangelii lux lætius affulſit, qui non publicos reditus ſuasque divitias hoc inſtituto auxit. Sive enim Eccleſias ſub immani jugo depreſſas meliore doctrina ad Chriſtianam libertatem & imaginem priſtinæ pietatis imbuit, ſeu illis, quos ſuis moribus reliquit, haud paſſus eſt ejusdem diſciplinæ ſucceſſores dari, ut intereunte propter non miſſum ſupplementum ſocietate ipſe vacuam hæreditatem adiret, continuò reſtitutæ religionis fructum & res publica ſenſit. Interdum integræ Eccleſiæ, eædemque majores Metropolitanæ, Epiſcopales, aliæ cum ipſis ſuis Præſulibus defectionem meditatæ uno velut ictu omnia immutarunt, quum ſola Eccleſiaſticâ dignitate retenta nec obſequium amplius honosque Pontifici haberetur, nec aditus & ſpes eſſet diverſorum ſacrorum ſectatoribus ad amiſſæ poſſeſſionis recuperationem: quippe Principes plerunque ex primis imperii familiis orti ductis uxoribus aut ſuæ domus ſucceſſionem moliti ſunt, aut pro agnatis laborarunt: certè ab omnibus ſedulo cautum, ne inimicæ religionis homines poſtliminio reverterentur. Hac ratione omnis fere ſuperior Germania ſibi reſtituta eſt, & ærariis Romanæ Curiæ tabulis expuncta. Sed diu lis componi non potuit. Nam qui Status imperii in Romanæ Eccleſiæ fide permanſerunt, aſſiduis clamoribus apud imperatorias aures de fracta pace nihil remittentes ſæpe rem in ſummum diſcrimen deduxerunt: id ſolum enim in cauſa fuiſſe putatur, cur

cur imperii comitia anno octavo hujus ſeculi habita penitus magna animorum acerbitate diſſoluta ſint, & altera anno decimo tertio ſine fructu concluſa. Aluit ſedulo flammam Pontifex adhuc ſub frigida favillæ mole cubantem; donec idoneum Imperatorem nactus (quem juramento ad perſequendos hæreticos adſtrinxiſſe fama fuit) propoſitum tenuit. Nec alter unquam perjurii convictus eſt, ita totas vires & vitam in hoſtibus debellandis conſumpſit: etiam in belli ſocietatem externi Principes venerunt, Gallo Suecisque Proteſtantium partes jam pene obtritas virtute ſua fulcientibus: inde extractum plusquam viginti annos bellum, nullo alio noſtrum incommodo, niſi quod ex ipſo bello eſt. Nam per Dei gratiam & in omnia noſtra reſtituti ſumus, & forte lucrum fecimus ex aliena temeritate. Cum igitur adverſarii expleto odio à ſpe excidiſſent conficiendi belli, utramque vero partem ſatietas cladium teneret, amicis iterum fœderibus coivimus, ſed tam æquis conditionibus, quæ ſi ante hos motus noſtræ religionis Principibus oblatæ fuiſſent, non, quæ nunc cernimus, extarent inimicitiæ fraternæ triſtia monumenta, urbes ſcilicet, cineribus ſuis ſepultæ deſolati agri, ædium & palatiorum ruinæ, rudera templorum: & quod miſerrimum eſt, ſummumque calamitatis, pax ab externis Principibus magna bonorum noſtrorum jactura redempta. Verum iſta nunc deflere non eſt tempus. Cæterum illis pacis legibus inter alia multa & illud concordibus animis placuit, ut quocunque ſtatu res religionis ſacraque bona

Calen-

Calendis Januarii anno vigeſimo quarto fuerint, in eo æternum maneant, eaque, quæ inter vim ac ſtrepitum belli loco mota ſunt, ſuis quæque ſedibus reddantur: id Evangelicis oppido utile & gratum fuit, quibus illo tempore fere omnia integra, poſt demum inopinato edicti fulmine & viribus hoſtium oppreſſis: igitur hujus pacis beneficio quicquid olim Principes ex Eccleſiaſticis prædiis juribusque usque ad illam Januarii primam diem receptum in ſuos uſus converterunt, id Imperator ablatum Eccleſiis, illis perpetuo jure addicit, vetatque ſuper eo antiquas æmulationes & lites ullò tempore refricari. Sic ingens ſacrarum rerum numerus in rempublicam revocatus, unde pene exciderant iſto libertatis Eccleſiaſticæ & privilegiorum ſuorum novo ingenio. Quamvis vero facile omnes ex hac anni & diei norma poſſint de jure ſuo certi eſſe, tamen aliqui (*a*) inſtrumento pacis ſpecialius nominati, quod id ſibi expedire putarent, quos proinde breviter recenſebimus. Sereniſſimus Elector Heidelbergenſis cum Palatinatu inferiore *omnia & ſingula*, ECCLESIASTICA *bona & jura* conſecutus eſt. *Princeps Ludovicus Philippus Comes Palatinus Rheni recuperet omnes ditiones, dignitates & jura*, IN SACRIS *& profanis. Princeps Leopoldus Ludovicus Comes Palatinus Rheni reſtituatur penitus in Comitatum Veldenz ad Moſellam, tam* IN ECCLESIASTICIS *quam politicis contra omnia hactenus attentata. Domus Würtenbergica maneat quiete in recuperata poſſeſſione, &c. reſtituatur* etiam

(*a*) Art. 4.

etiam in omnia & ſingula ſecularia atque ECCLESIASTICA *bona & jura ante hos motus ubicunque poſſeſſa*, quorum aliqua ſubjiciuntur. *Fridericus Marchio Badenſis & Hochbergenſis ejusq. filii & hæredes reſtituantur pleniſſime in eum ſtatum in* SACRIS *& profanis, in quo ante exortos Bohemiæ motus fuit Dominus Georgius Fridericus Marchio Badenſis & Hochbergenſis, non obſtantibus, ſed annullatis quibuscunque interim in contrarium factis mutationibus. Comitibus Naſſau Sarapontanis reſtituantur omnes eorum comitatus, Dynaſtiæ, territoria, homines & bona,* ECCLESIASTICA *& ſecularia, feudalia & allodialia. Joachimus Erneſtus Comes Ottingenſis in omnia* ECCLESIASTICA *& Secularia reſtituatur. Item Domus Hoënloica in omnia ipſi ablata, præcipue Dynaſtiam Weikersheim, itemque* IN COENOBIUM SCHEFFERSHEIM *absque omni exceptione, imprimis retentionis reſtituatur: Fridericus Ludovicus Comes de Löwenſtein & Wertheim in omnes ſuos Comitatus & Dynaſtias, quæ tempore hujus belli ſequeſtrata, confiſcata, aliisque ceſſæ fuerunt, in politicis &* ECCLESIASTICIS *reſtituatur. Ferdinandus Carolus, Comes de Löwenſtein & Wertheim in omne id, quod defunctis ejus agnatis Georgio Ludovico & Johanni Caſimiro ſequeſtratum, confiſcatum aliisque ceſſum eſt, in politicis & eccleſiaſticis reſtituatur.* Tot fere ſunt, quorum cauſa bonorum eccleſiaſticorum mentio fit: reliqua, qui vult, ex ipſo pacis inſtrumento legat. Non latuit Proceres noſtros, his geſtarum rerum momentis valde bilem Pontifici moveri, qui non

ſaltem

ſaltem annatarum, pallii, menſium papalium, eorumque quæſtuum amiſſione, quos jam olim Romana Eccleſia, ad emungendas Chriſtianæ rei opes ſuique imperii majeſtatem ex toto ſacro ordine variis artibus colligit, ſolitudinem ærarii ſit deploraturus: ſed & adhuc ægre laturus, quod univerſum imperium reſumptis animis in illis cauſis aliquid audeat decernere, unde omnes laicos velut ignobilem vilemque turbam ille ſuperbus Dictator immiſſis lictoribus ſummovet. Non tantum enim quoad caluit inter partes negotium diſturbandæ paci quantas habuit autoritatis ſuæ vires impendit, ipſe ſcilicet ex altâ & ſecurâ ſpeculâ extra periculum Chriſtianorum mutuas lanienas, excidia lætabunde ſpectaturus, verum etiam quam primum advertit, mox rem concluſum iri, per legatum ſuum indigniſſima proteſtatione interceſſit, & Hiſpanico Oratori, ut idem faceret autor fuit. Inde quum conſcriptis hinc inde pacis conditionibus facile prudentiores judicarent, non quieturum teſtata per nunciuminvidia, ſed iracundo diplomate vix coalitas Germanorum mentes denuo convulſurum, tempeſtivis remediis obviam itum intolerabili audaciæ, tumidique Æolorum utres arctiſſime conſtricti, ne invento exitu turbulentis flatibus in reſtinctis jam cineribus novum incendium excitent. Adeoque ſalutari providentia Imperator cum imperio conſtituit, ut (*a*) *contra transactionem, ullumve ejus articulum aut clauſulam nulla jura canonica vel civilia, communia vel ſpecialia Conciliorum decreta, privilegia,*

(*a*) Inſtr. Pac. Art. 17.

indulta, edicta, commiſſiones, inhibitiones, mandata, decreta, reſcripta, litiſpendentiæ, quæcunq; tempore lata ſententiæ, res judicatæ, Capitulationes Cæſareæ & aliæ, RELIGIOSORUM ORDINUM REGULÆ AUT EXEMPTIONES, SIVE PRÆTERITI SIVE FUTURI TEMPORIS PROTESTATIONES, *contradictiones, appellationes, inveſtituræ, transactiones, juramenta, renunciationes, pacta ſeu dedititia ſeu alia, multo minus edictum anni milleſimi ſexcenteſimi vigeſimi noni, vel transactio Pragenſis cum ſuis appendicibus,* AUT CONCORDATA CUM PONTIFICIBUS, *aut interimiſtica anni milleſimi quingenteſimi quadrageſimi octavi ullave alia ſtatuta ſive politica ſive* ECCLESIASTICA, DECRETA, DISPENSATIONES, ABSOLUTIONES, *vel, ullæ alia quocunq; nomine aut prætextu excogitari poterunt, exceptiones, unquam allegentur, audiantur aut admittantur, nec uſpiam contra hanc transactionem in petitorio aut poſſeſſorio ſeu inhibitorii ſeu alii proceſſus vel commiſſiones unquam decernantur*: adjectâ inſuper fractæ pacis pœnâ, *qui huic transactioni vel paci publicæ conſilio vel ope contra venerit, vel executioni aut reſtitutioni repugnaverit, vel etiam legitimo ſupra convento, & ſine exceſſu facta reſtitutione ſine legitima cauſæ cognitione & ordinaria juris executione reſtitutum de novo gravare tentaverit, ſive clericus, ſive laicus fuerit.* Sic nuncii Apoſtolici proteſtatio, itemque alterum ipſius Pontificis diploma exploſum. Nemo enim apud nos in imperio his machinis ad violandam pacis ſanctitatem uti poteſt. Nemo exterorum Principum tam crudis & man-

& manlianis imperiis aſſurgit. Romanis per nos liceat ſuo ingenio largiter indulgere, ſibique domi placere. Nos caudam ibi non jactamus, diu enim eſt, quod cognovimus prominentes ab exuvio leonino aures.

§. 25. Interdum Eccleſiis non in perpetuum eripiuntur bona, ſed in certum uſum retinentur, quo finito reſtitutio fit: adeoque ſuſpenditur potius aut impeditur dominii eccleſiaſtici vis, quam ut prorſus extinguatur. Velut cum reſpublica monaſterium aut eccleſiam præſidiis adverſus hoſtem inſidet, ex quo ipſi continuis excurſionibus incommodare poſſit. Nam compoſito bello ad priſtinos dominos plerunque loca redeunt, niſi ea ad imperii finiumque ſecuritatem muniri viſum. Ex hoc etiam eminentis dominii capite eſt, quod (*a*) legibus conſtitutum, ut ſacras naves ad ſpecierum publicarum transvectionem liceat detinere, *nulla excuſatione ne quidem cœleſtis oraculi admiſſâ.* Plurimum enim ad tranquillum civitatis ſtatum conducit, ut plebi annonæ copia ſit, quæ, ut eſt vulgi ingenium,

-- -- *duas tantum res anxius optat,*
Panem & Circenſes. --

Romæ toties concordiâ laboratum, quando annonæ caritate, & vix ſæpe à vi manibusque temperatum. Certe Auguſtus aliquando de fuga jam fertur cogitaſſe, tardantibus ex Ægypto navibus, quæ frumentum populo portabant, & quam primum appulere, finem ſeditioni rumoribusque. Tantum famis ad ſollicitandos animos

(*a*) l. 10. C. de SS. Eccl.

mos poteſt. Hinc qui rem Romanam curabant, ſicut magna & anxiâ diligentia neceſſariarum rerum defectibus conſuluere, tũ ante omnia eduliorum & annonæ caritati, quibus maxime vulgus ad res novas ſolet concitari: argumento ſunt tot frumentariæ leges, pro expedita facilique advectione publicæ annonæ excubantes, & in distrahendis ſpeciebus ordine modoque utiles: inter alias, ſi navium communium penuria ſit, facultas datur privato remigio uti, & neceſſitates reipublicæ ſingulorum utilitatibus commerciisque anteferre. Ab hoc commodato nemo civium liber, nulla ordinis aut dignitatis prærogativa immunis:. non Eccleſiæ ipſæ, nec ſacrorum Præſules, in aliis muneribus propemodum ubique lenius habiti; ne quidem etiamſi cœleſti ſe oraculo excuſent, quod jam tum fuco ſuperſtitioſis faciendo ſolemne fuit prætexere. Nam verè graviterque leges cenſuerunt, Deum nihil extra ordinem juſſurum eſſe, Reipublicæ damno, & quæſtui lucroque Eccleſiis, quod promiſcuo rerum commercio etiam extra neceſſitates publicas vix honeſtê poſſunt capere.

§. 26. Jus igitur ipſum, id eſt eminens dominium, Imperatoris eſt, quia inter majeſtatis jura. Habendi modus ſeu actuale regimen patrio more reſtrictum & limitatum. Notitia enim & conſenſu Ordinum opus, cum imperator illo recte utitur. Actio ipſa, imo & principium actionis apud hunc ſolum. Conſenſus autem ille Ordinum ſe velut conditio habet ad actus rectitudinem neceſſaria: quod plerisque aliis juribus majeſtatis accidit. Neque id noſtro tantum, ſed

ipſius

ipſius etiam juris publici ſenſu. Inde frequens illa & recepta formula, (qua de alibi plura) *Cæſaream Majeſtatem ex conſenſu & approbatione Ordinum, ex conſenſu Statuũ imperii* hæc facere. Adeoq; agens Imperator eſt, cui jus competit. Agens inquam, ſolus, ſed non ſolo arbitrio, verum ex Statuum conſenſu: non quidem ut cauſa, agenti motum & principium actionis infundente: ſed, conditione ad actum neceſſaria propter fidem ab Imperatore obligatam. Quod ſi enim conſenſus ille in parte cauſæ efficientis eſſet, Imperator non ex conſenſu imperii, ſed Imperator & Status Imperii una, non faceret aliquid, ſed facerent.

§. 27. De compenſatione, ad quam eminens dominium Grotius indiſcriminatim condemnat, diſtinctius quædam notanda. Cum ſub mutui aut cōmodati lege acceptæ res, vel compenſatio reſtitutiove promiſſa, ad fidem ſervandam obligatus eſt Princeps, quam privato flagitium eſt frangere, nedum imperanti, cujus maximum decus, ſtare pactis. Ita Sulla, ſignorum, quæ bello Mithridatico fanis abſtulerat, reſtituit precium: ita Auguſtus mutuatos ex templis theſauros meliore tempore reddidit: ita Heraclius ſacrorum vaſorum æſtimationem exſolvit. Nec dubitari debet, quin illud reſtitutionis votum aliquam æquitatis pietatisque ſpeciem habeat, quaſi Deo gratiam relaturi auxilii, in arctis reb⁹ noſtris lati de bonis ſpeciali quodam modo ipſi propriis. Recte enim Pericles (*a*) ✝ χρησαμένυς ὅπὶ σωτηρίᾳ ἔφη, χρῆναι μὴ ἐλάσσω ἀντικαταστῆ-

(*a*) Thuc. lib. 2.

σαμπάλιν. Sæpius præveniuntur eminente dominio poſſeſſores, ut, priusquam de indemnitate præſtanda cautionem exegerint, jam in poſſeſſione & uſu rei respublica ſit. Hîc demum quæri ſolet, ad quid princeps teneatur? neque tam ubi ſolvendo non eſt, bonorum damno ſuperante publicas opes: tunc enim nulla impoſſibilitatis obligatio: ſed cuique ferendum iniquioris fati malum, velut grandines, tonitrua, incendia, exundationes: quam ſufficiente civitate ad ſarciendam lacunam, quam ſui boni cauſa in privato patrimonio fecit. Plurimi ſunt, qui plene reficiendas illas ruinas autumant, idque juris aliqua & obligationis neceſſitate, qua conſcientiam imperantis faſcinant, uſi communiter exemplo navis jactu levatæ, ubi à ſingulis pro cenſu bonorum perditarum rerum dominis reparandum eſt damnum. Et profecti plauſibili æquitate iſta dici nemo ignorat: quippe nos etiam æquius melius judicamus, quantum fieri poteſt, in Republica communia pericula facere, adeoque totius corporis ope ſublevari illas partes, quæ incolumibus reliquis ſolæ paſſæ ſunt, verum, quod prudenter Conringius obſervavit, *magis in præmium, quam ex debito.* Nam cum de eo diſputatur, ad quod ſtricto jure obligatus eſt Princeps, nullam reſtitutionem compenſationemve agnoſcimus, quia ſuis rebus, non alienis utitur. Nam, quod ſupra oſtenſum eſt, privatorum res in dominio etiam reipublicæ ſunt, non facile quidem inferiori illo & communi ſuper quotidiana diſpoſitionem movente, tum cum uſus vel neceſſitas inſtat, prorumpente ſubito velut ex inſidiis,

diis, & exerta ſuæ poteſtatis vi intrudente ſe privatis familiis, ubi revocato plebeio dominio proprium & ad totius ſocietatis ordinatum regnum molitur, non in alieno precarium Magiſtratum gerit: quicquid autem aliquis ſuo jure facit, cur alii de eo rationem reddet? Veriſſime (*a*) Hornius: *quoniam firmis rationibus aſſeruimus, poteſtatem in bona eſſe verum dominium, neceſſum eſt, ut concludamus, Principem ad juſti pretii ſolutionem non teneri. Aliud enim ſi aſſeras, dominium eminens evertis, quod compenſationem adeo ſtrictam ignorat.* Et paulo poſt: *Nam qui compenſationem propugnarunt, ſtatuerunt, Principem vi imperii aliena invadere: Poſtquam verum dominium aſſertum eſt, nihil debebit majeſtas ſubdito, cujus fundum ab hoſte occupandum in poſſeſſoris & totius Civitatis tutelam inſidet.* Ad exemplum de navigatione, privataque ſocietate, in qua nemo cum alterius jactura locupletior fieri debet, ejusdem eruditiſſimi & ſtudioſiſſimi Majeſtatis Viri verbis reſpondebimus: *Multum differt actio privati hominis à neceſſitate ſe expedientis ab imperatoris poteſtate. Æquales ſunt illi, qui jactu mercium ſervant navim: hic nobis ſermo eſt de facultate ſummi Principis, ad quem nunquam producetur commode ratio, deſumpta ab hominibus privata ſortis. Socii, ut æquale ferant damnum, pacti ſunt. At ſubditi omnes jurarunt, ſe paratos fore, profundere opes ſuas in ſalutem Reipublicæ.* Magis igitur beneficium & præmium Imperantis erit, quam debitum, ſi pri-

(*a*) de Civit. l. 2. c. 4. §. ult.

privatis, quod ſuſtinent, damnum refunditur: tum ejusdem quoque arbitramenti conſiliique, quo quemque publici boni cauſa oneratum cupiat ſublevari; interdum dirutis ædibus materies novo operi conceditur: lignum ex ſylvis cædi, ſaxa in lapidicinis effodi, permittuntur: rarius calcem publicæ figulinæ donant: plerunque ſemper operarii ædificantis ſumptibus ſunt: cum frumenta exuſta, meſſis ſataque contrita, multum eſt liberalitatis argumentum, quando ex publicis horreis ſementa agricolis gratis erogantur: nam etiam ſub mutui pacto dari ſolent. Eſt denique tempus, ubi quarundam rerum compenſatio aliquibus fit, reliqui ſine ſolatio manent. Electori Brandenburgico, itemque Megapolitanis Ducibus ceſſa Suecis Pomerania & Wismaria Civitas aliquot Epiſcopatibus compenſata: ipſis Suecis Eccleſia Bremenſis data eſt. Atqui in his bonis antiquiore jure potuerunt prævalere, nulla re ſatisfactum. Adeo totum hoc eſt Summi Principis judicium, & in cujus ſe favorem commodumque declarat, ingens meræ gratiæ teſtimonium.

§. 28. Ultimo loco quorundam Doctorum expendamus rationes, legitimæ invaſioni ſacrarum rerum oppoſitas, admixtis ſubinde deterioris ævi canonibus, quos infinita ambitione & philautiâ compoſitos pro ſuis opinionibus ſoliti ſunt colligere. Primo, (a) *conſtat*, inquiunt, *quod omnia data & appropriata Eccleſiis dicantur eſſe oblata Deo, & ita quod ſint Chriſti & Eccleſiarum*: Sed dic Deo oblata, dic eſſe Chriſti,

(a) Schurf. Cent. 1. Conſ. 98. n. 1.

ſti, & Eccleſiarum, quid ſequitur ex eo? ergo non poſſunt ad publicam ſalutem impendi, in qua ipſa externa Eccleſiarum felicitas ſalusque conſidet? Quomodo res ſacræ Dei ſint, ſupra accurate expenſum, demonſtratumque, illo modo virtutem eminentis dominii non eliquari. Nunc ſaltem (b) ex Hornio ad hominem ſequentia hæc placet addere: *Fac ejusmodi conſecratione donari Deo aliquid poſſe, eo ipſo momento, quo donaretur, particeps dominii fieret majeſtas. Qui principe conſortem fecit imperii & dominii in univerſam multitudinem, in integrum territoriũ, nunquã excepit hæc donaria. Sed ſimulac donarium à devoto homine capit, continuo illud ſub vicario dominio Regis ponit: quod nulla cauſa ſubſit, cur hæc ſubtrahat majeſtati, quæ nunquam extra ſacros uſus adhibebit talia, niſi urgentiſſima forſan neceſſitate Reipublicæ.* Quam ſtultum igitur decretis confidere, aut domeſtica corruptaque fide ſuſpectis, aut non cogitantibus de neceſſitatis caſu? quid quod illic quædam palam abſurda atque à ratione aliena licet deprehendere? Quid enim eſt, quod de homicidio accuſatur, (b) *qui Chriſti & Eccleſiæ pecunias rapit vel fraudat*? Furti, raptus, ſacrilegii crimina impingi non adeo mirum: inſcriptio ſuper homicidio in hoc ſcelerum genere inſolens quid, nec foro cognitum. Si ſimulacris, typicisque figuris in re ſeria ludere placet, quæ non diverſa miſcebimus, (c) *Pater noſter ſine dubio Deus eſt, qui nos creavit*, ſed divino jure

 veti-

(a) De Civit. l. 2, c. 4. §. 7. (b) qui Chriſti 12. q. 2.
(c) c. qui abſtulerit, 12. q. 1.

vetitum, ſorores ducere, nubere fratri: ergo inter Chriſtianos omnis matrimoniorum uſus tollendus? *Mater vero noſtra Eccleſia, quæ nos in baptiſmo ſpiritualiter regeneravit.* Si non alio modo Eccleſia mater noſtra, quam quod nos ſpiritualiter in baptiſmo regeneravit, mater non erit, quoniam oppido falſum eſt, nos per Eccleſiam regenerari. Spiritus S. id munus & officium, qui incubat aquæ, eamq; ſuis donis & beneficiis imprægnat, Eccleſia tantarum opum theſauraria potius & fidelis cuſtos, in qua fit illud grande regenerationis adoptionisque myſterium: non auctor & ipſa efficiens cauſa, quæ ſalutari fœcunditate aquam animat. Tum vero materiale quid eſt Eccleſia, & aggregatum corpus ex multis hominibus eaque juxta Pontificiorum placita ſemper viſibilis ſenſibusque expoſita. Hæc quomodo nos ſpiritualiter regeneret ipſa materialis & indigens auxilii ſpiritus ſancti? Hic myſtis ut inſtrumentali cauſa utitur ad effectum producendum: tota Eccleſia locus eſt & velut diribitorium, ubi ad ſacram militiam conſcribitur miles, & theſauri divinæ gratiæ ſtipendia merentibus diſpenſantur. Interea ſinamus præmiſſas illas ſuis viribus niti. Sit Deus quocunque ſenſu pater noſter: ſit mater Eccleſia: *ergo*, ut vult Pontifex, *qui Chriſti pecunias & Eccleſiæ rapit, aufert, vel fraudat, homicida eſt?* O funiculum ex arena nexum! cur enim non potius de amotis rebus actio eſt, aut quod familia furtum feciſſe dicatur: quid in defraudatione vel rapina homicidii? quid item in eo, quod peccatum hoc eſſe negatur; id quidem verum eſt, violato uno

præ-

præcepto, injuriæ ſenſum ad totam catenam pertinere, ſed nihilominus, formalia crimina manent, ſingula ſuis articulis adverſa. Quicquid vero ejus ſit, licet nobis ſine noſtro diſcrimine canones illos admittere. Sit enim homicida, qui Eccleſiæ pecunias aufert, fraudat, rapit. Certe non erit, qui neceſſitatis atque utilitatis caſu illis utitur ut ſuis bonis, eminente dominio effectis: nam hoc non rapere eſt, fraudare, auferre aliena: ſed in ſuo eſſe, resque ſibi proprias publico bono impendere. Igitur injuriis & cupiditatibus privatorum hominum metus tanto apparatu factus: non legitimo Principum juri mota quæſtio. Eodem pertinet Bonifacii ſententia, quod (*a*) *inexcuſabilis omnis erit, qui à Domino & Eccleſia, cui competunt, aufert, vaſtat, invadit, vel eripit.* Sane iſte inexcuſabilis, fur ſcilicet, prædo, ſacrilegus. Verum alter maxime excuſabilis, imo laude dignus, qui eadem competente uſu, non furto latrocinioque, accipit, in Reipublicæ utilitates pro omnium ſalute eroganda. Hoc ſale condienda alius canonis cruditas, inconſiderate improbantis, (*b*) *prædia divinis uſibus tradita humanis uſibus applicare, & dominio ſubtrahere, ut ſibi*, (i.e. ſuis uſibus, ut habent aliqui Codices) *inſerviant.* Nihil nocetur Eccleſiæ illa applicatione: ut enim totum ſoſpes ſervetur, cujus pars aliqua eſt Eccleſia, omnium concurſu laborandum: & vel ſingulorum aliquo damno publicis neceſſitatibus ſubveniendum. Nihil ſubtrahitur Deo, cujus res humanæ ſunt, quibuscunque uſibus adhibeantur

(*a*) c. Nulli liceat 12. q. 2. (*b*) c. Prædia, q. 2. ibid.

antur. Cæterea decreta, quæ protervius atque pervicacius obloquuntur, cuneo ad durum nodum quæſito, confidenter ſubmovemus. Scilicet ille fulminator Juppiter, illa fax & turbo noſtri imperii, ille omnium Principum capitalis hoſtis, Gregorius ſeptimus, omnes igne ſuo afflarit, (*a*) *qui prædia eccleſiaſtica à quocunque Rege ſeu ſeculari Principe ſuſceperint*, an inter turbas & à peſſimo Præſule acta probabimus, cujus memoria non dicam à canonum ſanctimonia, ſed omni Chriſtiano orbe, imo ipſa Eccleſia Romana, quippe opprobrium ejus & triſtis Antichriſti regnantis nota, expungenda eſſet, ſi ſuis meritis haberetur? Quis ſibi tantum de imprudentia noſtra promiſerit, ut in ſpirituum δοκιμασίᾳ ipſis furiis impune eſſe liceat, quibus etiam Chriſtiana res, præcipue imperii noſtri cordata ſapientia, quamvis adhuc cœco carcere captæ vix tunc rima ad lucem patuerit, omni tempore animoſe reſtitit? Lugdunenſe Concilium improbas ſubreptiones eorum damnat, (*b*) *qui res Eccleſiæ petunt à Regibus, & horrenda cupiditatis impulſu egentium ſubſtantiam rapiunt:* nulla dominii eminentis increpatione. Alterum telum ex ejusdem juris canonici inepta pharetra promitur, (*c*) *Ratio nulla permittit*, ajunt, *ut quod pro communi utilitate datum eſſe cognoſcitur, propriis cujusq; uſibus applicetur:* id inſigniter nobis placet, pro communi utilitate datum publicis neceſſitatibus ſerviat, quod imprimis etiam fit, quando pro temporum conditione à Republica

in

(*a*) c. quicunque 12. q. 2. (*b*) c. 2. Extr. de Rep. Eccl. al.
(*c*) c. 3. Extr. de Præbend.

inſidetur: non propriis cujusque uſibus cedat, ſicut plerunque Eccleſiæ opes ipſi Præſules vaniſſimis picturarum oblectamentis variaque artificiorum novitate, vel quod pejus, popinis atq; perdito luxu decoxere. Tertia vox eſt B. Ambroſii, (*a*) ***ad Imperatorem palatia pertinent, ad Sacerdotem Eccleſiæ.*** Nec Divus Vir male ſuo, id eſt ſano ſenſu. Nam templum, quod Imperator Ambroſio ereptum ibat, non adverſus hoſtiles irruptiones muniri debuit, non ad Civitatis defenſionem dirui, aut vallo aggeribusque firmari: ſed hæreticis tradendum erat, ut illic cultui vacaretur vetito divinis literis, non modo ad Chriſtianorum offenſionem, ſed etiam plurium animarum æternum naufragium: in id qua conſcientia Epiſcopus conſentiat, cui Dei Eccleſia cordi eſt? qua fide paſtor, cui ovium ſuarum ratio reddenda ſummo illi Paſtori, œconomorum culpam rigidè punienti? Sed intra quantam modeſtiam, intra quantam moderationem conſtitit rectus ille piusque zelus? ***Si à me peteret, quod meum eſſet,*** inquit, ***id eſt, fundum meum, argentum meum, jus hujusmodi meum, me non refragaturum, quanquam omnia, quæ mea ſunt, eſſent pauperum: verum ea, quæ divina ſunt, imperatoriæ poteſtati non eſſe ſubjecta. Si patrimonium petitur, invadite, ſi corpus, occurram. Vultis in vincula rapere, vultis in mortem? voluptati eſt mihi, non ego me vallabo circumfuſione populorum, nec altaria tenebo, ut tam obſecrans: ſed pro altaribus gratius immo labor.*** Et rurſus: ***Si de meis aliquid poſceretur,***

aut

(*a*) c. convenior. 23. q. 8.

aut fundus, aut domus, aut aurum, aut argentum, id quod mei juris eſſet, reſpondi me libenter offerre: templo Dei nihil poſſe decerpere, nec tradere illud, quod cuſtodiendum, non tradendum acceperim. Num hodie vel ex plebe clericali ultimus ita loquetur, ut olim Clariſſimus in toto Occidente Epiſcopus? Corpus, opes, omnia ſua Imperatori offert: ſaltem neceſſitatem peccandi deprecatur. Nunc nemo ex hoc hominum genere vel nummulum dat niſi volens & in gratiæ beneficiique modum, quod exprobrare Principi poſſit. Huic enim rei tota immunitatum & eccleſiaſticæ libertatis ſcena adornata, ut nihil ab invitis exigeretur. Ambroſius patrimonium prædæ exponit, corpus violentiæ, vinculis, morti: ad ipſas aras in ſe mavult experiri ſcelera, quam facere: vim oppoſita vi repellere omnino neſcius. Non libratum fulmen minatur: non factionibus terret & concitata plebe: *non ego me vallabo*, inquit, *circumfuſione populorum*. Alius longè Curiæ Romanæ mos. Hæc dominari Regibus cupit, hæc nullam poteſtatem Reipublicæ in ſua ſuorumque bona admittere, nec jurisdictionem in corpus & perſonas. Hæc propediem iratis ſtrepentibusque tonitruis invehitur: hæc factiones alit & ſe maxime vallat populorum circumfuſione, quos ab obſequio & fide Principis hoſtis flagitioſis bullis liberatos ſibi addicit ſeditioni fomentum & inſtrumenta parricidii: in ſumma hæc ſpectare, facere ſcelera mavult, quam expectare. Igitur ne ſibi Ambroſii exemplo placeant, quem ſi contingeret ex buſto caput erigere, & hos ſpiritus Eccleſiaſtici Ordinis

nis intueri, hanc imperandi vanitatem, hoc opũ quærendarum ſtudium: hunc luxum libidinesque, imo totam ab antiqua probitate defectionem, procul dubio agnoſceret Chriſtianæ religionis inclinationem: aut potius in ipſa Eccleſia quæreret priſtinæ Eccleſiæ imaginem: liberas ſacerdotis voces & pro officio increpantes non odimus: modo ne licentioſiùs in atrocia imperia minasque violentas erumpant, ſed cum Ambroſio ſimul exhibeant, quod dicitur, σῆρυ κηρύκειον. Etenim quamdiu illum Imperator mandatis iniquis vexavit, noluit obſequi, quod cum facere malum Deus vetet, jubeat Princeps, hoc relicto illi parendum eſt. *Urgemur igitur*, inquit, *præceptis regalibus*, (illis ſcilicet, *trade Baſilicam, hoc eſt dic aliquod verbum in Deum, & morere: nec ſolum dic adverſus Deum, ſed etiam fac adverſus Deum: trade altaria Dei*) *ſed confirmamur ſcripturæ ſermonibus, quæ reſpondit, tanquam una ex inſipientibus locuta eſt. Quid ergo turbamini,* VOLENS *nunquam jus deſeram.* Vim ipſam ob pie juſteque negatum obſequium illatam non illo recentioris & pervicacioris diſciplinæ ingenio contrariis minis arcuit aut inſtructa acie: juxta illud Chryſali apud Plautum perociæ militis oppoſitum;

Si tibi machæra eſt, & nobis urbina eſt domi:
Sed totus in patientia & tranquillitate conſcientiæ delituit. Munere ſuo, precibus, hortationibus, argumentis defunctus jam receptui canit, ſeque intra ſe recipit, & ingruentem hoſtem inermis opperitur. *Coactus repugnare non novi,* inquit, *potero dolere, potero flere, potero gemere,*

ad-

adverſus arma, milites, Gothos quoq;, lachrymæ meæ mea arma ſunt. Aliter nec debeo, nec poſſum reſiſtere. Itemque: *reſpondi ego, quod Sacerdotis eſt. Quod Imperatoris eſt, faciat Imperator. Prius eſt ut animam mihi quam fidem auferat.* Quantum igitur ex Sanctiſſimi Patris verbis colligitur, id ſolum eſt, nec Imperatorem præcipere poſſe, quæ Deus prohibuit, nec Sacerdotem obſequi humanis præceptis debere divinæ voluntati adverſis: clarè enim, *allegatur*, ait, *Imperatori licere omnia, ipſius eſſe univerſa: reſpondi, noli te gravare Imperator, ut putes te in ea, quæ divina ſunt, imperiale aliquod jus habere.* Ultra quo progrederetur, nihil rationis habuit, nihil audaciæ atque ambitionis. Nec cogitaſſe quidem eum de ſequelis juraverim, quas ex verecunda humilique deprecatione ſequioris ævi Gloſſogaſtores excudêre: ſcilicet *vel Eccleſias Imperatoribus non eſſe obnoxias:* (quia non hoc crude dictum ab Ambroſio, nihil omnino juris Imperatori in Eccleſiam competere: ſed ſaltem non in hoc, ut eam Chriſto capiti deſponſatam poſſit adulteris, id eſt hæreticis ad fornicationem exponere) vel quod inſipientius adhuc poſitum: *Imperatorem & ita ſummum Principem nullam habere facultatem disponendi de rebus Eccleſiæ.* Qua fronte enim tam grande poſtulatum novamque ſua ætate ſententiam Ambroſius maxime protulerit? qui eadem oratione ad Auxentium, quam toties repetit canon, candidè fatetur: *Si tributum Imperator petit, non negamus. Agri Eccleſiæ ſolvunt tributum. Si agros deſiderat Imperator, poteſtatem*

tem habet vendicandorum. Nemo noſtrum intervenit, poteſt pauperibus collatio populi redundare. Non faciant de agris invidiam, tollant eos, ſi libitum eſt, Imperatori non dono, ſed non nego. Ad hæc verba Nicolaus Craſſus Venetus, *Ex quibus patet*, (*a*) inquit, *non modo Principes* LEGITIMUM *jus habere tributa exigendi, ſed etiam vendicandi ſibi* AGROS ET FUNDOS ECCLESIÆ, *ubi res ita poſtulet.* Quartum argumentum eis eſt, *etiam de jure civili laicis omnem poteſtatem diſponendi tam de bonis quam de perſonis Eccleſiaſticis ademptam eſſe.* Non nego ſimpliciter: ſed dic prius, quibus laicis? illis nimirum, quibus ipſa lex civilis poſita, id eſt, ſubditis, non ipſi Principi, quem ſua lex non obligat. Propterea ruinoſæ baſi impoſitæ, quæcunque concluſiones ex his falſis principiis temere educuntur. Dixerit Panormitanus, *quod invadens rem alterius ex titulo aperte invalido, dicatur illam rapere:* idque multis juribus probarit: num etiam, qui rem ſuam ex titulo juſto legitimoque, qualis eſt eminens dominium? Minus hic quadrat alias illud vulgare, *datum ab illo, qui de jure dare non poteſt, pro non dato haberi:* itemque huic ſimile: *Qui nihil habuit, nihil dare potuit:* quia neceſſitate urgente Princeps non demum expectat, donec ſibi res aliena tradatur: ſed ipſe eam ut ſuam vindicat, & ſuperiore jure, adeoq; validiore ab inferioribus dominis revocat; Expende hæc paulum, & judica, an non Schurpfius linum lino nectat, quum *jam ex prædictis breviter adductis*, ut (*b*) ait, infert

(*a*) Antiparun. p. 25. (*b*) Cent. 1. Conſ. 90. n. 6.

quod bona Eccleſiarum non poſſint ex laicis etiam ab ipſomet Imperatore vel aliis Regibus & Principibus, cum nec poſſeſſio, nec dominium hujusmodi rerum Eccleſia conſiſtant penes eosdem, occupari: aut quovis titulo in laicos alienari: & per conſequens, (ſed ex falſis terminis meraq; ἀνακολυθυσίᾳ conſtructum) *quod alienatio ab eis, cujuscunque praeminentia vel dignitatis fuerint, facta, tanquam à non dominis ſit ipſo jure nulla, & quod penitus nihil juris vel dominii transferant vel transferre poſſint in eos, in quos alienatio hujusmodi de facto facta eſt: & ita, quod accipientes vel invadentes res Eccleſia hujusmodi titulo à jure reprobato & à non domino dicantur illas rapere Pralatis & Clericis.* Falſum enim penes Imperatores, Reges & Principes non eſſe earum rerum dominium: eſt utiq; & id eminentius, firmius, jureq; prælationis munitum: actualis poſſeſſio non ſemper apud illos. ſemper tamen jus adipiſcendi eam, quotiens uſus vel neceſſitas Reipublicæ id poſtulat. Falſum alienationem, aut occupationem ab eis, cujuscunq; præeminentiæ vel dignitatis fnerint, factam, à non dominis fieri. Falſum eſſe ipſo jure nullam, nihilque juris vel dominii transferre. Falſum denique invadentes res Eccleſiæ hujusmodi titulo invadere titulo à jure reprobato, & ſic rapere Prælatis & Clericis. Quare cum erroneorum tanta ſeries principiorum ſit, invertendæ erunt omnes concluſiones, & pro comperto habendum, aliquando Principes Eccleſiæ bona recte & laudabiliter occupare, alienare, eamque factam alienationem ratam firmamque eſſe, & vere trans-

transferre dominium: tum hoc jure invadentes uti ſuo jure: nec alii facere injuriam. Quid opus igitur ambitioſè jactare, *Omnem alienationem rerum immobilium, Eccleſiarum, Monaſteriorum, Hoſpitalium, & aliorum locorum piorum regulariter de jure prohibitam: & contra facientes atrociſſimis pœnis affici*: tum caſus exponere ſolemnitatumq; circuitus, ſub quibus permiſſa alienatio. Nam hoc omne juris ſtudium Eccleſias tantum privatosque concernit, ut quando alienare liceat, quando acquirere, utrinque accurate conſtet. Princeps ſicut illis legibus non comprehenſus: ita liberior ejus ampliorq; conditio. Ad hæc fruſtra terrent Balthaſaris Regis exemplo, *invadentis vaſa ſacra per Patrem ſuum de templo aſportata*: ut & Tholoſano auro. Malo verbis (*a*) Hornii his terriculamentis reſpondere, quam meis. *Quo animo quid fiat, hic multum intereſt. Diruere templum noſtrum vel alienum, nobis propter hoſtium præſentiſſimam vim nociturum licitum eſſe per dominium publicum omnino cenſeo. In contemptum Numinis non violabit, nec vaſa deſtinata ſacris in luxuria inſtrumenta vertet, niſi qui cum Belſazare certo & condigno infortunio cupiet mactari.* Gentilium fana ab ejusdem ſuperſtitionis hominibus ſpoliata, inter quæ Tholoſanum illud aurum eſt, Diabolus, non Deus, vindicavit, ut ſui cultoribus aliquam vindicatæ religionis ſpeciem faceret, animisque injiceret vincula & cœcitatem adverſus divinæ gratiæ lucem. Denique quid multis diris avaritiam devovent? Su-

(*a*) de Civit. l. 2. c. 3. §. 7.

am hic culpam oſtentant,ſua vitia,non noſtra depingunt: ille enim luxus opumque mancipium, qui ſplendore auri & mollitie deliciarum captus in Reipublicæ calamitatibus ſecurè ſaginatur, nec periclitanti patriæ vires ſuas donat, quas ex illa hauſit: non iſte, qui urgentibus periculis omnes cives officii ſui pietatisq; extra ordinem admonet; aut efficacius jure ſuo atque auctoritate in re utitur citam curationem flagitante. Interim nunquam illo captioſo ſenſu admiſerim, quod apud canonum Doctores vulgaris eſt fabula, *poteſtatem eccleſiaſticam & ſecularem teneri ſibi invicem mutuum auxilium præſtare.* Nam Eccleſiaſtica poteſtas, ut verè imperium ſapit, non æqualis majeſtati aut æmula,ſed ſubdita, ſubordinata, dependens: adeoque id generis auxilii præſtare apta, quale dominæ ſerva, patri filius: Principi Magiſtratus: neceſſarium ſcilicet, fidele, obſequioſum: non multa oſtentatione grave; non mora aut cunctatione inutile: non tædioſum exprobratione.

§. 29. Verum hæc non multum dubia illis ſunt, quibus liberæ à ſtudiis aut prævaricatione mentes. Illa gravior eſt quæſtio, An neceſſitatis caſu,(utilitati enim hic vix locus) Principi jus ſit Eccleſiæ fortunas, ipſa templa, prædia, decimas, penſiones & alia hæreticis dare pacis publicæ pretium? Abſit ut eo nomine invidiam nobis creemus, qui ruptis immanis ergaſtuli vinculis ex cœco ſpecu ad felicem diem emerſimus. De ſectariis intelligi cupimus, cum apoſtaſia à probis ſacris convictam pertinaciam ſtipantibus. Sed hîc ſunt gradus quidam actuum vel à conſenſu

ſenſu opeve lata longius remotorum, vel propi-
pius accedentium. Primus eſt derelictio rerum
ab hæreticis occupatarum, Hæc iis rationibus
facile excuſabitur, quibus cum Turcis pax, da-
mno optimæ Hungariæ partis ſæpius inſtraura-
ta: vel receptus ab exercitu, qui viribus hoſti-
um undique circumſeſſus non niſi totius civita-
tis evidenti periculo eripi ab internecione po-
teſt: quid enim ſupra vires noſtras luctari juvat
cum adverſa fortuna? Quid cum ſemel Dii vi-
am ſalutis & exitum oſtenderint, inutili pertina-
cia recidivam pati? Perdolet quidem pio ani-
mo religionis Chriſtianæ ludibrium: & ædium
ſacrarum lugubris caſus, quæ ex pietatis ſchola
in proſtibula & fornices mutantur. Præſtat ta-
men generoſa patientia ineluctabilem fatorum
vim perferre, quam imbelli nec metuenda vin-
dicatione efficere, ut etiam de reſiduo jactetur
alea, jam ſemel infelici caſu tentata. Vindicabit
aliquando injuriam ſuam Deus, qui poteſt. Ea
tempora ſatius eſt nobis precibus lachrymisque
rogare, quam incauta pietate cogere. Enim vero
non ſemper audax ſuperſtitio ſuæ victoriæ præ-
miis contenta eſt: interdum plus poſcit, quam
poſſidet, ſeu facili ad occupationem ſpe: ſeu
amiſſorum acri dolore. Tunc oportet nos exce-
dere fines patientiæ, & ad tradendum reſtituen-
dumque adigi, ſiquidem efferveſcentibus impe-
periis velimus obſequi. Et profecto tenerior
tunc ſenſus conſcientiæ, pronaque ad ſocietatem
mali occaſio: tamen cum tempeſtas ingruit,
quædam velut ſpiramina eluctantis religionis
magna neceſſitas commendabit potius quam re-

 jiciet.

jiciet. Sacrarum rerum bonorumque Eccleſiaſticorum prima jactura facienda, quæ ſi pro alieno ære exſolvendo diſtrahere licet, quidni ad redimendam pacem? Nec ad perſonas, quibus traduntur, reſpicere decet, ſed uſum finemque, cujus gratia nobis ipſis nocemus: illi peſſimè rebus abutantur, dum fides noſtra cultusque ſacrorum in tranquillo ſit, qui nitere etiam ligneis inſtrumentis & inter egeſtatem poteſt. Sane cum extra periculum ſumus, furor hæc erit & ſumma impietas prodigere, argumenta divinæ benignitatis: verum ingenua pietas & prudentia, illis ipſis uti ad captivitatem noxamq; redimendam. Hactenus conſtat inter Theologos, pro captivis ab infidelibus liberandis nullis eccleſiarum theſauris eſſe parcendum. Sed multò apertior æquitas, iisdem liberum ſacrorum exercitium, quæ potenter turbantes inimici velut captivarunt, mercari. De ipſis tamen Eccleſiis ambigi jure poteſt, resque videtur prope ſacrilegium eſſe, imo ſtultitiam, Eccleſiam Chriſtianam deſendere ipſa Eccleſiarum jactura. Hunc nodum ut referemus, vocis ambiguum ſenſum neceſſe eſt evolvere. Triplex imprimis eſt Eccleſiæ notio: illa, qua religionem fidemque notat: iſta, qua ſtatum: hæc, qua ædes fornicibus lapidum cæmentisque compactas, templa ſcilicet, fana, aut uno verbo, illum locum, ubi fideles ad habenda ſacra convenire ſolent. Primæ ſignificationis Eccleſia, quæ eſt cœtus hominum à Deo ad ſuum cultum vocatorum, nulla temporis aut neceſſitatis excuſatione, in ditionem fidemque hæreticorum dedi debet, nec ſine

ſummo

ſummo proditionis ſcelere placere poteſt, ut ejus opprimendæ arbitrium apud hoſtes ſuos ſit. Differre tamen ab hac impietatis ſocietate legem, quæ falſis ſacris, jamq; adultis viribus ſtrepentibus aliquem locum facit, id notari volumus: nec propediem in cœlum conſpirant, qui, quod opprimere virus non poſſunt, ſuo periculo ſinunt debacchari, ſive rem in ſtatu, quo eſt, ſinamus conſiſtere, ſeu contumaciter ſe explicantem non impediamus. Fit hoc ultimum, cum validus error ſibi poteſtatem extorquet publicæ doctrinæ non proponendæ ſolùm, verum etiam, eo, quo dominatur loco, tenendæ, quod reformationis nomine hodie appellatur, ut ſalutaris & neceſſariæ, ſi veritatem invenit: ita peſſime, quando deſerit. Non enim hoc pacto Eccleſia, id eſt, membra Eccleſiæ, Chriſtiani mancipio dantur, nec in verba contumacis ſectæ, quam damnant, coguntur jurare: ſed illi permittitur ſaltem cum ſuo more ſacra facere, tum ad ea ſequenda, quos poteſt, lucrari. Fidelibus nec obſequium imperatur, nec præitur exemplo. Quod ſi vero illos contingat aliquando iniquis imperiis premi: tunc ad patientiam firmantur, ad conſtantiam, cum ſevera defectionis deteſtatione. Ac propterea ſolent plerunque leniendæ invidiæ adhiberi malagmata quædam, ut robuſtæ ſuperſtitioni facultas non ſit exſerendi totas ſuarum fraudium vires. Communiſſimum eſt abitum & exceſſum incolis impetrari, quos domi non patitur imperioſum malum ſuis ſacris vacare. Melius adhuc interdicto, *uti poſſidetis*, agitur, nimirum religionibus, in ſtatu, quo inveni-

 untur,

untur, relictis, quem nefas ſit movere regionis domino. Quod ſi vero neutrum horum obtineri poteſt, tunc vel oppreſſa fides ſponte ſua migret: vel abitu intercluſo martyrio coronetur: interea præſtat aliqua regni parte ferre hæc velut neceſſaria mala, ut alibi nobis ſecure pios eſſe liceat: quam victricem improbitatem ad majora audenda irritare. Cæterum ego nemini autor fuerim, ut hos cancellos, quos declinandæ neceſſitati benigniora fata indulſerunt, inconſiderato ſaltu temeraverit: quoniam vix fieri poterit, cum malo non communicari ſive conſenſu & approbatione, ſeu præſtita ope: utrumque vetitum Deo non mollit neceſſitatis aliqua ſpecies. Eccleſia ſtatus ſignificatione miniſterium comprehendit, i. e. totum Clerum, laicis oppoſitum: is ut nunquam jure tradi poteſt in nefariam poteſtatem, ita eundem pati aliquo loco expelli neceſſitas iiſdem rationibus defendit, quibus deſertam religionem in templorum ceſſione minor ſcrupulus. Ab illis enim cum vera pietas migrat, quid niſi cadaver ſunt amiſſo ſpiritu, aut abeuntibus Diis deſertæ domus? His ſi ſacrorum libertatem poſſumus mercari, quantum lucri fecimus? Sed Ambroſius, ajunt, noluit Imperatori auctor eſſe, ut Arrianis Mediolani Eccleſiam daret. Rectè, quod Valentinianus extra temporum iniquitatem: quod ad muliebres preces Matris Juſtinæ, hæreticis obnoxiæ, dare voluit: igitur edoctus meliora mutavit ſententiam, baſilicamque reſtituit: non profecto idem facturus, nec tam acerbe ab Ambroſio reprehendendus,

dendus, ſi quidem illius fani deditione ſalus Chriſtianæ religionis erigi potuiſſet, aut negatione everti.

ANNOTATA.
Ad
CAPUT IX.

§. 2.

IN dominiorum ſuccenturiatione &c.] Hac conſideratione plenum non eſt in hac mortalium vita dominium, quia ſummum & pleniſſimum apud ſolum Deum, cui non tantum humana omnia ſubjacent, ſed ſæpe etiam in uſu ſuo atque effectibus impediuntur, aut omnino tolluntur. Pro pleno dominium illud haberi non poteſt, à quo me alius excludere pro ſuo ſenſu poteſt. Et tamen ludit Numen dominiis noſtris velut joculari pila, ac modo, quæ his eripuit, adjicit illis. Adeoque hic eſt dominiorum ordo. Primò divinum, quod unum abſoluto loquendi modo plenum. Deinde humanum, quod cum illo collatum imperfectum & minus plenum: plenum vero cum abſtrahitur à divino, & in ſe conſideratur. Inter humana dominia poſtmodum rurſus ſunt aliqui gradus conſtituti. Cui enim nemo inter homines uſum dominii ſui interpellare poteſt, pleniſſimum dicitur poſſidere, quale eſt eorum, qui extra Rempublicam vivunt, ut olim patresfamilias ſegreges: & hodie Reges, Principes, quique in civitate imperium habent, publicorum bonorum nomine, de quorum certa directione aliis nihil ſtipulati ſunt. Cujus dominia vero per alium regi & moderari poſſunt, aut quæ non ad omnimodam uſus libertatem, quanta inter homines naturaliter datur, pertingunt, dominii minus pleni nomine recte veniunt: quemadmodum eſt illud omnium in republica civium: quod multis modis à legibus aut temperatur aut in libero curſu detinetur: imò ipſum eminens dominium, quia non conſtat pleno & quotidiano uſu. Attamen ſicut humana dominia interdum abſtrahere à divino ſolent, ut pleni nomen mereantur; ita etiam illa civium à pleniſſimis humanis, & in familiam plenorum ſe tunc aſſerunt, quando illa ſaltem libertate fruuntur, quæ à legibus publicis communiter ipſis eſt relicta: quo

ſenſu & privata jura dominiis iſtis plenitudinis vocem attribuunt. Nam dantur adhuc in civitate alia, quæ, quod ne quidem tantum illis indulgeatur, minus plena vocantur.

[§. 3. Πολλὰ ἐςιν εὑρεῖν] *Multa inveniri poſſunt, quæ univerſim civitas ſua cenſet: in ſingulos autem dominos partitim diviſa ſunt.*

[Μυρίους γὰρ εὑρήσετε] *Infinitos enim modos invenietis, ſecundum quos aliquid cujusq; eſſe dicimus, plurimum inter ſe differentes: ut neq; poſſidentibus liceat alienare rem, neq; illa prolubitu uti.*

[Τὸν νόμον τοῖς] *Legem eſſe inter Græcos, ut qui imperium obtinent in terra aliqua aut magna aut parva, eorum ſint & templa.*

[§. 10. Quod communi titulo Eccleſiæ habent] *Dominium Eccleſiaſticum* vocatur *in l. 14. §. 5. C. de SS. Eccl.*

[Ita non longè proceſſum eſt.] Equidem Nicephorus Phocas *donationes monaſteriis atq; templis relictas à quibusdã piis Imperatoribus prorſus abolevit, lege etiam lata, ne eccleſiæ immobilibus locupletarentur bonis, cauſatus Epiſcopos male prodigere ea, quæ pauperibus darentur, interim militibus deficientibus. Nov. Extrav. Niceph. Phoc. c. 4.* Sed Baſilius Porphyrogeneta mox eandem legem ſuſtulit, velut cladium & malorum in Romano imperio cauſam: nec deinceps hac parte Reipublicæ vitiis ſatis proviſum eſt.

[Quo eodem jure & Gallia utitur] Etenim teſte Bodino illic publica lege cautum eſt, ut quæ prædia deinceps Eccleſiaſticis collegiis dono data fuerint, ea vendere cogantur. *de Rep. l. 5. c. 2.* imò ne quidem Eccleſiæ Feudalium rerum capaces ſunt absque Regis permiſſu. *Roſent. de Feud. cap. 9. concl. 62.*

[Plusquam ſatis eſt &c.] Non ſunt de nihilo querimoniæ Antonii Quirini, Senatoris Veneti. *Omni divitiarum genere abundare Epiſcopatus, perdivites eſſe Abbatias, ditisſima monaſteria, quorum pleraq; reditus ſuos quinquaginta millibus aureorum non divenderent. Et quantum ad divitias, quas Eccleſiaſtici ſub dominio Venetorum degentes poſſident, incredibiles ferè eſſe, ut ex fide dignorum relatione & libris publicis recognovimus, ultra triginta milliones auri, ut vulgo loquuntur, ſeſe extendere, ex qua ſumma proreditibus annuis plusquam centum & quinquaginta myriades provenire, quod totum à devotis laicis habent, qui in id ſolum fuerunt intenti, ut Sacerdotes laute ſuſtentarent.* [Mo-

[Modo à ſummo Magiſtratu] Ex populi Romani Scitis non licuit Pontifici locum conſecrare abſque auctoritate patrum juſſuq; plebis: ut Cicero Oratione pro domo ſuâ oſtendit. Quod retinuere Cæſares, ſuum auſpicium & auctoritatem expectari jubentes ad loci publici conſecrationem. *l. 9. §. 1. ff. de R. D.*

[§. 13. Ubicunque negligenter] Conf. *Nov. 7. cap. 5. pr. & §. 1. c. 6. pr.*

[§. 17. Tamen cum utilitas apparet &c.] R. J. Spirenſis anno 1542. Aber der Kirchen Kleinoder und Gezierde ſollen in dieſer Anlag nicht mitbegriffen / ſondern als zu einem Schatz der Chriſtenheit / wo man des zu einer eilenden/nothwendigen / unvermeidlichen Hülff bedürffen würde / geſparet und behalten werden. Et Receſſ. Spirenſ. anno 1530. §. nachdem Churfürſten ꝛc ib. Der Kirchen Kleinoder / auch etlich Theil der Geiſtlichen unbeweglichen Güter im H. Reich zu Widerſtand des Türckens zu verkauffen.

[§. 19. ὁ δυνάμενος] *Qui prohibere poteſt, veriſſimè ipſe facit.*

[ὁ γὰρ ἐπιπλῆξαι] *Nam qui terrere aut omnino retinere poteſt, ſi non prohibeat, manifeſtè præcipit & incitat ipſe.*

[δι᾽ αὐτὸ οὖν τοῦτο] *Propter hoc ipſum itaq; da pœnam ultimi ſupplicii, quod non accurriſti, neq; prohibuiſti: neq; detinuiſti ſeditioſos, neq; pro honore Regis periclitatus es. Non participaſti audaciæ & furori? laudo hoc & accipio: ſed neque factum impediviſti. Et hoc ſufficit ad accuſationem.*

[πολλάκι] *Sæpe tota Civitas & unius viri peccatum luit.*

[ἂν ἐξὸν κωλύειν] *Quod cum potuerit prohibere unius malitiam, non fecit.*

[§. 20. διὰ τοῦτο γὰρ] *Propter hoc enim & tributa penditis. Miniſtri enim Dei ſunt in id vigilantes. Date igitur omnibus, quod debetis. Tributum cui tributum: vectigal cui vectigal: timorem cui timorem: honorem cui honorem.*

[Præterea contigit aliquando] Nec apud nos illud infrequens ingruente ſubita neceſſitate: præſertim ſi cum Turcis bellum ſit, & Hungaria, Germaniæ præſidium, videatur periclitari. Rec. Im. Spirenſ. Und zu dieſem Chriſtlichen milden Werck ſollen auch alle Stifft / Capittel / Klöſter / Ordensleut / Kirchen und Kirchenfabriken / und Spittal / ſie ſeyn in Städten oder anderswo / geiſtliche und weltliche Brüderſchafften / und alle andere geiſtliche Verſamlungen / Communen / und Clauſen von

von Mann und Frauen / ſie ſeyen exempt oder nicht / ihre Steur und Anlag geben: in Betrachtung / was ihnen an Handhabung des Chriſtlichen Nahmens und Glaubens/davon ſie auch ihre Würde / Einkommen und Unterhaltung haben/ gelegen iſt/ꝛc. Totidem penè verba reperiuntur in Receſſu Spirenſi anno 1542.

[Plus ſibi ipſi bene volentium] Nec enim aliter ſe reputant obligatos ad civitatem ſuis opibus juvandam, quam ſi principaliter fortunæ eorum propriæ in periculo ſint, aut ſaltem pari cum aliorum civium bonis fato involutæ. Extra illam damnorum cladiumque ſocietatem derelinqui à ſe laicos poſſe eorumque calamitates ſecuris & ocioſis oculis aſpici: vel ſic colligas, quod ſuis ſuppetiis ſuos etiam ſemper metus aut pericula conjungant. Aperte ſatis Panormitanus: *Quod ſi neceſſitas vel utilitas directò concernerent de directo & principaliter utilitatem Eccleſiarum & laicorum: ut puta prava ſocietas devaſtat civitates & territorium, in quo clerici habent multas poſſeſſiones, quod Eccleſia debeat contribuere, licet non ad ſolam deliberationem populi.*

[§. 24. ἱερὸν καὶ ἄσυλον] *Adeo ſacrum & inviolabile nihil eſt, ut Deorum ſimulacra. Uti tamen illis, eaq; movere & transferre, ut lubet, populum nemo prohibuit.*

[περὶ δὲ τῶν χρημάτων] *De opibus viſuri, an in parato ſint, ut dixere, in publico & templis.*

[τὰ τ᾽ ἄλλα ἐπαγωγὰ] *Et alia multa perſuaſoria falſaq; & de pecuniis, quod parata ſint in templis & publico.*

[χωρὶς δὲ] *Præter aurum non ſignatum & argentum in donariis privatis & publicis, & quot ſacra vaſa in feſtivitatibus & certaminibus, & ſpolia medica, & ſi quid aliud hujuſcemodi, non minoris eſſe quingentorum talentorum. Amplius & opes aliorum templorum adjecit non contemnendas, quibus uti illis liceat: imo ſi his omnibus prohibeantur, poſſe eos ipſius Deæ circumjacente mundo uti. Oſtendit vero habere ſimulacrum quadraginta talenta auri puri, & auferenda omnia eſſe ſalutis cauſa.*

[§. 27. χρησαμένους ἐπὶ σωτηρίᾳ.] *Salutis cauſa uſuros illis oportere tantundem reſtituere.*

CAPUT

CAPUT X.
DE JURE ADVOCATIÆ.

Summaria.

1. *Origo juris Advocatiæ Eccleſiæ.*
2. *Et progreſſus.*
3. *Refutatur Limneus.*
4. *Arumæi de origine Advocatiæ ſententia.*
5. *Advocatia Minorum Eccleſiarum.*
6. *Quo jure titulus Advocati à Francis ad Germanos pervenerit.*
7. *Ubi adhuc hodie manet, ſed languida aut nulla poteſtate.*
8. *Advocatia generalis.*
9. *De Advocatis vulgaribus Eccleſiarum.*

§. 1.

TOtum quidem hoc, quantum eſt, poteſtatis tutricis circa ſacra communi nomine advocatiæ aliquibus appellatur, quo nihil aliud intelligunt, quam jus regendi Eccleſiam tuendique, civilis imperii ratione non Imperatori ſolum, ſed omnibus in Chriſtiano orbe Principibus atq; Rebuspublicis, quá late regnant, proprium. Sed ſpecialis eſt titulus imperatorii muneris, Advocati Romanæ Eccleſiæ, imperio noſtro monopolicus, nec patiens ſocietatis. Quippe hoc à multis jam ſeculis non ſine artificio uſurpavit Pontifex, ut Principes Chriſtianos de ſe ſuisque rebus bene meritos honorifice compellaret: verbalibus donis gratiam realiũ beneficiorum relaturus. Hoc conſilio Franciæ Reges Chriſtianiſſimi ſunt facti: Hiſpani Catholici: Angli Defenſores fidei: deniq; Imperatores Advocati Eccleſiæ. Origo tanti hono-

honoris Caroli Martelli & Pipini Regis temporibus videtur deberi. Nam, hi Principes ſuſcepto Romanæ Sedis patrocinio eam adverſus Longobardorum periculoſa arma fortiter texerunt: primum Martelli auctoritati datum, ut Luidbrandus Rex obſeſſam à ſe Romam metu liberaret, deducto exercitu. Deinde Pipinus Aiſtulphum, expugnata Ravenna ad ipſam Romam caſtra ponentem, bis ab opulenta præda jam ſpe devorata revocavit, totius regni viribus Stephano opitulatus: multatoque magna divitiarum parte Aiſtulpho, quod primam fidem fregiſſet. Succeſſit mox Carolus pietati majorum, qui Deſiderium Regem ex eadem cauſa, quod Pontificis res infeſtaret, Paviæ obſeſſum cepit, occupato omni Longobardorum regno, cui finem impoſuit, & Italiæ regno initium. Tantum igitur maximorũ Regum ſtudium, totiesq; ſuſceptus pro tutela atque ſalute Romani Pontificis labor, honorifici nominis ſingulari præmio dignus viſus eſt, ut Pipini Carolique effuſa liberalitas *Chriſtianiſſimi* titulum pepererit. Nec diſplicere tum poterat Advocati illuſtre commodumque munus, in clientelari defenſione propriè occupatum. Quare Francorum Reges, cum Pontifices nondum ſibi imperare poſſent, ut dominos paterentur, Advocati Eccleſiæ Romanæ dicti, ejus protectioné cum aliqua poteſtate ſtipulati, ſed quæ ex pacto eſſet non imperii vi, adeoque nulla neceſſitate ſubjectionis ſaltem in clientelæ vel inæqualis fœderis rationes tranſiret. Utiliſſimum hoc rebus pontificiis conſilium imo pene neceſſarium jam peſſum ituris. Etenim

excuſſo

excuſſo Græcorum Principum imperio Apoſtolica ſedes & internis motibus diu laboravit, & ferocium populorum injuriis patuit, hoc confidentius illi inſultantium, quo minus Orientem timere debuerunt, contumaci Romanorum defectione offenſum, magisque læſæ majeſtatis vindictam meditantem, quam auxilium. In ipſa Ecclaſia nihil ſpei, nihil opis, quæ gentium ſuperſtitione non ſuis viribus freta tantæ molis & fere inſaniæ negotium confecit. Sed parum Longobardos fucata religio movit, qui potiti Inſubribus cupiditate proferendorum finium & ipſa temporum occaſione ad arma Romanis inferenda alliciebantur. Hos æſtus quo Pontifex frenaret, inermis ipſe & pavidus, non aliud habuit, quam ludibria ſacrorum, quibus contemptis oportuit eum ad externa auxilia reſpicere. Ea igitur apud Gallos invenit, multiplici artificio deceptos. Nam & ipſum Petrum Principem Apoſtolorum ſcribere ad Regem Pipinum juſſit, terrorem clades, cruciatus minitantem in propediem religioni ſibiq; ſuccurreret, nî ſucceſſore ſuo pereunti: & alias Stephanus literas ipſe miſit, quibus Regi & Dei, Petrique cauſam, & Conſtantini M. tùm primum utiliter jactatam donationem impenſe commendavit, per omnia divina humanaq; obteſtatus Principem, ne quid porro dubitaret opem ferre. Sic exiſtimatum eſt, adverſus hoſtes externos ſatis conſultum Romanæ Eccleſiæ potentiſſimi Defenſoris & Advocati adſumptione. Sed gravius urgebant civilia diſſidia perpetuis tumultibus in Pontificis electione exæſtuantia, peſſimo quoque Romanorum

non placuit ire, iratos dominos, nec quibus tutò fidere poſſent recenti ſeditione aſperatis. Adhæc apparuit, illos Romanam Eccleſiam non aliter in fidem receptoros eſſe, quam ſi in priſtinum obſequium ſtatumque velut ſubditi redirent, quod adhuc Pontifex abominatus eſt. Media igitur quædam via inter hæc extrema electa eſt, arbitro contentionum conſtituto, cui quidem jus eſſet ordinandæ Apoſtolicæ Sedis, ſed velut ſociæ & clientis, non ſubditæ. Salva enim libertate poſſe pacto quodam inæqualis fœderis alteri, cujus majeſtatem comiter colimus, jus quoddam & arbitrium in nos resque noſtras dari, imò & animadvertendi poteſtatem, jam Proculus notavit, *& fiunt apud nos rei*, (a) inquiens, *ex Civitatibus fœderatis, & in eos damnatos animadvertimus*: nimirum ex conditione inæqualis fœderis, per quod licuit quidem Romanis Socios delinquentes punire: ſed non æque illis in Romanos cives data animadverſio. Iſtud quicquid juris fuit Francorum Regibus delatum ad ordinandas Romanæ Eccleſiæ res, pars altera erat Advocatiæ, cum prima in defenſione ab externo hoſte terminaretur. Præcipua ejus vis occupabatur in reſtituenda ſanitati Eccleſia ſuis vitiis laborante: quod vel ſciſſo in factiones & partes pontificali ſolio accidit vel ipſo Pontifice in pravos ſenſus vitæque impuritatem ruente. Illic aut eligentium ſtudia compeſcebantur, nominato Præſule: aut inter adverſos ſibi Papas, ubi incertum quis vitio creatus, lis ſublata deciſivo judicio. Hîc hæreticum ſceleratumque

Nnn Pon-

(a) l. Non dubito, ff. de Captiv. & poſtlim. reverſ.

ſcio qua pietatis opinione plauſibile & gratum retinere, nec illud ſinere penitus abſorberi à civili imperio, illi ſimul pene adfricatum eſt, quicquid Imperator jure ſummæ poteſtatis potuit circa ſacra facere. Hinc in Clerum jurisdictio ſuprema Advocatiæ adſcripta, cujus nomine Carolus Leonem judicavit, & Germani Cæſares, Ottones, Heinrici, alii, de criminibus Pontificum cognovere: non ſolum quà Romani Imperatores, ſed & qua ſpeciales Eccleſiæ Advocati. Schismate exorto cum biceps tricepsve Eccleſia eſſet, Advocati munus ſuperflua capita reſecare, ſumpta cognitione de æmulorum jure: aut implicato difficultatibus negotio decretoria ſententia Pontificem dicere. Id à multis Imperatoribus rei Chriſtianæ ſummo bono factum eſt, quorum judicio ipſi Præſules acquievere. Evileſcente autem Principum incuria ſive ſuperſtitione hoc arbitrio, quas non turbas, quæ bella, quot Papas uno tempore de ſolio dimicantes ſequior ætas vidit, nos legimus? Porro officium hoc ad invaleſcentium hæreſium ſuppreſſionem adhibitum, præcipuâ inter hæc curâ, ne Pontifex pravis opinionibus imbutus clavum teneret: quem nec occupare ſolium permiſit, nec perfrui occupato. Tum omnem Eccleſiam in vitia & corruptelas morum prolapſam purgavit, ubi neque Pontifici parcitum ſoluta diſciplina & luxu peccanti. Adhæc in Eccleſiaſtico regimine rogare leges Advocato licuit, & abrogare, aliquo cum Pontificis quidem conſenſu, ſi liber à ſuſpicione, nec refractarius in ſalute procuranda. Ubi vero ipſe in criminum, quæ

coërcentur, ſocietate, aut intempeſtiva diſſenſione contumax, etiam non miſſo in ſuffragium Clero res confecta eſt. In Synodo cogenda quam illuſtres hujus muneris partes, ne nunc quidem extinctæ. Scilicet Epiſcopis de loco, numero, materia, tractandi modo providere: moderari concilium, præſidere, acta, ſententiaſque patrum judicare, atque iis, quæ placent ſacriſque literis conſentanea ſunt, confirmare: cætera rejicere. Hæc meliores Principes, Carolum M. Pipinum, Lotharium, Ottones audivimus feciſſe: imò aliqua ex iis adhuc ſuperiore ſeculo Carolum V. qui tantum auctoritatis ſibi in Tridentinâ Synodo cum indicenda tum habenda ſumpſit, ut ſæpe bilem Pontifici moverit, id multis nominibus ægre ferenti. Tandem quicunque actus Eccleſiæ regimini inſunt, & à majeſtate expediri poſſunt, Advocatiæ juri ex pacto & moribus infuiſſe prope verum eſt: ſpecialiter præterea cura quædam & inſpectio bonorum, quæ Romana Eccleſia Regum Francorum & deinde Imperatorum liberalitate poſſedit: non vero actualis adminiſtratio, ſive jure ſummæ poteſtatis ſive Magiſtratus competens. Satis enim erat, ſedulo caviſſe, ne patrimonium Petri luxu & prodigalitate Paparum, aut infida adminiſtrorum curatione damnum caperet. Velut honorarii tutores laborioſas tutelæ manus non admovent, ſed præſides quidam ſunt & inſpectores rerum pupillarium, ne reliquorum tutorum imprudentia dolove minuantur: ita inſpectio ſaltem & præſidium bonorum Eccleſiæ Romanæ Advoca-
tierat

ti erat: non de opere & functionibus ipſis participare.

§. 3. His finibus incluſum advocatiæ jus educit (*a*) Limneus, & , qui hunc ſuo more ſequitur, (*b*) Pacificus à Lapide, uterque licentioſius & cum magna Patriciatus dignitatis confuſione, quam ipſi damnant. Cenſet enim *Carolum accepiſſe ſimul politicam adminiſtrationem omnium bonorum temporalium, Ducatuum, Principatuum, Dominiorum & territoriorum, quæ Imperatorum, Regum, Patriciorum ac aliorum Principum beneficio Eccleſiæ obvenerunt, quorum donationes ipſe Carolus partim confirmavit, partim auxit & ampliavit.* Verum hæc poteſtas Patricii erat, civilibus cauſis præpoſiti. *Poſtquam dono Pipini*, inquit (*c*) Cuſanus, *Patris Caroli ad jus & proprietatem S. Petri devenerunt civitates & loca, quæ poſtea aucta ſunt, tunc opus erat illis omnibus locis defenſore & patricio, & deputatus fuit Carolus M. pro patricio ut haberetur. diſtinct. 63. c. Adrianus. & in Synodo. Et habebat patricius, quia pater patriæ curam judicii temporalis, & præfuit in temporalibus, Papa ſe de ipſis minime intromittente. Imò Patricius ſecundum gloſſam antiquam in c. Adrianus. 63. diſt. pater papæ in temporalibus fuit, ſicut Papa in ſpiritualibus ejus pater. Patricii dicti, quia ipſi ut patres filiis Reipublicæ providebant.* Patricius igitur politicam bonorum temporalium adminiſtrationem

 acce-

(*a*) Tom. 1. Addit. ad I. P. l. 1. c. 5. p. 23. 24. Et in Annot. ad Capit. Car. V. art. 1. verb. Der Kirchen / als derſelben Advocat. (*b*) In Not. & ſtrict. ad Sever. de Monzamb. diſc. 4. p. 334. (*c*) l. 3. de Concord. Cathol. c. 3.

accepit ; quî Advocatus, niſi cum illo idem ſit? quod nec Limneo placet : certe inſpectrix quoddam & honorarium munus huic tributum ſcimus ; non vero ipſum Reipublicæ civile & politicum regimen, quo ſemper Patricius aut Imperator uſus, Advocatus nunquam. Equidem ſi vera eſſet (*a*) Arumæi opinio, *quem populus R. patricium, illum Papam Advocatum dixiſſe*, eſſet, quo ſe Limneus defenderet. Sed reclamat Cuſanus, & antiqui ſcriptores, quibus Patricius eſt, qui omnibus illis locis deputatus, quæ Eccleſiæ Romanæ Chriſtianorum Principum munificentia donata. Et gloſſa antiqua Patricium Papæ patrem in temporalibus vocat, rectius ſane Advocatum, ſi diſtinctio Arumæi cum aliquo fundaméto. Forte Arumęus conditione deceptus Advocatorum Eccleſiæ communium, quibus cum tutela & defenſione adminiſtratio bonorum, jurisdictio in ſecularibus, & rei œconomicæ omnis cura commiſſa, ut ipſi Præſules liberum à negotiis humanis animum divinis rebus afferrent. Sed ab his non datur exemplum ad Eccleſiæ Romanæ Advocatos, qui Patriciatus aut imperatoriæ dignitatis nomine ſummum in civilibus arbitrium tenuere, ipſi Principes, non magiſtratus, adminiſtri, curatores, œconomi, quales alteri Advocati ſingulis Eccleſiis ſub imperio Francorum dati. Hoc officium humile nimis & contemptum tantæ majeſtatis faſtigio, quam nec geſti muneris rationes oportuit Pontifici reddere, nec in verba ejus & fidelitatem jurare. Juramentum enim, quo ſe Otto fertur obſtrin-

(*a* de Jur. Publ. Volum. I. Diſcur. Acad. 30. *t*. 40.

obſtrinxiſſe, ſi non eſt impudens adulatoriæ officinæ mendacium, quod (*a*) Peucerus aſſerit, (*b*) de protectione explicandum, non homagio aut ſubjectione.

§. 4. Conſentanea his, quæ de Origine Advocatiæ diximus, ſed brevius idem Arumæus tradit, loco ſupra nobis citato. *Erat vero Advocatia illa ſpecialis*, inquit. *Eccleſiam Romanam defendendi obligatio, quam Reges Franci nimio Zelo & devotione communi iſtorum temporum errore perſuaſi, tanti ſe religionem Chriſtianam facere putantes, quanti Eccleſiam Romanam majore favore & beneficiis proſequerentur, ſumma lubentia ſuſceperunt. Imperatores vero facti, etſi tunc jure regio & imperatorio Eccleſiam defendere habebant, tantum tamen abeſt, ut ſpecialem illam obligationem ſublatam voluerint, quin ad ejusmodi defenſionem pia opinione ducti arctius ſe conſtringerent juramento.*

§. 5. Præter Romanam Eccleſiam dignati ſunt etiam Imperatores (*a*) alias minores ſpeciali quadam advocatia & protectione, ſuper qua & illis jurare ſolent: ne forte putes munus id eſſe adverſum ſummæ poteſtati, nec quod conſiſtere cum illa poſſit. Sic Aquisgranenſi Eccleſiæ Imperator in ſolemni coronationis actu tuitionem promittit. Sic eandem olim Carolus Martellus Monguntinæ: id jus Mundeburdium majores dixerunt, id eſt, Goldaſto interprete, ſpecialem defenſionem ac protectionem.

(*a*) l. 7. Chron. in Otton. l. (*b*) Lupold. de Babenb. de jur. & transl. imp. c. 9. (*c*) Vid. de Advocat. c. 5. n. 368. & 398.

§. 6. Cæterum de translatione tanti muneris ad Germanos aliqua hoc loco monenda ſunt. Erit enim fortaſſe qui mirabitur, cur ceſſerint titulo Franci tam eximiæ pietatis, qui alterum *Chriſtianiſſimi*, fere coætaneum huic, magno ſtudio hucusque retinuerunt. Sed cauſa fuit deſerti juris ipſa Romani imperii amiſſa dignitas, quam ereptam Carolinis hæc velut ejus lacinia & comes ſecuta eſt. Etenim cùm primum poſito Patriciatus nomine Carolus Magnus aliud auguſtius Romani Imperatoris ſuſcepit, transfuſum eſt in illud, quicquid olim majores ſui aut ipſe poteſtatis in Romanam Eccleſiam quisque bona habuit: & aliorum quidem abolita etiam memoria, ſolum Advocatiæ nomen ſervavit ſtationem ſuam, quo nó deſpici ſed illuſtrari nova majeſtas credebatur: igitur adoptata ab hac, ejusque juribus unita poſtea nunquam inde potuit avelli. Neque vero patiebatur conditio ſubjectionis ipſaque ratio, ut ſubditi Romani Imperatoris in clientela eſſent & advocatiâ alterius Principis. Nam quæ concordia, qui nexus animorum, quæ imperantium auctoritas, quod civium obſequium in Republica ſperari poteſt, quæ Principis ſui imperia, cum diſplicent, ægide tutricis poteſtatis, excipit & amolitur. Quam deſpicabilis imperatoria majeſtas, ſi populus Romanus illam accito aliunde auxilio turbaſſet? Et vero ominari facile Carolo licuit, multiplicato regio ſanguine hæreditariam ſuorum imperiorum maſſam in partes iri diviſum, nec ſemper eundem Romæ regnaturum, qui Francis jura daret. Quo certe conſilio ipſe regna virtute ſua

quæ-

quæſita à patrio diſtinxit, ut aliquando citra confuſionem liberi aut nepotes ſuccederent. Adeoque tam primi conditoris voluntate & judicio, quam ex re ipſa jus illud Advocatiæ adhæſit Romano imperio, quo quicunque potiebatur, & illud ſibi vindicabat: quod defuncto Ludovico Cæſare confeſtim apparuit. Cum enim tres filios reliquiſſet, totidem regnorum hæredes, ſoli Lothario, qui Romanum imperium cum Italia ex patris teſtamento obtinuit, Advocati titulus ceſſit, nec Carolo, nec Ludovico, Galliæ atque Germaniæ Regibus invitis, quos non latuit, patrem avumque eo uſum, qua Romanum Imperatorem, cujus jura frater acceperat: non regnorum ſuorum, quæ ipſi creverant, ratione: idque continuatum eſt, quamdiu Carolina domus imperium in Italia tenuit: quo per factiones & artes Pontificum ſpoliati, uno ictu & Advocatiâ excidere, illis Regulis mox uſurpata, quos imperatoria dignitate Pontifex in Italia conſtituit. Inde his iterum contemptis poſtquam Ottoni Principi hoc pacto oblatum imperium, ſi Pontificis hoſtes, Berengarium & Adalbertum opprimeret, propediem ipſe conditione impleta cum Romano imperio Eccleſiæ advocatiam ſuſcepit, tacentibus adhæc Gallis velut ad aliena, pridemque à ſe pro derelictis habita. Nam intra quinquaginta illos annos, quibus Itali Principes hoſtes ſui imperarunt, oportuit jus gentilitium aſſerere, quod ipſis profecto nec arduum fuiſſet, nec invidioſum, ſcilicet Italia popularibus turbis & optimatum æmulatione debilitata, recentique adhuc memoria legitimæ

 ſucceſ-

ſucceſſionis. Quod igitur tunc nihil memoratu dignum moverunt, quod paſſi ſunt alios extra ſe Imperatores à Pontifice creari, quis non dereliquiſſe imperium dixerit? Imò quis non renunciaſſe nunc Germanis jus omne ſuum, apud quos plusquam ſeptingentos annos agnoſcunt Romanos Imperatores, compellant, venerantur? nec modo Imperatores, ſed etiam Eccleſiæ Advocatos, quibus vel ideo hoc quicquid eſt nominis aut dignitatis dant, quod abſtinent illo, ſibique perpetuò à titulo cavent nobis debito. Adhæc qui hodie regnant in Gallia Reges, Hugonis Capeti proſapia, quæ regni faſces à ſtemmate Carolino in ſe transtulit, quid habent, quo in hac re potiore ante nos jure utantur? Hinc & illinc aliquando Caroli M. ſoboles imperavit: imò major apud nos Ludovicus Germanus, minor apud illos Carolus Calvus. Utrinque amiſſum ab illis imperium felicem purpuram in aliam familiam domumque transtulit. Sed nos æquiori jure, quod in Germania deficerent ſurculi in hac imperatrice ſtirpe: nec placeret ex Gallia petere jugum. Illi cum perduellionis crimine, dum ſubditus & miniſter regius Dominum ſuum ſolio ejicit, ut in eo ipſe conſideret. Vendicent igitur Capevingi ſibi jus & cauſam Carolinæ hæreditatis eo nomine, quod regnaverit apud eos illa ſtirps: idem nobis eſt in paratu dicere. Sed apud nos forte citius deſiere? Atque per ſe tempus ut jus novum non dat, ita nec adimit. Quodſi enim Capeti ſoboles cernere hæreditatem Principis ſui viventis & exulis potuit: imò exulis proprio Capeti parricidio; quidni Ger-

Germania illá Regis ſui placide defuncti, &,quod magis eſt, ultima voluntate ſceptrum coronamque in Saxones transmittentis? Alia eſt tituli *Chriſtianiſſimi* ratio, quem Galliam in patrimonio ac velut peculio habere quis negavit? Is enim Pipino ut Franciæ Regi ex ea cauſa datus, quod erepta Longobardis Eccleſiæ bona, ipſique reſtituta novis multisque beneficiis cumulaſſet: ita quæ pietas ejus videbatur, ſtudiumque in religionem Chriſtianam, cum honore aliquo & elogio ad poſteros duraturo dignum judicaretur, Rex Chriſtianiſſimus appellatus eſt, velut inter omnes Chriſtianæ rei Principes ipſe Dux & antſignanus in religione ſibi aliisque conſervanda: Præter has laudes & publicam virtutis conteſtationem nihil juris aut dignitatis ille titulus annexum ſibi habet, ſicut alter Advocati, qui præcipue poſt adeptum imperium cum ſumma poteſtate conjunctus totas jurisdictionis in ſacra vires exhauſit, aut verius æmulatus eſt. Iſtis ſi Galli non acquieſcunt, quieſcant nunquam. Cum Italis transacta res eſt, quorum precibus, ſtudiis voluntate exoratus Otto Magnus Romanum imperium officiumque Advocati, quod ipſi morte Berengarii jam diu vacuum aut tenere non poterant, aut noluere, ſuſcepit. Illos ſi pœnitet nunc benevolentiæ munerisque, ſero id eſt, resque liberi ante conſenſus neceſſitatis facta. Acceſſit nova cauſa ejus nominis in Ottonem conferendi: videlicet debellatus cum filio Berengarius, magnus ille Eccleſiæ Romanæ hoſtis: eoque adhuc major ipſe Pontifex Johannes, qui patris Alberici potentia nixus ſibi

Ponti-

Pontificatum uſurpavit. *Homo ſane*, ex Platinæ laudibus, ***ab adoleſcentia omnibus probris ac turpitudine contaminatus. Venationibus magis, ſiquid temporis à libidinibus ſupererat, quam orationi deditus.*** His malis, dum liberat Eccleſiam Otto Rex, certe magis virtute ſua meruit Advocati titulum, quam perditè ambivit. Proprium enim eſt Advocati munus, tam exteræ peſtis, quam alius deterioris, quæ in viſceribus hæret, profiteri odium, atque oppreſſionem mature moliri. Utrumque ab Ottone præſtitum, victus captusque Berengarius, & Pontifex, cum fruſtra admonitus non reſipuiſſet, dignitate infulisque exutus: ita tantis meritis debitum officium conceſſit.

§. 7. Nec qui hodie ſunt Pontifices, aut harum partium ſcriptores, invident nomen. Utinam ſi non rem & poteſtatem huic olim annexam! Sed vani ſunt iſti queſtus & lachrymæ, jam diu Romano populo cum omnibus Eccleſiæ fortunis ab obſequio Imperatorum in dominationem Pontificis transeunte. Ab illo tempore umbra quædam manſit, ſine corpore: onus absque commodo: honor, ſed nulla reverentia: imò fucus & larva dignitatis, cujus præcipua vis, id eſt poteſtas ſuprema in Papam ejusque dominia, tanquam fatali ſenectute, emarcuit. Prima ejus mali cauſa Pontificum ambitio eſt, ab obſequio in libertatem ſummis viribus exſurgentium, quod puderet eos colla ſubdere civili imperio, qui cœleſti & ſublimiori inciperent undique efferveſcere. Hinc cum excuſſa ſubjectione neceſſe fuit præcipuas Advocatiæ vires concidere.

Altera ipſorum Principum imprudentia aut ſuperſtitioſa pietas, qui ſuorum jurium & virtutis majorum ignari ſibi perſuaderi paſſi ſunt, Eccleſiæ Advocatiam tuitionem & propagationem univerſalis Eccleſiæ ſeu religionis Chriſtianæ eſſe: quo impetu tot in Orientem expeditiones Pontificum auſpiciis ſuſceptæ: tot regna occupata & mox amiſſa. O fraudes humanæ, & ſubtile dominationis ingenium! Hæc arma fuerunt, quibus majeſtas imperatoria exarmata: Hi laquei quibus capta eſt: hoc amuletum, quo ſoporata longinquarum rerum curâ domeſtica neglexit & contemptam auctoritatem. Nam ut quisq; Imperatorum ſpem de ſe aut opinionem excitavit antiquæ virtutis, propediem in externam militiam relegatus eſt, ut gravi & inexplicabili bello frangeret primos illos ſpiritus, qui, ne cum damno Romanæ Curiæ erumperent, metuebantur. Si qui non paruere Pontificum imperiis, dilata executione, quaſi deſertores fidei vel transfugas, qui officio ſuo minus digne fungerentur, horribile & properum fulmen afflavit. Sic Advocatiæ illud jus legitimo & adſtricto uſu quondam utile & honeſtum Imperatoribus, neſcio qua incuria vel dominandi lubidine in maximam peſtem eorum majeſtatis defiit, ut ſuis armis, ſed extortis ab hoſte atque in ſe converſis ipſi debellarentur. Neque eſt de nihilo querela Lupoldi à Babenberg, Advocatiam Romanæ Eccleſiæ absque annexo emolumento nunc tantum onus defenſionis, nec aliud habere: cum olim præcipuum ejus & metuendum robur in poteſtate conſiſteret ordinandi Eccleſiæ diſciplinam

plinam, jubendiq́ue ipſi Pontifici. Illius adhuc quædam languida & imbecillis micatio in primis quatuor, quas habemus, Capitulationibus Cæſareis apparet, ubi primo ſtatim articulo jurat Imperator, ſe Romanam Eccleſiam, ejusque Pontificem, ut Advocatum decet, in poteſtate & protectione habiturum. Verum ſequentes dignam imperio noſtro illam vocem *poteſtatis* omiſere, de tutela ſaltem & præſidio injecta mentione: ſtudio id factum an incuria, quis dixerit, niſi illis deliberationibus interſit? id certum eſt, conſultius facturos Electores, & magis ex Romani Imperii dignitate, ſi reſtituerent illud vocabulum ſuo loco, unde neglectu aut per injuriam excidit: meliore id jure licet, quam plerisq́ue pontificiis, qui arreptam à quocunque ſcriptore ſententiam aut nomen, modo gratum Pontifici & utile, ſolent inſano fervore æternum retinere: donec poſtquam unus alterum fideliter exſcripſerit, ipſa auctorum multitudo invidiam ex novo commento oriundam paulatim extinguat.

§. 8. Eſt aliud jus, proximum à ſpeciali Advocatia, *pro Chriſtiana religione curam gerere.* Sed generale illud, & in quo Imperator cum omnibus Chriſtiani Orbis Principibus concurrit. Quod in Eccleſiæ rebus Epiſcopi pro officio ſuo dicuntur, τὴν καθολικὴν πιστις ἐυεθῶν, id eſt, *univerſalis Eccleſiæ curam accepiſſe*, id aliquo modo de regibus verum, ſcilicet eos præter poteſtatem ordinandi tuendiq́ue in ſua civitate religionem & univerſalem ſortitos circa res divinas inſpectionem in toto humano genere. Hæc ab officio manat Chriſtiani Magiſtratus, cujus præcipua

cipua pars efficere, ſi juſte id poſſis, ut ubique homines de Deo, quæ debent, ſentiant. Neque nunc dicam, illud ad gentium quietem & univerſalem juſtitiam, cujus tuendæ cauſa jure gentium agitur, plurimum conferre. Sed tantum in mandatis eſſe à Deo profectis, quæ negligere ſacrilegium eſt. Ejus muneris ratione Imperator in publico jure vocatur Chriſtianæ rei ſupremus curator, (a) der obriſte Vogt der Chriſtenheit: non jurisdictione & poteſtate, quaſi ſupra alios Reges Chriſtianos; Sed dignitate locique reſpectu, quo omnes antecedit: illi pares imperio & univerſali in Eccleſiam cura.

§. 9. Ab his regii velut juris Advocatis multum diſtant vulgares alii, qui ſingulis Eccleſiis curandis ab Imperatoribus vel Regibus dantur, ne pias illarum cogitationes à cœleſtibus rebus neceſſe ſit in terram deflectere. Salutare prorſus & neceſſarium munus cum ipſis Eccleſiarum divitiis exortum. Nam tot opes Chriſtianorum in uſum Sacri Ordinis congeſtæ Oeconomum deſiderant, qui cum fide illas moderetur. Primis temporibus, quum adhuc Eccleſia inter egeſtatem & injurias hoſtium fluctuaret, oblationibus ſuis contenti Myſtæ veluti ad dimenſum vivebant, ſordes & contemptam paupertatem ſanctimonia vitæ miraculisque vincentes. Mox ubi ipſis domita inimicorum ſævitia largius indultum, retia illa ceperunt nectere, quibus, quod optimum eſt in Chriſtiano orbe, expiſcati ſunt. Bonorum operum commendata neceſſitas, unius ad aſtra viæ, quam qui deſererent, in præceps irent,

(a) Receſſ. Imp. A. 1530. §. Nachdem aber uns.

irent. Adornata autem tam commodè fabula, ut illa pietatis fideique inſignia illud fere nomen cum omni merito amitterent, niſi præcipuam effuſæ liberalitatis partem Eccleſia captaret, aut potius, qui in ea ſunt Sacerdotes. Maxima vis conſcientiis in mortis articulo admota, quo homines extremum jam ſpiritum agentes oportuit ad fidem meritumque Chriſti perducere. Heic vero neglecta conſolatione nihil ingerebant morituro niſi peccata, offenſum Deū & inferos cruciatus, non alio fine, quam ut miſeros homines & de ſalute ſua anxios in ſua verba cogerent jurare, expiatione velut merce venum propoſita, quæ digno pretio emeretur. Ita nemo inter illos fuit, qui his terriculamentis adortus quacunque bonorum ſuorum jactura cœlum non licitaret. Neque ruſticis tantum aut imprudenti turbæ perſuaſa res: etiam Imperatores, Reges, Principes, imò omnium dignitatum, omnium ordinum, omnis denique ſexus homines in prædam venerunt, animis tam infanda ſuperſtitione ſemel imbutis: inde magna alacritate agri, vineæ, aurum, argentum, ejusque generis res mobiles immobilesque à tenuioribus oblatæ. Qui opimius & clarius vixere, ut plebem ſicut dignitate & opibus, ita ſtudio in religionem anteirent, oppidis, pagis, ſubditis, ſtatuerunt beneficiis ſuis modum: eſt etiam, cum omnium bonorum hæres Eccleſia ſcripta, nec à deſolatis tantum familiis, ſed patribus quoque, qui mendicare liberos maluerunt, quam non luxuriare clerum. Tantis opibus ut alta nive operta pietas friguit inter divinas functiones, & jam in eo

res

res eſt, ut piarum mentium & de uno cœlo cogitantium libertas terreſtrium rerum gravi onere ſupprimeretur, cum opportune apud Francos, ubi præcipue laborabatur divitiis, inſtitutæ Advocatiæ aliqua curarum parte & indignis commerciorum ſordibus Eccleſiam levarunt. Etenim Reges, qui paſſim divinum cultum deſeri opum luxu que cauſa conſpexerunt plusque in Sacro Ordine publicanorum eſſe & commercantium, quam Sacerdotum, miſerti deſpectæ religionis, tum rem viſu turpem rati à ſacris in forum deſcendere, abſtinere omnes infulis ſuis conſpicuos juſſerunt à bonorum adminiſtratione, curatoribus ſubſtitutis, qui interim curam gererent fortunæ rerum, quum divinis illis præſules operarentur. Ita Pipinus conſtituit, (*a*) *Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, Abbates, Præpoſitos, &c. non debere ſe immiſcere negotiis mundanis & ſecularibus: ſed eorum adminiſtrationem Advocatis committere.* Et Monguntina Synodus anno 834. habita, vult *Epiſcopos & Abbates curam omnem adminiſtrationemq́, quæ ad victum & alimoniam attinerent, Advocatorum ſolertiæ relinquere.* Extat & apud (*b*) Hincmarum lex, qua *decretum eſt, ut Epiſcopi univerſiq́ Sacerdotes habeant Advocatos, quia Epiſcopi univerſiq́ Sacerdotes ad ſolam laudem Dei bonorumq́ operum actionem conſtituuntur. Debet ergo unusquisque eorum tam pro Eccleſiaſticis quam etiam propriis ſuis actionibus habere Advocatum non male ſuſpectum, ſed bonæ opinionis, ne dum humana*

(*a*) In Capitul. c. 11. de Advoc. (*b*) l. 7. c. 31.

l.. ra attendunt, æterna præmia perdant. Igitur hujusmodi curatores, bonis dati, Advocati dicti ſunt, item Vicedomini, & Eccleſiarum defenſores, aliquando & Executores, Protectores, Rectores, quibus Vicarius quoque adjunctus, abſentis domini vicem geſturus. Eorum creandorum poteſtas Regum & Imperatorum fuit, unde ſingulas Eccleſias illos petere oportuit: privata auctoritate non licuit conſtituere. *Defenſores Eccleſiarum*, (*a*) ait lex quædam antiqua, *adverſus potentias ſecularium vel divitum ab Imperatore ſunt poſcendi.* Et (*b*) alia. *Pro Eccleſiarum cauſis ac neceſſitatibus earum atque ſervorum Dei executores vel Advocati, ſeu defenſores, quoties neceſſitas ingruerit, à Principe poſtulentur, & ab eo fideliter atque libenter juxta canonicas ſanctiones fideliſſime dentur.* Apud (*c*) alium auctorem legitur, *Advocati antiquitus Eccleſiis & cœnobiis à Regibus præficiebantur, erantq; tanquam Procuratores, Oeconomi & adminiſtratores eccleſiaſticorum proventuum.* Neque tantum vilium perſonarum illud officium, & quod puderet purpuratos geſſiſſe. Sed cum inſigni honore, quem nec Optimates regni fugerent. Dagobertus Rex Trevirenſis Eccleſiæ Advocatum Arnolphum fecit, Auſtraſiæ & tractus ad Moſellam Ducem. Tabellæ regiæ inter alia habent, *ut præfatarum Eccleſiarum res proſpere ferantur, videlicet B. Petri, & B. Maximini, ne deinceps à graſſatoribus quicquam moleſtiæ inferatur, protectorem.*

(*a*) Capit. l. 5. c. 31. (*b*) Capit. l. 7. c. 308.
(*c*) Nicol. Camurat. fol. 120.

rem, rectorem & advocatum damus illuſtrem dominum D. Arnulphum, ſanguine regio natum, parentem noſtrum & inſtructorem Auſtriæ Moſellanicæ Ducem, cui hæc omnia fideliter obſervare præcipimus: id actum anno 623. Sex luſtris poſt hæc, nempe anno 653. filius (*a*) Sigibertus Parentis literas confirmavit. *Perpendentes ergo,* inquiens, *& verentes, ne forte, quod abſit, de eleemoſyna genitoris noſtri ac prædeceſſorum noſtrorum Regum detrimentum animæ noſtræ faceremus, pro conſervanda eorum pietatis munificentia ipſas cellas cum conſilio & judicio Epiſcoporum, Ducum, Comitum noſtrorum, maxime dilecti conſanguinei noſtri Domini Martini, filii Cludolphi, filii Arnulphi, Ducis Auſtriæ Moſellanicæ ac Moſelant, quem præfatæ B. Petri Eccleſiæ ac fratrum antedictarum cellarum advocatum, rectorem, protectorem conſtituimus, Eccleſiæ Trevirenſi reddidimus.* De pellice Pipini Alpaide (*b*) ſcribitur, *fundaſſe Eccleſiam & Collegium Canonicorum in Hugardis, cui Advocatum & Patronum Ducem Auſtraſiorum, ſive Auſtriæ inferioris dedit:* id fortaſſe gratiæ pellicis à Pipino amatore datum, in exemplum ivit Saxonum Imperatorum temporibus, ut fundatores Eccleſiarum Advocatiæ jus vel ſibi hæredibusque ſuis exciperent, vel ſaltem nominandi Advocatum poteſtatem. Functiones muneris quæ fuerint, ex iis intelligi poteſt, quæ modo diximus: procuratio enim & œconomia Eccleſiaſticorum bonorum man-

(*a*) Franciſc. de Roſieres. Stemmat. Loth. ac Bar; Duc. fol. 1, & 3. (*b*) Chron. Magn, Belg. fol. 27.

data illis : inde per ſervos miniſtroſque agri ab eis culti, vineæ curatæ, penſiones, reditus, decimæ & omnis generis fructus percepti ſunt, confectis rationibus, quas Eccleſiis ſingulis ferè annis reddere moris erat. Hæc prima hujus officii cauſa : cui mox & aliæ functiones annexæ. Velut jurisdictio civilis in locis Eccleſiæ propriis. *Hoc ſtatuimus*, ita ait (*a*) lex, *ubicunque Epiſcopi ſubſtantiam habuerint, Advocatum habeant in ipſo Comitatu, qui absque tarditate juſtitiam faciat & recipiat* : itemque (*b*) alia. *Si aliquod damnum ibi datum fuerit : Si homo furtum aut homicidium vel quodlibet crimen foris committens infra immunitatem fuerit, mandat Comes vel Epiſcopo vel Abbati, vel Vicedomino, ut reddat eum.* Deinde quisquis aliquem ex Clero bonorum non perſonæ ſuæ ratione voluerit convenire, coram advocato diſceptata cauſa eſt. Ea de re extat (*c*) hæc conſtitutio. *Volumus primò, ut neque Abbates neque Presbyteri & Diaconi & Subdiaconi neque quilibet de Clero de perſonis ſuis ad publica vel ſecularia judicia trahantur, ſed à ſuis Epiſcopis adjudicati juſtitias faciant. Si autem de poſſeſſionibus ſuis ſeu Eccleſiaſticis ſeu propriis clamor ad judicem venerit, mittat judex clamantem cum miſſo ſuo ad Epiſcopum, ut faciat eum per Advocatum juſtitiam recipere.* Quod ſi ad alium judicem pertracti quidam ex clero, defendere eos Advocatus debuit,

(*a*) *tam*

(*a*) Capit. l. 5. c. 234.
(*b*) Capit. l. 3. c. 25.
(*c*) Angeſ. lib. 5. tit. 37. c. 2.3.

(*a*) *tam pro Eccleſiaſticis quam propriis ſuis actionibus*: quo lex etiam pertinet (*b*) præcipiens, *defenſores Eccleſiarum adverſus potentias ſecularium vel divitum ab Imperatore poſcantur.* Sicut ex adverſo cum ab Eccleſiaſtica perſona Laicum in foro civili actione contigit pulſari, Eccleſiæ illius Advocatus in Comitum judicio egit (*c*) procuratorio nomine: nec admiſſi ipſi clerici, vetante ſcilicet Paulo, ut *Deo militans implicet ſe negotiis ſecularibus.* Talia hisque paria expedita per Advocatum, ſed Eccleſiæ nomine: quare nihil ab eis inconſulto Epiſcopo aut illius loci Præſule actum. Neque hi viciſſim inſcijs Advocatis momenta civilia expendere. Ita ſibi invicem mutuo auxilium præſtabant auctoritas Epiſcopalis, & poteſtas Advocati. Recte Limneus compendioſa Advocatiæ deſcriptione ſed aliunde mutuata; *Hi*, (*d*) inquit, *Eccleſiis Epiſcoporum atque Abbatum Vicedomini dabantur, ut eſſent, qui ſecularium rerum curam gererent, redituumq; & prædiorum & ſervitiorum & decimarum, & ſi alia politica juris Eccleſiarum eſſent, rationem redderent, minime tamen neglecta Epiſcoporum voluntate, quibus invitis aut inſciis nihil agebatur, quemadum viciſſim Epiſcopi aut Abbates ſine manu Advocatorum nihil auſi fuerunt ratificare, vel cambire. Et ſi Advocatus abeſſet, Vicarius ejus conſentiebat, quem habe-*

Ooo 3 *bat*

(*a*) Hincm. d. l. 7. c. 31.
(*b*) Capit. l. 5. c. 31.
(*c*) vid. Capit. l. 4. c. 3. Synod. Cabillon. A. 813. c. 11.
(*d*) Addit. Tom. 1. ad Jur. P. l. 1. c. 5. p. 24.

bat in loco Eccleſia reſidentem. Illi, qui minus ex debito aut fide functi officio, Magiſtratu abdicati ſunt, ſurrogatis melioribus, qui (*a*) *& ſciant & velint juſte cauſas diſcernere & terminare.* Depoſitio per Imperatorem facta eſt, qui eminente & ſuprema in omnes Eccleſias Advocatia minores alias recte ordinavit, dando Magiſtratum & auferendo: id meritis & perſpectæ virtutis hominibus: hoc ignavis vel infidis.

CAPUT XI.
DE JURE ERIGENDI ACADEMIAS.

SUMMARIA.

1. *Jus erigendi Academias Imperatoris eſt.*
2. *A quo pontifex rectè ſubmovendus.*
3. *Aliorum error reprehenſus.*
4. *Electio Doctorum ejuſdem poteſtatis.*
5. *Et Materies docendorum.*
6. *Itemq; locus.*

§. I.

INter Majeſtatis jura, quæ rebus ſacris præſunt, eſt & Scholarum inſtitutio, in quibus humanæ mentes ad pietatem & ſapientiam erudiuntur. Eas omnes quis recte diſtinxerit in majores & minores. Hæ ſcilicet, ubi tyrocinium ponitur humanitatis, & liberalibus ſtudiis imbuuntur magis animi, quam tinguntur, prægustatis ſaltem artium delitiis. Earum erigendarum poteſtatem

(*a*) Capit. l. 3. c. 11.

ſtatem communicavit Ordinibus Imperator, ut in ſua quisque ditione quot opus ſit ad formandam juventutem, habere poſſit. Illæ altiorum ſunt diſciplinarum, præparatis jam & fortibus ingeniis debitarum, quæ ferre adultam & ſeriam ſapientiam poſſunt. Academias vocamus, ſeu Univerſitates, quas nulli licet ex Statibus condere, niſi ſpeciali Principis privilegio. Nam ad reſervata Imperatoris numeratur illa poteſtas indulgentiarum. Eſtque is omnium fere gentium mos, ut tantum Imperantes publicas officinas effingendis juventutis animis aperiant, quorum maxime intereſt videre, quid illa doceatur. Prima enim rudimenta & ductilis adhuc animæ facies ad totam civilem vitam ingens habent pondus, ſive in obſequium flectatur & virtutes: ſeu contumacem indolem ſuperſtitione & ſeditioſis præceptis occupatam. Igitur ſolus Imperator eſt in Imperio, qui aut ipſe fundat Academias, aut pro licentia ſupplicantibus annuit. Citra hanc veniam nefas Statibus propria auctoritate conducere Muſas, nefas Doctoribus profiteri: Nemo Ordines, nemo honores illic conſequitur publico favore aut præſidio dignos. Sed quicquid agitur, recipitur, impetratur, velut clandeſtinè & per obreptionem, effectu ſuo deſtituitur ex permanente vitio. Et hic eſt communis Doctorum calculus, ad Regalia, quæ vocant, jus referentium erigendi Academias aut privilegiandi.

§. 2. Equidem intrudunt ſe hic ridicula vanitate Pontificii, & neſcio quam Pontificis authoritatem ſuccenturiant imperatorio juri,

tanquam per ſe indigo ſublimioris opis, ſi, quod opus molitur, alicujus perfectionis nomen velit mereri. Scilicet Pontificem in omnium Academiarum fundationibus poſt principia locant, cujus auctoritas humiliter impetranda ipſam illis animam infundat, futuris absque ea non collegium communione juris & ſuis functionibus privilegiisque legitimum : ſed hominum cœtum aut coitionibus & vetitâ ſocietate damnabilem, aut certè non iis juribus atque dignitatibus dotatum, quæ Academiis adhærent. Præfracte (*a*) Valentinus Rotmar pro Academiis non habet, quæ non munitæ ſunt Pontificum privilegiis. Eandem ſententiam plerique Pontificiorum propugnant. Mitius aliquanto (*b*) Adamus Conzen, diſtinctione *inter literas & ſcientias civiles, & inter jus ſacrum theologicumq;* allatâ, ut *reſpectu ad illas habito cuilibet Monarchæ jus Academiæ erigendæ concedatur. Hujus autem intuitu authoritas docendi à ſummo religionis Antiſtite petenda ſit.* Omnia tamen omnes confidentius, quam verius. Nutat fundamentum, quo totam cauſam ſuſtinent, nimirum ſuprema & univerſalis Pontificis poteſtas in ſacris rebus, aut quæ his affinia videntur. Illud igitur antequam melius fulciant, quis credere cogetur tam inania jactantibus. Neq; quibus hucusq; baſis eſt poſita tanti operis, vi & fulminationibus Tridentini Concilii movemur. Aliis armis debellenda eſt conſcientia, quæ niſi rationibus aut ſacris ſcripturis prenſetur, ſemper tacite elabi-

(*a*) In Annal. Acad. Ingolſtad. part. 1. p. 35.
(*b*) l. 4. Polit. c. 13. §. 2.

elabitur, etiamſi eam aliquando contingat metu aſſenſum fingere. Sed nec ipſum ædificium, quod mutabili ſolo ſuperſtructum eſt, vitiis ſuis caret. (*a*) Dicunt Academias eſſe *Societates Eccleſiaſticas*: dicunt tamen non probant. Quidni probent, ais, anne validum eſt ejus rei argumentum, Cancellarius, fere ſemper Epiſcopus aut Eccleſiaſtica perſona, cujus permiſſu renunciationes Doctorum atque Magiſtrorum fiunt? Specta e hominis acumen tam puerilia ludentis in re ſeriâ! Si quævis ſocietas Eccleſiaſticum corpus eſt, quæ Cancellario Epiſcopo utitur, erit & ipſum Romanum imperium, quod triplex Cancellariatus munus totidem Metropolitis accurandum mandat: quo quid alienius à ratione poteſt excogitari Fiet quævis communitas etiam illa, quæ omnium judicio maxime civilis, quamprimum SacroOrdini in eo locus datur aut dignitas. Quam repentina hæc metamorphoſis? quam igitur ſtudioſè ab illis cavenda, qui non propediem cupiunt à Pontifice in provinciam redigi Sed non alio modo cavenda, quam Sacri Ordinis perpetua excluſione à publicis muneribus. Nam dum his ille per incuriam miſcetur, jam citò tota facies civilis regiminis in Eccleſiaſticum deſinet, & advena quædam & ſupplex initio Dido mox tracta ad ſe potentia Africam ſubjugabit. Nulla enim cauſa eſt, cur non illis quorumcunque munerum reſpectu liceat civile corpus in Eccleſiaſticum transformare: qui illud ſine pudore auſi ſunt propter Cancellarii Epiſcopi functiones.

(*a*) Joh. Baptiſta Gallus in Not. in Thuan. hiſtor. c. 11.

§. 3. Cognoſcitur ex his aliorum inſanus error, & contra publica jura & mores patrios nitentium, in Camerali judicio neque Aſſeſſores admitti neque Advocatos, niſi gradum ſuum in probatis à Pontifice Academiis impetraverint: qua quidem aſſertione nihil ego mendacius usquam invenio. Reclamat experientia, reclamant illi ipſi, qui hodie ſunt in loco judicii ſive Aſſeſſores, ſive Advocati: quorum magna pars illis Academiis debet ſuas dignitates, quæ penitus à Romana Eccleſia deſciverunt: reclamant denique publicæ leges, & præcipuè inter eas Cameræ Ordinatiô, requirens in Adſeſſoribus dignitatem ab illis Academiis collatam, quæ Imperatorum ſaltem, Regumque Romanorum confirmationibus erectæ.

§. 4. Adhæc docentium liberalia ſtudia electio ejusdem eſt imperatoriæ facultatis, quæ tamen plerunque communicari unà ſolet, quibus poteſtas datur inſtituendi Scholas, ſed ita, ne imperatorii auſpicii oblivio ſit. Eam proviſionem nunquam judicarunt Principes infra ſuam dignitatem eſſe. (*a*) Juliani lex in Codice noſtro extat, ea de re ita ſtatuentis. *Nec repente aut temere quis proſilire debet ad hoc munus docendi, ſed vel publicè à Principe probari debet, vel quia Princeps ſingulis Civitatibus adeſſe non poteſt, ex ejus juſſu judicio ordinis probari debet, & decretum curialium mereri debet, optimorum conſpirante conſenſu.* Apud Perſas ex publico petiti Doctores, quatuor Foris inſtitutis ad omnis generis ætates moderandas: illis præceptores regia

(*a*) l. 7. C. de Profeſſ. & Med.

regia auctoritate præfecti. Lacedæmone nemo liberos pro arbitrio ſuo domi alere aut docere potuit. Sed pueri poſtquam ſeptimum annum exceſſerunt, centuriati in claſſes innoxia ludorum libertate & contubernio conſuevêre. Quibus Magiſtri pueritiæ publicè dati, civilis prudentiæ atque armorum cauſa. Athenis lex erat (*a*) Sophoclis Amphiclidæ filii, μηδένα τῶν φιλοσόφων σχολῆς ἀφηγεῖσθαι, ἂν μὴ τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ δόξῃ εἰ δὲ μὴ θάνατον εἶναι ζημίαν. Apud Judæos Regum idem munus, cujus minime David oblitus, quum Rempublicam ordinaret, & officia civilia diſtribueret. (*b*) Nam ab eo Ordinatus eſt Connenias cum filiis ad docendem & judicandum. Deinde populo ab Aſſyriis in ſervitutem abducto ad hos rediit ordinandarum ſcholarum jus. Unde juſſu Aſſyriorum Regis (*c*) miſſus eſt unus de Sacerdotibus Israëliticis in Samariam, qui doceret eos legitima Dei terræ. (*d*) Joſaphatus poſt ſublatos lucos & excelſa tertio anno regni ſui miſit de purpuratis ſuis Benhailem & Obdiam per Civitates Judæ docendi cauſa, adjunctis Sacerdotibus Levitiſque. Artaxerxes Rex Esdræ legum judaicarum peritiſſimo poteſtatem fecit docendi populum per regnum ſuum diſperſum, cum jure quærendi ſibi laboris ſocios. Neque in Romana Republica alii juventutis ephori, quam ex Senatus Conſulto. Quamobrem cum Achivorum legati Romæ docere voluiſſent, inter quos erat Carneades ille cujuscunq; cauſæ non infelix Orator, ex Catonis ſententia interdictum eſt eis lectionibus. §. 4.

(*a*) Diog. Laert. l. 3. in Theophr. (*b*) 1. Paralip. 26, 29. (*c*) Reg. 17, 26. & 27. (*d*) 2. Paralip. 17, 7.

§. 4. Præterea quid in Academia, quam erigi patitur Princeps, docendum ſit, idem arbitrandi jus habet. In genere ſtudia in liberalia diſtribuuntur, (*a*) Ulpiano, ἐλευθέρια μαθήματα, (*b*) Plinio artes liberales (*c*) Ciceroni ingenuas, &; illiberalia: quæ rurſus, vel viles, ſordidæ & circúforaneæ artes: Græci φαύλας ἐπιστήμας vocant: vel vetitæ ſcientiæ divinationes, ſortilegia, Magiæ, indigno Matheſeos nomine interdum vendibiles: (*d*) quo factum, ut jure damnata matheſis, & mathematici à Republica exacti. Illiberales artes ſive primi, ſive hujus ſecundi generis omnes in Academiis exulant: in Academiis inquam, in loco enim ubi illæ, vilia plerunque docentur etiam artificia, ſed ab aliis, quam quos Nutricii Academiarum erudiendæ juventuti præfecerunt. Liberales ſcientiæ vero, etſi malum non ſit, eas profiteri, non ubique tamen æqua & plena lance proponuntur. Sunt Academiæ, in quibus inferiorum tantum diſciplinarum, quas more vulgi philoſophiæ nomine includunt, vel ut Grammaticæ, Philologiæ, Aſtronomiæ, Logicæ, Metaphyſicæ, Phyſicæ, Politicæ, Ethicæ, aliarumque ejusdem tribus datur libertas. Hinc ex eadem cauſa non alios quam Philoſophiæ Magiſtros illis fas eſt creare. Alibi adjuncta Jurisprudentia & Medicina. Sola Theologia excepta. Pluribus locis omnium omnino Ordinum & facultatum campus apertus ubi cuivis ad ſuſpenſos honores velut metam, licet decurrere.

§. 6. De-

(*a*) l. 1 ff de Var. & Extraord. cogn. (*b*) Hiſt. Nat. l. 14. (*c*) 1. De Orat (*d*) l. 2. Malef. & Mathem.

§. 6. Denique de loco, in quo condere Academias placet, certior Imperator fieri debet. Ad illum enim alligata quodammodo privilegia, niſi magna cauſa, velut peſtis, ad tempus mutare ſuadeat: aut conditori poteſtas fiat, quocunque ipſi viſum loco fuerit, inſtituere ſcholam. Et ſic tamen electione ſemel facta difficilis eſt translatio, quoniam nominandi libertate per electionis actum ſublata videntur privilegia in determinatam ſedem collata vix niſi aſſenſu Imperatoris auferri poſſe. De qualitatibus loci, ſalubritate, firmitate, ſolo fœcundo, aliisque nihil dicimus. Apud Politicos & inter juris publici ſcriptores Limneum haud perfunctorie tractata res eſt. Nos hîc nunc ſubducimus ventis vela, & ad portum navem: Canunt ſigna receptui. Siſtamus igitur calamum. Quod recte factum à nobis eſt, non deſtituetur laudibus ſuis: id tantum oramus, ne, quod ex humanitatis conditione erratum eſt, merita venia. Spondere poſſumus, his omnibus nos procul ſtudio & invidia gloriam Deo quæſiiſſe. Veritati patrocinium: nobis ipſis honeſtum laborem.

F I N I S.

IN-

187104

INDEX RERUM.

A.

Abuſus non debet uſum tollere. cap. 5. §. 2. p. 162. c. 6. §. 23. p. 428. c. 7. §. 44. p. 665

Academias erigere imperatorium jus eſt. c. 11. §. 1. p. 950

non pontificium in terris imperii. c. 11. §. 2. p. 952

Ἀκαταςασία in ſacris rebus fugienda. c. 2. §. 2. p. 21

Acquiſitio rerum privatarum vetari Eccleſiis à Principe jure poteſt. c. 9 §. 13. p. 805

eaque olim quidem latius permiſſa ſacro ordini. p. 806. & 807

ſed deinde creſcente luxu avaritiaque reſtricta ex ſumma utilique ratione. ibid. & p. 808

quod pene toto Chriſtiano orbe factum p. 810 & 811

& probatum à graviſſimis viris. p. 813

neque id eſſe contra eccleſiaſticam libertatem oſtenditur. §. 12. p. 816

multo minus dignitatem. p. 818

Actio publica omnis ad imperantem ſpectat. c. 2 §. 2. p. 28

Actio de pace religioſa cui, adverſus quem & ad quid detur. c. 6. §. 4. p. 388

Actiones humanæ vel ſunt internæ vel externæ. c. 3. §. 2. p. 101

Actio-

Actiones internæ quomodo ſubſint imperio. c.3 §2.p.102
Actiones humanæ ſunt vel definitæ, vel indefinitæ. c.3.§.3.p.106
Actiones indefinitæ ſunt materia legum civilium. ibid.& p.110
Actiones definitæ quotuplices. p.106
quæ ad jus naturæ pertineant. p.107
quæ ad jus divinum poſitivum. ibid.
Actiones definitæ admittunt imperium civile pro ſe. c.3.§4.p.110
& circa ſe. p.111.& 112
ſed non contra ſe. c.3.§.5.p.113
Actiones Chriſti quotuplices? c.2 §.24.p.97
& quæ harum vicariam opem admittant? ibid.
Advocatiæ Eccleſiæ origo. c.10.§.1.p.925
& augmentum. §.2.p.930
Advocatiæ Eccleſiæ Romanæ jus non confundendum cum Patriciatus dignitate. §.3. p.933
Advocatiæ jus quando & quomodo à Francis ad Germanos pervenerit. §.6.p.361
hodie nomen eſt ſine poteſtate. §.7.p.940
Advocatia Eccleſiæ generalis differt à ſpeciali. §.8.p.942
Advocati ſingularum Eccleſiarum qui? c.10.§.9 p.943
& cujus cauſa creati. ibid.p.944.& 945
id illuſtrium quoq; perſonarum munus.p.946
quid ad illam advocatiam pertinuerit. p.948
Alienare res eccleſiaſticas licitum 1. neceſſitatis caſu. c.9.§.17.p.838.& 2. utilitatis caſu. p. 840

Alienationis nomine in ſacr.s reb s quid leges intelligant? c.5.§.13.p.822
Alienationis ſolennitates. p.843
Amicabilis compoſitio in religi ne non impoſſibilis. c.5.§.13.p.198
neque turpis. p. 01
Anathema imperiale quid. c.6 §.32. p 493
Anglia jus habet eligendi confirm ind que Epiſcopos. c.7.§.23.p.583
Animus etiam obligari poteſt imperio civili. c.3 §2.p.103
Animus humanus in religione ducendus leniter, non imperioſe flectendus. c.5.§.4.p.171
Animus ratione non vi ſuperandus. c.6.§.24.p.432
Antichriſtus non ſævit in hæreticos ſed Orthodoxos. c.6.§.23.p.425
Ἀντιζευγόμενος quis dicatur. c 3. §.7. p.175
Apoſtata quis? c.6. §. 26. p 447
Apoſtatarum pœnæ. ibid.
Apoſtolorum actiones & ratio vivendi non ſemper ſunt in exemplum trahendæ. c.6.§.22 p.421
quia ſæpe immediata inſpiratione illuſtres, & ideo ſingulares. c.7.§.3.p.526
Apoſtolorum praxeos exempla non ſunt jus divinum. c.8.§.2.p.673
Apoſtolorum arma ſpiritualia. c 5.§.2.p.165
Athei omnem ſocietatem & juſtitiam hominum tollunt. c.6.§.30.p.449
Atheotes juri gentium adverſa. p.449
Auguſtana confeſſio non eſt hæretica. c.5.§.9. p.193

Aula

Aula imperatoria etiam in cauſis religioſæ pacis fundata. c 6. §. 4. p. 388
Autonomia Eccleſiaſticorum Statuum à Proteſtantibus petita. c. 5. 20. p. 209
ſed non potuit à Catholicis obtineri. p. 210
quamvis in illam primo Electores eccleſiaſtici conſenſiſſent. §. 25. d. 221

B.

Barclaii conſilium de puniendis hæreticis. c. 6 §. 26. p. 444
Bavaricæ leges Epiſcopos Principibus judicandos ſubjiciunt. §. 31. p 483
Bellare an liceat in populum à Chriſtiana religione alienum? c. 6. §. 30. p. 449. usque ad p. 457
Bellum in atheos juſtum. c 6. §. 30. p. 449
& in illos, qui negant divinam providentiam. p 451
non item in plurium Deorum cultores. p. 455
aut qui res humanas omnes negant primò creatas. ibid.
Bona Eccleſiaſtica mediata an religioſa pace comprehenſa? c. 5. §. 39. p. 251
quibus id rationibus negarunt Proteſtantes. ibid. & p. 752. usque ad p. 257
quibus affirmarunt catholici. §. 40. p. 257
quid ea de re in inſtrumento pacis conſtitui Proteſtantes petiere? §. 41. §. 260
quid item Catholici? §. 42. p. 261
quid Orator Cæſareus? §. 43. p. 263
quid porro Evangelici? §. 43. p. 263

quid demum inſtrumento pacis conſtitutum?
§.44. p.263
Bona Eccleſiaſtica tempore neceſſitatis reli. qui hæreticis poſſunt. c.5. §.69. p.349
& pacis cauſa alia inſuper addi. p. 350. & c. 9. §.29. p. 917. & 918
Buchartus non eſt autonomiæ autor annot. ad c.5. §. 50. p.375

C.

CAnon Nicænus nihil derogat electionum juribus. c.7. §.37. p.654
neque ſemper obſervatus eſt ab Imperatoribus. p.656
Canones alii antiqui non obſtant electionibus Principum. §. 39. p. 657
Canonum de immunitate Eccleſiarum à tributis vera explicatio. c.9. §.21. p.869
Canoniſtarum circa immunitatem Eccleſiarum à tributis diverſæ ſententiæ. c. 9. §. 20. p. 859
Carolus V. ordinandæ & emendandæ religionis curam ſerio ſuſcepit. c.2. §.14 p.66
Civitates liberæ imperii religioſa pace comprehenſæ. c.5. §.58 p.29
Chriſtianis jure Romano licuit cœtus facere. c.8. §. 8. p 690
Chriſtus an in regimine Eccleſiaſtico vicariam opem admittat. c.2. §. 24 p.96
Chriſtus certo modo legislator. c.3. §.3. p.109
Chriſti actiones quotuplices? c.2. §. 24. p.97
Chriſti ſummum judicium non obſtat judicio Imperatoris de ſacris. c.4. §.6 p. 150
Cla-

Clavium poteſtas non deſpotica ſed miniſterialis. c. 2. §.20.p.81
&judicii divini conſequens. ibid.& p 82
Clementia Principi laudabilis. c.6.§.74.p.430
ſed illi non ſemper locus hominum malignitate. p.431
Cogitationis pœnam nemo patitur,c.3.§.2.p 102
quatenus id verum. p.103
Cognitio divinarum rerum res facilis. c, 4. §. 7. p.152
Compenſationis jus quomodo in eminente dominio & bonorum occupatione locum habeat vel non habeat. c.9.§.27.p.903
Concilium Tridentinum ſervum, non liberum. c.5.§.10.p.194
Concilii Tridentini decreta in Capitolio Romano confecta & Tridentum miſſa. c. 5. §. 5. p. 180
Concilium Tridentinum non potuit in Gallia promulgari. c.7.§.23.p.579
Concilium œcumenicum an hodie celebrari poſſit? Annot. ad. c, 5. §. 13. p.372
Concilium nationale in Germania ad componendam religionem neceſſarium. c.5. §.13. p. 201. & in annot. ad illum. §.p.372
Concionatores rixoſi compeſcendi.c. 5. §. 13, p. 199
Concordata nationis Germanicæ,c.7.§.32.p.637
multis imperii legibus confirmata. ibid.
eorum tenor. p.638
Germanicæ nationi damnoſiſſima. §.34.p.647
& eccleſiæ R. lucroſa. ibid. & p. 648

quarum vi Pontifex omnia electionum momenta in poteſtate habet. p.648
itaque à Germanis cum ratione improbata. p. 649
ſed male conſultus imperator neglexit juſtas preces in Pontificem cœco & pernicioſo ſtudio. ibid. & p.650
Concordata nationis Germanicæ mala fide à Pontificibus ſervata. c.7.§.35.p.653
Confeſſiones Evangelicorum non adverſæ civili Magiſtratui. c.2.§.12.p.63
Confiſcatio Eccleſiaſticorum bonorum quibus caſibus licita. c.9.§.19.p.847
Æquiparatur morti. p.849
Confiſcatione communitatis non proprie puniuntur ſinguli. p.849
Conradus Heinrici IV. filius à Patre Italiæ Præſes factus. c.7.§.26.p.605
Rebellat imperatori. ibid.
inde abdicatur & cita morte perit. ibid.
Conſcientia Chriſtianorum qualis? c.5. §.67. p.320
Conſcientia hæreticorum erronea non liberat à pœnis. c.6.§.15.p.404
Conſervatio ſacrarum rerum à lege multis fit modis. c 9.§.13.p 819. usque ad p.828
Conſtantinus M. judicavit in Synodo Nicæna. c.8. §.16 p.719 & 720
Cuſtodia legis qualis mandata à Deo regibus? c. 2. §. 6. p.37.& §. 12. p. 60

D.

DEcimare res Eccleſiarum licet. c.9. §.19 p. 846

Deci-

Decimatio in eminente dominio fundamentum habet. ibid.
Declaratio Ferdinandea, c.5.§.50.p.281
ejus diverſa nomina. ibid.
Origo. ibid.& p.282
objectum. p 283
de cujus exiſtentia aliquando Catholici dubitarunt, p.283
mox authenticum prolatum impugnarunt. p 280.& 283
in ea non plus datum à Ferdinando quam petitum. p.283
Declarationis cauſa impulſiva, Status Proteſtantes. c.5.§.50.p.284
cauſa efficiens Ferdinandus. ibid.
Declaratio Ferdinandea recte facta ex plenitudine poteſtatis. p.285
& fruſtra impugnata à Buchardo. p.286
nec re declarandâ prior eſt. p.287
Declarationis Ferdinandeæ contenta. c.5.§.51 p.287
Declaratio Ferdinandea fruſtra edictoFerdinandeo abrogata. c.5.§.52.p.290
quid in conventu Osnabrugenſi ea de re hinc inde actum. §.52.p.291
& conſtitutum in pacificationeOsnabrugenſi. §.53.54.55.56.p.292
Declaratio Gregorii XIII. ſuper concordata nationis Germanicæ multa innovat. c.7.§.35 p.653
ſed illa apud nos in legem publicam nondum invaluit. p.654
DecretumHadriani. c.7.§.13.p.546

Decretum Hadriani non excedit limites Patrimonii D. Petri. c.7.§.15.p.552

Decretum Leonis VIII. c.7.§.18.p.562
quid illud contineat. p.563
defenditur contra Baronium. c.7.§.19.p.563

Defenſio licita adverſus flagitioſos executores regiorum mandatorum. c.3.§.8.p.135

Deliberantes de re ancipiti quid præcogitare debeant. c.5.§.69.p.340

Deus ſupremus dominus rerum omnium. c.9 §. 7.p.792
quas modo his, modo illis donat. ibid. & pp. ſeqq.
& cui proprie donari nihil poteſt. p.797
ſed imputative tantum. p.799

Deus Pontifici non dedit in Eccleſia Vicariatum. c.5.§.8.p.193

Diœceſis apud antiquos Latinos minor provincia. c.8.§.5.p.681
ſed tempore Conſtantini M. major facta. p.682
& diſtincta à provinciis ut totum à partibus. p.683
earum quinque tantum in orientali imperio. ibid

Diſputationibus otioſis res Chriſtiana affligitur. c.5.§.2.p.163
ideo illas quidam Imperatores prohibuere. c. c.5.§.70.p.355

Doctores in Camera in Aſſeſſorum numerum recipiuntur, etiamſi gradum in Academiis aſſumpſerint à Pontifice non confirmatis. c.11.§.3.p.954

Dominium eminens à Grotio & Bœclero non ſatis accurate explicatum. c.9.§.1. p.755
illud directione rerum tantum conſtat rationis expertium. p.756
nec ſolo neceſſitatis caſu locum habet, ſed etiam in ordinario Reip. ſtatu. p.757
quod probatur cum tributorum exactione. p.758
tum alio evidente exemplo. p 759
Dominii eminentis nomen à Grotio excogitatum. c.9.§.1. p.755
id non ambitioſum, ſed caſtum & pium. c.9.§.2. p.762
quo non turbantur privata dominia. p.762
nec tolluntur proprietates. p.763
ſed conſervantur & reguntur. ibid.
ad æquitatis & publicæ ſalutis menſuram. p.764
Dominium eminens dari in republica probatur fugâ ἀκαταστασίας. c.9.§.3. p.771. usque ad p.781
Dominii eminentis objectum ſunt res ſacræ & profanæ. c.9.§.4. p.782
Dominium eminens in rebus ſacris dari probatur ex latitudine ſummæ poteſtatis. c.9.§.5 p 783
& jure Vicariatus Principis. p.784
& Eccleſiæ conditione ad injurias expoſitæ. ibid.
& ſacrarum rerum adminiſtratione civili. p.787
& privilegiorum conceſſione. §.6. p.790

& jurisgentium atque civilis autoritate. §. 9. p. 803
& actibus dominio vero propriis velut:
1. dando modum in acquirendo. §. 11. p. 805 usque ad 816
2. conſervando res. §. 13. p. 819, usq; ad. 828
3. alienando. §. 17. p. 838. usque ad 843
4. lege uſucapionis. §. 18. p. 844
5. decimatione. §. 19. p. 846
6. multa. p. 847
7. confiſcatione bonorum. ibid.
8 repetitione prodigæ donationis. p. 850
9. tributo. §. 20. p. 852, usque ad. p. 878
10. occupatione rerum Eccleſiaſticarum. §. 21 p. 878. usque ad 899
11. commodato neceſſario. §. 25. p. 899
Dominium eminens actu primo Imperatori competit ſoli. c. 9. §. 26. p. 900
actu ſecundo limitatum eſt. ib.
Dominio eminenti repugnat compenſatio. c. 9. §. 27. p. 901
Dominia plura ſubordinata in eadem re non ſe invicem deſtruunt, ſed compatibilia ſunt. c. 9. §. 2. p. 766
Dominia plena privata in Republica quo ſenſu dentur & non dentur, p. 767. & in annot. ad. §. 2. p. 921
Dominia privatorum ex beneficio Reipubl. poſſidentur. p. 773
Dominia etiam minus plena vera ſunt dominia. p. 775. & p. 777
Dominia abſolute plena nulla ſunt privatorum in Republica. ibid.

Domini

Domini ejusdem rei quo ſenſu plures eſſe poſſint. c. 9. §. 2. p. 765
Donationes Deo factæ quo ſenſu dicantur. c. 9, §. 7. p. 791. usque ad p. 800
Donatio Ludovici Pii figmentum papale. c. 7. §. 43. p. 664

E.

ECcleſiæ triplex ſenſus. c. 9. §. 29. p 918
Eccleſia meliorem ſuam conditionem facere poteſt, non deteriorem. c, 9. §. 14. p 827
Eccleſiæ Chriſtianæ calamitas ademptis electionibus. c. 7, §. 31. p. 632
Eccleſia Dei vera olim & extra Judaismum fuit. c. 3. §. 3, p. 108
Eccleſiæ Chriſtianæ teſtimonia de poteſtate civili circa ſacra. c. 2. § 12. p 58, & p. 59
quæ non de ſolâ tuitione intelligenda, ſed regimine & imperio. p 60
Eccleſiæ jus eligendi perſonas ad Synodos infra majeſtatem. c. 8. §. 20 p. 734
Eccleſia Romana ægre audit mentionem liberi concilii. c. 2. §. 12. p 61
Eccleſia Romana novellis Juſtinianeis non eſt privilegiata contra uſucapionem. c. 9. §. 18 p 845
Eccleſia naturaliter non habet regimen ex conſenſu. c. 2 §. 21, p. 91
ſed eo tantum reſpectu, qua cœtus, ibid.
Eccleſia Chriſtiana primis trecentis annis non excluſit Reges à regimine ſui, ſed hi ſe ipſos. c. 2. §. 22. p. 92
Eccleſia quo ſenſu adoranda à Regibus, c. 2. §. 23 p. 95

Eccleſiæ etiam perſecutiones interdum utiles. c. 5. §. 2. p. 165
& infauſtus ſæpe nimius rigor in hæreticos. c. 5 §. 59. p. 338
Eccleſia particularis, ne quidem Romana excepta, non habet æternitatis promiſſionem. ibid.
Eccleſia an poteſtatem habeat leges ferendi? c. 5. §. 74. p. 363
Eccleſiæ decreta ab Imperatoribus ſæpe mutata. c. 5. §. 75. p. 365
Eccleſia imitatur regimen politicum. p. 364
Eccleſiæ Chriſtianæ propagandæ priſcus & extraordinarius modus non obſtat puniendis hæreticis. c. 6. §. 19. p. 416
Eccleſiæ manſuetudo. c. 6. §. 23. p. 426
Eccleſiarum rectores olim comites habuerunt judices. §. 31. p. 477
Eccleſia quibus modis juriſdictionem acquirere poſſit? §. 33. p. 496
Eccleſiæ Romanæ proceſſus adverſus Heinricum IV. omni juri & æquitati contrarius. c. 7. §. 27. p. 609. ad p. 616
Eccleſia derelicta à ſeculari poteſtate jus habet convocandæ Synodi. c. 8. §. 8 p. 690
ſed conniventibus Principibus paganis non vetantibus. p. 691
Eccleſiaſticus ordo quibus gradibus in Romano imperio ac judicio civili exemptus. c. 6. §. 33. p. 496. usque ad p. 502
nec primum inutili inſtituto. p 498. & p. 501
ſi modeſtia Sacerdotum & gratitudo adſit. p. 499

Eccleſiaſticus ordo excitandis ſeditionibus aptisſimus. c.7.§.8.p.538
Edictum Ferdinandeum motuum in imperio prima cauſa. c.5.§.23.p.217
Electio Paſtorum in quo differàt ab ordinatione? c.7.§.2.p.517
non ſemper concurrit cum ordinatione. p.518
jure naturæ non competit clero aut plebi. ibid.
neque Apoſtolis eorumque ſucceſſoribus jure divino. §.3.p.521
Electionis jus in Republica negligente Principe pertinet ad Eccleſiam. p.521
quod ceſſat eligente ipſo Principe. p.522
Electio in primitiva Eccleſia alibi Epiſcoporum fuit & ſacri ordinis. c.7.§.4.p.528
alibi Cleri cum plebe. p.529
præcipue in occidentis Eccleſiis. p.530
Electio imperantibus Chriſtianis Principibus recte eorum arbitrii eſt facta.c.7.§.5.p.530
ſed aliquando rurſus commiſſa populo ut delegato. p.532
Electio quare primis trecentis annis nulla per Imperatores peracta. §.7.p.535
Electio Pontificis ex Hadriani decreto ad Carolum M. ejusque ſucceſſores ſpectavit. §.13 p.545
id exemplis probatum. §.14.p.551
Electio Pontificis vi decreti Leonis Germanorum Cæſarum fuit. §18.p.561
quam in rem exempla adducta. ibid. & §.20. p.564

Electio

Electio Epiſcoporum & in aliis regnis ſummis poteſtatibus competit, §.23. p.578. usque ad p. 584

Electio canonica cum plebis excluſione olim quam nunc rarior. §.24. p.588

Electiones Heinrio IV. primum ab Alexandro Pontifice inſtinctu Hildebrandi in dubium revocatæ. §.26. p.593
mox ab ipſo Hildebrando negatæ. p.597
& reſtitutæ Heinrico V. à Paſchali. §.27. p 622
ac prorſus ademptæ à Calixto. §. 28. p. 625
& quidem primo in eccleſiæ cujusque arbitrium conceſſæ, §.30. p.629
deinde vero paulatim ablatæ plebi. ibid. p.630
& mox etiam ipſi clero, uno Pontifice prædominante. §.31. p.631
maximo omnium bonorum dolore & eccleſiæ damno. p.633
inde Imperatoribus à Calixto relictum eſt, ut diſſentientibus, ad quos pertinet electio, ipſorum arbitrium ſit. §.19. p.626
ſed reſtrictum ad conſilia Metropolitani & Provincialium. ibid.
quo jure uſi Imperatores. p. 627
ut exemplis probatur. p.628
etiam in ipſum Pontificem diſſentientibus ſuffragiis electum. p. 629

Electiones quo circuitu, quibusve artibus tandem ad Romanam Eccleſiam pertractæ. §. 34. p. 650. & 651

Electio mandari interdum populo à Principe ſolita. §. 37. p. 655

Ele-

Electionis jus ſummis poteſtatibus competens longe aliud à conſenſu inferioris Magiſtratus. §.40 p.659
Electiones olim à Principibus factæ ſuis propriis auſpiciis & ex conceſſu Pontificum. §.41.p.659
Emendationis finis repugnat ſupplicio capitali. c.6. §. 24. p.431
Emigrandi jus, ſubditis religioſa pace conceſſum an ſit neceſſitatis vel libertatis? c. 5. §. 49 per totum junct. §§. 53. 54. 56
Epiſcopi legibus Bavaricis ſubjecti Principibus. c.6 §.31.p.483
Epiſcopi Italiæ ſubjecti fuere Caroli M. imperio. p.484. usque ad p.486
Epiſcoporum conſtitutiones in prima Eccleſia variæ: nam; alicubi ſucceſſio in ordine Presbyterorum obſervata. c.7. §.4 p.527
alibi eligebant ſoli paſtores. p.528
alibi clerus cum plebe. ibid.
Epiſcopi olim aut confirmati ab Imperatoribus. §.8.p.537
aut electi ab iisdem ſine populi clerique concurſu. §.9.p.539
cui inſtituto ſumma ratio ſuberat. ib. & p. 540
Epiſcopos Francorum quoque Reges aut eligere aut confirmare ſoliti. c.7.§.10.& 11 p.542
idque etiam in ipſa Germania. §.12.545
Epiſcoporum rejectiones & depoſitiones ab Imperatoribus & Regibus Francorum factæ. §. 22. p.575.&c.
Epiſcopi habuere in quibusdam locis jus eligendi Paſtores. c.7.§.4. p.528

Epiſtola Pauli III. Papæ ſuperba ad Carolum V. c.2.§.14.p.67
Eraſmi Roterodami judicium de expeditione in Turcas. c.6.§.30.p.455.
Errans ducendus in viam, non expellendus. c.6. §.24.p.432
Eſus ſanguinis & ſuffocati ôlim omnibus fidelibus interdictus. c.3.§.3.p 138
quod ſenſim in novo fœdere ſublatum eſt.ibid.
Evangelium turbas ciet per accidens. c.5.§.67.p. 321. non per ſe. p.322
Excommunicatio injuſta non eſt timenda. c.2.§. 20.p.83.& in annot.ad h.§.p.100
Excommunicatio Heinrici ab Hildebrando facta injuſta eſt.c.7.§.27.p.609. usque ad p.616
Exempla Uſæ & Uſiæ non improbant Principum poteſtatem circa ſacra. c.2.§.15.p.71
Exemplum dare in hæreticis puniendis nocivum ſæpe. c.6.§.24.p.433
Expeditiones in ſanctam terram artes Pontificum fuere ad debilitandam Cæſarum potentiam. c.10.§.7.p.941

F.

FIſcalis Imperatorius contra religiones vetitas in imperio agit. c.5.§.60.p.302
Florus antiquus ſcriptor electiones à Principibus factas non improbat. c.7.§.42.p.663
Fœderis Smalcaldici initia. c.5.§.5.p.177
Francorum Reges conſtituere quondam ipſi Epiſcopos. c.7.§.10.p.541
ſæpe immediate, præterito populo.c.7.§.11.p. 544.& §.17.p.559
Fun-

Functiones imperio ſubjectæ duorum generum. c.2.§.16.p.74
Functiones Epiſcopales proprias non licet Regibus obire, qua Reges ſunt. c.2.§.17.p.78
Fungi re, & curare, ut alii recte ea defungantur diverſa ſunt. p.79

G.

GAllia abuſui Eccleſiaſticæ poteſtatis diligenter obſtat. c.6.§.32.p.492
ideoque ſemper recuſavit Concilii Tridentini promulgationem. c.7.§.23.p.579
Gallia eligendi Epiſcopos jus habet. c.7.§.23. p.579
Gamalielis Conſilium præcipitantiam diſuadet. c.5.§.67.p.322
& temeritatem. p.323
accommodatum eſt tempori. ibid.
narrative magis quam diſpoſitive traditur. ibid.
generaliter intellectum temerarium, & religioni Chriſtianæ ſumme detrimentoſum. p.324
Gregorii M. Epiſtolæ de Antichriſto. annot. ad cap.5.§.8.p.167
ejusdem alia Epiſtola ad Theodoricum Regem Franciæ ſuper habendo concilio. c.8. §.9.p.701
Gregorius VII. pontificiæ hierarchiæ artifex. c.5 §.8.p.185
initia pontificatus confirmatione imperatoria auſpicatus eſt. c.7.§.26.p.595
mox rebellat excommunicato Cæſare. p.597

& pro

& pro ſuæ dignitatis munimento aliquot novos canones ſancit. p.598
tum denique electiones impugnat peſſimâ ambitione. ibid.
Gregorius VII. prima peſtis Romani imperii. c.7 §.26. p.591
Heinricum IV. denuo excommunicat ad Saxonum obteſtationes. p.601
contra omnium bonorum ſententiam. p. 602
obſidetur Romæ ab Imperatore. p.603
cujus vitæ pudendis modis inſidiatur. ibid.
capta urbe ad Normannos fugit. ibid.
deponitur ab Imperatore. ibid.
Gregorii VII. confeſſio ſcelerum in articulo mortis facta. c.7.§.27.p.615
ejus frequentia fulmina. p.609
ambigua & fraudulenta conſilia. p.595
Gregorius VII. venales Epiſcopatus habuit. p.910

H.

HAdriani Epiſtolæ quo ſenſu interpretandæ. c.7.§.16.p.555
Hæreſes noxiæ Eccleſiæ, c.5.§.61.p.304
& concordiæ civili. §.65 p.314
Hæreſes coerceri aliquando non prorſus impoſſibile. §.67.p.327
tolerandæ tamen interdum pro exigentia Reip. §.68. p.329
id pii Imperatores fecerunt. ibid. & p.330
& facit Romæ Pontifex. p.331
nunquam vero probandæ aut juvandæ. §.69. p.332
ne quidem ſumma neceſſitate. p.333

aliter

aliter eſt ſi coacti permittamus. ibid.
vel ob impoſſibilitatem remotionis. p.335
vel ob defectum officii. ibid.
vel neceſſitatem Reip. conceſſa externa impunitate. p.336
tunc enim aliquid indulgendum. p.337
quia vi nihil efficitur. ibid.
imo nocetur ipſi Eccleſiæ. p.338
at tranquilla civitate non tolerandæ hæreſes. p.336
Hæreſes publicum crimen. c.6.§.5.p.391
ubi non requiritur inſcriptio. ibid.
Hæretici autores turbarum. c.5.§.65.p.313
& imperio civili immorigeri. ibid.&p.315
Hæreticis infamia an legibus demi poſſit? c. 5. §. §.69.p.349
Hæreticis an licite poſſit publica ſecuritas promitti. p.350
Hæreticorum pœnæ. c.6.§.5.usque ad §.11
nihil cum civibus commune habent.§.5.p.391
nullus in miniſterio illis locus. ibid.
ejiciuntur Eccleſiis. p.392
non poſſunt Epiſcopos aut presbyteros creare. ibid.
non poſſunt conventus habere. ibid.
non ſcriptis errorem ſuum defendere. ibid.
arcentur à civilibus muneribus. §.6.p.393
non vero ab annexis oneribus. p.394
privilegia publica nihil eis proſunt. ibid.
nec reſcripta in eorum gratiam emiſſa. ibid.
indigni ſunt bonorum virorum conſortiô.§.7. p.395
indigni commercio rerum. ibid.

arcentur à ſucceſſionibus quocunque titulo venientibus. ibid.
& eleemoſynis. §.8.p 395
privantur patria poteſtate in liberos. §. 9. p. ead. & dominio in ſervos. ibid.
& res. p.396
pelluntur civitatibus. c. 6. §. 10. p. 396. & deportantur. ib.
irrogatur illis infamia. c.6.§.11.p.ead.
puniuntur denique ultimo ſupplicio. ibid.
Hæretici alii aliis plectuntur mitius graviusq́;. c.6. §.12. p.396.& 399
Hæreticorum fautoribus & receptatoribus quæ pœnæ dictatæ. c.6. §.13. p.397
Hæretici recte removentur ab Eccleſiaſticis muneribus. §.14.p.399
imò & à civilibus. ibid.
Hæretici an juſte capite puniantur. c. 6. §. 15. p. 401, usque ad p. 444
affirmatum id de jure. §.15.p.401
præcipue quoad doctores & propagatores hæreſium. ibid.& p.402
quia omne crimen à Magiſtratu poteſt capite plecti. p. 402
quia ſibi ipſi imputare debent, quod docere non deſinant. p.403
quia hoc ſupplicium Apoſtolus jure gladii includit. §.16.p.405
quia leges & conſcientias obligant. p.406
quia Deus in vetere teſtamento juſſit. §. 17. p. 407. usque ad p. 411

Hære-

Hæretici non doctores, & qui ſibi ſolis credunt an puniendi ultimo ſupplicio? §.18.p.413
affirmatur de extraneis, quibus civitate legibus interdictum. §.18.p.412
de civibus diſtinctiuncula traditur inter hæreticos craſſos, & ſeditioſa doctrina imbutos quos necare licet. p.413
& ſedatiores minoresque quibus aliæ coercitiones ſufficiunt. p.414.& p.415
Hæreticos capite plecti an expediat? affirmatur de ſeditioſis & turbonibus. §.26. p. 442 & 443
negatur de quietis illis, qui ſibi privatim errant. §.24.p.431
quia hi ultimi emendandi, non obtruncandi. ibid.
quia nocet exemplum ſeveritatis dare in contumaci ſuperſtitione. p.433
quia facilis ad errores lapſus in religione. p.434
quia difficilis indagatio veritatis. ibid.
quia mentes magis ſpecie pietatis quam conſcientia ſcelerum peccant. p.435
adeoque docendæ potius quam eogendæ. p.436.& p.439
Hæretici innocentia vitæ & exemplo convertendi. §.25.§.439
Heinricus S. Epiſcopatum per chirothecam conceſſit. c.7.§.21.p.572
Heinricus IV. Imperator Alexandrum pontificem per Colonienſem increpat de pontificatu ſine ſuo conſenſu adito. c.7. §. 26 p.592

citatur à Pontifice Romam ad dicendam adverſus Saxones cauſam. p.594
confirmat Gregorium VII. ſed prius increpitum de inſulis ſe inſcio ſumptis. p. 695. & 596
deponit Gregorium, à quo rurſus excommunicatur. p.597
habetur indigne Canuſii impetrata abſolutione. ibid.
mox pœnitens facti reſcindit conventionem. p.600
Rudolphum Regem æmulum vincit. p.601
Conventum Monguntiæ habet. p.602
abrogat Gregorio Pontificatum. p.ead.
Brixienſem Synodum habet. p.603
in Italiam cum exercitu venit. ibid.
obſidet Romam. ibid.
Reverſus in Germaniam Lützelburgenſem Comitem profligat. p.604
& Misniæ Marchionem per ſuos occidit. ibid.
Saxones ad pacem petendam adigit. ibid.
inde Italiam à Pontifice Urbano rurſus turbatam repetit. p.605
ibique Conradum filium infauſto conſilio præſidem relinquit. ibid.
quem mox abdicat novantem res. ibid.
& Heinricum filium in ſpem regnorum aſſumit. ibid.
adverſus quem inſtinctu Pontificis rebellantem ducit cum exercitu. p.607
ſed abominatus nefas ſe ab acie ſubducit. ibid.
tan-

tandem cum exercitu Monguntiam ad comitia venit. ibid.
ibi deceptus dimittit milites. p.608
mox capitur & ornamentis cæſareis ſpoliatur. ibid.
ingratitudinem exprobrat Monguntino. § 27. p.610
Coloniam & Leodium aufugit. p.6 8
moritur inter ſummam egeſtatem. ib.& in annot.ad h.§.p.668

Heinricus V. à Patre in ſpem regnorum adoptatur. c.7.§.26,p.605
jurat Cæſari fidelem ſe fore & obſequentem. ibid.
deinde male conſultus rebellat & Pontifici favet. p,606
Nordhuſam Comitia indicit ad conciliandos ſibi Procerum animos. ibid,
parentis monita contemnit. ibid.
eique occurrit cum exercitu. p.607
Spiram occupat & theſauros patrios diripit. ibid.
Monguntiam citat patrem ad cauſam dicendam. ibid.
eundemque malo dolo captum imperio ſpoliat. p.608
mox mortuo patre cum Paſchali Papa renovat certamina. c.7.§.28.p 616
in Italiam venit capiendorum inſignium & coercendi Pontificis cauſa. p.617

Pontificem ad reſignanda regalia cogit. p.618
& cum ſtare promiſſis nollet, eum omni clero capit. p.621
Romam ſubitò occupat. ibid.
Paſchalem adigit ad reſtituendas Epiſcopatuum inveſtituras. p.622
ſecunda vice Italiam turbidam ſedeat. p. 624
tandem peſſimo conſilio inveſtituras Calixto in perpetuum cedit. p.625
Hierarchia Pontificia quando cepit? c. 5. §. 8. p. 188.& in annot. ad h.§. p. 367
cur toleretur à Chriſtianis Principibus? c. 1.§. 6.p.16 & 17
quia illis aliquando opportuna & utilis. p. 17
quam præcipue Hiſpanus ſuo compendio amplectitur. in annot. ad c. 1. §. 6. p.23
Hildebrandus electiones Epiſcoporum ab Imperatoribus factas refutat. cap. 7. §. 26. p.593
Alexandro Papæ conſulit, ut Heinricum IV. Romam citet ad dicendam cauſam. p. 594
Pontifex factus. vid. Gregorius VII.
Hiſpania eligendi Epiſcopos jus habet. c. 7. §. 23 p. 581
Hiſpanus quare libenter audiat de Pontificis dominatu diſputantes? in annot. ad c. 1. §. 6. p. 23

I.

IDololatria interna mandatis divinis de hære-
ticis puniendis comprehenditur. c. 6. §. 17. p. 411
Imbecilles Chriſtiani qui? c. 5. §. 67. p. 321
Immunitas Eccleſiarum à tributis quando juri divino adſcribi cepta eſt? cap. 9. §. 21. p. 865
Imperator quo ſenſu ſit intra Eccleſiam? c. 2 §. 19. p. 80
quo ſenſu ſupra illam? p. 81
judicare poteſt, quis ſit hæreticus. in annot. ad c. 4. §. 4. p. 156
poteſtatem habet ferendi de ſacris rebus leges. c. 5. §. 1. p. 161
non ſubeſt Pontifici. c. 5. §. 8. p. 191
Imperatores Romani compeſcendi hæreſes jus habent. c. 5. §. 64. p. 310
& poteſtatem cognoſcendi de Pontificum criminibus. c. 6. §. 31. p. 458. usque ad p. 476
ac reliqui ſacri ordinis. p. 477
& religionem ordinandi, quod per exempla probatur. c. 2 §. 9. p 48.
etiam in occidente imperio Caroli M. temporibus. p. 52
Imperatores ex decreto Hadriani Papæ eligendi confirmandique Pontificis jus adepti. c. 7. §. 13. p. 545
quo Carolus M. ſæpe eſt uſus. §. 14. p. 551

nec jus tantum Pontificis conſtituendi, ſed omnium in Romana ditione Epiſcoporum. §.15.p.553
cujus juris exerciti exempla. §.16.p.555
idem jus ad Germanos Cæſares tranſiit decreto Leonis VIII. §.18.p.561
fruſtra ringente Baronio. §.19.p.563
eodem jure multi Imperatores uſi. §.20.p. 564
qua de re verba Onuphrii Panvinii adducta. p.565
Imperatores Chriſtiani in oriente indicere concilia ſoliti. c.8.§.8.p.689.& 692
quod multis exemplis oſtenſum. p.693. usque ad 699
& definitione œcumenicorum ex Cedreno. p 699
Imperatores in occidente nationalia indixere concilia. c.8.§.9 p.700
& ſuper hoc à Pontificibus Epiſcopisve ſæpe rogati ſunt. p.701
cui juri Vicariatus Pontificis ſubventaneus nihil detrahit. §.10.p.702
Imperatores & Principes jus habent nominandi perſonas ad Concilia & determinandi numerum. §.11.& §.12.p.703. usque ad p. 713
& præſcribendi locum tempusque. ibid.
iſti tamen aliquando electionem populo commiſere ex civilitate non neceſſitate. p. 706
jus habent præſidii in conciliis. §.14.p.713

quod exemplis oſtenſum. p.714.& 715
jus præſidii quid comprehendat. §.15. p.715
Judicare in Synodis poſſunt & debent. §.16. p.716
quod plures fecere. p.720
Imperatores judicium ſummum habent in perſonas ab Eccleſia ad concilia electas. §.20. p.734
Imperatores etiam ſine concilio judicare de ſacris jure ſuo poſſunt. §.21. p.735. usque ad p.739
& recte id aliquando faciunt, quia non ſemper neceſſaria Synodus. §.22. p.740
quia aliquando inutilis. §.23. p.744
Exempla ejusmodi judicii. §.24. p.745
neque id tantum unico caſu collapſæ religionis factum. §.25. p.749
Imperatoris Theodoſii illuſtre judicium de vera fide. §.24. p.746
Imperatoris eſt erigere Academias. c.11. §.1. p.950
& præficere doctores. §.4. p.954
& docendi provinciam modumque præſcribere. §.5. p.956
denique eligere locum. §.6. p.957
Imperatorum quorundam dicta, res ſacras officii ſui facientium. c.2. §.4. p.35. & §.9. p.49. & 50
Imperatoribus hodiernis eſt adhuc quædam circa ſacra poteſtas. §.9. p.53
Imperatoribus judicium de ſacris competit. c.4. §.4. p.145

Imperatoribus melius eſt cum civibus facere, quam Pontifice. c.7.§.34.p.650
Imperium & functio, cui imperatur, differunt. c. 2.§.16.p.73
Imperiũ civile animũ quoq; obligat.c.3.§.2 p.103
& conſcientias cogit. c.6.§.15.p.406
morale bonum jubendo, malum vetando, obligat denuo. c.3.§.4.p.110
actiones ſuperiore jure definitas in circumſtantiis ſuis regit. p.111
& externo cultus modo. p.112
malum jubere, & bonum vetare non poteſt, c. 3.§.5.p.113,& 114
nec de eſſentia religionis aliquid mutare.ibid. & p.115
Impœnitentia facinoroſi non debet ſupplicii ultimi executionem eludere.c 6.§.23.p 423
Impoſſibilitas à debito & officio excuſat. c.5.§. 69 p.335
Incenſum quale Principibus liceat adolere. c.2. § 15.p.72
Indulgentiæ Pontificiæ. c.5.§.5.p.173
Indulgentiæ quid fuerint in prima Eccleſia. c.6. §.32.p.494.& 495
Infamia an hæreticis legibus demi poſſit. c.5.§. 69.p.349
Interpretatio religioſæ pacis amica transactione fieri debet. c.5.§.11.p 197
Inveſtire vox Germanica. c.7.§.24.p.584
InveſtituraEpiſcopatuum res vetuſtiſſima.p.585
peragebatur traditione annuli & baculi.p.587
ſignis non inanibus, ſed electionem & jurisdictionem notantibus. ibid.
qui

qui modus jam diu ante Carolum M. uſitatus. p. 585. & 586
duplici modo peracta. p. 587
ejus actus ab Onuphrio Panvinio deſcriptus. §. 25. p 589
Irnerii falſum. c. 9. §. 18. p. 845
Judæis Romano jure inſignia privilegia conceſſa. c. 6. §. 34. p. 503
Judicium Ottonis in cauſa monaſterii S. Galli c. 7. §. 21. p. 569
Judicium præcedit imperãdi actum. c. 4. §. 1. p. 142
Judicium quid ſit? §. 2. p. ead.
Judicium quotuplex. §. 3. p. 143
Judicium de ſacris ſummis poteſtatibus competit. § 4. p. 144
Judicium de ſacris quale hodie in Romano Imperio Imperatoris. § 4 p 147
Judicium non aufert metus vel ſuſpicio lapſus aut erroris. §. 5. p. 148
neque imperitia in rebus ſacris. p. 149
Judicium de ſacris ad normam ſacræ ſcripturæ exigendum. §. 6. p. 151
Judicium, ut ſe recte habeat, duo requirit.
1. intelligentiam. §. 7. p. 152
2. pietatem. p. 154
quæ precibus à Deo impetranda. p. 153
Judicium non debet ſpernere doctorum hominum conſilia. ibid.
Judicium de hæreticis Imperatori aliquod relinquendum. in annot. ad c. 4. p. 156
Judicium in Synodis Imperatoribus competit. c. 8. §. 16. p. 716
à multis exercitum. p. 720

id ratio poſtulat. p.717
& jubent ſacræ literæ. p.718
imo & fines Synodorum. p.719
& probatur exemplis. p.720.& 721
Judicium definitivum in Synodis itidem eſt Imperatorum, c.8.§.17.p.722
quòd canonibus vim legis tribuit. ib. & p.723
hoc judicium,quod Imperatori competit, legitimũ eſt,non de facto præſumptum.p.730
& pertinet ad omnes cauſas eccleſiaſticas.§.: 9 p.733
ejus tamen utendi modus variavit. p.731
Judicium Practicum in Synodis neceſſarium eſt Principibus. p.724
Jurisdictio Eccleſiaſtica quomodo in Auguſtanæ Confeſſioni addictos ſuſpenſa. c.5.§.46.p.266
Jurisdictio munimentum legislatoriæ poteſtatis. c 6.§.1.p.379
Jurisdictio circa ſacra à foro civili non aliena. p.380.& 381
quam conſervare expedit Reipubl. ibid.
Jurisdictio in Clerum apud Iſraelitas à Regibus exercita. p.382
& Synedrio ab ipſis Apoſtolis tributa. p.383
imò à Paulo Romanis Magiſtratibus & Imperatori. . p.383.& 385
deniq; à Chriſtianis Imper. Aureliano. p.385
Jurisdictio circa ſacra quotuplex? c.6. §.2. p.386
& quid hic loci ſit? §.3. p.387
Jurisdictionis circa ſacra primus actus cõtra impedientes publica religione uti. §.4. p.388
& ſecundus contra ſequentes religionem prohibitam. §.5.p.390

alii actus circa ſingulas religionis partes : ſcil.
1. Perſonas Eccleſiaſtici Ordinis judicando. §. 31 p 458 & c.7. §. 21. p. 569. nec excepto quidem olim Pontifice. c 6. §. 31. p. 459. usque ad p. 476. multo minus cœtero eccleſiaſtico ordine. p. 476. usque ad p. 488
2. Munera ordinis dirigendo. Sive correctione & prohibitione abuſus. §. 32. p. 488. usq; ad p. 493. ſive uſus legitimi promotione. 493
Jurisdictio ordinario modo conceſſa Eccleſiis quid ſit? c. 6. §. 33. p. 497
& quid conceſſa ex conſenſu? p. 502
& quid ex delegatione. ibid.
qui tamen tres modi jurisdictionis non habent annexam exequendi poteſtatem. p. 502
Jurisdictio temporalis non eſt cauſa inveſtituræ per annulum & baculum à Principibus olim factæ. c. 7. §. 38. p. 656
Juris naturalis variæ ſignificationes. c. 7. §. 2. p. 518
Jus ex conſenſu ortum mutabile. p. 519. & 520
Jus nominandi perſonas ad concilia naturaliter Eccleſiæ competit & paſtoribus. c. 8. §. 11. p. 705

L.

LEgati Statuum imperii à Carolo V. in carcerem conjecti. c. 5. §. 5. p. 177
Leges forenſes Judæorum quando abrogatæ. c. 6 §. 17. p. 407
earum hodie duplex uſus. p. 408
an poſſint in uſum revocari. ibid. & pp. ſeqq.
Leges de ſacris incenſum ſunt, quod & licet Principibus incendere. c. 2. §. 15. p. 72
Leges civiles animum quoq; obligãt. c. 3. §. 2. p. 103
intendunt præcipue bonos viros facere. p. 105

Leges circa univerſam religionem definiunt,
1. quæ religio ſit publice docenda. c.5.§.2.p.162
2. quæ fugienda. §.60.p.302
Leges vetantes religiones impias non ſunt injuſtæ. §.61.p.303
Leges permiſſivæ quo ſenſu leges? §.69.p.344
ejus legis duo actus. p.345
Leges circa ſingulas religionis partes definiunt
1. quid in ſubſtantia fidei tenendũ? c.5.§70.p.351
2. de ſtatu & eccleſiaſtica diſciplina. p.352.356
3. de functionibus & ordine earum in ſacris, uſuque legitimo. p.354
4. de ſchismatis & hæreſibus cavendis. p.355
Legislatoria poteſtas ad res definitas & indefinitas extenditur. c.5.§.1.p.160
hæc in ſacris Imperatori competit, p.161
& aliis regibus, in annot.ad.c.5.§.1.p.366
Leges quo ſenſu dicantur non dedignari ſacros canones ſequi. c 7.§.73.p.359
Leonis Pontificis preces ad Imperatorem pro indicendo concilio. c.8.§.8.p.695
Lex iniqua non ideo eſt nulla. c.5.§.24.p.219
Libertas Chriſtianorum qualis? c.5.§ 67.p.317
non effrenis & contumax. p.318.& 319
Libertas Eccleſiaſtica primæ eccleſiæ ignota. c.9. §.15.p.828
ambitione Pontificum nata. p 831
ſummo opprobrio & peſte Chriſtianæ rei. ibid. & p.831
quid ſit non conſtat Canoniſtis. c.9.§.15.p.832
prima quorundam definitio. ibid.
ſecunda aliorum. p. 883. tertia Bartoli. p.834
quod contra eccleſiaſticam libertatem canoniſticam

ſticam fit, non eſt omne illicitum. p. 833
834. & 835
Libertatis Eccleſiaſticæ vera & caſta indoles. §. 16
p. 837
Limnæus importunus ſupplicator. c. 5. §. 58. p. 237
Litteræ Saxonum ad Gregorium Pontificem in annot. ad c. 7. §. 26. p. 666
Lutherus adverſus indulgentias concionatur. c. 5. §. 5. p. 174
Papam irritat & excommunicatur. ibid.
inde periculo exterritus orditur reformationem. ibid. & p. 175
Lutherus corrupte ab inimicis allegatur. c. 5. §. 66. p. 320

M.

MAgiſtratus politicus quomodo non ſit de eſſentia Eccleſiæ. c. 2. § 18. p. 79
quomodo conſcientias cogat. c. 6. §. 16. p. 406
Majeſtas Principis in ſacra & profana agit univerſali virtute. c. 2. §2. p. 26
neq; ſociam parem patitur. ib. & c. 8. §. 21 p. 735
quodlibet crimen poteſt capitale facere. c. 6. §. 15. p. 402
quia ſemper contumacia ſimul punitur. p. 404
Majeſtatis eſt definire, quæ religio in civitate ſit publicè habenda. c 5 §. 2. p 161
& quæ prohibenda. §. 60. p. 302
Majeſtatis vis genuina non poteſt ſuſpendi à conſenſu alieno. c. 8. §. 21. p. 737
Majeſtati civili omnis anima ſubjecta, etiam eccleſiaſtica. c 2 §. 4. p. 32
Majora naturaliter etiam in cauſa religionis valent. c. 4. §. 4. p. 146

Malum

Malum docere& facere paria ſunt.c.6.§.16.p.406
Mandatum ab ordinatione differt. c.7.§.2. p.516
Metropolitarum origo. c.8.§.6. p.686
Metus levis non facit reſtitutionem.c.5.§.7.p.185
nec qui purgatus eſt repetita actione. p.186
Metus exceptioni in inſtrumento pacis reſpectu pacis religioſæ renunciatum. ibid.
Miſſorum officium emendare ſacri ordinis diſciplinam. c.6.§.31.p.478. usq; ad p.483
Modus amittendi dominia non omnis contumelioſus. c.5.§ 27. p.230
Monaſteriorum olim nimia copia & Luxus.c.1.§.(6.p.15
Mundeburgii jus quid?c.10.§.5.p.935.

N.

NEceſſitas nulla excuſat ab actione impia & injuſta. c.5.§.69.p.332
excuſat autem à permiſſione rei illicitæ.p.337 & 347
Neceſſitatis caſu licet eccleſiaſtica bona hæreticis dare pacis cauſa. c.9.§.29.p.916
Nobilitas immediata religioſa pace comprehenſa. c.5.§.57.p.296
Novale quid? In annot.ad c. 5. §.47. p.374
Numa Rex primus apud Romanos ſacrorum conditor. c.1.§.3.p.20
Nutrices Eccleſiæ Principes. c.5.§.61.p.207

O.

OBſequium ex virtute durabilius & melius, quam quod eſt ex metu. c.3.§.2. p.105
Occupatio eccleſiaſtici boni à dominio eminente fit. c.9.§.24.p.878
tempore neceſſitatis. ibid. & utilitatis. p. 879
quod probatur teſtimoniis ſapientum virorum. p. 881. & ſanctorum Patrum. p.883

& mo-

& modernorum Doctorum. p. 885. & exemplis antiquis. p. 883. & domeſticis recentibus in addictione bonorum eccleſiaſticorum Proteſtantibus ab imperio facta. p. 887. &c.
Officium boni viri eſt monere errantes. c. 5. §. 66 p. 316
Ordinatio à mandato quid differat? c. 7. §. 2 p. 516. & quid ab electione? p. 517
Orbis aliquando certam regionem ſignificat per tropum. c. 8. §. 4. p. 677
Oſculari filium in Pſalmo. 2. quid ſignificet? c. 2 §. 6. p. 37

P.

PArticipare crimen quotupliciter quis dicatur? c. 9. §. 19. p. 847. & 848. &c.
Paſchalis Pontifex Imperatori regalia renunciat. c. 7. §. 28. p. 619. ob id increpitus à Clero. p. 621 & captus ab Imperatore, cum promiſſa non poſſet implere. p. ead. reſtituit Henrico V. inveſtituras per annulum & baculum; p 622 quod mox eum pœnituit mutato leviter conſilio. ibid. & p. 623
Paſtores quo ſenſu plantare dicantur & evellere. c. 2. §. 21. p. 90
Paſtorum regimen quale intelligendum? c. 2 §. 21. p. 88. usque ad. p. 90
Patriarcharum origo & authoritas. c. 8. §. 5. p. 683 & 684. ab ejus ſententiâ non datur provocatio. ibid. indixit diœceſana concilia. ibid.
Patrum dicta de non puniendis hæreticis inſtar conſilii ſunt. c. 6. §. 24. p. 437
Pax religioſa. c. 5. §. 5. p. 172. Ejus origo & conſtituendæ cauſa. ibid. & p. 173. prima fundamenta. p. 177. ſive induciæ pacis. p. 178. repe-

titæ aliquoties & confirmatæ. ibid. ruptæ iterum à Carolo V. p.179. reſtauratæ Paſſavienſi transactione. ibid. tandem in æternam pacem mutatæ.p.180. Ejusdem articuli.c.5.§.6. p.180

Pax religioſa non metu extorta. c. 5. §.7. p. 184 ſine Pontificis ratihabitione potuit concludi. §. 8. p. 187. non favet hæreticis ſed orthodoxis. §. 9. p. 193. per concilium Tridentinum non eſt ſublata. §. 10. p. 194

Pax religioſa an perpetua? §. 10. p. 196

Pax religioſa interpretanda amicabili compoſitione. §. 11. p. 197. paritatem & æquum jus contineat. §. 16. p. 703. primo non comprehendit ſubditos. §. 49. p. 273. ſed demum Oſnabrugenſi pacificatione certo modo ad illos extenſa. §. 53. p. 292

Pax religioſa non concedit Statuum ſubditis libertatem mutandi religionem. §. 48. p. 272 Quæ demum inſtrumento pacis conceſſa. ib. comprehendit nobilitatem immediatam.§. 57 p. 296. & liberas imperii civitates. §. 58. p. 297 adverſus religioſam pacem nihil eſt diſputandum. §. 59. p. 299

Peccata Germanorum luſu aleæ abſumpta in annot. ad c. 2. §. 14. p. 160.

Petitio æqua non tollit iniquam legem. c. 5. §. 24 p. 219.

Permiſſio quotuplex? c. 5. §. 69. p. 333. Quæ nudi facti? ibid. Quæ plena ex lege? Quæ minor plena. p. 334. Hæc ultima iterum duplex. ib.

Permiſſio hæreſis quæ illicita? p. 335. quæ licita. p. 336

Permiſſio mali non fit eo illicita, quod malo nullum certum tempus ſit præſcriptum. p. 346

Permittere quod licet, licet etiam legibus tueri. p.343
Permittere neceſſitate rem illicitam non eſt probare. p.344. & 345
Permutatio Glauci & Diomedis. c.5. §.5. p.175
Pœnæ hæreticorum quotuplices. c.6. §.5. usque ad §.11. non tamen omnes omnis generis hæreticis impoſitæ. §.12. p.396
Pœnæ in fautores & receptatores hæreticorum conſtitutæ. §.13. p.397
Pœnæ Apoſtatarum. §.28. p.447
Pœnæ in illos ſancitæ, qui res ſacras alienant vel acquirunt. c.9. §.13. p.823. usq; ad p.827
Pœna communitatis proprie non eſt pœna ſingulorum. §.19. p.894
Pœnæ capitales tardè & cunctanter irrogandæ. c.6. §.24. p.430
Pœnarum gravitas non tantum æſtimanda ex publica tranquillitate læſa, ſed etiam ex ipſius criminis magnitudine. c.6. §23. p.424
Pontifex abutitur clavium poteſtate c.2. §.20. p.83. non habet de ſacris ſummum & univerſale judicium, c.4. §.4. p.144. errare poteſt. §.5. p.148. non habet univerſalem poteſtatem legislationis circa ſacra. c.5. §.1. p.161. eſt oſor liberi & Chriſtiani concilii. §.5. p.179 quondam judicatus ab Imperatoribus. c.6. §.31. p.459. veluti Leo. ibid. & p.464. Paſchalis. p.465. electus à populo debuit olim confirmari ab Imperatore. c.7. §.8. p.537. Ejus juris exempla. ibid. & p.538. & 564. ſupplicavit ad Imperatorem pro habenda Synodo. c.8 §.8. p.697

Pontifex paſtor, Principes arietes. in annot. ad c. 5. §. 80. p. 369
Pontifex ſibi poteſtatem arrogat traditionum faciendarum. p. 371
Pontificis ſumma poteſtas in univerſum orbem ens eſt ocioſæ rationis. c. 5. §. 8. p. 187. quando primum ceperit prætendi. ibid. & p. 188. & in annot. ad h. §. p. 367
Pontificis poteſtas in omnes Chriſtianos Principes tyrannica & intolerabilis ſive directa ſit. c. 5. §. 8 in annot. p. 370. ſive indirecta. p. 368
Pontificis ſuprema poteſtas in ſacrum ordinem pernicioſiſſima cuiq; reipublicæ propter ſummitatum multiplicationem. c. 5 §. 8. p. 192
Pontificis poteſtas abyſſo æquiparata. p. 190. ſed ſumma veri Dei injuria. ibid. & p. 191
Pontifici olim non licuit Epiſcopum conſtituere abſque cõnfirmatione & mandato Imperatoris ne quidem in Romana ditione. c. 7. §. 16. p. 555
Pontifici nihil eſt poteſtatis in Germania. c. 5. §. 8. p. 192
Pontificũ ambitione corrupta religio. c 2. §. 9. p. 51 & nova in Eccleſiam tyrannis enata. ibid. c. 7. §. 51. p. 632
Pontificiorum quorundam teſtimonia de poteſtate regum in ſacra. c. 5. §. 13. p. 63. & 64
Populus an Matthiam & Barnabam elegerit. c. 7. §. 3. p. 524
Potentia nuda ſine jure agendi non obligat ad agendum. c. 5. §. 69. p. 335
Poteſtas Pontificis univerſalis in religione nulla eſt. c. 2. §. 14. p. 66
Poteſtas eccleſiaſtica civili imperio non ſubjecta

plura

plura ſumma in civitate conſtituit. c.2. §.2.p. 26. & lites perpetuas nutrit. ibid.
Poteſtas minor cedere majori debet.c.3.§.5.p.113
Poteſtatis ſpiritualis ſpecie omnia ad ſacrum ordinem pertracta. c.5.§ 8.p.192
Poteſtatem aliquam in ordinatione & regimine ſacrorum ſibi omnes Principes Chriſtiani ſumunt. c.2.§.10.p.54.&55
Præſidere Synodis imperat.jus eſt.c.8.§.14.p.715 ut exemplis probatum. p.714
Præſidii jus quid contineat? c.8. §.15.p.716
Precandum pro Regibus,ut curam religionis habeant. c.2.§.4.p.33.34.& 35
Primatus Pontificis impedit unionem religionis. c.5.§.13.p.200
poteſt ſalva catholicâ religione tolli. ib.
Princeps eſt Vicarius Dei. c.2. §.2.p.28
Princeps ſummus quo ſenſu proprie dicatur aliquid à privatis acquirere. c.9.§.2. p.768.& 769
Princeps paganus ſi velit Epiſcopum conſtituere,an id ei concedendum. c.7. §.7.p.335
Principi imperium in ſacra competere probatur 1. ex natura & ſufficientia civilis imperii c. 2. §.2.p.26. ut plura ſumma vitentur.ib. & ἀκαταστασία. p. 27. 2. ex ratione mediorum, quæ ad finem neceſſaria. ib. 3. quia totus homo animo & corpore cõſtans objectum imperii. p.28 4.quia id publicus ordo poſtulat, ib. 5. quia curatio ſacrorum eſt actio publica. ibid. 6. quia Vicarius Dei. p.29.& 30. alia argumenta.vid. in ſeq.§. (3.§.6. p. 115
Principi impia jubenti non eſt obſequendum. c. an reſiſtendum, ſi propterea vim inferat? Negatur id.

1. rationibus civilibus.c.3.§.6.p.116.quia contra voluntatem primo remp. conſtituentium. ib.& p.117.quia contra bonum publicum.p.118 & 119. quia ipſis inſidiantibus periculoſum.p. 122.quia contra voluntatem & ordinem Dei,à quo Principes. p. 121. 2. dictis ſcripturæ ſacræ.c.3.§.7.p.123. 3. Exemplo Davidis.p.124 & §. 8. p. 130. 4. Praxi veteris ac novi teſtamenti.p. 127. Inter Magiſtratus & privatos hic nullum diſcrimen eſt faciendum. §.9. p. 137

Principes religionem curantes laudati,negligentes increpiti à Deo. c.2.§.3.p.30

Principes ſunt Dii.c.2.§.3.p.30. Paſtores.ib. ſcuta terræ.p.31.Patres.ib.nutritii Eccleſiæ,ib. miniſtri Dei & vindices omnium malorum.§.4.p.32 imago viva Dei & Vicarii in annot.ad.§.3.p.99

Principes etiam injuſti ab omni injuria tuti eſſe debent. c.3.§.6.p.116.& 121

Principes mali ferendi. p.119

Privato non licet publicè ſacra curare & religionem defendere,etſi veram.c.2.§.6.p.42.& c.5. §.2.p.163

Privilegia ſacri ordinis cum exceptione ſummi imperii civilis intelligenda. c.9.§.5.p.786.& §.6.p.790

Privilegium Eccleſię circa indemnitatẽ.§.14.p.827

Proteſtantium origo. c.5.§.5.p.176

Proteſtantes non ſunt hæretici.§.9.p.193.& §.13 p.198

Proteſtationes contra religioſam pacem invalidæ & prohibitæ. §.12.p.197

Provinciæ olim in plures diœceſes diviſæ. c.8.§. 6.p.686

Prudentia humana fallax. c.5.§.5.p.175

Publi-

Publicum bonum ſemper privato anteponendum. c.3.§.6.p.118

Q.

Querelæ nationis Germanicæ de Pontificum R. poteſtate. c.7.§.32.p.635
ſed nimium leniter propoſitæ. ibid.& p.636
Quæſtio de puniendis hæreticis eſt problematica, c.6.§.15.p.402

R.

Reditus eccleſiaſtici inſtrumento pacis comprehenſi. c.5.§.47.p.269
Reformandi jus à ſuperioritate territoriali dependet. c.5.§.17.p.203
Reformatio in religione periculoſa. c.1.§.6.p.16
Reformati comprehenſi religioſa pace. c.5.§.18 p.204
Reges quomodo ſerviant Deo. c.2.§.6 p.39
Reges Iſraelitici religionem ordinarunt jure regii muneris. c.2.§.7.p.42.43
Reges olim Sacerdotii munere functi. c.2.§.11 p.56.& 57
Reges quo ſenſu adoraturi Eccleſiam dicantur. c.2.§.23.p.95
& quomodo Eccleſiæ ſervire.ib. & p.96. tamen propterea non ſunt ſervi eccleſiæ. ead.p.96
Regicidæ in Gallia emiſſarii Jeſuitici Ordinis. c.1.§.6.p.13
Regicidium caſuale quoq; piaculare.c.3.§.6.p.122
Regimen quotuplex? c.2.§.21.p.85. quid ſuaſorium? ibid. quid declarativum. ibid.& p.86
quid conſtitutivum ex conſenſu? ibid.
quid conſtitutivum ex vi imperii? p.87
Regimen declarativum non proprie obligat, ſed obligationi occaſionem dat. §.21.p 85

Regimen conſtitutivum ex conſenſu obligat jure naturali non tantum inferiorem. p. 86
ſed & parem. p. 87. imò ſuperiorem. ibid.
Regimen conſtitutivum ex vi imperii quotuplex. c. 2. §. 21. p. 87. & 88
Regimen paſtoribus tribuitur. §. 21. p. 84
ſed non conſtitutivum ex vi imperii. p. 88. & 89
neq; ex conſenſu. ibid. ſed declarativum. p. 90
Regimen declarativum non pugnat cum humano imperio. ibid.
Regi & regere ſimul quomodo poſſibile? p. 91
Religio fundamentum Reipublicæ. c. 1. §. 1. & 2. p.
prima in Republica curatio. p. 2. (2. & 4
felicitatis civilis & fortunæ genetrix. ibid. & §. 7. §. 18. & in annot. ad §. 2. p. 19
ſicut neglecta malorum. p. 3. etiam in patria noſtra. §. 6. p. 14. domitrix animorum humanorum. §. 3. p. 4. vinculum concordiæ. ibid. imperanti ſcutum adverſus inſidias. ibid. & p. 5. & 7
ſcelerum retinaculum & obex. ibid.
Religio occulta quadam vi mentibus humanis imperat. c. 1. §. 3 p. 5
cujus rei exemplum enarratum. p. 6
Religio rempublicam jam pene conclamatam ſæpe ſervavit. c. 5. p. 8. & 9
curanda tamen cum modo eſt. §. 6. p. 11
neglecta jugum Pontificium Chriſtianis impoſuit. p. 16
Religio civilis apud Romanos quid? in annot. ad c. 1. §. 6. p. 21. (cleſia. p. 22
cujus quædam ſpecies analoga in Romana Ec-
Religio cuiq; ſua optima videtur. c. 5. §. 4. p. 171
omni bus arduis rebus conficiendis adhibita. §. 8. p. 190. non cogi vult. §. 69. p. 337

Religio Chriſtiana quomodo feliciter unienda. §.13.p.199. (creto.§.5.p.176
Religio Proteſtantium adjuta Noribergenſi Decſed alio Spirenſi rurſus preſſa. ibid.
Religiones pace religioſa excluſæ omnes in imperio vetitæ. c.5.§.60.p.302
Religiones plures non toleravit Deus apud Iſraelitas.§.67.p.325. nec toleravere Romani. ibid.
Religionis mutatio in imperio adſcribenda Principum ingeniis. c.5.§.2.p.162.& 164
Religionis in Germania ſciſſæ origo & cauſa. §. 5. p.173. (ſilia.p.176
ejusdem reſtaurandæ diverſa Imperatoris con-
Religionum impromiſcua libertas tollit fidei certitudinem. c.5.§.61.p.304
& veritatem Eccleſiæ. p.305.& efficaciam theſaurorum ſacrorum. ibid. conſtituit populum incertum & anxium de ſalute. ibid.
Religionum ludibriis ſolent Principes plebem in officio continere. c.1.§.6.p.17
Religionis veritas non debet metiri ex eventu, c.5.§.67.p.324. (167
Religionum diverſitas an Civitati utilis.c.5.§.3.p. id Ægyptiorum Reges arbitrati. p.168 & probavit Julianus Apoſtata. ib. nobis aliter videtur, quia nunquam levia diſſidia, quæ de religione,ib.& p.169. exempla funeſta Europæ id docent. ibid. & regicidia odio religionis perpetrata. p. 170
Religionum diverſitas turbat Rempublicã.p.325 toleranda tamen aliquando neceſſitate c. 5.§. 4.p.171. quod tunc Principi laudi,non vitio vertendum. p. 172. præcipue ſi melioribus & purgatis ſacris veniam det. ibid.

Religionum diverſitas non ſufficit jure gentium ad bellum inferendum. c.6.§.30.p.449

Repetitio prodigæ donationis à Principe etiam contra ſacrum ordinem inſtitui poteſt. c. 9. §. 19. p 850. Exemplo Ottonis III. ab ipſo Pontifice Sylveſtro probato. p. 851

Res ſolo ordine ſubjectæ ſubſunt etiam civili imperio. c.2. §. 16.p.75

Res ſacræ quo ſenſu divini juris. c.9. §.7.p 798
& quo ſenſu nullius. §.8.p.801

Res ſacræ prorſus non alienabiles quæ? §.13.p.820
& quæ difficulter alienabiles. ibid & pp.ſeqq.

Reſervationes Pontificiæ Concilio Baſileenſi damnatæ. c.7. §.32.p.636

Reſervatum Eccleſiaſticum. c.5.§.20. p.209
ejus origo. ib. quomodo primo à Catholicis conceptum.p.210. & à Ferdinando Rege probatum. p. 211. ſed reclamantibus & non conſentientibus ordinibus. p.212. quibus reſpondent Catholici. p. 213. tandem id ad Ferdinandi regis arbitrium remiſſum. ibid.

Reſervatum eccleſiaſticum quomodo religioſæ paci inſertum. c.5.§.6. p 181.artic.5

Reſervatum eccleſiaſticum poſt factam religioſam pacem ſæpe à Proteſtantibus impugnatum. §.21. & 22.p.215. & 216
adhibita ſolenni proteſtatione, quod in illud nunquam conſenſerint. ib. ſed ſummo ſemper ſtudio à Catholicis defenſum. §. 22. p. 216
idque feliciter plerunque. ibid. & p.217

Reſervatum Eccleſiaſticum edicto Ferdinandeo denuo confirmatum. §. 23. p.217

Reſervatum eccleſiaſticum an valuerit ante inſtrumentum pacis. §.24.p.218.

Ratio

Rationes Proteſtantium contra illud propter iniquitatem. p. 219. & aliæ ex capite defectus conſenſus debiti. §.25.p.221. Rationes Catholicorum pro illo. §.26.p.223. usque ad p. 230
Quod autem valuerit, videtur verius
1. quia Proteſtantes in id certo modo conſenſere. §.27. p.231. quamvis alio reſpectu, & ne conſcientias gravent, diſſenſerint. p. 232. conſenſus & diſſenſus illius effectus varii. p. 233 in Eccleſiaſticum reſervatum conſentire non eſt ſimpliciter contra conſcientiam. p. 235
2. quia valuiſſet, etiamſi Proteſtantes non conſenſiſſent. §. 28. p. 235. ſcilicet ex plenitudine poteſtatis & vi compromiſſi deciſum. ibid.
3. quia, ut valeret, majori parti placuit. p. 236
4. quia non communis res fuit omnium, ſed propria Catholicorum Ordinum. ibid.
Reſervatum eccleſiaſticum nemini ad evangelicam veritatem amplexandam viam occludit. §. 24. p. 220
Reſervatum eccleſiaſticum quomodo in Inſtrumento pacis primo ab Evangelicis propoſitum. §. 30. p 240
quomodo idem à Catholicis. §. 31. p. 741. & §. 32. p. 243 aliæ Evangelicorum conditiones in eadem cauſa. §. 33. p 244. mitigatæ per Electorem Saxonicum. §. 34. p. 245. Legati Cæſarei Sententia. §. 35. p. ead. & Evangelicorum ad illam reſponſio. §. 36. p. 248 denique ſanctio inſtrumenti pacis. §. 37. p. 249
Rudolphus Rex vincitur ab Heinrico. c. 7. §. 26. p. 601. in prælio manum dextram amittit. p. 602 morituri in vulnere ultima verba. ibid.

S.

SAcer Ordo diſciplina Eccleſiaſtica tenendus. c.1. §.6.p.11
neque ſuperfluis opibus cumulandus. ibid. & p.14
alias aptus ſeditionibus. p.12
Sacri Ordinis nimiæ opes Reipubl.pernicioſæ. p.15
Sacer Ordo in Germania beſſem imperii habet. ibid.
interdum male conſulere ſolet Reipublicæ.c.7.§.34.p.649
Sigebertus Gemblacenſis contra Baronii accuſationem defenſus. c.7.§.13.& 14.p.547.usque ad p.552
Societas,quæ Cancellarium Epiſcopum habet,non ideo ſtatim eſt eccleſiaſtica. c.11.§.2.p.953
Subditi Statuum inſtrumento pacis adepti libertatem mutandæ religionis. c.5.§.48.p.272
quantum eis in religionis libertate conceſſum. §.49. 50.51
52.53.54.55.56.à p.273. usque ad p.295
Subditi extra eccleſiam ad fidem non ſunt cogendi. c. 6. §. 29 (p.447
Superſtitione plebs retinetur.c.1.§.6.p.17
Synedrium Judaicum non erat Synodus. c.8.§.2.p.672
Synodus nominaliter quid? c.8.§.1.p.670
ejus magna utilitas. §. 2. p. 671. ſed neceſſitas nulla divino aut naturæ jure injuncta. p. 672.& 673. in quo differat à Synedrio Judaico. ibid. & in quo à cœtu ad audienda imperata congregato. ibid.
Synodus non erat illa Apoſtolorum Hieroſolymis congregatio. p. 674
Synodus realiter quid? ſive ejus definitio. c.8.§.3. p. 674
& explicatio definitionis. p.675:atq; triplex requiſitum.ib.
Synodus dividitur in œcumenicam & topicam. §.4.p.676
Oecumenica quid? ibid. & p.677. quanta? ibid.& p.678
an hodie per Imperatorem poſſit haberi? p.678. & 679.
ſive per Pontificem? p.680. œcumenicæ quot ſunt? ibid.
Diœceſana ſeu nationalis quid? §. 5. p. 681. illarum elogium & autoritas.p.684. ſunt majores provincialibus. p.682. & 683. ac tam in oriente quam occidente celebratæ. p.684 & 685. in quo minores œcumenicis. p. 685. Provincialis quid,& à quo indicta.§.6. p.686. elogium & autoritas. ibid. primo bis in anno habitæ. ibid. ſed deinde annales factæ.ib. materia & res agendæ. p. 687. ab hac provocari potuit ad diœceſanam. ibid.

Syno-

Synodorum finis duplex. c.8.§.7. p. 687. alius tertius, docere & doceri. p.688. & quartus adhuc alius. ibid.
Synodi convocandæ jus Principibus competit. c.8. §.8. p.689 ſed Chriſtianis. p. 692. quod exemplis Imperatorum orientalium probatum. p.693. usque ad p.699
& Regum Francorum. §.9. p.700
Synodos nullas congregavit prima eccleſia vetantibus Principibus paganis. §.8. p.691
Synodi generales rectè dicuntur inventũ Conſtantini M. p.693
Synodi generales non ſemper indictæ ad petitionem Pontificis p.695. nec celebratæ, ubi Pontifex voluit. p.696. nec quando voluit. ibid. & p. 697. & 698
Synodi generales quando deſiere celebrari? c.8.§.9. p.699 illis ſucceſſere concilia nationalia in occidente. ib. & p.700 à regibus & Imperatoribus ſemper habita. ibid. & 701 qui à Pontificibus & Epiſcopis ſuper hoc rogati ſunt. ibid.
Synodis præſidere imperatorium jus eſt. c.8.§.14. p.713 item judicare in Synodo. §.16. p.716. usque ad p.721
Synodi decreta ſua & canones ſubjecere judicio Imperatorum. c.8.§.17 p.725
ex eoque ſuis actis majorem autoritatem tribuere. p. 729
ejus ſubjectionis formula. p. 725
Synodi ex propria confeſſione obnoxiæ errori & indigæ autoritate imperatoriâ. c.8.§.17. p.778
Synodus non ſemper neceſſaria. c.8.§.22. p.740. usq; ad p.743 aliquando etiam inutilis & pernicioſa. §.23. p.744

T.

Tempus revelat omnia. c.6.§.25. p.440
& mitigat. p.441
Tempus reſtitutionis in pace religioſa. c.5.§.38. p.250
Tezelius homo impudens. c.5.§.5. p.173
Theodoſii Imperatoris libertas in concilio habendo contra Pontificis voluntatem. c.8.§.8. p.695. & 696
Traditiones pontificiæ fallaces. c.5.§.8. p.189
Traditiones Eccleſiæ, quæ veræ. ibid.
Traditionum conditor Pontifex. in annot. ad a.5. §.8. p.371
Tributa fundamentum habent in eminente dominio. c.9. §.1. p 758
Tributum quid ſignificet. §.20. p.852

ſtrictior ſignificatio ad eminens dominium pertinet. p. 853
Tributum divino jure etiam debent Eccleſiaſticæ perſonæ. ib.
quod inſigni Pauli loco probatur. ibid.
& Sanctorum Patrum teſtimoniis. p. 854. & 855
& exemplis piorum Principum. p. 856. & 857
& Doctorum Catholicorum noviorum confeſſione. §. 22. p. 875
quod fruſtra canonico juri improbatur & canoniſtis. p. 858
quia hi ipſi inter ſe diverſi & pugnaces. p. 859
quorum rationes refutantur. §. 21. p. 867. usque ad p. 874

V.

VAcuum politicum fugiendum. c. 9. §. 3. p. 772
Venetorum diſſidium cum Paulo V. Papa. c. 6. §. 32. p. 49
Veritas unica eſt. c. 5. §. 61. p. 304
Vicarius à miniſtro in quo differat. c. 2. §. 24. p. 98
Vicarii officium. c. 2. §. 3. p. 29
Vicariatus Pontificis non poteſt ex verbo Dei probari. c. 5. §. 8 p. 188
nec primis mille annis Eccleſiæ innotuit. p. 189
cujus diploma divinum adhuc latet. c. 5. §. 1. p. 161
ſola vi & terrore ſuſtinetur. c. 5. §. 8. p. 191
Vicarium in eccleſia univerſalem ſolus Deus potuit quidem conſtituere. ſed id non fecit. c. 5. §. 8. p. 189
Vicinus malus contagio. c. 5. §. 67. p. 327
Vindicatio rei non obſtat eminenti dominio, ſed ei opitulatur. c. 9. §. 2. p. 770
Vſucapionis fundamentum eminens dominium. c. 9. §. 844
introductæ ratio. ibid.
Uſucapi etiam Sacræ res poſſunt. p. 845
Utilitas in alienatione ſacrarum rerum quibus modis conſideretur. c. 9. §. 17. p. 840

Z.

ZIzania quando evellenda vel non evellenda. c. 5. §. 67. p. 321. & c. 6. §. 20. p. 418

F I N I S.

Errata

Errata Typographica properante oculo notata.

P.3. l.8. lege. ἰνδικίας p.9.l.27.lege ἀναγκάζε. & l.28 .leg. ξενίζοντας.p.10.l.7. lege cerimonie. p.15.l.11.lege noſtri.p.19. lim.ante p.lege.civitatem.& lin. pen. lege. rempublicam,p.22. lin 19. lege juſſa. p.28.l.15. lege.eum auctorem. p,ead. l.pen. poſt verbum finibus,adde. diſtribuit. p.45.l.12. lege iciendum p 47.l.17.lege.& p.ead,l.26. lege Principes p.54.l.6.lege id in. p.62. l.17. lege quoque.p 81.l.9. lege inæqualis,p.86. l.6.lege notitia.p.89 l.18.lege habet.p.96.l.17. lege ἐπεῖται.& lin.ſeq. lege ἰλόμενοι.p.97.l.15.lege diſtribuentur.p.98.l.3.lege σύνδιοικεῖν. p. 102. l.4. lege adverſæ. p. 104. lin. 24. leg. rimis. & lin. 29. leg. moleſtia. p. 112. l. antep. lege Chriſtianis. p. 114. l. 29. lege præſcriptæ. p. 118.l. ulc. p.119. l.1.lege φερόμενος & lin.2.lege ξυνεπόμπευσαν.& l.5. lege ἂν p.127.l.3 lege κολαφιζόμενοι. l.8 .lege ὑπολαμβάνειν.l.22..ege ſapientes. p.135.l.7.lege & immanes. p.137.l.14. lege inter hoſce.& l.22. lege reſtiterunt.p.139.l.31.lege Judæis obſequi.p 144.l.25.lege dominatur.p.160. l.22. lege καὶ ἐπιείκειαν. p.163.l.7.lege.cœtui,p. 167.l 25.lege.certis limitibus.p.173.l.18. lege legislatoriæ.p. 175.l.4.lege ille.p.179.l.8.pro id.lege.quod.& l.17.poſt.1548 adde.& p.180.l.19 ita lege.quibuscum tranſactionem Paſſavienſem, primo quidem privatam quandam intet partes actionem,poſtmodum vero,&c. p.193. l.13. pro quam. lege.quâ.p. 212.lin 29. lege & paci. p.270. l.8 pro de tam. lege tam de.p. 221.l.5.lege explicuiſſe. p.228. l.26. deleatur.alterius. p.232, l.antep.lege.ſtatuere,p.236.l.8.lege una cum,p.254.l.13.lege. ſuſpenſam.& l.25.lege ſancte, p.259. l.22.lege bonis, p.262.l. 7.lege aliquod jus.p.267.l.31.lege quo vel utraque pars.p.279 l.17. lege oppoſito. p.283.l.31. lege ſubditos. p.30. l.18. lege frigiditate ſupra ſcythicam. p.301. in marginalibus. R.I. adde 1566 ſ.auf daß aber/2c. p.305. l.23. pro etiam. lege. & eam.p. 314.p.3 lege. συνωμοσίαι. & l.7. lege nomina.p.333.l.15.lege proximum ſuum. p.340. l.28. pro aliquando lege aliquanto.p. 341.l.25. lege ex adverſo. p 342.l.24. lege μείζ ν.& l.26 lege πέφυκε. p. 352. in marginal. pro lib. lege l. p. 355.l. 18. poſt verbum. Anthemius. adde qui Monachos vetuere.&c p.370. l.6.pro minus.lege. quo minus.p.377. l.16. lege γείτων.& l.17. lege ἔμμοιρε.pro ἐξέμοιρε.p.384 l.25. lege judicari. p.387. l.28. lege poteſtativa.p.388.l.4.lege peccatur.& l.ead. lege in illos.

p.930.

p.390. l. 16. lege deteſtabilem. p.399. l.20. lege qui ſpiritu. p.400.l.5.lege in dubium. p.431. l.6.lege φοβῶ. p.439. l.21.lege dague.p.440.l.12.lege ἀκέων p.453.l.5. poſt. περιλαμβάνεσθαι. adde. καὶ νοεῖσθαι.ſp.458.l.8. lege videamus. p.463.l.19.lege prodigioſe.p.474.l.10. lege. ſibi hæredibusq; ſuis.& l.14.lege violatæ fidei.p.496.l.19.lege iſta felicitas.p.503.l.24.lege extat.p.515.l.2.lege inſultarent. p.517.l.7. lege Achipœmone.p.520.l.26.& l.27. lege hoc ſenſu. quam id negligendo & ad ſe non vocando Reſpublica ſibi ipſi defuit.p.534.l.16. pro aliisque.lege aliiq;.& l.27.deleatur.ſumus.p.356.l.10. lege. incendendos. p.564. l.5.pro ad. lege. & p.569. l.9. lege carnisprivium.p.602.l.7. lege. eum Sueviæ Ducatu. &c. p.634. l.26.lege Cranzio.p.655.l.1.pro & lege eſt.p.676.l.15. pro ne lege nec. p.680.l.13.deleatur.&. p.682.l.7.lege cis Taurum.& l.11.pro ψῦλα.lege φῦλα.& l.12. pro διαλάγαι. lege διαλάξαι. & l.23.lege abolevit. p.704.l.23.lege concilia.p.725.l.26.lege Ἰόβιον.p.740 l.18.leg.luceat.p.772.l.22.pro vi objectis,leg.in objectis.p777 l.11.lege πιεζάσκειν.p.788.l.11.& 12.lege hoc ſenſu.in certos tantum caſus terminata alienari poſſunt. p.798.l.10. lege tribuenti.p.810.l.1.pro fulmen. lege flumen. p.827.l.26.pro nec enim.lege nec emi.p.828.l.11. lege oblatæ.& in marginalibus. pro l. §.1. lege l.1.§.1. p.831.l.3. lege expalleſcentibus exitium moliri,Imperantibus publicæ rei. &c. p.833.l.30. pro docet.lege decet.p.841.in marginal.lin.ult.pro Ep.lege Ei.p.848 Marginalia ita lege. (a) Liv loc.cit. (b)Liv.l.35.c.31.p.854.l.1.lege πᾶσι.p.879.l.23. lege recordetur. p.881. lege & aggeribus.p.882.l.12.lege ἐπαγωγά.p.902.l.32.lege hoc ſenſu diſpoſitione litem movente, tamen cum uſus. &c. p.919. l.15.lege. peſſime.p.627.l.21. pro in lege ni.& l.22.pro ni lege in.p.932. lege atque ea.p.936. l.14. lege ejusque bona.

Punctorum, commatum,& aliorum minutiora ſphalmata excuſabit & emendabit ipſe Lector benevolus.